
ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN II
PERIODUS SECUNDA

PARS V
CONGREGATIONES GENERALES LXV-LXXIII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXIII

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS LXV
12 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXV

12 novembris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii.*

In hac congregatione generali 65, disceptationem cap. II schematis *de episcopis ac de dioeceseon regimine* moderabitur em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Durante hac congregatione generali fiet suffragatio de qua heri em.mus moderator. Deinde distribuentur Patribus libelli, qui continent secundam editionem commissionum conciliarium.

Circa cap. II *de episcopis et dioeceseon regimine,* verbum facere postulaverunt em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis; exc.mi DD. Vincentius Zazpe, ep. Raphaëliensis in Argentina, Ioannes Hervás, ep. Cluniensis in Hispania, Franciscus Žak, ep. S. Hippolyti in Austria, Hermannus Volk, ep. Moguntinus in Germania, Raymundus Tchidimbo, arch. Konakriensis in Guinea, Iacobus Le Cordier, ep. aux. Parisiensis in Gallia, Thomas Cahill, ep. Cairnensis in Australia, Ioseph Slipyj, arch. metropolita Leopolitanus Ucrainorum, Ioseph Reuss, ep. aux. Moguntinus in Germania, Angelus Fernandes, arch. coad. Delhiensis in India, Vincentius Reyes, ep. Boroganensis in Insulis Philippinis, Ioseph Zimmermann, ep. aux. Augustae Vindelicorum in Germania, Iesus Alba Palacios, ep. Tehuantecepensis in Mexico, Ioseph Melas, ep. Nuorensis in Italia, Fortunatus Da Veiga Coutinho, ep. coad. Belgaumensis in India, Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus in Aegypto, Petrus Cantero, ep. Huelvensis in Hispania, Humbertus Altomare, ep. Muranus in Italia, Simon Lourduswamy, ep. aux. Bangalorensis in India, Gilbertus Baroni, ep. Albinganensis in Italia.

Moderator: Velint Patres audire! Nunc proponitur liberrimae suffragationi Patrum haec quaestio: « An placeat Patribus omitti disceptationem de cap. V huius schematis, quod est *de paroeciarum erectione deque earumdem congruenti circumscriptione,* eiusque materiam remitti ad opus reformationis Codicis Iuris Canonici ».

Monentur Patres quod etiam si responsio aulae erit ut omittatur disceptatio de cap. V in aula, Patres qui circa materiam eiusdem capitis interventiones vel emendationes praeparaverunt aut sunt praeparaturi easdem secretariatui generali tradere poterunt.

Insuper, etiam disceptatione clausa, manet facultas loquendi iis de quibus art. 57 *Ordinis Concilii Oecumenici Vaticani II*, § 6.

Votatio fit per *placet* et *non placet*. *Placet* significat quod disceptatio de cap. V omittitur in aula, et materia remittitur ad commissionem reformationis Codicis Iuris Canonici. *Non placet* significat disceptationem de cap. V fieri in aula. Suffragatio fit per schedulas, quae mox distribuentur.

PATRUM ORATIONES

(*De episcopis ac de dioecesium regimine*, cap. II)

1

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS

Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Patres,

Vellem loqui de episcoporum a munere cessatione. Quando commissio praeparatoria, cuius membrum fui, de hac re discussionem instituit, fere omnia membra reiecerunt ideam alicuius praescriptionis legalis quoad limitem aetatis. Quando vero disceptatio ita, per latum et longum protracta, finem habuit, « longe maior pars episcoporum », ut optime notat relator, votum dederunt in favorem praescriptionis. Et hoc quidem iure meritoque, ut mihi videtur.

Quaestio haec est delicata, siquidem nemo bene iudex in propria causa. Quaestio haec, ut patet, tangit theologiam episcopatus. Sed caveamus ne invocentur — unilateraliter — quaedam principia, aliis omissis.

Quidam *Patres in aula* [1] invocaverunt principium paternitatis perpetuae episcopi. Utique pater semper remanet pater, sed decursu annorum filii e manibus patris assumunt magis ac magis responsabilitatem dirigendi officium familiale.

Quidam *Patres* [2] invocaverunt principium indissolubilitatis in matrimonio inito inter episcopum et plebem sibi commissam.

Sed aula haec conciliaris plena est episcopis « divortiatis », quandoque bis vel ter. Ne urgeantur haec principia. Et praesertim ne oblivioni dentur alia magis forsan decisiva. Nonne evangelium ipsum nec non traditio apostolica et sub-apostolica nos monet ministerium nostrum esse servitium ...[3] in bono animarum?

Proinde tota quaestio ad hoc reducitur: quid postulat hac in re salus animarum ...[4] ?

1. Sub hac luce necessitas apparet alicuius praescriptionis. Omnes enim scimus, si res solvitur per piam exhortationem nihil solvitur: erit, *ut dicitur,*[5] « un coup d'épée dans l'eau ». Iam vero res est maximi momenti siquidem Concilium nostrum erit Concilium renovationis pastoralis.

Quae renovatio incipere debet ab episcopis ipsis, cardinalibus non exclusis. Concilium Vaticanum II apparebit in historia ut Concilium de episcopis. Omnia hucusque discussa eo tendunt ut episcopi maiorem assumant responsabilitatem tam in Ecclesia particulari quam, modo suo, in Ecclesia universali.

Iam vero ubi maior responsabilitas ibi maior requiritur aptitudo. Functio episcopalis hodie novas dimensiones accipit. Non est amplius id quod fuit per saecula sed magis ac magis assumit episcopus officium animandi et coordinandi totum laborem apostolicum. Episcopus fit caput et anima illius pastoralis generalis ...[6] — est primum movens ita conducens populum sibi commissum ut sacerdotes, ...[7] religiosi et religiosae, laici apostolatui dediti necnon omnes fideles uno impetu et una anima concurrant ut Ecclesia tota sit in statu missionis et evangelizationis.

Quae omnia vires exigunt omnino validas.

2. Praeterea: evolutio sociologica mundi talis est ut vita hodierna fit rythmo accelerato. Quotidie nova problemata exsurgunt. Constanter episcopus debet invigilare ut respondeat necessitatibus novis. Hoc autem requirit iuventutem mentis et corporis ut possit adaptationes requisitas intelligere ac in praxi deducere. Aetas provecta — ipso facto — creat hiatum inter episcopum et mundum quem salvare debet, inter ipsum et clerum, quod valde nocet bono spiritui in dioecesi...[8]

3. Ut bene iudicetur haec quaestio sufficit prae oculis habere statum dioeceseos ubi episcopus est provectae aetatis. Omnes nos cognoscimus tales casus. Non est necesse amplius immorari: evidentia est nimis flagrans, dolorosa *et damnosa.*[9]

4. Pariter ne oblivioni detur quod episcopus non raro rogare debet demissionem alicuius *sacerdotis*[10] senescentis propter bonum paroeciae *vel officii.*[11] Quomodo hoc fiet si episcopus ipse est nimis provectae aetatis? Quomodo impediretur talis *sacerdos ut*[12] interne cogitet: « Medice, cura teipsum ».

5. Pariter ne oblivioni detur factum quod fideles nostri quam maxime attenti sunt et exspectant nostram reactionem hoc in casu. Pro ipsis votum nostrum apparebit ut signum sinceritatis nostrae in renovatione pastorali. Caveamus a scandalo fidelium. Eo vel magis quod hodie in mundo civili, universitario, *industriali,*[13] diplomatico, ...[14] limes aetatis — et quidem inferioris quam 75 — ubique viget propter bonum com-

mune. Quod requiritur in ordine civili cur non urgeretur propter bonum supernaturale animarum? Utique maxima intercedit differentia inter officium mere humanum et supernaturale ut est episcopatus, sed leges psychologiae *et physiologiae* [15] eaedem remanent et exigentiae boni communis supernaturalis longe superant exigentias mere temporales.

Antequam *ad conclusionem perveniam,*[16] quasdam addere velim observationes:

1. Patet ex natura rei has exigentias quoad limitem aetatis non competere Summo Pontifici cuius perpetuitas in munere requiritur ex ipso bono Ecclesiae universalis.

2. Patet quod episcopus qui renuntiat officio suo omnino ius habet ad sustentationem dignam necnon ad omnia quae statui suo competunt.

3. Posset praevideri etiam quaedam vacatio legis in favorem episcoporum hodie iam proximorum limiti praescripto.

4. *Forsan* [17] status sociologicus Ecclesiarum orientalium (*nescio*) [18] non exigit pari cum necessitate eamdem solutionem.

Ex dictis, liceat mihi affrmare [19] quod bonum animarum postulat non *tantummodo* [20] suasiones sed veram legis praescriptionem etsi cautissimam et semper salvo iudicio Romani Pontificis de casibus revera extraordinariis.

In conclusione propono. Etsi Concilium nostrum non perveniat usque ad statuitionem termini renuntiationis necessariae post septuagesimum quintum expletum annum, saltem sanciatur episcopo post supradictum annum *semper* dandum esse coadiutorem. Episcopus humanissime remaneat sicut pater veneratus in domo sua sed coadiutor gradatim cumulet in manu sua regimen unitarium totius dioeceseos, cum illa facultatum amplitudine, quam Apostolica Sedes pro singulo casu definiat, habita ratione ad minorem vel maiorem inhabilitatem episcopi. *Hoc modo, ut mihi videtur, varii quaestionis aspectus inter se componi possunt ad exoptatam renovationem pastoralem, quae est finis Concilii nostri.*[20] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] et non valere nisi ut servitium. [4] servitium verum dioeceseos. [5] deest. [6] — pastorale d'ensemble —. [7] utriusque cleri. [8] Aetas provecta talis est ut quodam momento non amplius intelligitur a senescente deficientia propria quia inconscia evenit. [9] deest. [10] parochi. [11] deest. [12] parochus ut dicat vel saltem. [13] deest. [14] etc. [15] humanae. [16] concludam. [17] Potest tandem concedi melius re perpensa quod. [18] deest. [19] Sed omnibus iure et aeque expensis, affirmo. [20] tantum consilia et. [21] deest.

2

Exc.mus P. D. VINCENTIUS ZAZPE

Episcopus Raphaëliensis

Patres, Observatores, Auditores,

Omnem iuridicam codificationem oportet esse expressionem luminosam, vitalis structurae. Iidem humani codices volunt esse expressio humanae vitae. At numquam fuit hoc labor facilis; agitur enim — ut ita dicam — de codificanda vita. Ad Ecclesiam quod attinet, quaestio magis implicata *evenit,*[1] quia Ecclesia non solum est vita, sed est *mysterium vitae*: mysterium dynamicum semper se evolvens, semper se reformans, semper crescens. Si profunde inspicitur, Ecclesia est Iesus vivens: Deus lux, Deus vita, Deus via. Omnis autem multiplex mundi vita, ad valvas Ecclesiae pulsat. Ideoque in Ecclesia canonica legislatio realitatem hanc exprimere debet. Sed: ubi consistit hoc mysterium vitale Ecclesiae? *Apud dioecesim et apud episcopum*: episcopus namque et dioecesis unam realitatem constituunt, ubi episcopus dioecesim format et dioecesis reflectit episcopum. Si episcopus pater est, dioecesis est familia. Si episcopus sacerdos est, dioecesis est communio in Eucharistia. Si episcopus est magister, dioecesis est communitas fidei. Si episcopus dux est, dioecesis est populus. Si episcopus caput est, dioecesis ab episcopo incrementum accipit.

In schemate *de Ecclesia* hoc omnino erat episcopus. In praesenti autem schemate *de episcopis et dioecesium regimine* dioecesis miro modo, non apparet sub lumine episcopi. Cap. I relationes examini subiicit quae inter episcopum et Romanas Congregationes vigent; cap. vero III relationes inter episcopum et conferentiam episcopalem; IV deinde divisionem considerat dioecesium atque provinciarum ecclesiasticarum; V denique paroeciarum erectionem. Cap. II, unicum dioecesi dicatum, solum examini subiicit problemata quaedam competentiae et conviventiae inter episcopum titularem dioeceseos, ex una parte, coadiutorem, auxiliarem et vicarium generalem, ex altera parte. Ubi regimen dioeceseos, de quo in titulo? Ubi realitas dioeceseos exprimitur viva atque missioni dedita? Ubi de relationibus atque officiis episcopi *presbyteri,*[2] religiosorum, laicorum? Ubi describuntur figurae iuridicae, quae in dioecesana Curia exprimere debent munera episcopalia docendi, sanctificandi et gubernandi? De facto autem primaria activitas pastoralis dioecesis exercetur per episcopales delegatos vel per secretariatus; non autem ope ipsius Curiae dioecesanae; ita v. g. docendi munus in scholis et

universitatibus; praedicatio *ipsa*[3]; liturgia; catechesis; actio catholica etc. Schema indicare debet viam non ambiguam futurae commissioni de reformatione Codicis Iuris Canonici; lineamenta nempe fundamentalia laboris exsequendi. Unum, autem, ex istis lineamentis est munus dioeceseos ut vivum organum structurae Ecclesiae; atque munus Curiae dioecesanae ut organum episcopi, hodiernis exigentiis pastoralibus accommodatum; ad omnia nempe promovenda et coordinanda in dioecesi.

Ex omnibus his inspectis, venerabilibus Patribus proponere audeo:

1. Quod in hoc cap. II, omnem realitatem dioeceseos, ad legem ferendam considerent; non autem quosdam aspectus muneris regiminis.

2. Quod curia dioecesana, ut episcopi organum ad aedificationem dioeceseos explicetur in capite, ope illarum institutionum quae exprimant munera episcopalia docendi, sanctificandi, regendi. Forsitan, his potest satisfieri, aucto numero vicariorum generalium.

3. Quod in redigendo schemate, sicut etiam in reformando Codice Iuris Canonici in mente habeatur quod, non in societate aliqua, ut ita dicam, statica vivimus, sed mutabili et dynamica; ideoque legislatio permittere queat, futuram coaptationem institutionum canonicarum ad novas exigentias temporum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] cocuit. [2] presbyterii. [3] deest.

3

Exc.mus P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, praelatus nullius Cluniensis

Venerabiles Patres,

Iam abhinc viginti annos episcopus sum; primo auxiliaris, dein coadiutor cum iure successionis in alia dioecesi post mortem primi archiepiscopi; postea residentialis.

Nihil aliud quam gratitudinem habere possum et laudes dicere de illis duobus praeclaris senibus, quibus adiutorium libenti animo praestiti.

Attamen, diuturna experientia edoctus, *propria et aliorum, necnon et ipso textu proposito in schemate qui difficultatem sane non solvit, votum, cui unus em.mus cardinalis benigne adhaerere voluit, sic humiliter propono*[1]: Videtur oportere ut *institutum iuridico-canonicum de episcopo coadiutore cum iure successionis aboleatur seu supprimatur.*[2]

Rationes. Decretum conciliare, de quo agitur, maxime ad praxim regiminis spectat. Unde ita exarandum est, ut potius quam structuram

iuridicam abstractam et idealem, Concilium quaerat et decernat statuta iuridica et canonica, quae solida experientia fundantur.

Sed experientia, *ut censeo,*[3] testatur munus episcopi coadiutoris cum iure successionis non esse necessarium; semper esse ingratum sive coadiuto sive coadiutori; et ordinarie multis periculis esse irretitum.

1. *Non necessarium. Nam*[4] episcopus auxiliaris, opportunis facultatibus praeditus, eadem ipse praestare potest, quae tantum apparenter a solo coadiutore cum iure successionis videntur *posse*[5] resolvi.

Praeterea non raro evenit ut episcopus coadiutor cum iure successionis, antequam coadiutus moriatur, ad aliam sedem regendam nominetur. Ad quid ergo hoc odiosum et perdifficile munus accepit?

Forsan quis arguet quod coadiutor cum iure successionis aptius disponetur ad regendam postea dioecesim, tum ob experientiam factam, tum ob conscientiam quam habet de futuro munere. Sed haec parvi ponderis mihi videntur, propria experientia attestante. Episcopus auxiliaris ...[6] eandem notitiam et experientiam rerum quam coadiutor assequi potest; et sic optime paratus invenietur ad dioecesim regendam, si ita Sanctae Sedi placuerit, *sicut multoties factum est.*[7]

2. *Est munus ingratum.* Licet magna virtus et optima voluntas in utroque episcopo fulgeant, eorum *relatio*[8] suapte natura difficilis evadit: inter coadiutum et coadiutorem interponitur semper, ut ita dicam, umbra mortis, quam alius timere et alius expectare videtur.

Munus ingratum quia, etsi invitus, coadiutor oculis omnium apparet tamquam heres, qui hereditatem exspectat, ut de ea disponat proprio arbitrio, et forsan longe aliter a mente episcopi, cui adiutorium praestat...[9]

3. *Munus est periculis irretitum.* Ipsum schema, quod par. 8, 9 et 10 protrahitur ad explicandas facultates coadiutoris, relationes inter coadiutorem et coadiutum, et inter coadiutorem et vicarium generalem, satis eloquenter probat munus coadiutoris, si efficaciter et feliciter ad optatos fines pervenire quis voluerit, periculis et difficultatibus esse plenum.

Etenim, si quid habeatur, in quo uterque praesul aliter atque aliter sentiat (quod inter homines aetate et indole dispares non difficulter fiet), id avide capient et clerus et ipse populus, magno cum detrimento utriusque auctoritatis et efficacitatis pastoralis. Unde non raro evenit ut duae factiones, ut ita dicam, assurgant, quae optima incepta apostolica irrita faciunt. Sic enim facile fit ut alia pars cleri, dum regiminis successionem exspectat, parti coadiutoris faveat, et parvipendat episcopi coadiuti auctoritatem.

Si electio episcopi coadiutoris penes coadiutum esset, haec pericula

forsan tollerentur vel minuerentur, nam ipse quaereret virum sibi addictissimum. Sed hoc generatim fieri non potest.

Praetermitto alias rationes ex ipso schemate desumptas quas vobis non lego ne nimis molestus fiam et trado secretariatui pro commissione conciliari.[10]

Conclusio et votum. Videtur oportere ut[11] aboleatur Institutum iuridicum-canonicum episcopi coadiutoris cum iure successionis: *a*) quia innecessarium est ...[12]; *b*) quia ingratum et odiosum ...[13]; *c*) quia periculis est plenum ...[14]; *d*) quia normae in schemate propositae ...[15] nihil aliud sunt quam merae *exhortationes,* omni praecisione et iuridico valore destitutae, quae diversas immo oppositas interpretationes admittent, cum in praxim deducantur; ...[16] *f*) et ultimo: haec tandem affirmare audeo: institutum iuridicum episcopi coadiutoris cum iure successionis, in se ipso consideratum, videtur non satis humanum et pium, et non conveniens cum lege caritatis christianae; unde non raro evenit ut populus christianus sponte doleat utriusque episcopi conditionem, quam infaustam saepe *pro utroque*[17] reputat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] votum sic proponendum censeo. [2] aboleatur institutum iuridico-canonicum episcopi coadiutoris cum iure successionis. [3] deest. [4] Institutum iuridicum canonicum coadiutoris cum iure successionis non est necessarium. [5] deest. [6] qui episcopo residentiali consociatur ad regimen dioecesis gerendum. [7] deest. [8] necessitudo. [9] Ingratum denique, quia quotidiana experientia edocemur quod via prudentior (qua omnia bona cum pace componantur), illa est, qua coadiutor quasi per umbram humiliter incedens, et propria incepta effrenans, coadiutum oboedienter sequatur, ne turbet eius benemerentem et venerabilem senectutem, et ne apud clerum videatur auctoritatem praesulis obumbrare vel minuere velle. [10] 4. *Aliae rationes ex ipso schemate conciliari desumptae.* Si attente inspiciamus par. 8, 9, 10 huius cap. II de episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus, satis apparebit, mea quidem sententia, nullo modo solutas esse difficultates quae certo praevidentur inter coadiutum et coadiutorem et vicarium generalem. Immo, ex una parte, schema praevidet difficultates magni quidem ponderis; et ex altera parte, solutiones et normae quas proponit, tam incertae et omni vi iuridica destitutae perhibentur (exhortationes revera sunt!) ut merito timendum sit, ex ordinario contingentibus, episcopum coadiutorem cum iure successionis, potius obstaculum quam adiumentum fore ad regimen dioecesium. En aliquae schematis asserta:

I. Coadiutor c.i.s., vi officii, iisdem facultatibus gaudet, quae iure communi vicario generali competunt « nulla facta episcopo coadiuto facultate sibi quidquam reservandi » (pag. 7, linn. 24-28). *a*) Coadiutor tamen suadetur ut in omnibus negotiis maioris momenti *consulat* episcopum coadiutum (pag. 10, lin. 3); *b*) episcopus coadiutus in omnibus negotiis maioris momenti *consulere debet* coadiutorem. Sed quaeri potest, ut mihi videtur, quaenam sunt maioris momenti negotia? Et in his negotiis diudicandis, nonne plerumque aliter atque aliter sentient? Sic « diarchia » videtur constitui, quae locum dabit litibus et factionibus.

II. Episcopus coadiutus potest constituere vicarium generalem, praesertim ad curiam administrandam. Iamvero, quaenam, in casu, potestas remanet coadiutori, si alius curiae dioecesanae praeficitur? Quaenam auctoritas eidem conceditur apud clerum et populum? Nonne latet aliquid contradictionis inter par. 9 et 10?

III. Vicarius generalis pendet totus ab episcopo coadiuto « cum potestas eiusdem integra ex se maneat »; sed simul vicario generali onus imponitur faciendi « certiorem episcopum coadiutorem de praecipuis actis curiae ». Numquid vicarius generalis erit capax hanc duplicem relationem duplicemque laborem recte et feliciter adimplendi? Quo modo autem se geret quando utrumque praelatum mente disparem inveniat? Quomodo monitum schematis adimplendum erit?

IV. Vicarius generalis, prout in schemate legitur, suis potestatibus uti non debet *contra mentem et voluntatem* non solum episcopi coadiuti, sed etiam episcopi coadiutoris. Quid vero faciet quando mens aut voluntas utriusque non concordet? Quid si opponantur? Haec omnia quae, non obstante bona voluntate, evenire solent, nullo modo solvuntur monitis et hortamentis, quae in schemate leguntur, cum monita et consilia non praebeant fundamentum iuridicum, in re tanti momenti, ad regimen dioecesium stabiliendum. [11] deest. [12] cum bono Ecclesiae et animarum provideri possit per alia media magis idonea et minus periculosa: 1. per episcopum *auxiliarem* opportunis facultatibus praeditum; 2. si is non sufficiat, per *renuntiationem* a sede; 3. vel per *emeritum* dignum et decorum *legitime statutum,* quod a non paucis desideratur, de quo in alio voto agam. [13] evadit sive episcopo coadiuto sive coadiutori. [14] ne turbetur pacificum dioecesis regimen, etiamsi duo illi praesules, coadiutor et coadiutus, magna virtute fulgeant. [15] (n. 9) ad regulandam necessitudinem inter episcopum coadiutorem et coadiutum. [16] *e*) Exhortationes illae (n. 9) non sufficiunt ad negotium tanti momenti expediendum, et proprium locum non habent in decreto conciliari, quod deberet solvere unum ex intimis et acutissimis problematibus quae haberi possunt in dioecesibus regendis. [17] deest.

Animadversiones additae:

Ad pag. 11, linn. 22 ss.: proponitur *nova redactio* par. 16, ita ut detur locus a) *emerito,* b) *renuntiationi* episcoporum.

A) *Conveniens est ut Concilium decernat emeritum, debitis conditionibus et legitime statutum, pro episcopis.*

Exponam: I. Rationes quae suadent emeritum legitime statutum; II. difficultates quae emerito opponuntur; III. quaenam solutio videtur digna senibus et Ecclesiae conveniens.

I. *Rationes quae suadent ut Concilium decernat emeritum pro episcopis residentialibus.*

1) *Necessitas Ecclesiae.* Omnibus notum est senem, etsi vigore physico non careat ad vitam ordinariam ducendam, paulatim destitui ea agilitate mentis et robore animi quae ad gubernandam dioecesim requiruntur. Ita, progrediente aetate, impar tandem invenitur ad regendum citatissimum cursum rerum et animorum.

2) *Factum psychologicum,* quod omnibus ordinarie contigit et facile observari potest: omnis homo, antequam senuerit, absque dubio iudicare solet vitae aetatem obvenire in qua oportet ab omni negotio magnae molis cessare. Tunc iudicat emeritum esse laudabile et necessarium. Ipse tamen, postquam senuerit, putat se ab hac lege exceptum esse, quia sese credit omni vi, experientia et solertia mirabiliter praeditum ad qualecumque negotium gerendum.

Episcopi etiam hac lege psychologica ducimur. Unde fit ut episcopus senex se ab emerito et renuntiatione abstineat, reputans sibi multa adhuc praeclare agenda esse (longe plura quam iuvenibus inexpertis!) pro Ecclesia et christiana societate. Unde se credit conscientia adstrictum ad laborem regiminis non recusandum et ad officium tenendum.

3) *Expectatio cleri et christifidelium.* Inter clerum et excultiores fideles, multi adsunt qui dolent mala, quae Ecclesiae obvenire solent ex hac causa. Omnes illi opportunum viderent emeritum dignum et iure sancitum, pro episcopis et eis qui episcopis aequiparantur.

Hodie, dicunt illi, emeritum est praxis universae societatis, et non expedit ab hac convenientissima lege excipere Ecclesiam. Praeterea, regimen spirituale valde defatigat et consumit animi vires. Qua de causa, saepe evenit ut pontificatus, omni laude et merito clarissimus, tandem, ob senectutem nimis protractam episcopi, ita deturpatur et agitatur, ut ille vir, qui, tot praeclare gestis, a societate christiana optime meritus fuerat, omni gloria et auctoritate, aetatis iniuria, destituitur, adeo ut vel ipsi amicissimi eius quasi constringantur eius mortem desiderare pro bono Ecclesiae et pace animarum.

Certe non omnibus ita contingit. Dantur gloriosae et notissimae exceptiones. Sed *exceptiones* sunt. Verumtamen, senex, quo minus conscius est propriae infirmitatis et imbecillitatis, ex ordinarie contingentibus, eo magis tenaciter regimini adhaeret. Unde minime sperandum est, de lege ordinaria, ut illi, qui vere remedio emeriti vel renuntiationis indigent, hoc sibi procurent.

II. *Difficultates quae emerito pro episcopis statutum opponuntur.* Multae quidem difficultates, et non parvae molis, obstant ne emeritum episcopis concedatur.

Ecclesiae traditio et mos receptus a maioribus obstare imprimis videntur. Nulla enim unquam via aperta est, vel Conciliorum decretis vel Romanorum Pontificum actis, qua emeritum concedatur. Quod si hoc Concilio emeritum sanciretur, aliquid plane novum in disciplina ecclesiastica induceretur. Praxis civilis etiam recens est.

Ea quae contra emeritum obici possunt, ad tria capita facile reducuntur: *a*) dignitas ordinis episcopalis, *b*) efficientia muneris pastoralis, *c*) domus et victus episcopi emeriti.

a) *Dignitas ordinis episcopalis.* Si emeritum non daretur cum debitis cautionibus, evidenter dignitas episcopalis iniuria et dedecore afficeretur. Pro episcopo enim emerito omnis communicatio cum clero et subditis quos habuit, aliquid violenti et ingrati secum ferret. Tunc ipse se videret exspoliatum titulo dioeceseos, cui totis viribus se consecraverat et pro qua, apostolico ductus exemplo, impensus et superimpensus fuerat. Et cum auctoritas regiminis semper aliquid odiosi habeat, quamvis pie paterneque exerceatur, episcopis qui ad extremam senectutem pervenerint, videretur expedire se in alia loca transferre, ubi praeteritae dignitatis memoria non adesset, et ubi ab eis quibus non placuisset, affligi non posset. Sic ordo episcopalis, qui perenni charactere inhaeret, debito honore in Ecclesia privaretur.

b) *Efficacitas et auctoritas officii pastoralis.* Certum est cessationem a munere et potestate, cum pro determinato et proximo tempore praevidetur, viam inoboedientiae et indisciplinae subditis parare. Hoc factum etiam disciplinam ecclesiasticam perturbaret, si emeritum daretur eis qui auctoritatem exercent.

c) *Domus et victus pro episcopo emerito.* Si emeritum sic statueretur, ut senex non tantum iurisdictione privaretur, sed etiam honoribus, privilegiis et domo, valde quidem difficile et arduum esset. Tunc enim, cum episcopus ad extremam senectutem pervenerit, nihil aliud nisi hospitium pro senibus vel domus religiosa ei prostaret, quia nemini placet recipere senem, a quo nihil sperandum est. Senes ecclesiastici iam non habere solent familiares proximos, et non raro, si quos habent, eos digne sustentare non valent. Sic ergo solus relinqueretur senex in ea aetate in qua difficillimum est invenire domum et domesticos pro ultimis annis vitae. Haec certe nullo modo permitti debent.

Ad victum vero quod attinet, si episcopus bonus pastor est, etiam largus, beneficus et profusus erit. Unde, cum ad extremam senectutem venerit, nec pecuniam nec redditus sibi reservatos habebit ex quibus vivat. Possetne ei subveniri per canonicatum? Absit, cum indecorum esset et episcopo et muneri canonicali. Stipendium ei singulis mensibus reservabitur? Solutio aequa et digna non esset.

III. *Quaenam solutio digna videtur senibus et Ecclesiae conveniens.* Postquam per viginti annos episcopali officio fungor, et tamquam episcopus auxiliaris et postea ut coadiutor cum iure successionis duobus clarissimis senibus libentissimo animo, usque ad extrema vitae, adiumentum praestiterim, hac diuturna experientia edoctus, credo hanc esse solutionem quae minoribus difficultatibus et periculis obnoxia habebitur, et magis decora et lenis pro episcopis videtur:

1. Emeritum dabitur episcopo, cum compleverit statutam vitae aetatem. Sed non privabitur titulo dioecesis quam regebat, nec honoribus et privilegiis, quae cum novo statu componi possint.

2. Episcopi emeriti episcopus successor nominabitur titulo administratoris apostolici sede plena, qui regimen dioecesis gerat et administrationem habeat, pleno iure plenaque facultate.

3. Liberatio a regiminis onere quae episcopo emerito conceditur, non est poena, sed praemium et levamen: ut ei liceat vacare orationi, et aliis modis Ecclesiae prodesse possit, scripto, e. g. et consiliis.

4. Episcopus emeritus retinet ius commorandi in domo episcopali, una cum administratore apostolico. Vita communis utriusque episcopi optimum et pergratum exemplum erit clero et fidelibus. Adaptatio domus, si forte necessaria inveniatur, res parvi momenti erit (ut propria experientia comprobavi). Et si quid molestiae venerit, sive ob provectam senectutem episcopi emeriti, sive ob indolem administratoris apostolici, ea omnia leniantur humanitate, reverentia et amore, quibus novus Praesul prosequi debet senectam antecessoris, quem comes habet. Praesentia emeriti senis in aedibus episcopalibus, de facto, non coarctat libertatem administratoris apostolici, immo eius auctoritatem apud fideles roborat et firmat.

5. Cum episcopus emeritus maneat in domo episcopali, nulla aut minima erit difficultas, ut digne provideatur eius sustentationi, servitio, victui et ultimae infirmitati. Proventibus dioecesis haec omnia non difficulter comparabuntur.

Conclusio et votum. Haec omnia prae oculis habens, *novam redactionem* schematis propono, in qua detur locus emerito et renuntiationi episcoporum:

« I. *Emeritus episcoporum.*

a) Attentis, ex una parte, meritis vitae deditae servitio Dei et dioecesis; et, ex altera parte, necessitatibus universae Ecclesiae et dioecesium particularium, conceditur emeritum episcopis qui aetatem statutam compleverint. Aetas emeriti

determinanda est, et pro locorum et temporum opportunitate immutanda, a Romano Pontifice.

b) Episcopi emeriti titulum Ecclesiae servabunt, et omnes honores et privilegia quae cum statu emeriti componi possint.

c) Romanus Pontifex nominabit episcopum administratorem apostolicum sede plena, cui competat plenum regimen et administratio dioecesis.

d) Episcopus emeritus retinet ius commorandi in domo episcopali.

e) Administratori apostolico sede plena conceditur etiam ius habitandi in domo episcopali et utendi illa parte domus, quae necessaria videatur ad exercitium officii.

f) Proventus dioecesis subvenient episcopo emerito aeque et digne, praevia conventione utriusque episcopi.

II. *Renuntiatio episcoporum a munere.*

a) Si Apostolicae Sedis iudicio, recto dioecesis regimini per auxiliarem vel auxiliares congruenter provideri non possit, episcopi residentiales, ceterique in iure ipsis aequiparati, qui ob permanentem valetudinis defectum aliamve causam gravem implendo pastorali munere minus apti evaserint, enixe rogantur ut, ob Dei atque animarum amorem, sua ipsi sponte renuntiationem ab officio faciant.

b) A munere episcopali renuntiantibus, congruens providebitur decus, habitatio, sustentatio, etc., iuxta ea quae supra dicta sunt de episcopo emerito ».

4

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ZAK

Episcopus S. Hippolyti

Venerabiles Patres,

Breviter et quidem sensu vero breviter loquar. Quae primo loco de *episcopatu in genere animadvertere volui iam ab aliis dicta sunt; in hoc plene adhaereo sententiis quas em.mi card. Frings et Döpfner proposuerunt.*[1]

2. *De coadiutoribus et auxiliaribus.* Praxis, quae adhuc valet, nominandi episcopos titulares et conferendi eis consecrationem sacramentalem in titulum alicuius exstinctae dioeceseos (olim « in partibus infidelium ») recognoscatur, uti etiam hesterna die duo oratores, ni fallor, postulaverunt. Successio apostolica non habetur per sedem vel titulum sed per consecrationem. Mihi magis conveniens esse videtur ut episcopi titulares « in servitium dioeceseos » pro qua destinati sunt, consecrentur et cum potestate ordinaria vicaria instruantur.

Dignitas episcopalis mea opinione secumfert, ut episcopi titulares, sive coadiutores sive auxiliares, tamquam membra collegii episcoporum statum omnino proprium occupent; dedecet ergo, quominus vicario generali quomodocumque subditi sint.

Quapropter, ex mea experientia uti *antea* [2] episcopus coadiutor cum iure successionis, libenter assentior his, quae in nn. 8, 9 et 10 huius capitis dicuntur. Cum tamen coadiutores...[3] raro nominentur — *generatim raro* [4] — et situatio variis in dioecesibus valde differat, facultates coadiutoribus concedendae a S. Sede singulis in casibus determinentur. Hoc modo declaratio n. 8, pag. 9, iura episcopi residentialis aliquo modo praeiudicans ac vulnifera, quae sonat: « nulla tamen facta episcopo coadiuto facultate sibi quidpiam reservandi » omitti potest.

Quoad munus episcopi auxiliaris in n. 14 quidem dicitur: « Munus suum exerceat sub omnimoda dependentia ab episcopo residentiali. Tamen exoptatur, ut auxiliaris etiam hoc loco expressis verbis eximatur a potestate vicarii generalis, concedendo ei simul facultates proprias, quas munus suum expostulat.

3. Ad n. 15, par. 2: Textus immutetur uti sequitur: « Sede per mortem aut renuntiationem aut translationem vacante, episcopus auxiliaris ipso iure sit administrator apostolicus vel patriarchalis aut vicarius capitularis ». Hoc, ni fallor, postulat dignitas muneris episcopalis, sicuti supra iam dictum est.

Ad n. 16, par. 2: Liceat mihi animadvertere, quae hic dicuntur non huius momenti esse, ut in decreto conciliari expresse inserantur; propterea ad commissionem de reformando Codice remittantur.

Ad ridiculosa, uti dicam, quae, v. g., hesterna die quoad renuntiationem episcopi et quandoque etiam aliis in casibus a nonnullis Patribus in hac aula enuntiata fuerunt, unum et quidem ultimum verbum dicere vellem: Patres Conciliares, ne obliviscamur nos in Concilio Oecumenico esse, et non in aliquo coetu ludicro.[5] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Breviter tres animadversiones proponere audeo: 1. Loco tituli « de episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus » dicatur simpliciter: « de episcopis titularibus » et inseratur novus numerus, in quo agatur de episcopis titularibus qui nec coadiutores nec auxiliares sunt. Si consecrationem episcopalem et omnia quae de episcopatu in discussione nostra schematis *de Ecclesia* enuntiata fuerunt, toto animo consideramus, tunc nobis constare debet consecrationem sacramentalem substantialiter ad hunc finem tendere, quem Christus Dominus apostolis eorumque successoribus his verbis prae oculis posuit: « Euntes in omnem terram, docete omnes gentes... ». Agitur ergo de evangelizatione totius mundi ut omnes homines in regnum Dei ducantur. Ea de causa episcopatus nunquam solummodo uti ornamentum, quod ad augendam dignitatem confertur, aestimari potest. Sacramenta propter homines! Meo iudicio nunc perpendendum esset, an revera necessarium ac conveniens esse videtur, ut episcopatus cum muneribus administrativis vel similibus coniungatur. Hic plene adhaereo iis quae dicit em.mus card. Frings. [2] deest. [3] relative. [4] deest. [5] deest.

5

EXC.MUS P. D. HERMANNUS VOLK
Episcopus Moguntinus

Em.mi et rev.mi Patres, dilectissimi Observatores, Periti et Auditores,

Difficultates, quae circa institutum episcoporum auxiliarium seu titularium habentur, versantur non tam circa ...[1] habitudinem practicam, quam circa ipsius instituti eiusque relationis ad episcopos residentiales theologicam dilucidationem. Schema nostrum moralia quaedam dat monita, theologicam explicationem autem neque hoc neque schema *de Ecclesia* dat. Paucas annotationes de hac re humiliter proponere mihi liceat.

1. Quid sit episcopus, petendum est ex pleni sensus figura huius status, scil. ex episcopo residentiali. Facilius et rectius auxiliaris seu titularis episcopus describitur ope potestatis episcopi residentialis participatae, quam vice versa episcopus residentialis describatur ope potestatis episcopi auxiliaris amplificatae.

2. Difficultas determinandi, quid sit episcopus auxiliaris, ni fallor, magna ex parte inde oritur, quod neque in hoc schemate neque in schemate *de Ecclesia* essentialis ordinatio episcopi residentialis ad gregem fidelium *sufficienter describitur*.[2] Cum munus episcopale sit munus pastorale, episcopus cogitari debet praeprimis ut pastor determinati gregis seu ecclesiae particularis. A. v.: Potestas ordinis et potestas iurisdictionis ex natura muneris episcopalis intime coniunguntur.

Propterea plena forma episcopatus postulat et potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis. Distinguere has potestates utique bonum, immo necessarium est. Utriusque potestatis separatio autem, quamvis in quibusdam casibus, e. g. sede vacante, evitari nequeat, episcopale munus — ipsamque ecclesiam — obscurat, saltem quando fit consueta. Quid sit munus episcopale, neque ex sola potestate iurisdictionis neque ex sola potestate ordinis elucet. Muneri episcopali ipsique Ecclesiae multo magis convenit utramque potestatem quam arctissime coniungi et rarissime tantum separari. Sine necessitate amplificamus difficultates in hac difficili materia, de episcopis enim et de regimine, sed etiam de Ecclesia et de collegio, si non a limine proponimus, in munere episcopali, secundum regulam potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis intime coniunctas esse.

3. Munus episcopale obscuratur, quando numerus episcoporum au-

xiliarium et titularium superat numerum episcoporum residentialium, sicuti est in Ecclesia Latina. In Ecclesia mera facta ostendere possunt, quid sit possibile, non autem semper ostendunt, quid sit bonum. Ex theologica dilucidatione sequitur episcopos auxiliares et praesertim titulares statuere exceptionem, etsi numerice episcopos residentiales superant.

Ideo numerum episcoporum non residentium minuere necessarium videtur.

a) Neque ordinatio episcopalis conferatur ei, qui ad suum munus gerendum eius non indiget vel solius honoris causa.

b) Nisi bonum videtur, episcopos auxiliares participes reddere iurisdictionis, quia unitas dioecesis obscuretur pluribus episcopis iurisdictione praeditis, episcopi residentiales aliis modis exonerari possunt, eo videlicet, quod sat multae functiones, quibus usquehuc obligantur, sacerdotibus non-episcopalibus delegantur, inter quas etiam collatio confirmationis, *sicut iam dixit em.mus card. Döpfner.*[3] Nostris temporibus ipsi fidei praeprimis inserviri debet, ideoque episcoporum munus docendi maximi est momenti. Mediis communicationis hodie praestantibus etiam episcopus fideles suos multo facilius alloqui potest, dummodo ei tempus maneat cogitandi de his, quae ut fidelibus et mundo dicat, missus est.

4. Nexus inter ministerium episcopale et fideles melius in episcopo residentiali quam in auxiliari seu titulari *praesertim*[4] elucet. Etsi Ecclesiae minister non a fidelibus eligitur, sed ad fideles mittitur, tamen episcopus et fideles intime ad invicem ordinantur. Sicut Pius Papa XII, antequam dogma de B. M. V. assumptione definiret, ex episcopis quaesivit, quid sentiant non tantum ipsi eorumque sacerdotes, sed etiam fideles de hac doctrina, ita etiam episcopi, sive in Concilio collecti sive in munere suo cotidie fungendo, non solum fidelibus opponuntur, sed simul etiam eos repraesentant, e. g. persolvens divinum Officium in celebratione S. Missae. Fides Ecclesiae ab episcopis quidem praeprimis eo praesentatur, quod magisterialiter annuntiatur, simul autem etiam secundum quid quatenus a fidelibus creditur. Episcopus etiam ipse confortatur fide sui gregis. Quo magis consuetum erit, episcopum esse residentialem, ideoque potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis esse unitas, eo magis elucebit episcopum et gregem esse coniunctos, eo clarius etiam dilucidatur munus episcopale *et munus in Ecclesia in genere.*[5]

Concludere liceat ex dictis:

1. Episcopi et dioecesium regimen ne describantur quin supponatur intima potestatis ordinis et iurisdictionis connexio.

2. Diminuatur numerus episcoporum non residentialium, ut munus ecclesiasticum clarius evadat.

3. Ne facultates episcoporum videantur esse concessiones S. Sedis, enumerentur solummodo ea, quae S. Sedes ex suprema sua potestate sibi reservat. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] episcoporum auxiliarium et residentialium. [2] respicitur. [3] deest. [4] deest. [5] deest.

6

EXC.MUS P. D. RAIMUNDUS M. TCHIDIMBO
Archiepiscopus Konakriensis

Venerabiles Fratres, carissimi Observatores,

Nomine aliquorum episcoporum Africae *praesertim* [1] Occidentalis loqui velim de episcopis auxiliaribus atque coadiutoribus in Africa.

1. *De Auxiliaribus*. Vitanda est, ut opinor, creatio auxiliarium in numero nimis magno; immo talis creatio in posterum non facienda.

Difficilius est enim scire quid episcopus auxiliaris melius facere possit quam, mente egregius, sanus actuosusque presbyter, praeter tamen sacras Ordinationes, quae validi episcopi residentialis officii sunt.

Immensae dioeceses africanae eorumque complexa problemata auxiliarium creationem favere videntur. Sed quando dioecesis magna et problemata complexa sunt, nonne dividenda est ut tot dioeceses quot necessariae ad solvendas difficultates constituantur.

Ex experientia etiam scimus relationes inter episcopum residentialem et auxiliarem, in aliis regionibus ac Africa, non semper faciles esse, etsi ambo ex eadem stirpe sunt. A fortiori in Africa ubi plerumque ex duabus stirpibus sunt, nonne exspectandae sunt eaedem difficultates ne dicam maiores?

Insuper verbum auxiliaris in Africa significat aliqua persona secundaria, vir qui per se responsabilitates assumere nequit. Ecclesia ius non habet ostendendi se ut tales considerare africanos sacerdotes auxiliares a se creatos. Si haec experientia iterum fieret, pro Ecclesia nefas esset atque Ecclesiis nostris particularibus in futurum detrimento esset.

Addi tandem possit idem in casu praefectorum apostolicorum quorum munus desuetum videtur simul ac pro ipsis nimis mortificans.

2. *De coadiutoribus*. De coadiutoribus similes observationes facio.

In hodierna Africa oportet episcopos plus in viis esse quam in officio sedere; hic laboris rythmus magnam sanitatem iuvenilemque ardorem exigit; longaevitas media in diebus nostris quadragesimum annum

non superat; sol noster, tandem, cum nimia fortitudine sua, nulli homini parcet.

Ex omnibus his rationibus, quando episcopus residentialis vires suas evanescentes sentit, certe deberet, ut mihi videtur, cogitare quomodo sedi suae renuntiaret potiusquam coadiutorem quaerere. Sed sedi renuntiare, non ut damnetur ad sterile otium sed ut Ecclesiae adhuc inserviat secundum novum modum quod creare et iure definire debemus.

Quod si dicitur coadiutor necessarius esse ad meliorem pastoralem continuationem, libenter assentio; sed haec situatio esse debet quam brevissima.

Si additur etiam non oportere iuvenibus responsabilitates citius dare, respondeo: etsi prudentes esse debemus, etsi seniores necessarii sunt in civitate, etsi in Ecclesia optimi consiliarii esse possunt in conferentiis episcopalibus, attamen, Ecclesia ex natura sua iuvenis est; eademque Ecclesia sola humana sapientia non gubernatur, sed Spiritu Sancto semper assistente; ille autem Spiritus, Spiritus consilii et sapientiae, opus suum facit etiam in iuvenum episcoporum animis.

Concludo. Desideramus ut episcoporum auxiliarium et coadiutorum experimentum in terra africana ante longum temporis spatium non restauretur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

[*Subsignaverunt etiam*] H. Thiandoum, arch. Dakar; L. Sangaré, arch. Bamako; B. Yago, arch. Abidjan; P. Zoungrana, arch. Ouagadougou; R. Dosseh, arch. Lomé; J. B. Gahamanyi, év. Astrida.

7

Exc.mus P. D. IACOBUS LE CORDIER
Episcopus tit. Prienensis, aux. Parisiensis

Venerabiles Patres,

De *auxiliaribus,* unum testimonium et una quaestio.

1. *Testimonium.* Nescio quot sint in hac aula, sicut ego sum ipse: nec residentialis, nec simpliciter auxiliaris, sed « *residens* »?

Hoc experimentum in « agglomeratione urbana » voluerunt, ante hos septem annos, Papa Pius XII, fel. mem., et em.mus card. Parisiensis.

Ad verba Bullae nominationis, « stabile domicilium habeo in suburbio Civitatis, apud S. Dionysium » et accepi a veneratissimo Patre meo et *antistite* (*lego semper ad verbum*) [1] « omnes facultates necessarias et opportunas ad illos regendos qui in hac parte dioecesis degunt ».

Duae sunt rationes huius experientiae: salvare simul et proximitatem episcopi et unitatem actionis pastoralis.

a) *Proximitas episcopi* cum clericis et cum populo paroeciarum. In modernis civitatibus, quomodo « Bonus Pastor » cognoscitur ab ovibus suis? Sermonibus et litteris dioecesanis, sane; sed etiam, et saepius, prelo, radiophonia et televisione. Attamen necessarii remanent contactus directi et personales per visitationes pastorales, confirmationes simulque, pro sacerdotibus, per conferentias et exercitia, et, pro laicis, per congregationes apostolatus, uno verbo per « *residentiam* ».

b) *Unitas actionis pastoralis* et evangelizationis. Civitas *immensa*[2] ut Lutetiae Parisiorum, cum sua peripheria (vulgo dicta « Banlieue »), est quasi « una persona ». Motus vitae socialis, intellectualis, civilis aut educativae praebent non solum veram affinitatem sed humanam unitatem. Cum omne humanum debet a Christo assumi ut omne fiat salvum, ipsa Pastorum navitas coordinanda est et *unanimiter* moderanda.

2. *Quaestio. Utrum ius* de episcopis residentialibus et auxiliaribus plene respondere possit iis novis conditionibus?

Aliqui enim Patres, ex diversis mundi regionibus, fatentur eadem surgere problemata, non solum circa magnas civitates, sed quoque circa urbes vicinas sedi episcopali et etiam circa dioeceses propiores, parvas vel non.

Sive agitur de una dioecesi ubi « auxiliaris residens » conatur in territorio sibi credito ministerium episcopale adimplere, cum quadam autonomia simul ac dependentia et fidelitate.

Sive agitur de duobus aut tribus dioecesibus tam inter se connexis, ex circumstantiis geographicis et sociologicis, ut mutuum iuvamen praebere debeant presbyteris, officiis communibus... et etiam pecuniis.

In duplici casu, *novae* iuridicae normae necessariae erunt ad firmandas rationes amicitiae et benevolentiae. (*Schema alias*[3] loquitur de « novo ordine » ...[4]).

Conclusio. Optare mihi liceat ut in schemate, praeter episcopum residentialem aut coadiutorem, et simplicem auxiliarem, saltem incohetur — sicut optime ait exc.mus D. Carli in sua relatione — « *nova figura iuridica* ». Gratias.

In textu scripto tradito: [1] archiepiscopo. [2] magna. [3] cap. IV. [4] pag. 20, lin. 29 et nota pag. 22 in fine ultimae paragraphi.

8

Exc.mus P. D. THOMAS VINCENTIUS CAHILL
Episcopus Cairnensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine em.mi card. arch. Sydneyensis, episcoporum Australiae et Novae Zelandiae Concilio adstantium necnon fere omnium episcoporum Oceaniae.

Quatuor observationes benignae vestrae considerationi submittimus.

1. Si vicarius generalis unam iuridice personam cum episcopo suo constituere censetur, hoc adhuc magis de episcopo coadiutore cum episcopo coadiuto dicendum putamus, eo praesertim fine ut perfecte regiminis unitas servetur. Quapropter, episcopum coadiutorem ipso iure eadem potestate qua vicarius generalis et quidem ordinaria, frui debere existimamus. Quod autem in negotiis maioris momenti, uti in schemate affirmatur, episcopus coadiutor episcopum coadiutum *consulat,* nullo modo nobis sufficere videtur: nemo enim ignorat quam facillime in negotiis ducendis opinionum discrepantia haberi possit. Unitas regiminis exigit e contra ut, istis in negotiis, episcopus coadiutor coadiutum non tantum consulat vel audiat sed eius exquirat obtineatque *consensum.*

Quibus praemissis, pag. 10, lin. 3, textum ita immutari proponimus ut loco verborum « in omnibus negotiis maioris momenti eum consulat » dicatur « in negotiis maioris momenti nihil agat nisi eo consentiente ».

2. Episcopum quoque auxiliarem unam iuridice personam cum episcopo residentiali constituere debere censemus, eumque de eiusdem episcopi auctoritate ipso iure participare. Utique, episcopi residentialis erit huius auctoritatis ab auxiliari episcopo in dioecesi exercendae extensionem et ambitum determinare. Nullo tamen modo episcopus auxiliaris quoad iurisdictionem, a. v., in ea exercenda potestate qua tanquam membrum episcopalis collegii pollet, a simplici sacerdote pendeat, ne in casu quidem particulari et extraordinario uti v. g. perdurante sede vacante.

Proponimus igitur ut pro art. 12, pag. 10, sequens ponatur textus: « Episcopus auxiliaris eadem potestate qua vicarius generalis ipso iure fruatur, eam tamen exerceat sub omnimoda dependentia ab episcopo residentiali, nihilque magni momenti agat nisi eo consulto et probante. Episcopus autem habitualiter ne deleget aliis quae auxiliaris potest et vult per se exercere ». Erit consequenter supprimendus art. 14. Praeterea, pag. 11, lin. 17, verba « Optandum est ut » omittantur.

3. Quae a quibusdam episcopis suggesta sunt de *vicariis episcopalibus,* ut in pag. 12, notula 4 invenitur, nostra quoque facimus. Perutile enim videtur tales vicarios tanquam novas figuras iuridicas constituere. Institutione horum vicariorum episcopalium cum iurisdictione ordinaria pro determinata parte dioecesis vel determinato negotiorum genere, nonnulla problemata solvi videntur quae ex nova imagine iuridica episcopi coadiutoris et auxiliaris oriuntur.

4. Relate ad quaestionem de *episcoporum a munere cessatione,* solutio multis in casibus inveniri videtur in nominatione *episcopi administratoris* cum auctoritate *administratoris apostolici sede plena,* ita tamen ut ista auctoritas sit ei ordinaria. Hoc tamen in casu censemus episcopum istum *episcopum administratorem* simpliciter appellandum esse potius quam *administratorem apostolicum.*

Hac solutione episcopus qui pro suae dioecesis spirituali bono se totaliter devovit, titulum et honores episcopi dioecesani retinet, dum regimen dioecesis omnemque responsabilitatem eidem inhaerentem, prout bonum animarum exigit, plene administratori cedit. Itaque, pag. 11, lin. 31, post verbum « faciant » sequentia verba adiungi proponimus: « vel a Romano Pontifice episcopum administratorem impetrent ».

Tandem, episcopo a regimine dioecesis renuntianti, non tantum ius sit ad quaedam privilegia et ad sepulturam in conditorio episcopali dioecesis quam ultime gubernaverit, sed praesertim ius sit ad omnia suffragia quae episcopo residentiali in sede defuncto competunt. Unde, pag. 11, lin. 37, post verbum « gesserint », addantur verba « cum omnibus suffragiis quae episcopo residentiali in sede defuncto competunt ». Dixi.

Moderator: Velint Patres in locis suis manere, vel qui si absunt ad eadem redire. Item assignatores maneant loco suo.

9

Exc.mus P. D. IOSEPH SLIPYJ

Archiepiscopus Leopolitanus Ucrainorum

Admodum venerabiles Patres Concilii,

Quaedam videntur supplenda esse ex doctrina orientalium ut corollarium in discussis tractatibus, praesertim de episcopis, ne vacuum et obscuritas quaedam remaneat in iis, quae ab em.mis, et beat.mis et exc.mis Patribus oratoribus prolata sunt. Revera ingeniosi et sancti episcopi sapientissima sua iudicia protulerunt atque specialia doctrinae orienta-

lium tetigerunt, qua de causa respectiva pars eiusdem attendenda est. Oculi non consueti ad occidentalis Ecclesiae quotidianam vitam religiosam gaudent Concilio Oecumenico, ut praeclaro spectaculo non solum eximiae vitae spiritualis exemplo, quia et Missae quotidianae devotissime recitatae et milia et milia episcoporum ante Tabernaculum super marmoreum pavimentum genuflexorum aedificant et spiritum novum infundunt, atque in caelum animam rapiunt quasi pars Paradisi Dantianae Commediae Divinae in theatro mundi peragatur. Nec non sapientissima et subtilissima vota ingeniosorum virorum novos aspectus aperiunt.

Duae praecipue directiones et propensiones in votis prolatis animadverti possunt. Una quae potius conservativa novas propositiones cum traditionibus componere conatur, qua de causa cardd. Ottaviani, Ruffini et aliorum praemonitiones optime intelliguntur, quia Ecclesia semper prudenter et caute procedit et non praemature ...[1], ut dixit card. König. Ex altera autem parte non spernenda sunt vota cardinalium, patriarcharum et episcoporum, quae mutatis conditionibus vitae humanae, illius exigentiis ardentibus satisfacere cupiunt.

Intime persuasus sum nemini oratorum vel ex occidente vel ex oriente in mentem venisse doctrinam de primatu in aliquod dubium vocare et magna merita Curiae Romanae diminuere etiam a S. B. patriarcha Maximos. Quod eo magis patet quia persona Sancti Patris Pauli VI et apud occidentales et apud orientales, paucis mensibus pontificatus tantam gratitudinem, devotionem, venerationem prae primis apud orientales nacta est ut id etiam ex hoc titulo supra omne dubium qualiscumque haesitationis ponendum sit. Ideo « irene pasin », maiestas pacis Liturgiae Byzantinae regnet super nos et quieta ne moveamus.

Scimus omnes nos plus vel minus aptum medium et instrumentum esse in manibus Dei et Summi Pontificis, qua de causa solummodo defectus quosdam in Ecclesia administranda ortos, veros *et*[2] apparentes, voluntarios *et*[3] involuntarios zelantes oratores amovendos esse ...[4] desiderant.

Novissima discrimina in disceptationibus mota, in memoriam vocant analogum episodium ex Concilio Tridentino, quando difficilis doctrina de Sacramentis tractabatur. Tunc quidam episcopus Gallus acutissimae mentis frequentiores oppositas animadversiones fecit, ita ut unus ex praesidentibus (*uti nunc noster decanus card. Tisserant*[5]), Del Monte vel Pole ...[6], impatientia raptus alta voce exclamaret: « Nimium cantat gallus ille ». Quod subito episcopus retorsit: « Utinam Petrus ad cantum galli resipiscat! ». Omnia revera quae proferuntur a singulis Patribus in Concilio nunc, quamvis forsitan totaliter admitti nequeant, tamen sedulo perpendenda sunt, ad minimum ut cantus galli, quia a pastoribus

Ecclesiae et Patribus Concilii prolata sunt, quibus semper et eo magis in Concilio laus, honor et gloria debetur. Perinde crude vel simpliciter vel in forma ...[7] pronunciata, semper granulum veritatis continent, plerique sub aspectu dioeceseos dicta.

Doctrinam de episcopo uti pastore in memoriam iterum revocare audeo, quia hucusque non erat opportuna occasio. Schema doctrinae de Ecclesia est finitum et de episcopis fini appropinquatur, qua de causa per transennam tantum adimpleo de sacerdotio regali omnium christianorum in comparatione cum sacramento Ordinis. Quae secundum doctrinam orientalem sensu metaphorico sumendum est. I. e., agitur de christiano ut hostia spirituali, quam omnis christianus Deo se offert et debet offerri et de sacerdotio Christi, quod omnibus fidelibus analogice ad sacerdotium Christi communicatum est in Corpore mystico Christi. Talis est doctrina Justini ...[8], Irenaei ...[9], Clementis Alexandrini ...[10] et Origenis ...[11].

Secundum supplementum est quoad potestatem episcoporum in specie in Concilio et admissione laicorum immo feminarum et liberorum sicut audita est vox card. Suenens, quae separatam doctrinam orientis tangunt ideoque sequentia prae oculis habenda sunt.

In Ecclesia latina occidentali regimen ecclesiasticae hierarchiae reservabatur praesertim in administratione, ita ut participatio laicorum paulatim evanesceret, et etiam participatio ultima ut residuum et reliquum signum potestatis laicorum in electione Papae a S. Pio X abrogata est. Nunc vero in Actione Catholica laici ad cooperationem vivam vocantur uti et vota Patrum Concilii sonant.

In oriente liberior disciplina vigebat, quae suam originem a Concilio apostolico ducit in quo *et* [12] laici partem aliquam habebant: « Conveneruntque apostoli, et seniores... Tacuit autem omnis multitudo... Tunc placuit apostolis, et senioribus cum omni Ecclesia » (*ita Acta* [13]), sed diligentissime distinguendum est inter partem, quam habebant apostoli et seniores-episcopi et multitudo Ecclesiae. Differentia ponitur in sacramento Ordinis propter quod episcopis regimen spirituale Ecclesiae ut pastoribus reservatum est. Negare enim differentiam inter episcopum et sacerdotem, montanistarum haeresim sapit. Pastores vi muneris sui actus regiminis exercent, omnes alii sacerdotes, laici, liberi et feminae vi scientiae et intelligentiae communicatam et acquisitam doctrinam aliis tradere et alios docere possunt; sub hoc tantum aspectu possent interesse Concilio. Soli autem episcopi docent ut exercentes munus pastorale, alii vero ut testes intellectae et apprehensae fidei. Universalis enim consensus fidelium est testimonium fidei infallibile, quia omnes fideles catholicae Ecclesiae falsum credere nequeunt. Ideo si adsistunt laici et feminae

et immo liberi (« Quia ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem » ...[14]) sunt testes expositae doctrinae et non auctoritative docentes, sicut soli Patres episcopi *quia dictum est*[15] « Visum est Spiritui Sancto et nobis » (Acta ...[16]). In Concilio Oecumenico solis episcopis ius suffragii competebat, alii solum adsistebant. Laici eruditi opiniones suas proferebant uti vota consultiva de quo refert Socrates in sua Historia Ecclesiae ...[17].

Similiter et in Conciliis patriarchalibus orientis votum peremptorium habebant episcopi vel eorum delegati. Convocatio et definitiones Concilii consensu Imperatoris non indigebant ...[18]; immo Concilia contra Imperatores pugnabant. Feminae, quae nuperrime in Encyclica Papae Ioannis XXIII *Pacem in terris* tam forte munimentum iurium suorum in vita invenerunt, in Ecclesia secundum Pauli praeceptum, tacebant. Neque eorum mentio in Concilio apostolico neque in Conciliis Oecumenicis fit. Tertullianus expresse in opere « De Virginibus velandis » ...[19] scripsit: « Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec ullius virilis muneris nedum sacerdotalis officii sortem vindicare ». Tribuere illis in Concilio aliquem activum interventum, esset iam plus orientale quam orientales ipsi et esset sine dubio alienum a mente oratorum.

De resignatione episcopi a card. Ruffini et aliis quamvis non omnibus, splendide dicta sunt, atque praxi orientalium omnino correspondet. Amplificarem tantum exemplo ex vita episcopi Polonorum Valenga, viri sancti, cui resignatio proposita erat. Quando episcopus-successor ...[20] Lisowski (*meus amicus qui etiam narravit hoc*[21]) de hac re Papae Pio XI mentionem fecit, responsum accepit: « Audivimus episcopum Valenga provectioris aetatis esse ». Sed episcopus Lisowski animadvertit: « Santità, lui può ancora lavorare, perchè è dieci anni più giovane di Vostra Santità » ...[22]. Ego etiam contra voluntariam resignationem mei praedecessoris Servi Dei *Metropolitae*[23] Andreae Szeptyckyj opposui, propter *eius eximium intellectum et experientiam, quamvis aetate provectus erat.*[24] Aliquis episcopus nuperrime dixit: « Coadiutor fui per plures annos, sed a coadiutore, libera me Domine! ». Qua de causa pauperes infirmos episcopos, praesertim provectioris aetatis resignandos, misericordiae Patrum quam instantissime commendarem, quia *Ecclesia*[25] ad tempus plurimis modis provideri potest.

In textu scripto tradito: [1] decernit. [2] vel. [3] vel. [4] laudabiliter. [5] deest. [6] (Cervini) ut noster decanus card. Tisserant et severi moderatores non erant. [7] eleganti. [8] (*Dialogus* 116, 16, PG 7, 754 A). [9] (*Adv. Haereses* IV, 8. 3, PG 7, 995 A). [10] (Hiopotiposes PG 9, 730 B). [11] (*Ho-*

milia 9, 9, PG XII, 521-522). [12] deest. [13] (*Acta*. 15, 6. 12. 22). [14] *Mt*. 21, 16. [15] vel eorum delegati. [16] 15, 28. [17] (lib. I, c. VIII). [18] (Mansi, t. IX, p. 1226). [19] (c. 9, PL II, 902). [20] Franciscus. [21] deest. [22] (episcopum Valenga ulterius laborare posse, quia decem annos a Sanctitate Vestra iuniorem esse). [23] deest. [24] intellectum et sanctitatem et experientiam eius. [25] bono Ecclesiae.

10

Exc.mus P. D. IOSEPH REUSS

Episcopus tit. Sinopenus, aux. Moguntinus

Venerabiles Patres,

Loquor de auxiliaribus.[1] Quod attinet ad facultates episcopi auxiliaris, concedendum est, hanc quaestionem non facile solvendam esse. Tota institutio episcoporum auxiliarium in difficultatibus haeret, quia aliqua mixtio est. Permiscentur enim institutum divinum episcopatus et conatus ecclesiasticus evitandi postulationem renuntiationis ab episcopo residentiali, qui ad regendam dioecesim minus aptus evaserit, et divisionem dioecesis, quae pro uno episcopo nimis magna est.

Cum condicio auxiliaris non solum ex institutione ecclesiastica auxiliarium, sed etiam — et ut videtur praecipue — ex divino instituto episcopatus definienda sit, facultates auxiliaris non solum et multo minus praecipue ex iuridicis et administrativis considerationibus statuendae sunt. Primum enim theologice quaerendum est, quae potestas auxiliari ratione consecrationis episcopalis competit, quia etiam potestas episcopi residentialis ex consecratione episcopali consequitur. In nostro Concilio Oecumenico ista quaestio theologica a doctrina cap. II schematis *de Ecclesia* et a quinque suffragationibus nuper habitis ordiri oportet. Per has suffragationes orientatio obligans commissioni competenti data est, quia patefecerunt, quomodo iuxta voluntatem qualificatae maioritatis ipsius Concilii, cui commissio conciliaris subiecta est, doctrina de episcopatu in cap. II schematis *de Ecclesia* apparari debeat. Propterea iam nunc doctrina satis fundata est, auxiliarem ut episcopum legitime consecratum esse membrum corporis seu collegii episcoporum, quod succedit collegio apostolorum in munere evangelizandi, sanctificandi et pascendi et quod iure divino una cum capite suo Romano Pontifice plena et suprema potestate in universam Ecclesiam pollet. Hisce simul indicatur, ad quid aut ad quem finem a Domino nostro Iesu Christo institutum est corpus seu collegium episcoporum.

Certo certius diversa membra collegii episcoporum non eundem gradum tenent. Sed haec inaequalitas pertinet ad gradum vel dignita-

tem vel etiam potentiam, non autem attinet ad sodalitatem. Ratione sodalitatis nulla est distinctio, quia sine exceptione omnes episcopi per eandem consecrationem episcopalem corporis vel collegii episcoporum membrum fiunt. Omne membrum collegii autem ratione aequalis sodalitatis saltem fundamentalium munerum et potestatum particeps est. Ergo etiam auxiliares partem habent in munere evangelizandi, sanctificandi et pascendi et in plena et suprema potestate in universam Ecclesiam.

Haec officia et iura ex consecratione episcopali ipso facto consequuntur. Iuris divini sunt. Oportet ius ecclesiasticum relate ad auxiliares iuri divino magis apparari. Sic v. g. secundum ius vigens auxiliaris qua episcopus in munere sanctificandi quod attinet ad confessiones audiendas et praecipue in munere pascendi ne iuribus quidem parochi fruitur nec ipso facto est membrum Concilii Oecumenici et conferentiarum episcopalium. Talis coarctatio potestatis episcopalis ex ipsa consecratione episcopali manantis in futuro non amplius sustinenda est. Auxiliari competit potestas episcopalis in muneribus et potestatibus fundamentalibus et ulterius eum decet, ut respectivae facultates agnoscantur et per Concilium accuratius determinentur.

Ideoque emendandus est art. 12 et art. 19, § 2, ut auxiliaris iura tum in dioecesi tum supra dioecesim accuratius determinentur.

Haec propositio emendationis non distinguit inter ea, quae pertinent ad auxiliarem ita, ut ei debeantur aut eum decent — talis distinctio pro rei condicione hodierna nimis difficilis esse videtur — sed promiscue continet tum debita tum decentia.

En propositio. In dioecesi:

a) Auxiliaris est semper sedi et non personae datus et est vicarius episcopi residentialis aut impediti aut absentis tum in Pontificalibus tum in repraesentatione dioecesis.

b) Auxiliaris immediate episcopo residentiali subiectus est, sed non vicario generali; e contra propter unitatem regiminis, quae unitas habetur in episcopo residentiali, vicarius generalis soli episcopo residentiali, sed non auxiliari subiectus est.

c) Auxiliari tamquam potestas ordinaria competit: audire confessiones sacramentales et dare delegationem audiendi confessiones sacramentales, ius in dioecesi assistendi contractui matrimoniali, facultates dioecesanibus dispensandi saltem in casibus, in quibus parochus dispensare potest, publicandi libros sine praevia censura sicut competit episcopis residentialibus.

Supra dioecesim: *in scriptis trado, et concludo.*[2] Concedendum est generatim melius esse, supradictas difficultates modo in prooemio schematis indicato — nempe aut per renuntiationem episcopi a munere aut

per divisionem dioecesis — superari quam per nominationem auxiliaris. Si autem in casu melius sit, ut auxiliaris nominetur, tunc auxiliaris ea potestate fruatur, quae ei debetur et quae eum decet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Auxiliares de iure et cum suffragio deliberativo pertinent ad Concilia Oecumenica, plenaria, provincialia necnon ad conferentias nationales seu regionales episcoporum.

[*Subscripserunt etiam*] Iulius Angerhausen, Hugo Aufderbeck, Heinrich Baaken, Wilhelm Cleven, Ioseph Ferche, Augustin Frotz, Karl Gnädinger, Ioseph Hiltl, Alfons Kempf, Johan Lenhardt, Paul Nordhues, Heinrich Pachowiak, Friedrich Rintelen, Gerardo Schaffran, Edoardo Schick, Carlo Schmidt, Bernhard Schräder, Wilhelm Sedlmeier, Bernhard Stein, Heinrich Tenhumberg, Heinrich Theising, Ioannes von Rudloff, Ioseph Zimmermann, Franziskus Jàchym, Edoardo Macheiner, Leo Pietsch, Bruno Wechner, Buchkremer Ioseph.

Moderator: Velint Patres audire! Iuxta art. 57, § 6 *Ordinis Concilii Oecumenici Vaticani II*, moderatores supponunt suffragationi Patrum hanc quaestionem: An placeat Patribus concludi disceptationem de hoc cap. II schematis *de episcopis ac de regimine dioecesium*. Repeto quaestionem: An placeat Patribus concludi disceptationem de hoc cap. II schematis *de episcopis ac de regimine dioecesium*. Patribus quibus disceptationem de cap. II placet nunc concludi velint surgere. Assignatores faveant videre! [*Intervallum*].

Iuxta eumdem articulum et paragraphum, poterunt ulterius loqui ii quibus ius ulterius loquendi datur in eodem articulo et eadem paragrapho.

Exc.mus secretarius generalis velit dare relationem de suffragatione mane peracta.

Secretarius generalis:

Praesentes votantes	2.166
Dixerunt *placet*	2.025
non placet	141

Ergo propositio facta ab em.mo moderatore placuit Patribus.

Nunc fit transitus ad disceptationem super cap. III schematis quod disceptationi subicitur: « de nationali episcoporum coetu seu conferentia ». Moderabitur disceptationem em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Moderator: Faciat nunc relationem de hoc modo dicto capitulo exc.mus D. Aloisius M. Carli, ep. Signinus.

RELATIO

EXC.MI P. D. ALOISII M. CARLI

Episcopi Signini

Venerabiles Patres,

Caput tertium « *de Nationali Episcoporum Coetu seu Conferentia* » aliquid novi pro iure condendo proponit, cuius momentum disceptationibus in Aula conciliari hucusque habitis et nuper approbato decreto de Sacra Liturgia iam vivida in luce positum est. Hinc necessitas praefiniendi summa saltem huius Coetus iuridica lineamenta.

In prooemio (art. 17) perspicue principium essentialiter pastorale enuntiatur, cui uni inservire debet novum Conferentiae Episcopalis nationalis iuridicum institutum: nostrorum enim temporum condiciones, in bonum ipsum animarum, maxime urgent Episcopos, eiusdem saltem nationis, ut inter se uniantur non solummodo fraternae caritatis vinculo, sed communi quoque agendi ratione in pastorali officio perfungendo.

Statuitur in primis (art. 18 § 1) obligatio constituendi Conferentias nationales; internationalium vero possibilitas praevidetur (art. 18 § 3). Siletur de Conferentiis regionalibus (scil. pro portione tantum alicuius nationis) et de alius generis Conferentiis particularibus (v. g. inter solos Metropolitas seu Archiepiscopos, etc.) quia de hac re unaquaeque Conferentia Nationalis in peculiaribus statutis videre poterit.

Paucissima et generalissima de Conferentiae moderamine decernuntur (artt. 19-21), reliquis — v. g. de Praesidis electione eiusque in munere diuturnitate, de praesentia et suffragio Episcoporum Titularium, de modo conventus convocandi et frequentandi, etc. — remissis ad peculiaria statuta, eum in finem ut, quantum fieri potest, aequus habeatur respectus ad uniuscuiusque nationis particularem indolem, rerum circumstantias et apostolatus necessitates. Quae statuta, ut pronum est, si iam in usu habeantur, huic nostro Decreto erunt post Concilium accommodanda; si vero non habeantur, ex novo erunt conficienda: in utroque casu, Sanctae Sedis probatione requisita.

In art. 19 § 1 iuridica cooptatio in Conferentiam Nationalem, et quidem cum suffragio deliberativo, recognoscitur, quidquid in contrarium alicubi fortasse hucusque factum sit, omnibus cuiuscumque Ritus Ordinariis locorum, Vicariis generalibus exceptis, additis tamen Episcopis Coadiutoribus ob ius successionis quo fruuntur.

Maximi momenti est pars III quae de Conferentiae decisionibus agit. In elaboranda hac materia Commissio nostra prae oculis habuit

quae sequuntur: *a*) Conferentia nationalis non identificatur quidem cum Concilio plenario aut provinciali, at ea inutilia omnino non reddit; immo eorum opportunitatem confirmat et magis quam ipse Codex definit (art. 18 § 1); *b*) Episcopus residentialis in suos subditos vera, ordinaria ac immediata gaudet potestate quae, iure divino, solummodo Romano Pontifici subiicitur (art. 22); *c*) attamen bonum commune animarum alicuius nationis, redundans ultimatim in bonum singularum dioecesium, quandam exigit similitudinem ac unitatem actionis pastoralis ex parte omnium Episcoporum eiusdem nationis.

In omnibus fere materiis talis exigentia moraliter tantum est aestimanda; propterea unicuique Episcopo relinquitur libertas agendi iuxta conscientiam suam, ob rationes quarum gravitatem ipse, ut Pastor personaliter responsabilis, coram Deo ponderabit, haud tamen neglecta consideratione agendi rationis ceterorum suorum fratrum in episcopatu (artt. 22-23), et consequentiarum ex sua diversa agendi ratione forte manantium.

In aliis vero paucis ac bene definitis materiis (art. 24) visum est Commissioni nostrae non sufficere moralem tantum obligationem, sed iuridicam quoque esse statuendam, ob earum materiarum gravitatem et noxias sequelas, quae ex diversa Episcoporum agendi ratione in spirituale commune damnum certo profluerent. In talibus tamen materiis Episcoporum monarchica potestas sufficienter in tuto ponitur per clausulas proportionate graves, quae sunt: *a*) elenchus casuum est taxativus omnino, iidemque casus natura sua haud frequentes esse possunt; *b*) decisiones Conferentiae proferendae sunt per duas saltem suffragiorum partes; *c*) insuper recognosci debent a Sancta Sede; *d*) datur denique singulis Episcopis facultas recurrendi ad Sanctam Sedem, in devolutivo tamen tantum ne finis huius statuti frustretur.

Sic visum est Commissioni minus minui per hoc statutum ordinariam singulorum Episcoporum potestatem, quam per Conciliorum plenariorum aut provincialium statuta minuatur.

Moderator: Legat nunc exc.mus D. secretarius generalis nomina Patrum, qui verbum petierunt quoad hoc caput.

Secretarius generalis: Verbum facere postulaverunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Iacobus McIntyre, arch. Angelorum in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Valerianus Gracias, arch. Bombayensis in India, Albertus Meyer, arch. Chicagiensis in Stat. Foed. Amer. Sept., Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici in Stat. Foed. Amer. Sept., Ioannes Landázuri, arch. Limanus in Peruvia; exc.mi Michaël Klepacz, ep. Lodzensis in Polonia, Marcellinus Olaechea, arch. Valentinus in Hispania,

Gerardus McDevitt, ep. aux. Philadelphiensis in Stat. Foed. Amer. Sept., Aloisius M. Carli, ep. Signinus in Italia, Alfredus Ancel, ep. aux. Lugdunensis in Gallia, Antonius Pildáin, ep. Canariensis in Hispania, Aemilius Guerry, arch. Camaracensis in Gallia.

11

EM.MUS P. D. IACOBUS FRANCISCUS L. CARD. McINTYRE
Archiepiscopus Angelorum in California

Venerabiles Fratres, carissimi Periti, Observatores et Auditores,

Verba mea referuntur ad cap. III, par. 17, lin. 17 schematis *de episcopis et de regimine dioecesium.* Ibi proponitur ut conferentiae nationales vel regionales habeant potestatem iuridicalem. Faveo talibus conferentiis, si sunt voluntariae. Deploro tales conferentias, si sunt iuridicales.

Proposita huic similia habent historiam sat extensivam. Ius Canonicum dat nobis concilia plenaria et provincialia. Haec habent potestatem iuridicalem.

Nunc autem potestas iuridicalis introducitur in conferentias quae non debent esse nec iuridicales nec obligatoriae, sed voluntariae et liberae. Finis harum conferentiarum est providere circumstantiis localibus et regionalibus.

In his circumstantiis quaerimus: quare introducitur potestas iuridicalis ubi non est necessaria nec conveniens?

Magna cum haesitatione coniectari possit utrum hoc propositum sit impugnatio regiminis Curiae Romanae. Curia Romana est instrumentum Summi Pontificis. Praeterea: possitne haec introductio potestatis iuridicalis esse aliqua impugnatio indirecta doctrinae infallibilitatis? Deus prohibeat! Sed talis nubes videri potest in extremo caelo.

Circumstantiae electionis Pontificis nostri Pauli VI, feliciter regnantis, favent omissioni propositi status iuridicalis harum conferentiarum nationalium. Papa noster fruitur experientia triginta annorum in officiis maximis Curiae Romanae. Nemo melius quam ille cognoscit Curiam Romanam. Nunc autem ipse est Summus Pontifex, ideoque dotatus donis ductus Spiritus Sancti. Hoc elevat eius dotes naturales per protectionem divinam. Ergo, quis est magis qualificatus? Quis est magis dotatus? Papa noster cognoscit Curiam Romanam, et homines aptos ad laborem Curiae Romanae et in toto mundo.

Quare restrictio iuridicalis imponatur sapientiae humanae et divinitus ductae talis Vicarii Christi? *Quare hoc impedimentum* [1]? Certe

fidelitas nostra, devotio nostra erga personam Vicarii Christi et fides nostra in inspiratione Sancti Spiritus praevalebunt. Debemus manifestare fidem nostram, *debemus manifestare* [2] confidentiam nostram et reverentiam nostram et derelinquere ideam potestatis iuridicalis in proposito.

Propono ergo ut potestas iuridicalis conferentiarum nationalium omittatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

12

EM.MUS P. D. VALERIANUS CARD. GRACIAS
Archiepiscopus Bombayensis

Venerabiles Patres,

En pauca [1] animadvertenda super hoc caput.

1. Cum iam saltem *circiter* [2] 50 conferentiae episcopales existant, et, uti praesumere licet, cum satisfactione, munus suum exsequantur, clare elucet hierarchias respectivas sibi persuasum habere ad bonum commune, et ad problemata nostrae aetatis solvenda in rebus maioribus, collaborationem mutuam episcoporum necessariam esse. Nulla ergo ulterior idea in introductione requiritur. Post tot elucidationes circa « collegium apostolorum » « collegium episcoporum » etc. in hac alma aula nobis propositas, mirum sane esset si nulla prorsus collegialitas practica inter episcopos eiusdem regionis inveniretur, quaecumque eius fundamenta sint, sive dogmatica, sive iuridica, sive merae voluntariae associationis.

2. Facile intelligitur formam organisatoriam *ut ita dicam* [3] harum conferentiarum variam esse, secundum variarum regionum necessitates, conditiones, naturales propensiones nationum. Sunt *e. g.* [4] qui favent multitudini regulationum, et ita forte in labore suo facile obstruuntur; sunt alii qui censent paucas regulas melius ad actionem vere fructuosam conducere; potius nituntur bona voluntate et bono sensu in mutua cooperatione.

3. Sed sunt puncta quaedam essentialia, quae prae oculis habenda sunt:

a) Permanens commissio, seu coetus administrativus, constitui debet a praelatis, qui totam regionem repraesentant, *quia hic agitur de conferentia nationali vel territoriali.* [5] Nam evidens est in quibusdam regionibus impossibile esse ut tota hierarchia frequenter conveniat,

sicut in India.[6] Unde negotia sua alicui commissioni seu coetui administrativo committere debent.

b) Haec commissio permanens, per suum laborem et per fructum sui operis, confidentia totius communitatis christianae gaudebit.

c) Etiam apud auctoritates civiles, et inter non-catholicos, auctoritate vera gaudeat oportet, sive ex officio agnoscatur, sive de facto, saltem tamquam repraesentatio catholicorum habeatur.

d) Nullam ansam dissensionis praebeat in hierarchia. Praestat limitatam cooperationem procurare per meram obligationem moralem impositam singulis membris, quam plura conari assequi per impositionem iuridicae obligationis. Uti dicitur lingua anglica " A bird in the hand is worth two in the bush ".

e) Providendum est ne « bureaucratia », quae dicitur, intret in hanc organisationem conferentiarum, et evadant opus potius aliquorum sacerdotum seu laicorum (quantumvis efficaciter peractum), quam actio communis pastoralis episcoporum alicuius regionis.

f) Ii, qui constituunt commissionem permanentem, semper operose studeant acquirendi activam collaborationem totius hierarchiae.

4. Ad illustrationem proponere liceat elementa principalia conferentiae episcoporum in India fundatae anno 1944, cuius Statuta formaliter approbata sunt ...[7] a Sancta Sede *et de qua solum possum loqui cum aliqua competentia.*[8]

a) Associatio est voluntaria. Sed de facto omnes episcopi sunt membra. Cur? non coguntur, sed *vigorose persuadentur.*[9]

b) Est coetus consultativus; eius decisiones non imponunt obligationem iuridicam in Ordinarios.

c) Nullo modo restringat, praeiudicet aut perturbet auctoritatem seu actionem Ordinariorum in ambitu iurisdictionis eorum.

d) Consistit ex omnibus membris hierarchiae catholicae *in India.*[10]

e) ...[11] Quamvis moralis tantum obligatio habeatur accipiendi decisiones commissionis permanentis, passim genuina cooperatio praestita est. Omnes enim censent aequum esse et conveniens offerre sinceram cooperationem huic associationi...[12]

g) Addere valet Concilium nostrum Plenarium *in India,*[13] cum approbaret statuta conferentiae episcopalis, in decreto speciali recommendare reunionem praelatorum quorundam, qui, occasione data, conveniant ad investigandas conditiones speciales quae in eorum regione occurrunt.

5. Quaestio ergo principalis, *mihi videtur,*[14] huius schematis est haec: Iuvatne dare statum iuridicum conferentiis episcopalibus? Fateor me aliquando favisse opinioni statum stricte iuridicum stabiliendum

esse. Putavi enim ita augeri auctoritatem conferentiarum episcopalium. Postquam vero legi seriem emendationum et observavi divisionem opinionum, iam censeo nullam rem imponendam esse quae adeo controvertitur...[15]

6. Hinc, *concludendo,*[16] censeo practicam solutionem huius materiae esse hanc:

a) Relinquatur hierarchiae uniuscuiusque regionis, ut eligat suam peculiarem formam procedendi in conferentiis, scil. sive nectendi obligationem mere moralem cum suis decisionibus, sive eligendi statum stricte iuridicum. Carior est libertas — at libertas *quae est* [17] sana ac prudens.

b) Adeundi S. Sedem ad approbandum ...[18] suum modum procedendi.

c) Iudicandi, ex experientia, methodum adoptatam. ...[19] Non videtur practicum imponere omnibus conferentiis episcopalibus idem catalogum omnium particularium in modo tractandi quaestiones...[20]

Concludo.[21] Nemo umquam per meram legem canonicam melior evasit. Hinc nuper volebam Caietanum, celebrem commentatorem, citare, respondentem ad quaestionem utrum episcopus potius sit canonista an theologus; dixit: theologus sit, episcopus enim debet praedicare. Praedicandum vero est, non ius canonicum, sed evangelium Christi. Debet enim instruere gregem fidelium in vita sancta, non in sacris canonibus, quae non condita sunt ab ipso Domino, sed ab hominibus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Pauca habeo. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] in Concilio plenario a. 1950, et iterum a. 1960, cum quibusdam modificationibus. [8] Puncta principalia sunt haec. [9] per persuasionem. [10] Indiae, ex episcopis auxiliaribus seu coadiutoribus, et ex episcopis et archiepiscopis qui, renuntiantes suo officio, adhuc in India resident. [11] Permanens commissio munere coetus administrativi fungitur. Consistit e praesidente, qui a membris eligitur, et 14 metropolitis ex officio, qui repraesentant omnes provincias ecclesiasticas, et e quibusdam membris cooptatis per praesidem et metropolitas. *f*). [12] cui Concilium plenarium a. 1950 imposuit obligationem investigandi et decernendi actionem appropriatam in variis rebus, e. g. in actione catholica, extensione Ecclesiae, catechesi, apostolatu sociali, educatione, programmatibus factionum politicarum etc. Si quis censet se non posse consentire decisionibus commissionis permanentis, perfectam libertatem habet procedendi secundum proprium iudicium. Aliquando vero accidit, si socii in officio episcopali alicui episcopo persuadere non possunt, ut sive clerus sive fideles eum urgere incipiant ut amplectetur decisionem maioris partis. [13] deest. [14] deest. [15] In nostro mundo vivere est mutari, et sapientis est in melius mutari; opinionem ergo meam mutavi. [16] deest. [17] deest. [18] vel recognoscendum. [19] Omnes ultimatim ad eundem finem tendunt. [20] votandi, in quaestionibus investigandis etc. [21] deest.

13

EM.MUS P. D. ALBERTUS GREGORIUS CARD. MEYER
Archiepiscopus Chicagiensis

Venerabiles Fratres,

Loqui vellem praesertim de art. 3 huius capitis, ubi agitur de conferentiae decisionibus, qui articulus *mea opinione* [1] medulla et cor huius capitis — immo forsitan totius *huius* [2] schematis — vocari potest. *Et addo quod* [3] loquor nomine plus quam 120 episcoporum ex Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis quorum nomina subscripta huic folio adnexa sunt.

Ex hoc autem articulo oriri potest problema sat grave. Ex una parte, schema proponit finem maximi momenti, omnino necessarium pro hodiernis adiunctis, nempe, *ut dicitur in prooemio,* [4] ut « omnes eiusdem regionis episcopi in unum convenientes, collatis consiliis, efficacius promoveant rem catholicam in universo suo territorio »... [5] Ex altera parte, auctoritas ac proinde libertas episcopi residentialis pro sua conscientia agendi in dioecesi sibi concredita omnino in tuto collocari debet. Ut haec duo necessaria bona inter se melius reconcilientur, sequentes emendationes in textum nobis exhibitum propono.

1. In n. 20 huius cap. III, propono ut nova paragraphus introducatur, quae esset prima post verba « e gremio uniuscuiusque conferentiae constituantur ». Haec paragraphus fere ita sonare debet: « Praeses, qui voto secreto et scripto eligatur pro periodo temporis ab ipsa conferentia statuendo, nisi statuta peculiaria aliud caveant ».

Ratio huius emendationis haec est: Munus praesidis conferentiae tanti momenti est ut modus quo ipse eligatur ab ipso Concilio statui debeat. Propono modum qui maxime concordat cum plena libertate omnium episcoporum, nempe suffragium secretum et scriptum. Providetur *etiam* [6] pro adiunctis extraordinariis cum adiecta clausula: « nisi statuta peculiaria aliud caveant ».

2. Propono ut n. 22, i. e. principium generale, noviter redigatur, et quidem fere hoc modo: « Firmo praescripto n. 24, deliberationes communes episcoporum in conferentia nationali legitime coadunatorum, praecipue ad hoc dirigantur, ut singuli episcopi residentiales, mutua informatione fraterno animo suscepta, melius pro sua conscientia suam partem gregis Domini pascant et simul communionem servent cum episcopis eiusdem regionis ».

Ratio huius emendationis in hoc praecipue consistit. Principium gene-

rale, prouti nunc in schemate exprimitur, nimis videtur esse iuridice expressum, atque indebite iura episcoporum coarctari. Nam, uti nunc stat in schemate, principium non loquitur nisi « de decisionibus prolatis ab episcopis, quae debita reverentia ab unoquoque episcopo accipiantur et ad effectum deducantur ». Teste experientia conferentiae nationalis iam multis annis in Statibus Foederatis existentis, nova redactio textus quam proposui melius videtur favere bono collaborationis communis quin inducat duplex periculum, indebitae nempe incursionis in gubernium dioecesis episcopo residentiali concreditum, atque etiam periculum alicuius novae centralizationis nimis extensae atque complicatae.

3. In eundem sensum, et propter similes rationes, propono ut n. 23, « de episcopo contra decisiones agente », ex toto deleatur.

Hoc propono, dico, propter fere easdem rationes. Nam, prouti nunc sonat in hoc numero, imponitur in episcopum, practice loquendo, obligatio plus quam moralis, libertas ideo episcopi agentis iuxta conscientiam non satis protegitur, atque periculum habetur novae formae centralizationis nimis extensae, quandoque etiam forsitan odiosae.

4. *Quoad n. 24 ubi agitur de iuridica obligatione* [7] propono ut deleantur subsectiones (*b*), (*c*) et (*d*) *huius numeri*.[8] His deletis, decisiones quae episcopos vi iuridica obligant, ad eas tantum, quae necessariae et sufficientes videntur, restringerentur, nempe ad eas quae sub (*a*) enumerantur. Textus autem huius subsectionis (*a*) etiam emendetur, fere hoc modo: « Quando agatur de peculiaribus rebus quae sive iure communi, sive speciali Summi Pontificis vel Oecumenici Concilii mandato, nationali episcoporum conferentiae pertractandae ac resolvendae commissae fuerint ».

Ratio autem cur, mea opinione, casus cum vi iuridica stricte restringantur oportet ad eos qui sub (*a*) enumerantur, derivatur praecise ex illo magno periculo novae formae centralizationis nimis extensae atque nimis complicatae. Hinc obligatio iuridica imponi debet solummodo quando absolute requiritur ad voluntatem summae auctoritatis in Ecclesia implendam. Haec autem in Ecclesia voluntas supremae auctoritatis exprimitur solummodo per Summum Pontificem, Concilium Oecumenicum et Ius Commune. Substituendo autem verba « Summi Pontificis » et « Concilii Oecumenici » in locum phrasis « Apostolicae Sedis » clarius exprimitur sedes supremae auctoritatis.

Quodsi aliqua conferentia nationalis putet vim iuridicam extendi debere ad eos casus qui sub litteris *b*) *c*) et *d*) enumerantur, facultatem in hunc sensum certe obtinere potest a Summo Pontifice. Decretum autem Concilii Oecumenici non debet tantum onus imponere in omnes conferentias nationales.

Tandem, in hoc eodem n. 24, omnino necessarium mihi videtur ut praecisis et determinatis normis provideatur quomodo maioritas requisita obtinenda sit, nempe per suffragia scripta et secreta, aliquo modo sicut in Ordine Concilii Oecumenici nostri pro his decisionibus providetur. Textus, porro, uti nunc legit, requirit maioritatem duarum ex tribus partium. Quamvis talis maioritas mihi nunc sufficere videatur, serio, puto, perpendendae sunt *etiam* [9] rationes eorum qui pluralitatem maiorem requirerent. Et dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] (cf. n. 17). [6] deest. [7] deest. [8] n. 24. [9] deest.

[*Subscripserunt etiam*] J. Minihan, M. J. Guilfoyle, Philip M. Hannan, Philip Furlong, Charles B. Mulrooney, Edward Swanstrom, William J. Condon, Ioseph Dougherthy, Ioseph Green, Leo Pursley, Sylvester Treinen, G. H. Speltz, F. P. Leipzig, Christopher J. Weldon, H. B. Hacker, Henry J. Soenneker, Stephan J. Kocisko, Paul C. Schulte, Raymond P. Hillinger, Vincentius J. Hines, Lawrence Casey, George A. Hammes, William A. O'Connor, William P. O'Connor, Dermot O'Flanagan, Thomas A. Connolly, James J. Byrne, John B. Franz, Edward J. Hunkeler, F. W. Freking, Francis Green, Karl Alter, C. P. Greco, Henry J. Grimmelsman, John P. Treacy, Joseph H. Hodges, H. A. Clinch, Bernard Flanagan, James V. Casey, Edward Fitzgerald, Loras T. Lane, Lambert A. Hoch, Ernest J. Primeau, Gerald V. McDevitt, Francis F. Reh, Walter Curtis, James Griffiths, Andreas G. Grutka, John Dougherty, Vincent J. Baldwin, Marion F. Forst, Edward C. Daly, Nicholas Elko, John J. Krol, George L. Leech, Franciscus J. Furey, Coleman F. Carroll, John Donovan, John F. Dearden, Albert R. Zuroweste, Paul Hallinan, Robert E. Tracy, Alexander Zaleski, Ioseph Denning, James McNulty, John Boardman, James McManus, John Russel, W. T. McCarty, A. Schladweiler, Raymond G. Hunthausen, Jaroslav Gabro, James W. Malone, John J. Carberry, Hugh A. Donahoe, Ignatius Strecker, Robert E. Lucey, Stephen A. Leven, Thomas J. Drury, Floyd L. Begin, G. Bergan, John Wright, John Morkovsky, W. E. Cousins, A. L. Fletcher, Walter P. Kellenberg, Francis Schenk, L. A. Gleen, Daniel F. Feeney, C. E. Elwell, G. P. Flavin, C. A. Buswell, J. W. Comber, Gerald O'Keefe, Leo T. Maher, Thomas K. Gorman, Ioseph T. McGucken, Alden Bell, James Navagh, Aloisius Wycislo, John B. Grellinger, G. J. Rehring, Leonard P. Cowley, J. L. Federal, E. J. Harper, J. Carroll McCormick, Leo Binz, Ioannes L. Paschang, Ralph L. Hayes, Charles N. Helmsing, Robert J. Joyce, Victor J. Reed, Lawrence M. De Falco, Warren Boudreaux, Wendelin Nold, Allen J. Babcock, M. W. Hyle, J. M. Mueller, Lawrence J. Shehan, Martin O'Connor, Jos. card. Ritter.

14

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Venerabiles Patres,

Paucis exceptis, cap. III huius schematis mihi placet!

Imprimis conferentiae episcopales mihi videntur necessariae ad ministerium effectivum. Et loquor, non de conferentiis quae secundum par. 22-23 praescripta operantur, sed de illis quae statum et vim vere iuridicum possident, sicuti in par. 24 describuntur.

Multoties — et hoc sat evidens est quin indigeat probatione — multoties unanimitas tum vocis tum actionis ex parte corporis episcoporum nationalis requiritur ut finis communis attingi possit. Unanimitas enim auctoritatem virtutemque, decretis, inceptis, et decisionibus praestabit; unanimitas roborem et fortitudinem singulis episcopis in fine prosequendo communicabit. Et quis negare poterit talem auctoritatem fortitudinemque saepe esse necessarias in illis quae pertinent non solum ad animarum salutem sed etiam ad problemata socialia et moralia? Et quid, nisi conferentiae episcopales, unanimitatem requisitam secure, constanter, et tempore opportuno praestare poterit?

Conferentiae huius generis, statum et vim vere iuridicum possidentes, decentralizationem vehementer promovebunt. Nam, uti bono communi sat providetur sive per leges sive per corpus iurisdictionale, iam praecluduntur per quasi preemptionem, secundum subsidiaritatis principium, necessitas et ius ut auctoritas superior per legislationem interveniat. Conferentiae similiter illis finibus inservient propter quos desideratur ut Curia Romana magis internationalis fiat. Nam, ubi episcopi alicuius nationis stant auctoritative uniti in aliqua re vel decisione, ibi possibilis redditur repraesentatio authentica et effectiva apud S. Sedem: repraesentatio quae medium erit efficacissimum ex una parte ad S. Sedi peculiares uniuscuiusque nationis conditiones explicandas et ex altera parte ad modificationes iuris communis speciales et utiles obtinendas.

Denique hoc Concilium Oecumenicum nos episcopos docuit quid sit pro Ecclesia universali curare et disponere. In hac deliberationis dimensione, multa maximi momenti cotidie discimus de problematibus alienis intelligendis et de decisionibus faciendis quae bonum vere commune respiciunt. Haec disciplina optimo cum effectu in conferentiis episcoporum continuari poterit et debebit.

Ex altera parte, schema de conferentiis instituendis sane et pru-

denter tractat. Admodum universali imbuitur spiritu. Ad consideratio-nes genericas se restringens, specifica et particularia relinquit ipsis singulis coetibus episcoporum. Sic par. 18 decernit ut unaquaeque conferentia suas leges fundamentales suumque modum procedendi determinet; ut suam methodum officiales eligendi constituat; et cetera ita porro.

Insuper schema in obligationibus instituendis valde prudens est. Sic par. 22-23 omnem legis positivae obligationem excludunt ubi S. Sedes prius non intervenerit. Ubi tractat de obligatione imponenda, schema requirit ut decisiones « per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum prolatae sint necnon ab Apostolica Sede recognitae fuerint ». Omnia haec *mihi* valde placent. Alii alias ordinationes sine dubio volunt. Nihilominus, Patres conciliares, vos rogo et urgeo ut, mutatis mutandis, substantiam par. 24 sustineatis — ut conferentias episcoporum nationales, statum et vim iuridicum habentes, constituatis.

Quis dicere poterit institutionem talium conferentiarum contrariam esse naturae episcopatus monarchicae? Institutio conferentiarum nihil dicit, nihil implicat, de natura episcopatus. Modum efficaciorem et magis informatum offert in quo Romanus Pontifex suum primatum monarchicum exercere potest. Cum vis conferentiae legislativa ex Romani Pontificis recognitione vel ex Concilio Oecumenico provenit, false dicitur conferentiarum institutionem ponere aliud corpus auctoritativum inter Romanum Pontificem et singulos episcopos.

In fine, unam solam emendationem in schemate proponere velim. In par. 19, art. 2, in ordine ad conferentias ille status episcopis auxiliaribus detur qui articulo praecedenti coadiutoribus conceditur. Dicatur episcopos auxiliares de iure et cum suffragio deliberativo ad nationalem episcoporum conferentiam pertinere. Dixi.

15

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. LANDÁZURI RICKETTS
Archiepiscopus Limanus

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Episcoporum coetus seu conferentiae, logica est evolutio disciplinae organizativae Ecclesiae, nostris temporibus adaptatae. Hoc Institutum enim ante saeculum sporadice tantum existebat, et quod postea nondum in Codex Iuris Canonici introducendum censebatur; hodie vero ubique terrarum eius sentitur necessitas, et experientia teste videtur iam in ius Ecclesiae incorporandum.

Uti enim in nota 1 huius capitis (pag. 17) docemur, iam inde a Pio Papa IX, ...[1] ipsi Summi Pontifices tales coetus probarunt atque commendarunt.

Unde, quod in schemate nostro statuitur de conferentiis episcoporum, in genere placet, utpote prudenter et cum moderamine dictum. Liceat tamen mihi sequentes animadversiones notare ...[2]:

1. In ipso titulo adiectivum « nationali » melius expungi potest, ita ut simpliciter dicatur « de episcoporum coetu seu conferentia ». Nam, saepe coetus seu conferentia non nationalis, sed regionalis utiliter instituitur, sive regio pars tantum territorii nationalis nimis extensi intendatur, sive plures nationes ob identitatem adiunctorum comprehendat. Consequenter etiam in textu pag. 14, lin. 4, dicatur: eiusdem nationis vel regionis, et ita passim in textu.

2 animadversio. In n. 18 par. 1 dicitur: « Praeter concilia plenaria quae opportuno tempore legitime celebrari possunt, et Concilia provincialia, decimo saltem quoque anno ad normam iuris celebranda ». Haec ultima dispositio scil. quod ad tempus attinet minime placet.

Historia enim docet illa Concilia plenaria vel provincialia venerandae quidem fuisse auctoritatis, magnosque protulisse pro disciplina ecclesiastica et profectu animarum fructus et certe in posterum illos afferre possunt. Eorum locum conferentiae episcoporum tenere omnino nequeunt, tum quia eorum solemnitate et vi legislativa carent, tum quia annuae sessiones eadem cura et profunditate praeparari nequeunt.

Quaeri tamen potest utrum, propter frequentiores episcoporum conferentias, tam frequentia etiam Concilia provincialia adhuc sint necessaria. Nam schema nostrum Concilia provincialia, quae iuxta can. 283 Codicis Iuris Canonici vicesimo saltem quoque anno celebranda dicuntur nunc decimo saltem quoque anno vult praescribere. Quod non videtur expedire. Nam, si lex latior (vicesimo quoque anno) ob difficultates practicas et alias, vix alicubi observatur, certe non expedit strictiorem imponere legem, quae proculdubio vix melius in futuro observabitur, eo magis quod eius necessitas, propter annualem vel biennalem congressum episcoporum, iam videtur aliquantulum evanuisse. Verum est, ut supra iam numeravimus, conferentias episcoporum locum omnino tenere non posse Conciliorum tum plenarii tum provincialis: eorum tamen frequentiam minus urgere *videtur.*[3] Etenim:

1. Ratio quae pro frequentiore Conciliorum celebratione affertur haec est: vita hominum citius movetur, et hodierna adiuncta cras iam erunt mutata. Quapropter quaedam adaptationes disciplinae ecclesiasticae vel mediorum apostolatus non possunt per viginti annos exspectare. At possumus dicere: neque per decem! Sed ad hoc habebuntur confe-

rentiae episcoporum, ut singulis vel alternis annis, immo saepius si necesse fuerit, providere valeant. Concilia autem plenaria vel provincialia tunc tantum cogenda sint, quando, non tempus determinatum (viginti vel decem annorum) revolutum sit, sed quando profundiores mutationes adiunctorum revisionem disciplinae necessariam reddiderint.

2. De cetero, determinatio temporis, si fieri debet, melius ad commissionem pro Codicis Iuris Canonici revisione remittatur.

Proinde: n. 18 § 1, proponimus ut sic resumatur: « Praeter Concilia plenaria et Concilia provincialia quae opportuno tempore legitime celebrari possunt, stabiliter in unaquaque natione... etc. ».

3 animadversio. Ad n. 24. Si decisionibus conferentiae episcoporum vis tribuitur iuridica duae possunt oriri difficultates:

a) Natura monarchica episcopatus in regimine dioecesis requirit ut nullus praeter episcopum de interna suae dioecesis disciplina decernat;

b) Solus Romanus Pontifex supremum habet regimen Ecclesiae, sub quo immediate veniunt episcopi pro sua dioecesi. Conferentia autem episcoporum cuius decreta vim haberent coactivam, videtur esse ens iuridicum inter Romanum Pontificem et episcopum positum quod libertatem agendi singulorum episcoporum aliquatenus coarctare posset.

Attamen, haec diminutio capitis, si quae est, ad paucos tantum casus reducitur, et in praxi valde compensatur beneficio uniformitatis actionis totius hierarchiae ecclesiasticae alicuius nationis vel regionis in rebus maioris momenti, qua e populo illa admiratio et incertitudo auferretur ex diversitate disciplinae oriens. In hodiernis adiunctis si Ecclesia vult iura sua obtinere vel tueri, vel maiore cum profectu suum apostolatum dirigere, omnino requiritur uniformitas actionis totius episcopatus, praesertim in iis quae ad Gubernia civilia *e. g.*[4] relationem dicunt et alia huiusmodi.

Iamvero, casus in n. 24 enumerati, in quibus decreta conferentiae episcoporum vim iuridicam habent, revera ad minimum reducuntur, et magna cum sapientia et prudentia statuuntur. Profecto:

1. Antequam vim obligatoriam habeant, debent prius ab Apostolica Sede recognosci. Hoc modo recte dici potest limitationem regiminis episcopi loci ultimatim a Summo Pontifice imponi, cuius ius ab omnibus admittitur.

2. Antequam vim obligatoriam habeant, debent a duabus ex tribus partibus suffragari. Quae est norma in Ecclesia non infrequenter in huiusmodi negotiis admissa, ut videre est in ipsius nostri Concilii normis art. 39 ubi pro approbando schemate quolibet duae ex tribus partibus

suffragiorum requiruntur et sufficiunt. Quae norma ut regula generalis servari posset et quidem placet.

Quodsi tamen alicui conferentiae episcoporum videatur magis determinandum esse quid sub re maioris momenti intendendum sit (ut in littera b n. 24 ...[5]) vel quandonam res revera gravis sit (ut sub littera d ...[6]), et proinde maiorem numerum suffragiorum, puta quattuor ex quinque partibus, esse necessarium, conferentiae episcoporum in suis Statutis libertas sit illam normam determinare.

Quapropter, conveniens erit n. 24, lin. 13, post verba « legitime et per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum prolatae sint », haec vel similia verba addere: « nisi aliud a particularibus statutis conferentiae decernatur », ita ut in re tanti momenti possibilis difficultas quae aliquibus apparere posset, solvetur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (a. 1864). [2] factas etiam nomine 36 Patrum conciliariorum Peruviae. [3] videntur. [4] deest. [5] dicitur. [6] eiusdem numeri.

16

EXC.MUS P. D. MICHAËL KLEPACZ

Episcopus Lodzensis

Venerabiles Patres,

Locuturus sum nomine episcoporum Poloniae. Quamvis unusquisque episcopus sit proprius, ordinarius atque immediatus pastor in dioecesi sibi commissa, nullus tamen dubitat, quominus summopere expediat propter rationes ordinis practici ut omnes eiusdem nationis episcopi *statis* [1] temporibus simul conveniant ad rem catholicam in universo suo territorio efficacius promovendam atque ordinandam ...[2].

Talis praxis [3] iam a decenniis in pluribus regionibus viget, utique optimis cum fructibus, ipsaque episcoporum auctoritas huius rei gratia augetur ...[4], etiam intra Ecclesiam, apud ipsos catholicos. *Quare omittatur in schemate specificatio illa superflua*: « apud Gubernia civilia vel acatholicos viros » (pag. 14, lin. 15) ...[5].

Hucusque, quamvis pluries Summi Pontifices nationales episcoporum conferentias adprobaverint atque laudaverint, *instituto illi deerat iuridica consecratio vim legis pro universa Ecclesia habens. Carentiae* [6] illi obviat nunc cap. III schematis, quod normas iuris communis circa tales conferentias praebet. Summa iuridica lineamenta quae in schemate

definiuntur in genere nobis placent. Animadversiones tamen quasdam faciendas censuimus.

...[7] Pars prima capitis, de conferentiae constitutione agens, ansam praebet uni observationi. Nempe, in par. 2, ubi de statutis ab ipsa conferentia conficiendis sermo fit, adiungendum videtur statuta illa probanda esse non solum a Summo Pontifice — quae vox concreta ubique praeferenda est expressioni abstractae « Sedes Apostolica » — sed etiam ab ipsis episcopis et quidem per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum in scrutinio secreto prolatorum...[8]

...[9] Quod conferentiae *vero* [10] moderamen attinet, expedit ut hac in re ratio habeatur finis essentialiter pastoralis, propter quem praecise tales conferentiae constituendae sunt. Propterea, ea quae de conferentiae membris statuuntur, decernenda sunt non intuitu dignitatis personarum, sed intuitu boni singularum dioecesium in natione existentium, quae hac de causa aequo iure in nationali episcoporum conferentia repraesentandae sunt. Quare exoptatur ut unaquaeque dioecesis uno, et quidem uno tantum suffragio deliberativo in conferentia gaudeat. Quod principium non solum expressis verbis in decreto conciliari statuendum videtur, sed exinde deducendae sunt etiam logicae consequentiae. *Quae scripto proponimus.*[11]

Praecavendum est tamen,[12] ne dioecesis aliqua, episcopo legitime impedito, in conferentia non repraesentetur et sic iure suo de facto privetur. Ideo statuendum est episcopum legitime impeditum ad nationalem episcoporum conferentiam delegare posse ad tempus vel ad actum, et quidem cum voto deliberativo, episcopum coadiutorem vel auxiliarem, vel immo vicarium generalem qui non sit episcopus. Sic melius ratio habebitur boni singularum dioecesium quod ultimatim redundat in bonum commune animarum totius nationis...[13]

Alia [14] quaestio connexa cum conferentiae moderamine, respicit punctum 20 schematis ...[15]. Quaedam *enim* [16] dicenda videntur in genere de ...[17] praesidis munere. Affirmandum *autem* [18] esset ...[19] praesidi competere:

1. onus conferentiae labores dirigendi, salva semper et tuta membrorum libertate;

2. officium curandi ut statuta ...[20] conferentiae rite observentur;

3. privilegium etiam fungendi de mandato Summi Pontificis munere quod Nuntiis vel Delegatis Apostolicis hodie communiter committitur. Quod tunc praesertim est maximi momenti, quando circumstantiae exigunt ...[21] ut munere hoc fungatur quis qui rerum *adiuncta* [22] melius cognoscit ...[23]. Addere iuvat tale munus praesidi conferentiae commissum optime congruere cum iis quae sub puncto 24 schematis dicuntur

de decisionibus conferentiae ...[24] quando agitur de rebus cum Gubernio civili tractandis ...[25]. Ibi enim supponi videtur nationalibus episcoporum conferentiis committi etiam ut ...[26] relationes foveant inter Ecclesiam et civilia Gubernia, *quando Summi Pontificis approbatio accedit.*[27]

Circa Consilium autem permanens,[28] statuendum videtur iure communi: 1. consilium illud constituendum esse episcopis Ordinariis locorum, 2. eligendis suffragio secreto.

...[29] Inter maiores defectus capitis adnumeranda est carentia cuiusvis paragraphi de conferentiae competentia. Imprimis principium generale statuendum videtur nationalem episcoporum conferentiam competentem esse — intra limites iuris communis — circa ea omnia quae rem catholicam respiciunt *et totam* attingunt nationem. Speciatim vero *quaedam addenda sunt, quae scripto proponimus.*[30]

Quoad decisiones Nationalis Conferentiae Episcoporum attinet, hucusque ipsae[31] in tantum vim ligantem habebant, in quantum in singulis dioecesibus per ipsum Ordinarium loci promulgabantur ...[32]. Schema *vero*[33] enumerat quatuor *causas in quibus decisiones etiam iuridice ligare poterunt totam nationem neque discretioni singulorum episcoporum relictum erit utrum tales decisiones in propria dioecesi promulgare velint necnon.*[34]

Praeter unum, omnes *illi casus sine restrictione*[35] accipiendi videntur. Non placet *vero*[36] *casus sub puncto 24 b recensitus* qui ita sonat: « quando agitur de declarationibus maioris momenti publice faciendis nomine nationalis episcoporum conferentiae ».

Talis[37] casus nimis vagus ...[38] est et praeterea aliquomodo comprehenditur in casu sub *littera d*[39] recensito. Quare *omittendus est ...*[40]

Inter condiciones requisitas ad hoc ut decisio singulos episcopos iuridice obliget, nominatur votum a duabus saltem ex tribus partibus suffragiorum procedens necnon approbatio Sedis Apostolicae...[41]

Relate ad decisiones[42] quae non obligant iuridice singulos episcopos, *Ordinarii locorum conservant libertatem agendi contra decisiones conferentiae « ob peculiares rationes », quae formulatio praeferenda est expressioni in schemate adhibitae, « ob graves rationes ». Praeterea*[43] cum certis in casibus praeses difficilius scripto certior fieri possit, *forsitan*[44] *omittenda est vox « scripto »* (pag. 16, lin. 8) ...[45]

Tandem sublineandum videtur momentum obiectivae argumentationis, cum de decisione ab episcopis proferenda agitur. Periculum enim aliquando adesse poterit, ne decisiones quaedam aliis episcopis quasi ex auctoritate imponantur aut suggerantur. Quare principium generale sub puncto 22 statutum sic immutandum videtur: « Firmo praescripto n. 24, decisiones quae ab episcopis, in conferentia nationali legitime coadunatis,

accurate perpensae atque prolatae sunt, debita cum reverentia ab unoquoque episcopo accipiantur... ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] in unum coetum confluant statisque. [2] Hodie enim, cum nexus multiplicantur inter homines, gravissimae oriuntur quaestiones quae excedunt fines dioecesium singularium et ideo competentiam singulorum episcoporum. [3] Praxis episcoporum conferentiae. [4] non solum « apud civilia gubernia vel acatholicos viros » ut dicitur in schemate, sed. [5] et dicatur simpliciter: « ipsaque episcoporum auctoritas augeatur ». [6] eorum annuam saltem celebrationem commendantes, institutio illa carebat consecratione vim legis pro universa Ecclesia habente. Defectui. [7] I. De conferentiae constitutione. [8] Quare paragraphus illa (pag. 14, linn. 25-27) ita corrigenda videtur: « Unaquaeque nationalis episcoporum conferentia peculiaribus regi debet statutis, quae ab ipsa conferentia conficienda atque probanda sunt, per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum secreto ab episcopis legitime coadunatis prolatorum, quaeque insuper a Summo Pontifice recognoscenda sunt ». [9] De conferentiae moderamine. [10] deest. [11] Ut pronum est, convenit ut Ordinarii locorum, exceptis vicariis generalibus qui in iure etiam nomine Ordinariorum loci veniunt (C.I.C. c. 198) de iure et cum suffragio deliberativo ad conferentiam pertineant. Sic ratio habetur muneris peculiaris episcopi residentialis qui solus — sub auctoritate Summi Pontificis — plena cum responsabilitate dioecesim suam gubernat. Ne dioecesis aliqua duobus suffragiis gaudeat, praeter vicarios generales qui non sunt episcopi, excipiendi quoque videntur e coetu eorum qui cum suffragio deliberativo ad conferentiam pertinent, non solum auxiliares, sed etiam coadiutores, etsi iure successionis fruuntur. Addere tamen iuvat, iure communi, nisi aliud in litteris apostolicis caveatur, coadiutorem episcopo prorsus inabili datum, habere omnia iura et officia episcopalia (C.I.C. c. 351 § 2). Quapropter talis coadiutor etiam de iure et cum suffragio deliberativo ad nationalem episcoporum conferentiam pertinebit. Quod vero peculiaria statuta attinet, schema decreti permittit ut etiam episcopi mere titulares in natione degentes, possint in nationalem episcoporum conferentiam cooptari, in eoque suffragio etiam deliberativo frui. Attamen, propter rationes superius allatas, quibus alia adhuc adiungitur, hoc inopportunum videtur. Praecavendum est nempe ne decisio aliqua a conferentia proferatur ob vota praesertim episcoporum qui non sunt residentiales ideoque non plenam habent responsabilitatem circa dioecesim aliquam regendam. Quod accidi potest in nationibus ubi plures sunt episcopi auxiliares aut mere titulares qui suffragio deliberativo ex hypothesi fruerentur. Quare iure communi statuendum videtur ut episcopi cooptati suffragio consultivo tantum fruantur. [12] Ex altera tamen parte praecavendum est. [13] His dictis, punctum 19 schematis (pag. 15, linn. 5-12) ita v. g. legendum esset: « Ut decisiones nationalis episcoporum conferentiae aequum habeant respectum ad unamquamque dioecesim ideoque unum tantum suffragium deliberativum pro quacumque dioecesi dari possit, de iis quibus conferentiae interesse competit, sequentia statuuntur: 1. Omnes Ordinarii locorum cuiuscumque ritus, vicariis generalibus exceptis, de iure et cum suffragio deliberativo ad nationalem episcoporum conferentiam pertinent. 2. Ordinario loci legitime impedito ius est coadiutorem vel auxiliarem, immo vel vicarium generalem qui non sit episcopus, delegare, et quidem cum voto deliberativo. 3. Ex peculiaribus statutis etiam

episcopi coadiutores et auxiliares, immo et mere titulares, in natione degentes, possunt in nationalem episcoporum conferentiam cooptari, in eaque suffragio consultivo frui. 4. (par. 3 schematis prout stat). [14] Secunda. [15] Etsi nihil in schemate habetur — ut utar verbis exc.mi relatoris — « de praesidis electione eiusque in munere diuturnitate » — quaestione hac remissa « ad peculiaria statuta eum in finem ut quantum fieri potest, aequus habeatur respectus ad uniuscuiusque nationis particularem indolem » (relatio p. 19). [16] tamen. [17] ipso. [18] saltem. [19] in decreto conciliari. [20] nationalis episcoporum. [21] ut iura Ecclesiae eiusdemque libertas aptius et efficacius tutentur, quando uniuscuiusque nationis peculiaris indoles magis expostulat. [22] circumstantias. [23] quando apostolatus necessitates requirunt ut nullus intermediarius natione exterus intercedat inter Summum Pontificem et episcopatum nationalem. [24] quae vim iuridicam habere possunt. [25] quae totam attingunt nationem. [26] approbante Summo Pontifice. [27] eum in finem ut iura Ecclesiae eiusdemque libertas et autonomia tutentur ad bonum fidelium melius et efficacius promovendum: quod, profecto, etiam in commodum cedit Summi Pontificis in munere suo respectu Ecclesiae universae rite explendo. [28] Deinde, quoad Consilium permanens, quod ipsam conferentiam repraesentat in omnibus causis et negotiis eidem concreditis. [29] III. De conferentiae competentia. [30] affirmandum videtur inter alia: 1. conferentiam episcoporum facultatem habere statuendi ius particulare nationis quoad res illas, quae solutionem universalem excludunt aut inopportunum reddunt. Quod attinet quaestionem principii, de se nihil obstat quominus talis facultas conferentiis episcoporum tribuatur, quae hac in re ad Concilia plenaria et provincialia accedunt, in quibus, iure nunc vigente, episcopi collegialiter suam potestatem exercent. Quaeri tamen potest, utrum talis facultas conferentiis merito concedenda non inutilia reddat Concilia saltem plenaria; 2. conferentiae episcoporum competere facultatem dandi interpretationem authenticam decretorum Conciliorum plenariorum aut provincialium; 3. conferentiae episcoporum competere ius designandi episcopos a Summo Pontifice nominandos pleno iure membra vel consultores SS. Romanae Curiae Congregationum, qui bis in anno v. g. in Urbe conveniant ad commune bonum magis promovendum; 4. conferentiae episcoporum competere ius proponendi aliquos peritos ecclesiasticos qui, sive stabiliter sive ad actum, in Romanae Curiae dicasteriis adlaborent sicque Romana Curia, ut dixit ipse Summus Pontifex, magis « supranationalis » evadat melioremque oecumenicam praeparationem habeat » (*L'Oss. Rom.* CIII n. 219). [31] IV. De conferentiae decisionibus. Hucusque decisiones nationalis episcoporum conferentiae. [32] Conferentiae enim episcoporum in territorio nationali iurisdictione non gaudebant. Evolutio tamen vitae socialis nostris diebus sine dubio dispositiones canonicas pro tota aliqua natione convenientes vel necessarias exigere potest. Hoc admisso, haberi poterunt decisiones quae iuridice ligabunt totam nationem neque discretioni singulorum episcoporum relictum erit, utrum tales decisiones in propria dioecesi promulgare velit necne. Cum talis obligatio certo certius coarctet potestatem propriam, ordinariam atque immediatam singulorum episcoporum, patet non quaslibet decisiones conferentiarum talem vim iuridicam habere posse. [33] deest. [34] dumtaxat casus, in quibus talis obligatio vi ipsius iuris haberi poterit. [35] deest. [36] nempe. [37] Quaeri enim potest quid in casu concreto habendum sit ut declaratio maioris momenti. Talis ergo. [38] et generalis. [39] n. 24 c. [40] Quod vero casum *c* attinet, casus ille admittendus videtur, dummodo revera agatur de

rebus quae *totam* attingunt nationem, i. e. quae in omnibus dioecesibus eodem practice modo sese praebent eandemque solutionem pro tota natione expostulant. Fieri enim potest ut quod convenit uni dioecesi, graviter damnosum sit aliae dioecesi, quia saepe res non se habent eodem modo in singulis dioecesibus, etiam in una eademque natione. [41] Quoad primum notandum est melius libertati singulorum episcoporum satisfactum iri, si additur: tales decisiones scrutinio secreto proferendas esse. Quotiescumque proinde agatur de imponenda aliqua obligatione iuridica, necessaria videtur iniunctio obligationis recurrendi ad scrutinium secretum. Quoad secundum, expressio abstracta « Sedes Apostolica » substituatur hic — sicut et alibi in schemate — locutione concreta « Summus Pontifex ». Solus enim Romanus Pontifex est episcopis superior. Praeterea, ut abusus possibiles praecaveantur, specificetur lin. 14: « ab *ipso* Summo Pontifice recognitae fuerint ». [42] Quoad decisiones conferentiae episcopalis. [43] decisiones illae ab unoquoque utique episcopo accipi et ad effectum deduci debent morali cum obligatione, sed episcopus — qui solus plenam circa suam dioecesim responsabilitatem habet — in casu aliquo suae dioecesi proprio, contra decisiones conferentiae in sua dioecesi agere potest, dummodo antea praesidem conferentiae scripto certiorem faciat de suis agendi rationibus. Attamen. [44] deest. [45] Suadetur praeterea ut formulatio puncti 23 simplicior sit et indicet agi hic non de quibuslibet gravibus rationibus, sed de rationibus quae peculiares sunt determinatae dioecesi, de qua tandem proprius episcopus tenetur rationem reddere. Denique, aliquando res expostulant ut episcopus statim agat. Quare omittatur etiam vox « antea » (pag. 16, lin. 8). Dicatur proinde, ut iam propositum est (*Emendationes* n. 190): « Episcopus ob peculiares rationes contra decisiones conferentiae in sua dioecesi agere intendens, conferentiam per ipsius praesidem hac de re certiorem faciat ».

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LXVI

13 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXVI

13 novembris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur disceptationem in hac congregatione generali 66 em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Antequam prosequatur disceptatio circa cap. III schematis *de episcopis et dioecesium regimine,* loqui postulaverunt ad art. 57 *Ordinis Concilii celebrandi* exc.mi DD. Angelus Fernandes, arch. coad. Delhiensis in India, Ioseph Busimba, ep. Gomaënsis in Congo, Iosep Melas, ep. Nuorensis in Italia.

Deinde prosequetur disceptatio circa cap. III, de quo verba facere postulaverunt em.mi ac. rev.mi DD. cardd. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Ioseph Frings, arch. Coloniensis in Germania; exc.mi DD. Marcellinus Olaechea, arch. Valentinus in Hispania, Gerardus McDevitt, ep. aux. Philadelphiensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Aloisius M. Carli, ep. Signinus in Italia, Alfredus Ancel, ep. aux. Lugdunensis in Gallia, Antonius Pildáin, ep. Canariensis in Hispania, Aemilius Guerry, arch. Cameracensis in Gallia, Ioseph Dammert, ep. Cajamarcensis in Peruvia, Garabed Amadouni, exarcha apost. pro Armenis in Gallia, Aloisius Alonso Muñoyerro, arch. tit. Sionensis in Hispania, Guido Riobé, ep. Aurelianensis in Gallia, Laurentius Bianchi, ep. Sciiamchiamensis in Sinis, Gerardus Coderre, ep. S. Ioannis Quebecensis in Canada, Edmundus Peiris, ep. Chilavensis in Ceylon, Ioannes Garner, arch. Praetoriensis in Africa Meridionali, Franciscus Franić, ep. Spalatensis in Iugoslavia; rev.mus P. Benedictus Reetz, sup. gen. Congr. Beuronensis O.S.B.; exc.mi DD. Antonius Santin, arch.-ep. Tergestinus in Italia, Ludovicus Cabrera, ep. S. Ludovici Potosiensis in Mexico; Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus in Brasilia, Andreas Perraudin, arch. Kabgayensis in Ruanda, Eugenius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridionali, Ismaël Castellano, arch. Senensis in Italia, Elias Zoghby, vic. patr. Melchitarum in Aegypto, Ioseph Sibomana, ep. Ruhengeriensis in Ruanda.

Memoramini, venerabiles Patres, crastina habitum iri suffragationem circa schema *de instrumentis communicationis socialis.* Qui vult suffragium ferre *placet iuxta modum,* praeparet modos.

1

EXC.MUS P. D. ANGELUS FERNANDES
Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. Delhiensis

Em.mi Praesides ac Moderatores, venerabiles Fratres,

Etsi vereor ne multis vestrum molestum sit post clausam disceptationem de cap. II orationem audire de hac re agentem, et quamvis mihi conscius sim psychologicum non esse vestram attentionem petere pro re quae iacta iam esse videatur, nihilominus cum ea quae proferam nondum sint dicta cumque consentiant mecum multi Patres ex variis partibus Indiae necnon ex diversis regionibus Asiae, invitus quodammodo sermonem faciam.

Loquar de renuntiatione episcopi sive ad dioecesanum sive ad regularem clerum pertineat, et de his quae cum hac renuntiatione connectuntur.[1]

Velim ut *quaestio*[2] tractetur, et magis realistice et magis idealistice.

Magis *realistice* primum. Ne quis umquam a renuntiatione quam in bonum dioeceseos facere debet, absterreatur prae timore incertitudinis vel inopiae, in schemate varii modi statuantur quibus congrua sustentatio fiat. Praeter obligationem primariam dioeceseos hoc etiam adiuvare potest. Conferentiae episcoporum moneantur ut domum aliquam instituant in qua tales episcopi se, si libeat, conferre possint, in qua, quantum ad curam corporis et salutem animae, apte eis provideatur, et in quantum ipsi valent, possibilitas alicuius ministerii sacerdotalis eis offeratur. Ubi necessarium foret, a communi thesauro Ecclesiae auxilium huic operi praestetur. Quodsi malunt in aliqua domo religiosa, aut etiam in privata habitare, ut etiam sustententur e fundo, si necesse fuerit, constituendo. Qui enim bene pro Ecclesia laboraverit, ius habet ut in pace in idipsum dormiat et requiescat.

Sed etiam magis *idealistice.* Ideoque propono ut verba quae habentur in lin. 34, nempe: « illis insuper peculiares honores vel privilegia concedantur », omittantur, *saltem quoad honores,*[3] et quidem propter sequentes rationes, quae sunt inter se connexae.

1. Verum est sacerdotes et episcopos humanos remanere. Verum est quod solent homines honoribus allici. Ideoque decursu temporum, praxis

Ecclesiae sat intricatum cursum honorum evolvit, cum insignibus et titulatura.

Sed his praesertim diebus multi episcopi, sacerdotes et laici opinantur has concessiones humanae naturae factas limites excedere, et potius spiritum aulae imperialis redolere. In Evangelio relegunt quae de hac re Christus Dominus et Magister non tantum pharisaeis, sed et apostolis suis dixit, et mirantur quomodo cultus honorum videatur quasi organizari apud illos qui mundum relinquere dicuntur ut Deo se voveant.

2. Altissime locuti sunt in hac aula Patres conciliares de sanctitate quae hierarchiae competit. Ad hanc sanctam vocationem adimplendam Summi Pontifices Apostolicis Litteris saepe et fuse sacerdotes exhortati sunt. Inter praecipuas vero conditiones sanctitatis est recta intentio divini servitii. Nonne obstaculum obiicitur per mundanum cultum honorum qui non respondent cuidam officio? Cur tota illa gamma honorificentiarum quarum tam dives est Ecclesia?

Dignitas sacerdotalis et pontificalis tota in eo est quod quis Christum repraesentat, et non offuscanda est per fascinationem nugacitatis, per has honorificentias quas Imperator Napoleon « crepitaculum adultorum » vocabat. « Les décorationes ce sont des hochets pour adultes ».

3. Sacerdotes et episcopi in curam animarum laborantes, saepe de vitanda cupiditate et ambitione fideles admonent, ut eos in viam perfectionis dirigant. Quomodo felicem exitum habere possunt tales directiones et exhortationes si exemplum pastorum videtur esse indagatio amplioris gradus et quaesitus honorum?

4. In schemate *de Liturgia* statutum est quod « usus pontificalium reservari debet illis ecclesiasticis personis quae aut charactere episcopali aut peculiari quadam iurisdictione gaudent ». Sane, episcopi, etiam post resignationem de sede residentiali factam, charactere episcopali insigniti manent. *Ideoque verus honor et digna aestimatio eis competunt.*[4] Sed spiritus huius decreti ad evangelicam simplicitatem monet. Si *honorificentiae*[5] tolerari debent, officio sacro alligentur; secus, in oblivionem tradantur.

5. Saltem versus finem vitae, sinantur episcopi in pace se ad *obviandum*[6] Domino praeparare, quin obtendantur coram oculis eorum quae minus conferunt ad eorum perfectionem sacerdotalem et salutem aeternam.

Ob has et alias quae afferri possunt rationes, expungentur e textu quae spiritum mundanum sapiunt. Ne videatur Concilium talem modum agendi commendare.

Liceat mihi latius hoc desideratum extendere. Cum recognoscitur Codex Iuris Canonici, deleantur omnia ista quae notionem carrierismi

magis quam vocationis suggerunt. Sane optandum est ut Ecclesia in dies melius organizetur, dummodo semper fiat secundum spiritum Evangelii. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] De par. 2 n. 16, quae de renuntiatione episcopi agit pauca verba facio. [2] res. [3] deest. [4] deest. [5] honores ut malum quoddam necessarium. [6] obviam eundum.

[*Subsignaverunt etiam*] J. Marcus Gopu, arch. Hyderabad (India); Dominic Athaide, arch. Agraen. (India); J. Rosario, ep. Amravatensis; Simon Lourdusamy, ep. aux. Bangalorensis; Alb. V. D'Souza, arch. Calcuttensis; Thomas Fernando, ep. Tuticorinensis; F. X. Muthappa, ep. Coimbatorensis; J. Mendonça, ep. Tiruchirapolitanus (India); B. Mudartha, ep. aux. Ihansi (India); L. T. Picachy, ep. Jamshedpurensis (India); Lawrence S. Nagae, bish. Urawa (Japan); P. Alban Swartbrick, PA Jullundur; L. G. Pereira, Bombay aux.; Michael Aruttukulam; Michael Olçomendy, arch. Singapore; Francis Chan, bish. Penang; B. Vendargon, ep. Kuala Lumpur (Malesia); Arutswamy Daniel; J. M. v. d. Burgt, arch. Pontiniakensis.

2

Exc.mus P. D. IOSEPH BUSIMBA
Episcopus Gomaënsis

Rev.mi Patres conciliares,

Nomine decem episcoporum congolensium aliquas animadversiones cupio facere circa cap. II decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine.* Temporis pretii causa breviter loquar.

Omnes nos mentem adhuc habemus verba quibus utebatur Summus Pontifex Ioannes XXIII ad finem huius Concilii Oecumenici definiendum: Concilium debet esse « aggiornamento », i. e. principium reformationis Ecclesiae, tam internae quam externae, ad maximum animarum bonum, quae est suprema lex Ecclesiae agendi.

In regionibus nostris, populus, magno cum gaudio nuntium Concilii recepit, et cum magna attentione et maxima spe laborum Patrum Concilii successum expectat.

Episcopi congolenses ergo, ex conscientia, suum esse existimant clare eorum sensus exprimere circa nominationem, in eorum natione, episcoporum auxiliarium.

Ad maximum evangelizationis progressum et ne decipiamus populum nostrum, duas res putamus necessarias: 1. ut multiplicentur episcopi ex populo nostro exorti; 2. quoad episcopos auxiliares, omnino nostram facimus mentem ab exc.mo D. Tchidimbo nuper declaratam: ne, sine aliqua gravi pastorali ratione, amplius episcopi auxiliares nominentur.

Praeter rationes in hac aula iam expositas, quasdam volumus adiicere.

1. Populus noster notionem episcopi auxiliaris eamdem non habet quam possunt concipere populi in antiquioribus ecclesiis *notionem*.[1] In eius mentalitate unum tantum potest pagus habere ducem.

Post grandes consecrationis caeremonias in quibus omnia ducis et pastoris insignia solemniter novo episcopo remittuntur, populus noster non intelligit cur novus electus plenam responsabilitatem, sollicitudinem et auctoritatem non habet.

2. In natione sui iuris, ubi laici rem publicam regunt et moderantur, nominatio africanorum ut episcoporum auxiliarium episcopis peregrinis consideratur ut defectus confidentiae in africanos presbyteros et, ut ita dicam, ut quaedam species diffidentiae erga populi ingenium proprium...[2] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Quapropter humiliter proponimus ut, in posterum, non iam nominentur episcopi auxiliares, et ut situatio episcoporum auxiliarium solutionem inveniat per dismembrationem et erectionem dioecesium, vel aliter.

[*Subscripserunt etiam*] Pierre Kimbondo, ep. Kisantu; Thomas Kuba, ep. Mahagi; Ioseph Malula, ep. aux. Léopoldville; Raymond Ndudi, ep. aux. Boma; Alex Nzundu, ep. aux. Kikwit; Simon Nzita, ep. aux. Matadi; Louis Nganga, ep. aux. Lisala.

Moderator: Loquatur nunc exc.mus D. Ioseph Melas, et postea fit transitus ad disceptationem de cap. III, in qua ut primum loquatur em.mus D. card. Franciscus Spellman, arch. Neo-Eboracensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

3

EXC.MUS P. D. IOSEPH MELAS
Episcopus Nuorensis

Venerabiles Patres,

...[1] Quae *modo* [2] dicturus sum ad ea referuntur quae iam antea quidam dixerunt.

Quando in hac solemni aula Pater quidam loquitur, bene novit se plus quam bis mille auditores habere, aetate et experientia maturos, et undique e toto orbe selectos.

Decorum quidem et honorificum est hic coram amplissimo Ecclesiae Senatu loqui, et a tot praeclaris viris audiri. At neminem fugit omnes

qui adsunt non tantum auditores esse, sed et iudices, et censores, et quandoque reprehensores, immo et obtrectatores! Quod quidem ad me primum ipse refero, sive multoties et quotidie et continuo audientem et notas mihi scribentem, sive semel loquentem. Nec celare possum me nimio affici gaudio quoties Patres Conciliares verba faciunt sapientiae plena, scitas ratiocinationes, et doctas argumentationes promentes. Haec maxima aula quasi schola, immo et velut palaestra nobis apparet in qua tot magistri docent, et totidem alumni discunt, sed omnes veritatem uno corde vehementer quaerunt.

Quae cum ita sint miror quosdam quandoque, his praesertim novissimis diebus, quaedam protulisse verba quae veritatem, ut decet, non verentur. Parcite mihi, Patres, minime mihi in animo est ceteros iudicare, aut eorum voluntatem damnare quam semper rectam et bonam aestimandam puto, sed tantum ad ea me referre verba quae auribus nostris audivimus, quae hic coram ...[3].

Moderator: Loquaris de cap. II, exc.me Domine.

Orator: *Statim venio ad verba. Gaudemus et laetamur in cap. II nostri schematis,*[4] argumenta proponi ad disceptandum quae abhinc multos annos mentem angunt, ut puta de aetate statuenda qua episcopi de dioecesis regimine cedant, quod praesertim ut monitum existimandum est ut ita dicam indicativum. Non enim magis interest aetatem ipsam proprie statuisse quam principium potius asseruisse, nec supra modum extollenda sunt incommoda quae exinde provenire timentur. Etsi praevisa dispositio non ad amussim ad effectum adduceretur, non sine pondere monitum tamen maneret quo scirent omnes ita dispositum esse.

Principium generale omnino excipiendum esse puto, quod in par. 16 continetur, quo nempe statuitur episcopos residentiales, ceterosque in iure ipsis aequiparatos, qui ob permanentem valetudinis defectum vel ob ingravescentem aetatem aliamque gravem causam, implendo pastorali muneri minus apti evaserint, rogari debere ut, ob Dei atque animarum amorem sponte renuntiationem ab officio ipsi faciant, quando fieri non potest ut recto dioecesis regimini provideri possit per coadiutorem vel auxiliarem.

Propono tamen ut aetas non certo ad annum 75 statuatur, sed etiam potius ad annum 80, firma tamen S. Sedis facultate eamdem anticipandi *vel*[5] annum 75, vel etiam antea si casus ferat, quando nempe praevisae condiciones prius maturescant. Sic enim melius vitabuntur aetatis fatalia, et qui per annos et decennia dioecesim praeclare rexit novum cumulabit honorem si de regimine cedat et eius locum alius occupet qui animas dirigat renovato vigore.

Celebratio Concilii Oecumenici optima est occasio minime praetereunda ut hoc solvatur problema quod amplos obtinebit repercussus et in clero dioecesano, cum de parochis substituendis agetur.

Nec probanda mihi videtur eorum opinio qui nullum terminum definiendum putent et episcopum tamdiu dioecesim suam regere posse dum vixerit, nulla habita ratione aetatis aut valetudinis. Nec valet exemplum afferre quorumdam Summorum Pontificum qui universam Ecclesiam regere perrexerunt etiam post nonaginta annos transactos. Notandum enim in nostro schemate de episcopis tantummodo agi qui fere tria millia toto in orbe sunt, et a Concilio celebrando, ut audivi, plura centena episcoporum absunt, forsan ultra sexcenti, generatim ob infirmam valetudinem aut senectutem; non agitur autem de Summo Pontifice qui unus pro tota Ecclesia est, qui certissime sub lege non cadit, qui insuper extra ordinem omnino putandus est, et ut experientia docet, specialissime gaudere censendus est gratia status et insuper in suo supremo explendo munere, etiam quando et valetudine et aetate adhuc valet, — omnes norunt undique et multipliciter a tot adiuvari praelatis, ita ut in casu infirmitatis aut senectutis, Ecclesia damnum vix aut iniuriam pati poterit; nec ceterum excludendum est etiam Supremum Pastorem, si Dominus ita permiserit, posse et ipsum Summo Pontificatui renuntiare absque mea aut vestra sententia, et Oecumenicum Concilium minime *interpellat.*[6] *Cetera scripto tradam.*[7] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Antequam verba faciam quae hoc schematis caput respiciunt, sinite, quaeso, quaedam me praemittere quae generalia quidem sunt et summam totius schematis tangunt. [2] vero. [3] prolata sunt et ideo ad omnium audientium iudicium quodammodo oblata et subiecta, quae tandem ad respondendum fere provocant, et velut ad pugnam lacessunt. Actio enim et obnoxa voluntas (italice « azione e reazione ») aequales et congruentes sunt. Supervacaneum est animadvertere, quotiescumque veritas laeditur et nos ipsos omnes offendi et quasi intoleranda iniuria vexari. Iure igitur meritoque palam respondendum censeo his quae hic dicta sunt, et duplici ratione: prima ut veritas aperte declaretur et pateat, et secundo ne quis putet sibi licere quaecumque proferre errata, neve eadem ab omnibus admitti cum ab eis toto corde dissentimus. Nihil mirum ab omnibus iudicari qui omnibus loquitur. Me non latet iudicium iustum Deum proferre posse tantummodo pro summa aequitate qua pollet; at nonnulla et homines diiudicare queunt quibus Creator vestigii sui tantillum indidit, quos ad imaginem et similitudinem suam creavit. Gratias agimus et gaudemus in hoc solemni Patrum consessu maximam vigere loquendi libertatem, et omnes eadem aequalitate potiri. Quae Ordo Concilii Oecumenici celebrandi statuit omnes novimus: omnes qui verba facere postulant nomina sua antea praesignificare debent, et per decem tantum momenta, immo nunc octo minuta dumtaxat, loqui fas est. At, si fieri posset, interdum illico respondendum esset, nulla interposita mora, post audita verba quae animum vehementer quandoque commovent, et perturbant. At

iusculum, ut aiunt, non tantum calidum sed et frigidum sorbetur. Audivimus ergo, et pluries, in hac aula, lamentationes, accusationes, censuras, reprehensiones, velut ignita iacula, contra Romanam Curiam coniecta et praesertim novissime contra Supremam S. Officii Congregationem. Pro veritatis amore solummodo loquar, teste mihi Domino, ideoque superfluum censeo a vobis quaerere ut mihi credatis nullam mihi esse mentem ut cuiusdam personae vel officii defensionem suscipiam, quod non esse meum fateor, quod immo temerarium esset, nec quemquam ceterum mea defensione egere patet. Nec me retrogradum, ut aiunt, putetis, nec rerum conservandarum studiosum (italice « conservatore »), quia et ipse contra lamenta protuli. At qui hucusque locuti sunt, saepe saepius partem solummodo negativam prae oculis habuerunt, omnimode praetermissa parte positiva, culpas si quae sunt, et forsan iniurias sibi illatas, respicientes, sed multa beneficia ignorantes. « Peras imposuit Jupiter nobis duas », ut Aesopi fabula refert: quo fit ut aliorum vitia facile videamus eaque aliquando amplificata, nostraque vero post terga mittamus. Verum oculos nobis duos in fronte fixit Dominus ut omnia attente videre possimus, ne facile decipiamur. In Romana Curia defectus esse nemo qui videt negare poterit, eosque emendandos et corrigendos unanimiter petimus. At sunt multa quoque bona; nec ego paucis offendar maculis ubi plura nitent. Et Summus Pontifex Paulus VI, quem Dominus sospitet, ipse promisit atque spopondit Romanam Curiam minime esse quid irreformabile. Et prudentia atque veritas id postulant ne defectus et difficultates amplificentur quia facilius corriguntur quae revera sincere proponuntur, cum e contra difficilius obtinentur quae falsitate inficiantur. Quaedam latius et inflatius dicta, si forte in scriptis edenda essent, et facultatem quis peteret ea prelo imprimendi, quisnam nostrum talia permitteret publici iuris fieri quae nosmetipsos haerentes faciunt? Quaedam denique dicta sunt quae Romani Pontificis auctoritatem et dignitatem laedunt quasi ipse quoddam impedimentum esset et obstaculum ne unitas christianorum fiat! Facilis accusatio, quia verbis prolata, sed inepta et fundamento carens et opinionibus infecta. Sed facilior responsio quia factis et saeculorum historia probata. Nimis esset longum de hoc morari et singula persequi. Placet tamen Patres rogare qui talia locuti sunt ut historiae libero animo studeant, praesumptam suspicionem deponant et humilitatem colant, veritatem facientes in caritate. Quodsi tantum centesima pars, aut etiam millesima, illius humilitatis et virtutis inveniretur apud quosdam fratres orientalium Ecclesiarum quae in Romano Pontifice fulget, ut omnes facile comprobare potuerunt praesertim cum adhuc viveret Summus Pontifex Ioannes XXIII i. m., et cum iterum Concilium Oecumenicum Paulus VI die 29 septembris aperuit, tunc certissime saepta et valla in pulverem ruerent quae ignorantia potius et superbia aut praeiudicatis opinionibus exstructa sunt. Nec nos latere potest universos Ecclesiae filios toto corde ad hanc aulam oculos iamdiu convertisse, et permagna a Patribus exspectare. Tantam decipere spem nefas est! [4] Nunc autem pauca de cap. II nostri schematis, in quo laetamur. [5] ad. [6] interpellato. [7] Nunc autem alia animadversio quae ad suffragationis disciplinam pertinet.

Quandoque Patres ad suffragationem exprimendam invitantur non tantum de quibusdam schematibus aut schematis articulis sed etiam ad stabiliendum num argumenta quaedam ponenda sint vel non in disceptationem; sed quae ponuntur quaestiones tales saepe sunt quae distinctionem prius exigant quam ad suffragationem subiiciantur, ut accidit quando die 30 elapsi mensis congregationis generalis

suffragiis quinque oblatae sunt propositiones ut Patrum mens dignosci posset. A Patribus tunc exquisita est suffragatio per « placet » aut « non placet », dum e contra plures distinguere voluissent, ut v. g. in casu diaconatus instaurandi. Et ideo qui dixit « placet » dimidiam tantum suae mentis partem exponere potuit, dum partim adprobare nolebat; et similiter e contra pro his in quibus « non placet » dixerunt! Si quando iterum idem fortasse contigerit melius erit ut suffragatio fieri possit etiam per « placet iuxta modum » et tunc sententia nostra clarior patebit. Nonne magistri nostri ita nos docuerunt cum in cursu philosophiae logicae studebamus? Antequam respondeas, distingue saepius!

P. S. Denique sinite me aliam considerationem adiungere, ad modum appendicis, quae nec schema nostrum respicit nec ad hoc caput refertur, sed aliquomodo ad Concilium certissime pertinet.

Quando in initio generalis congregationis sacrosanctum Missae sacrificium ritu latino celebratur, et Missa « de Spiritu Sancto », fere quotidie recitatur, exc.mus celebrans, dum Evangelium legit et Domini verba recitat, hoc mendum facile audire est: « *Sermonem* quem audistis non est meus »...!

Potestne recte dici « Sermonem non est meus »? Nonne dicendum, ut patet, « *Sermo* ... non est meus »?

Haud dubium quin celebrans ita inconsiderate legat eo quod textus in libro taliter mendosus prostat.

Quod anno quoque praeterito, Concilio primitus ineunte, acciderat, et de re coram ipse conquestus sum, quin tamen error tolleretur.

Videretur ergo citius tandem error corrigendus qui plurimorum aures offendit qui latinum idioma, etsi paululum, norunt, quorum quidam etiam inter Observatores certissime sunt, et omnium nostrum interest ne cui risum moveamus, neve ludibrio simus! Quae significans, gratias agam si incommodum demum quis removere voluerit.

[*Subsignaverunt etiam*] Iacobus Canonero, ep. Astensis; Giovanni Proni; Franciscus Monaco; Giang. Luigi Marinoni.

4

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Conferentiae episcoporum, quae iam habentur in omnibus, vel fere omnibus nationibus, certe valde utiles sunt quia ex ipsis praeclara lumina omnes trahunt ad varias quaestiones communes solvendas. Attamen, *meo iudicio,*[1] non esset bonum conferentiis tribuere potestatem aliquid decernendi *cum iuridica obligatione* pro singulis episcopis.

Necesse enim est ut episcopi omnino liberi maneant in regimine suae dioecesis, quamvis moraliter — non quidem iuridice — oporteat ut in rebus quae pertinent ad totam nationem cum reliquis episcopis consentiant.

Decreta cum vi obligatoria relinquantur Conciliis plenariis et provincialibus, quibus praeest Legatus Apostolicus ...[2]. Nec haec eadem decreta promulgari possunt ...[3], antequam probata sint a S. Sede.

Si conferentiae episcoporum gauderent iure decernendi iuridice, scil. cum vi obligandi, et quidem sine praesentia Legati Apostolici, auctoritatem haberent superiorem auctoritate Conciliorum, quod absonum esset. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (cf. can. 2816 I.C.). [3] (cf. can. 291 I.C.).

5

Em.mus P. D. IOSEPH card. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Fratres,

Habemus in Germania quoad nationales conferentias experientiam plusquam centum annorum. Prima conferentia fuit anno 1847. Post viginti tantum annos prima statuta data et constituta sunt, quae non approbationi Sedis Apostolicae subiiciebantur. Per praxim tradebantur et adhuc sunt in vigore.

Decisiones harum conferentiarum Fuldensium non habebant nec habent vim iuridicam, sed unusquisque episcopus regit suam ecclesiam iuxta conscientiam suam et iuxta normas iuris.

Non habemus secretariatum generalem, sed praeter praesidem exstat secretarius qui facit protocollum; ceteri labores ante et post conferentiam fiunt in vicariatu generali praesidis.

Hoc modo liberiori sat magna opera effluxerunt ex nostris conferentiis, e. g. post ultimum bellum comitatus centralis pro actione catholica in tota Germania, opus a Nicolao Cusano nuncupatum pro adiuvandis et catholice formandis studentibus laicis durante studio universitario, opus pro aedificandis ecclesiis et scholis in regionibus diasporae Germaniae, opus « Misereor » contra famem et infirmitates in mundo, opus « Adveniat » quod respicit ad curam animarum in America Latina.

Similes et florentes conferentiae exstant in aliis regionibus, e. g. in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, in Canada, in Gallia, et in multis aliis nationibus Europae, ex quibus sat magna opera, immo maiora quam nostra, exierunt in bono communi humanitatis.

Ex nostris experientiis elucet summum momentum in his conferentiis non habere statuta scripta et impressa, sed spiritus qui debet esse spiritus libertatis, voluntarietatis et caritatis fraternae.

Quapropter, assentiendo iis quae dixit em.mus card. Spellman, has emendationes proponere audeo:

Ad n. 18: ne multiplicentur provincialia concilia, sed fiant opportuno tempore sicut concilia plenaria. Ad verba « Constituatur conferentia nationalis » addatur: « cuius praeses a membris eligatur unus ex episcopis residentialibus ».

Nn. 20 et 21 expungantur, sed remittatur libertati uniuscuiusque conferentiae an velint condere consilium permanens, commissiones, et secretariatum generalem.

Ex tali secretariatu generali condendo imminere videntur non pauca pericula. Quis enim erit revera spiritus rectus in his conferentiis: an episcopus praesidens an secretarius generalis, qui forsitan non est episcopus vel episcopus residentialis? Timendum, ne minores dioeceses cadant in ditionem aliquam alicuius praelati qui nomine secretarii generalis omnia dirigit et etiam pecunias distribuit.

Expungatur etiam punctum 23 quod agit de episcopo non agente secundum decisiones, quia non digna episcopo esse videntur.

Ad punctum 24, qui agit de decisionibus vim obligatoriam habentibus, restringantur hi casus ad minimum. Primae phrasi addatur habendas esse duas lectiones eiusdem materiae ante votationem et quidem diversis diebus, ne subitanea propositione alicuius schematis episcopi opprimantur. Remaneant ex quatuor incisis *a*) usque *d*) tantum *a*) et *c*), i. e., res quae communi iure vel e mandato speciali Apostolicae Sedis conferentiis commissae sint; et *c*), res in quibus tractatur cum gubernio civili.

Venerandi Patres, servate in conferentiis nationalibus singulorum libertatem et omnium caritatem, ne occidat littera, sed spiritus vivificet. Dixi.

Textus scripto traditus:

Quoad conferentias nationales in Germania habemus experientiam plus quam centum annorum.

Statuta provisoria episcopi conferentiis suis dederunt anno 1867, viginti annos post primam conferentiam. Aliquot post annos statuta definitiva facta sunt, sed approbationi Sedis Apostolicae non sunt subiecta. Haec statuta per praxim tantum tradebantur. Singulae conferentiae inter se non coalescebant in institutum stabile, sed unaquaeque conferentia in se et pro se stabat, ita ut semper sermo fuerit de conferentiis in plurali non de una stabili conferentia.

Decisiones non habent vigorem iuridicum, sed unusquisque episcopus secundum suam conscientiam et normas iuris regit Ecclesiam suam. Revera autem fere semper omnes se voluntarie conformant decisionibus conferentiae.

Hoc modo opera satis magna ex conferentiis prodierunt, e. g. ultimis annis comitatus centralis pro actione catholica in Germania, opus a Nicolao Cusano nuncupatum pro studentibus laicis bonis dotibus mentis praeditis adiuvandis, opus pro ecclesiis et scholis in regionibus diasporae aedificandis, opus « Misereor » contra famem et infirmitates in mundo, opus « Adveniat ».

Similes et florentes conferentiae ex longo tempore exstant in aliis regionibus, e. g. in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, in Canada et in pluribus nationibus Europae centralis, ex quibus opera non minus magna immo maiora profluxerunt.

Secundum nostras experientias summum momentum in conferentia non habent statuta iuridica sed spiritus, qui debet esse spiritus libertatis, voluntarietatis et caritatis fraternae.

Quapropter has emendationes proponere audeo:

1. Quoad n. 18 ne multiplicentur Concilia provincialia, sed sicut Concilia plenaria opportuno tempore habeantur. Verbo « nationalis episcoporum conferentia » addatur « ..., cuius praeses a membris eligatur unus ex episcopis residentialibus ».

2. Statuta ne subsint approbationi Sedis Apostolicae.

3. Deleantur nn. 20 et 21 de Consilio, commissionibus et secretariatu generali, et relinquatur singulis conferentiis libertas haec condendi vel non. Ex secretariatu generali erigendo magna pericula imminere videntur. Quis enim erit verus praeses conferentiae, episcopus praesidens an secretarius generalis, qui forsitan non est episcopus residens? Timendum, ne praesertim dioeceses minores in dicionem alicuius praelati cadant, qui sub nomine secretarii generalis omnia dirigit et pecunias distribuit.

4. Deleantur ea, quae dicuntur in n. 23 de episcopo contra decisiones conferentiae agente, quia digna episcopo non sunt.

5. Quoad decisiones iuridice obligantes addatur duas lectiones, et quidem diversis diebus ante votationem esse habendas, ne subito opprimantur episcopi. Incisa n. 24 *b*) et *d*) deleantur, ut remaneant tantum *a*) et *c*), i. e.: *a*) si agatur de rebus, quae a iure communi vel mandato speciali S. Sedis conferentiis commissae sint, *c*) si agatur de rebus cum Gubernio civili tractandis.

Venerabiles Patres, servate in conferentiis nationalibus singulorum libertatem et omnium caritatem, ne littera occidat, sed Spiritus vivificet.

Emendationes.

Ad I. N. 18 § 1 (pag. 14, linn. 19-24) legatur: « Praeter Concilia plenaria et provincialia, quae opportuno tempore legitime celebrari possunt, stabiliter in unaquaque natione constituatur et ab Apostolica Sede recognoscatur nationalis episcoporum conferentia, cuius praeses a membris eligatur unus ex episcopis residentialibus ».

N. 18 § 2 (pag. 14, linn. 25 s.): In textu deleantur verba « et ab Apostolica Sede probandis ».

Ad II. Deleantur §§ 20 et 21 (pag. 15, linn. 21-31).

Ad III. Deleantur § 23 (pag. 16, linn. 6-10).

N. 24 § 1 (pag. 16, linn. 12-16) legatur: « Decisiones nationalis episcoporum conferentiae, dummodo legitime et post duas saltem lectiones diversis diebus ante votationem habendas per duas ex tribus partibus suffragiorum prolatae sint necnon ab Apostolica Sede recognitae fuerint, singulos episcopos etiam iuridice obligant in his, qui sequuntur, dumtaxat casibus: ».

Deleantur n. 24 § 1 *b*) et *d*) (pag. 16, linn. 21 s. et 25-28).

6

Exc.mus P. D. MARCELLINUS OLAECHEA LOIZAGA
Archiepiscopus Valentinus

Venerabiles Patres ac Fratres,

Votum a me exponendum ac defendendum, iam heri a duobus saltem Patribus cardinalibus, *nunc a cardd. Spellman et Frings,*[1] expositum rite ac defensum fuit.

Ad recalcandum, tribus circiter minutis, absolvam.

Ut viam cuicumque Ecclesiae nationali ubique terrarum, totis viribus praecludamus, eiusdemque et umbram fugiamus, oligarchiam quamdam, ut ita dicam, episcopalem, in nationibus vitemus, et liberrimam viam ad Supremum Pastorem adeundum episcopis relinquamus. Ad quod securius obtinendum sequentes emendationes appono:

...[2] *De conferentiis moderamine.* Art. 19, § 3: haec vel similis conclusio adiungatur: « Praevideatur autem ut omnes una simul aliquando coalescant, ut vocem proferre personaliter queant ». Sic enim, magis ac magis liberos et responsabiles se sentient, magis ac magis sese inter se cognoscent; et, dum fraterne strictius convinciuntur, Supremo Pastori intimius, singillatim, uniuntur et subiciuntur.

De conferentiae decisionibus. Art. 23 ut supervacaneus supprimatur; vel, si restat, verbum « antea » expungatur; ne episcopus, *qui ob graves rationes agit,* tarde et anxie agere cogatur.

In art. 24, littera *a*) supprimantur verba: « sive ex iure communi, sive... »; cetera integre relinquendo. Item, litteris *b*) *c*) *d*), verba omnia funditus, ut iuridice obligantia, eradicentur; ut ea tantum remaneant iuridice obligantia quae S. Sedes sic disponat.

Concludo. Si de Curia Romana, mihi quidem pergrata, quae per tot episcopatus annos, validissimo semper auxilio fuit, ut perfectior evadat — omnia certe perfectibilia sunt — voces in hac aula auditae fuerunt... quid fiet, venerabiles Patres, si inter Romanam Curiam et episcopos conferentiae episcopales praedictae, non tantum — ut apud nostrates feliciter vigent — morali ac fraterna, sed aliquoties et iuridica vi

darentur? Principiis obstemus. Quae liberrimum ad Supremum Pastorem aditum, episcopis praepediant, Deus benignus avertat. Amen.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] *De conferentia episcoporum.* Art. 18 par. 2, haec vel similia verba addantur: « Huic autem menti statuta, nunc temporis vigentia, accommodentur ».

7

Exc.mus P. D. GERARDUS VINCENTIUS McDEVITT

Episcopus tit. Tigiensis, aux. Philadelphiensis Latinorum

Venerabiles Patres,

Loquor nomine proprio sed spero me exprimere mentem multorum episcoporum qui sicuti ego sunt episcopi *sic dicti* [1] mere titulares. Observationes quas profero diriguntur ad cap. III, art. 19, pag. 15, ubi agitur de iis quibus conferentiae *nationali* [2] interesse competit. In numero 1 huius articuli statuitur omnes Ordinarios locorum et coadiutores de iure et cum suffragio deliberativo ad nationalem episcoporum conferentiam pertinere. Vere dignum et iustum est. Sed in numero 2 huius articuli conatus fit decernendi quid faciendum sit de iis qui sunt episcopi *mere* titulares. Et revera benigne decernit hos *posse* cooptari in nationalem episcoporum conferentiam, et si cooptentur, *posse* habere suffragium deliberativum aut consultivum tantum.

Omnia haec mihi videntur absona esse. Cur? *Recenter* [3] em.mi moderatores proposuerunt Patribus conciliaribus varias propositiones ad hunc finem ut per suffragationes adaperiatur propensio congregationis circa propositas quaestiones. Ex suffragationibus factis placuit Patribus ita apparari schema ut dicatur episcopalem consecrationem summum gradum sacramenti Ordinis constituere, ut dicatur omnem episcopum legitime consecratum, etc., membrum esse corporis episcoporum, ut dicatur corpus seu collegium episcoporum in munere evangelizandi, sanctificandi et pascendi succedere collegio apostolorum et ipsum una cum capite suo Romano Pontifice et numquam sine hoc capite, etc., plena et suprema potestate in universam Ecclesiam pollere, ut dicatur tandem praedictam potestatem ipsi collegio episcoporum capiti unito competere iure divino.

His praedictis, quaero *imprimis,* [4] quomodo possimus uti voce « mere » relate ad episcopos titulares. Si hae suffragationes manifestant mentem Patrum et si fiet in posterum mens huius Concilii, haec vox « mere » debet deleri ab hoc articulo et ab omnibus documentis huius Concilii.

Est ipsa consecratio episcopalis quae valet et nihil aliud. Nulla distinctio invenitur in his propositionibus et suffragationibus, et nec nos distinguere debemus.

Propter easdem rationes, nempe, illas propositiones quae placuerunt Patribus, nescio omnino quomodo hic articulus possit dare episcopis titularibus solummodo possibilitatem pertinendi ad conferentiam episcoporum propriae nationis. Est mens Concilii ut episcopus facilius cooptetur in collegium episcoporum quam in conferentiam nationalem episcoporum? Sed quilibet episcopus vi ipsius consecrationis episcopalis fit membrum collegii episcoporum, non autem secundum hunc articulum membrum conferentiae episcoporum nationalis.

Et, si episcopus titularis cooptetur in conferentia episcoporum, adhuc remanet quaestio de suffragii iure quo fruatur. Episcopi titulares, *secundum C.I.C.,*[5] non habent ius participandi in Concilio Oecumenico nisi invitentur, *quae praescriptio mea humili opinione etiam mutari debet*[6]; sed si invitentur *ad Concilium Oecumenicum*[7] C.I.C. concedit eis praesumptivum suffragium deliberativum nisi aliud caveatur. Etiam hic vidimus episcopos titulares posse facilius participare in Concilio Oecumenico quam in conferentia episcoporum propriae nationis. Si omnes episcopi vi ipsius legitimae consecrationis episcopalis fiunt membra collegii episcoporum et in hoc collegio una cum capite plena et suprema potestate universam in Ecclesiam pollent, haud concipi potest possibilitas excludendi episcopos titulares a conferentia nationali episcoporum.

Debeo confiteri me non posse intelligere rationem agendi quorumdam Patrum conciliarium, em.mis cardinalibus non exceptis: tantum laborant, tantum loquuntur pro collegialitate omnium episcoporum una cum capite in Ecclesia universa regenda — et in hoc plene assentior — sed eodem tempore iidem Patres nolunt dare episcopis titularibus, auxiliaribus, ullam participationem in regimine dioecesis vel in conferentia episcoporum nationali. Mea opinione accessorium sequitur principale, et principale mea opinione est collegium episcoporum.[8]

Proinde propono: 1. ut vox « mere » expungatur ab hoc articulo, nec amplius adhibeatur relate ad episcopos titulares; 2. ut omnes episcopi titulares in natione degentes et — *attendatis bene*[9] — aliquod munus *in natione*[10] implentes, *e. g. episcopus auxiliaris,*[11] de iure pertineant ad nationalem episcoporum conferentiam; 3. ut omnes *hi episcopi titulares supra descripti*[12] fruantur in conferentia nationali suffragio deliberativo saltem eo sensu quo C.I.C. eis concedat pro Concilio Oecumenico.

Concludendo, observationes meae non diriguntur contra ideam con-

ferentiae episcoporum nationalis quae mihi *in genere et secundum mentem em.mi card. Meyer* [13] placet, nec contra conferentiam episcoporum nationalem in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, in qua omnes episcopi sunt membra et quidem cum suffragio deliberativo. Sed si art. 19 remanet sicuti est, timeo ne in posterum mutationes fiant, forsitan etiam in Statibus Foederatis.

Multi episcopi titulares sedes habent, me haud excepto, in loco deserto sitas, sed ex hoc non sequitur nos esse voces clamantes in deserto. Ni fallor, nos sumus potius voces clamantes in Concilio et debemus esse etiam voces clamantes in conferentiis *nationalibus* [14] episcoporum. Dixi. [*Plausus*].

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] Hisce in diebus. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] episcopi titulares. [13] deest. [14] deest.

Moderator: Omittantur plausus omnes!

8

Exc.mus P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

Venerabiles Patres,

Hesterna die [1] de hoc cap. III vobis locutus sum tamquam relator officialis, a commissione conciliari de episcopis legitime designatus per secretorum suffragiorum plus quam duas tertias partes, necnon designationem acceptans postquam, nemine contradicente, generali ratione exposueram quanam mente intenderem schema proponere ac declarare in aula: ergo, ut videtis, servato adamussim art. 65 § 5 Ordinis Concilii.

Quodsi aliquis vestrum explicitam mentionem Bullae Pii VI *Auctorem Fidei,* quae in pag. 12 relationis habetur, veluti in nescio quem contumeliosam acceperit, sciat oportet, ad formulam principii fundamentalis de potestatibus episcoporum concinnandam, revera commissionem praeparatoriam multum disceptasse in sessionibus plenariis diebus 26 aprilis et 28 septembris 1961 sub luce illius Bullae, ne videretur, licet specietenus tantum, ipsa agere velle de restitutione iurium nativorum episcopalium quasi de redditione iniuste ablati, aut de redintegratione episcoporum quasi de ordinis violati restauratione: quod iniustum fuisset, atque pro Romano Pontifice iniuriosum.

His dictis ad veritatem rerum constabiliendam, nunc loquor tamquam privatus Pater conciliaris, nomine tamen quoque 30 episcoporum plurium nationum, quorum subscriptio in folio exhibetur.

Id unum declarare intendo: institutum conferentiarum episcopalium nationalium non esse fundandum — ut quidam oratores iam affirmarunt *in disceptatione generali*[2] — super principium sic dictae « collegialitatis episcopalis iuris divini ». Etenim:

1. In actuali stadio laborum conciliarium id omnino fieri *non debet.* Illegitima enim est provocatio, quam satis superque audivimus, ad suffragationem diei 30 octobris ob rationes substantiales allatas ab em.mis Ruffini, Browne et Ottaviani et ab exc.mo Florit. Quibus formalem quoque rationem addere velim: esse scil. dubium, meo quidem iudicio, valorem illius suffragationis, utpote quae facta sit veluti ex improviso, sine praevia duplici relatione lecta aut scripta quae argumenta omnia atque consectaria, sive pro sive contra textum suffragandum colligeret atque in aula exponeret; et — quod peius est ...[3], necnon pugnans cum art. 30 § 2 Ordinis Vaticani II — concesso Patribus temporis spatio minime congruo « ad consilia capienda, maturanda iudicia et determinanda suffragia » in re tanti momenti, eo vel magis quod de textu obscuro agebatur, aequivoco et incompleto.

2. Sed etiam in hypothesi quod asserta collegialitas episcopalis iuris divini definiatur a Summo Pontifice, sacro approbante Concilio, numquam *poterit* legitime, meo quidem iudicio, super ipsam fundari institutum conferentiarum episcopalium ob sequentes rationes:

a) *Ratio theologica.* Etsi dicantur conferentiae esse species quaedam illius collegialitatis, at in ipsis non inveniuntur tria elementa quae videntur essentialia esse illius collegialitatis, nempe: complexus omnium episcoporum; participatio potestativa, et quidem formalis, capitis collegii, scil. Romani Pontificis; negotia totam Ecclesiam respicientia.

Iamvero, si, uti evidens est, haec tria in conferentiis nationalibus desunt, perperam conferentiae dicuntur pendere a collegialitate episcopali iuris divini, sicut species a suo genere.

b) *Ratio iuridica.* In dicta hypothesi, auctoritas propria, ordinaria et immediata uniuscuiusque episcopi, in suam dioecesim — quae auctoritas a priscis temporibus veluti « monarchica » habita est — revera limitaretur, et quidem iure divino, praeterquam a Summo Pontifice (quod profecto est iustum), ab aliis quoque episcopis eiusdem nationis. Quod nemo sane episcopus paratus est admittere in domo propria: ne illi quidem qui tam facunde loquentes audivimus de collegialitate in domo aliena ...[4]. Et qui veluti duo capita, plena atque suprema pollentia potestate, in gubernio Ecclesiae universae admittere non du-

bitarunt, omnem iidem dyarchiae vel umbram a sua dioecesi avertendam esse conclamant.

c) *Ratio historica.* In conficiendo schemate de conferentiis nullus omnino sodalium commissionis praeparatoriae ne cogitavit quidem de fundamento collegialitatis iuris divini. Sed, quod maius est, neque Romani Pontifices in commendandis, urgendis atque statuto donandis conferentiis nationalibus umquam locuti sunt de fundamento collegialitatis iuris divini, sed semper et solummodo de rationibus indolis pastoralis. Legantur omnia documenta citata in notula 1, pag. 17 *nostri fasciculi.*[5]

Saepe saepius ...[6] provocatur ad quaedam documenta novissimorum Pontificum, v. g. ad Encyclicam Pii XII *Fidei donum.*

At, ut reor, perperam. Locutio illa paulina, « sollicitudo omnium ecclesiarum » ...[7], iuxta textum et contextum praeoccupationem significat quam habet apostolus pro omnibus ecclesiis a se, non ab aliis, fundatis, quarum bono et incremento prospicere debet per epistulas, per discipulos inspectores, per praedicationem, per opus consolationis, pacificationis etc.

Per quamdam accommodationem Romani Pontifices saepius illa verba applicant ad onus sibi demandatum pascendi universum Christi gregem.

Sed aliud est *sollicitudo* isto sensu intellecta, et aliud *potestas iurisdictionis.* Unde episcopi — « quantum sinit singularis ac propria ipsorum muneris perfunctio » in suis dioecesibus, ut aiebat Pius XI — revocantur per Encyclicam *Fidei donum,* ratione suae missionis ad participandam praeoccupationem actuosam in dilatatione regni Dei, minime vero ad participandam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam ...[8]. Ergo *revocantur*[9] ad morale *officium* adimplendum potiusquam ad ius sibi vindicandum.

Em.mus card. Montini, nunc Sanctus Pater noster, Paulus VI, in sermone habito pro morte Ioannis XXIII f. r., clare distinxit duas res minime confundendas: locutus est enim de — *verba sunt litteralia translata in latinum*[10] — collaboratione corporis episcoporum cum Romano Pontifice, non ad exercitium, quod profecto erit semper personale et unitarium, sed ad ...[11] responsabilitatem gubernii Ecclesiae universae.

Ceterum id suffragatur antiquissima praxi Ecclesiae. Si sermo est quandoque de collegio episcopali apud Cyprianum, Optatum Milevitanum, Firmilianum, Augustinum, ...[12] agitur semper de collegialitate in sensu, ut ita dicam, *horizontali,* scil. de complexu relationum episcoporum, praesertim eiusdem provinciae, inter se: non intenditur quidquam affirmare de collegialitate in sensu « *verticali* », scil. de relationibus cum capite visibili Ecclesiae. Insuper ista collegialitas, apud praefatos Patres,

non fundatur super aliquod Christi statutum, aut super ius divinum constitutionale Ecclesiae; non super vinculum iuridicum ex quo profluat in episcopis potestas aliqua iurisdictionis in alios episcopos, sed unice super concordiae mutuae glutinum atque unitatis vinculum, super communem nativitatem spiritualem ex sacra ordinatione susceptam.

Conclusio. Nullo modo admittenda est collegialitas episcopalis, sensu iuridico intellecta, tamquam fundamentum iuris divini pro instituto iuridico conferentiarum episcopalium nationalium. Unde, sub hoc respectu, cap. III schematis, retinendum est substantialiter prout iacet.

Censemus applicationem principii collegialitatis ad conferentias quoque episcopales invitare ad serenam rei meditationem illos Patres qui affirmative, die 30 octobris, responderunt ad puncta 3 et 4. Nam etiam ex consectariis, dignosci potest veritas aut falsitas alicuius principii!

Concedimus tamen, *denique,*[13] in prooemio huius cap. III magis ac melius posse evolvi fundamentum pastorale totius materiae, includendo in ipso etiam vinculum fraternae caritatis et mutuae collaborationis inter episcopos exsurgentis ex eadem missione a Christo accepta. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Paulo ante. [2] deest. [3] atque inauditum in Conciliis. [4] atque adeo in domo Petri, recognoscenda. [5] deest. [6] pro collegialitate episcopali iuris divini. [7] (2 *Cor.* 11, 28). [8] non exclusis regionibus in quibus iam habetur sacra hierarchia. [9] deest. [10] deest. [11] sponsionem, i. e. [12] etc. [13] deest.

[*Subscripserunt etiam*] Geraldo de Proença Sigaud, arch. Adamantinus; Marcellus Lefebvre, sup. gen. C.S.S.; Ioseph Nepote-Fus, ep. tit. Helensis; Ioannes, ep. Leiriensis in Lusitania; fr. Lucianus Rubio, Prior gen. O.E.S.A.; fr. Ioannes Prou, sup. gen. Congr. Galliae O.S.B.; fr. Iucundus M. Grotti, O.S.M., prael. ord. Acrensis et Puruensis; Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus in Brasilia; Carlos E. S. Bandeira de Mello O.F.M., bispo de Palmas in Brasil.

9

Exc.mus P. D. ALFREDUS ANCEL

Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Venerabiles Patres,

Mihi videtur aliquos ex nobis nimis tribuere iurisdictioni in conferentiis episcopalibus, alios autem forte nimis respuere omnem usum iurisdictionis. Unde vellem aliquam lucem ex Evangelio et ex experientia pastorali sumere ut melius appareat nexus inter missionem spiritualem et iurisdictionem. Aliquas tantum animadversiones proponam, habita

tamen ratione eorum quae in numero ingenti suffragiorum in aula admissa sunt.[1]

1. *Fundamentum proximum collegialitatis territorialis.* Collegialitas apostolica, quam Evangelium nos docet, prius respicit missionem et deinde tantum iurisdictionem; immo, quando agitur de evangelizandis gentibus, nulla datur iurisdictio. Missio autem implicat responsabilitatem; a. v., qui missione funguntur fideles esse debent quasi rationem Christo reddituri missionis suae...[2]

Collegialitas vero in voluntate Christi ultimatim fundatur, sed exercitium collegialitatis duplex habet fundamentum proximum. Ex una parte episcopus qui in sua dioecesi missioni sibi a Christo concreditae satisfacere non valet, quasi tenetur recurrere ad *adiutorium collegiale aliorum*;[3] ex alia parte, episcopus non solummodo tenetur missioni adimplendae in sua dioecesi, sed etiam collegialiter tenetur alias dioeceses adiuvare in necessitatibus suis. Haec responsabilitas erga alias dioeceses non pertinet per se ad ordinem iuridicum, sed ad ordinem missionis et hic ordo missionis non minor, sed maior est ordine iuridico, quamvis non sit eiusdem rationis.

2. *Aliqua exempla exercitii collegialitatis.* Nostris temporibus, ut iam in aula pluries dictum est, magis magisque manifestatur quasi impossibilitas in qua versamur sufficienter pascendi dioeceses nostras, si soli relinquimur...[4] Possemus *imprimis*[5] loqui de cogitatione collectiva, de eius multiplici aspectu, necnon de terribili eius influxu. Quasi aquae diffluentes, cogitatio collectiva omnia pervadit. Neque damnationibus, neque mediis ordinarii apostolatus cohibetur. Sola actione collegiali purificari, illuminari atque tandem evangelizari posset. Possemus etiam loqui de difficultatibus quas satis frequenter episcopi experiuntur, sive relate ad organizationes nationales laicales caritatis aut apostolatus, sive relate ad ordines et congregationes religiosas iuris pontificii, sive relate ad tot scholas doctrinales vel pastorales, quae, Deo favente, magis magisque multiplicantur. Episcopi singillatim sumpti parum vel quasi nihil possunt, sed episcopatus collegialiter organizatus alius generis possibilitatem habet; aliunde scimus laicos, religiosos, et illos omnes de quibus locuti sumus, valde exoptare *episcopatum vere*[6] organizatum, apud quem facilius regulas agendi *inveniri*[7] possent.

Insuper, dum aliquae dioeceses sacerdotibus et religiosis sat numerosis gaudent, aliae vero inopiam patiuntur. Numquid episcopi hoc ferre *possunt*[8]? Data enim collegialitate non solum suae dioeceseos unusquisque episcopus responsabilis est, sed omnium, praecipue autem quae eiusdem sunt regionis vel nationis.

3. *Sensus collegialis.* Attamen fateri debemus quod nondum sensum

collegialem sufficientem habemus. Per plura enim saecula convictio quasi unanimis haec erat: « Unusquisque episcopus plenitudinem pastoralis officii in sua dioecesi exercet, salvis casibus S. Sedi reservatis; sed nullam habet episcopus responsabilitatem in alia dioecesi ». Sane optimae relationes solebant existere inter episcopos et non raro, mutua adiutoria; haec autem ex mera caritate fiebant, sine ullo sensu responsabilitatis propriae. Hic autem cogitandi et agendi modus sive ex ignorantia collegialitatis oriebatur, sive ex confusione facta inter missionem et iurisdictionem, quasi missio terminaretur ubi iurisdictio locum non habet. Simili modo episcopi qui exigentiis missionis suae in sua propria dioecesi satisfacere non poterant, dolebant quidem, sed tacebant, Deum orantes ut eis auxilium praestaret; non autem audebant ad exercitium normale collegialitatis recurrere.

Abhinc aliquot annis, specialiter ab Encyclica *Fidei Donum,* mutatio quaedam manifestatur; sed, ni fallor, vera conversio a nobis adhuc expostulatur. Sane, qui putant se lucrum exinde facere, valde optant conversionem aliorum; at collegialitas semper mutua esse debet. Unde Concilium conversionem profundam nobis omnibus proponit. Beati erimus si vocem Domini audierimus...[9]

4. *Regulae iuridicae.* Hucusque *nihil dixi*[10] de regulis iuridicis, non quasi exercitium collegialitatis sine iurisdictione adimpleri posset, sed quia regulae iuridicae ex exigentiis collegialitatis eruendae sunt...[11]

Reliqua autem quae sive ad recognitionem huius capitis, sive ad singulas regulas iuridicas spectant, scripto secretariatui tradam...[12] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Aliquas animadversiones afferre velim circa collegialitatem non universalem, sed territorialem, quae praecipue conferentiarum episcopalium ope exercenda est. [2] Iurisdictio tandem comitatur missionem, in quantum ad adimpletionem missionis requiritur. [3] collegialitatem apostolicam. [4] Iam exc.mus D. Garrone citavit factum socializationis et consectaria eius sub respectu pastorali. [5] etiam. [6] verum episcopatum. [7] invenire. [8] possent. [9] et adhuc beatior Ecclesia, si nos omnes missionem nostram collegialiter implere volumus. [10] nunquam locutus sum. [11] Neque hae regulae multiplicandae sunt. Etenim exercitium collegialitatis territorialis potius sub aspectu adiutorii mutui ponendum est quam sub aspectu iuridico. Insuper duobus principiis fundamentalibus exercitium collegialitatis sive iuridicum sit, sive non, subiiciendum est.

Primum: Omnia in conferentiis episcopalibus fieri debent ita ut plene manifestetur communio cum Romano Pontifice et agnitio primatus eius.

Secundum: Item omnia fieri debent ut non solum non minuatur auctoritas propria uniuscuiusque episcopi, sed potius adiuvetur et augeatur. [12] 5. *Emendationes scripto traditae*:

A) *Recognitio capitis*: Caput ita scriptum est ut nullo modo connectatur cum

doctrina de collegialitate. Unde totaliter recognoscendum esset ut haec connexio vere manifestetur.

Saltem prooemium denuo scribendum esset ut in redactione huius prooemii introduci possent quae de fundamento remoto et de fundamento proximo collegialitatis diximus, necnon de sensu collegiali, adhibitis aliquot exemplis concretis.

B) *Nova redactio n. 24.*

§ 1. Conferentiae episcopales sedulo vitent multiplicationem legum et decisionum vim iuridicam habentium. Nisi agatur de peculiaribus rebus quae sive iure communi sive speciali Apostolicae Sedis mandato episcoporum conferentiae territoriali pertractandae et resolvendae commissae fuerint, aut de rebus maximi momenti, modo pastorali procedant, consilia aut monita dantes potius quam decisiones iuridicas.

§ 2. Quando agitur de rebus a iure communi vel a Romano Pontifice commissis, decisiones conferentiae episcopalis vim iuridicam obtinent, dummodo per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum proferantur.

§ 3. Quando agitur de rebus maximi momenti, de quibus locuti sumus, decisiones conferentiae episcopalis vim iuridicam non obtinent nisi per quatuor saltem ex quinque partibus suffragiorum proferantur.

§ 4. Quando in territorio habetur minoritas ethnica, quae proprium agendi modum vindicat, non possunt ei decisiones conferentiae episcopalis applicari nisi per quatuor ex quinque partibus suffragiorum huius minoritatis admittantur.

§ 5. Quando agitur de rebus sub n. 2 enumeratis, recursus datur ad Apostolicam Sedem, at in devolutivo tantum. Quando agitur de rebus sub nn. 3 et 4 enumeratis, recursus habetur in suspensivo.

§ 6. Quando agitur de decisionibus quae forte contra ius commune proferrentur, recursus ad S. Sedem est necessarius ante promulgationem. Quando agitur de aliis decisionibus, sufficit S. Sedem certiorem facere de decisionibus prolatis.

§ 7. Conferentiae territoriali competit potestas dandi interpretationem authenticam decretorum Conciliorum plenariorum eiusdem competentiae territorialis.

10

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN
Episcopus Canariensis

Venerabiles Patres,

Circa quaestionem hanc — haud parvi quidem momenti — de nationalibus episcoporum conferentiis, duo mihi omnino necessaria videntur.

1. Ut sanctum et inviolabile sit *conferentiis nationalibus,*[1] principium subsidiarietatis, in ordine ad servandam intactam et incolumem potestatem uniuscuiusque episcopi in sua dioecesi, et liberum omnino eius exercitium in ipsa, iis tantum *modo* [2] exceptis, quae Romanus Pontifex sibi reservavit.

Hoc exigit ab omnibus, praedictum subsidiarietatis principium.

Et eo magis debent conferentiae nationales sancte servare hoc principium relate ad episcopos, quod hodie tela diriguntur non praecise contra coetus episcoporum, sed contra singulos episcopos, « prout ipsi pastores sunt gregis sibi concrediti », ut verbis utar insignis Pii XII. Et tela diriguntur scopo cohibendi potestatem episcoporum.

Iamvero — reverenter dico —, absonum videtur quod nunc, quando adversarii ab extra intendunt cohibere potestatem singulorum episcoporum, hic, in hoc Concilio Vaticano II, quod existimatur Concilium exaltationis et glorificationis episcoporum, instituatur novum quoddam organum iuridicum, hactenus inauditum, cuius scopus sit cohibere potestatem et constringere libertatem episcoporum, qui in conferentiis nationalibus *adunantur et*[3] in minoritate inveniuntur, juridice obligantes eos submitti novo iugo iuridico, quod hactenus numquam portaverant.

Et quoniam illi qui hodie in maioritate sunt, cras, in alia quaestione, in minoritate inveniri poterunt, et de facto non semel invenientur, iam in posterum omnes episcopi dicere poterunt, sese inde a Concilio Vaticano II, obstrictos fuisse novo quodam vinculo iuridico, a quo, antea, liberi erant; atque, proinde, ante Concilium Vaticanum II, maiorem libertatem episcopalem habuisse, in exercitio suae potestatis iuris divini, quam post Concilium Vaticanum II.

Et totum hoc adeo absonum, absque ulla necessitate, prouti luculenter demonstrant conferentiae illae nationales praestantissimae, de quibus hoc ipso mane audistis; conferentiae illae, dico, in quibus numerosissimi episcopi congregati, nullo omnino vinculo iuridico constricti, sed plena omnino libertate episcopali, singuli agentes, perficiunt magnifica illa splendidissima et fructifera opera, omni laude et plausu digna, et quorum aliqua, adeo honorificis verbis in hac ipsa Basilica *Vaticana fuerunt paucis abhinc hebdomadis*[4] prosequuta.

2. Et merito quidem. Nam ad obtinendam unitatem episcoporum, quam, totis viribus, intendit schema nostrum, necesse non est recurrere ad nova instrumenta *iuridica,*[5] neque ad aliud principium, praeter illud quod ab ipso Christo Domino institutum fuit.

Adest enim in Ecclesia unus, qui ad statuendam, et usque ad finem mundi continuandam unitatem episcoporum, fuit a Christo Domino constitutus, videlicet Petrus, atque proinde Romanus Pontifex, qui, ut successor Petri, est unitatis episcoporum principium et fundamentum, atque, ad hoc munus exercendum, potestate iuris divini praeditus.

Iamvero, si umquam alias, hodie facillima est Romano Pontifici huius sui muneris adimpletio, tum propter celerrimum epistolarum commercium — loquor verbis em.mi praesulis commissionis —, tum propter brevissimum tempus quo longissima conficiuntur itinera, tum propter

multiplicationem aliorum mediorum, quibus tam S. Sedes quam episcopi, uti possunt.

Non ergo apparet necessitas novi instrumenti iuridici, quale essent conferentiae nationales, vi iuridica praeditae, ad unitatem episcoporum stabiliendam.

Meminisse iuvabit quod semper ac episcopatus alicuius nationis, principium propriae unitatis, vel extra, vel longius a Romano Pontifice quaesivit, non devitavit incidere sub influxu potestatis civilis.

Memoria recolantur tot tristissimae paginae historiae ecclesiasticae, in quibus, exorta dissensione inter Ecclesiam et civiles potestates, coetus episcoporum nationales, sub influxu harum potestatum, Caesari dederunt ea quae sunt Dei.

Si ergo in Conferentiis episcopalibus de quibus agimus, in aliquo casu, nequeat, libero omnium consensu, obtineri unitas, et ipsa prorsus necessaria sit, patet facilis recursus, *et* [6] non in devolutivo tantum, ad Romanum Pontificem, cuius vel simplici nutui facilius et iucundius omnes dissentientes sese submittent, quam decisioni maioritatis, per maioritatem numericam *votorum,* [7] suam voluntatem *imponenti.* [8]

Conferentiae ergo episcoporum, quotquot necessariae sint.

Sed cum plena libertate et omnimoda independentia uniuscuiusque episcopi, sub *solo* Romano Pontifice, *et simul* [9] cum plena libertate et omnimoda independentia ipsius Romani Pontificis ... [10] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ipsis. [2] deest. [3] deest. [4] fuerunt. [5] deest. [6] sed. [7] deest. [8] imponentis. [9] sicut et. [10] Votum. 1. Penitus deleantur numeri sive art. 22, 23 et 24 huius cap. III. 2. Inde ab ipso titulo, et per totum caput, substituantur vocabula « nationalis » et « nationales » per « regionalis » et « regionales » vel « plenaria ». Et nomen « nationis » per nomen « regionis ».

11

Exc.mus P. D. AEMILIUS MAURITIUS GUERRY
Archiepiscopus Cameracensis

Venerabiles Patres,

Quoad coetus episcopales, prooemium cap. III quasdam practicas utilitates ostendit: attamen harum necessitatis fundamentum ostendere expediret. Nonne invenire posset hoc fundamentum theologicum in principio ex Scriptura et traditione sumpto: nempe principium communionis, graece: « koinonia »? Et hoc est votum meum. Nonne posset veluti anima, spiritus fieri collegialitatis, saltem qualis ab exc.mi Garrone et Ancel describitur? Tres quaestiones sunt:

I quaestio: *Quid sit principium communionis?* Communio inter Ecclesias particulares, dum « in communione » sunt cum Successore Petri, unitatis signo et centro, et cum universo corpore apostolico sub capite suo.

Communio in eadem doctrina, in eadem fide, in eadem spe, in eadem caritate, in eodem Spiritu Sancto.

Communio in eadem Eucharistia, unius Sacrificii Christi signo efficaci.

Communio Episcoporum, qui apostolis succedunt, in eadem missione evangelizandi omnes homines, ut ipsi in partem salutis veniant, et ad Christum accedentes, communionem habeant, per ipsum et in ipso, ad mysterium Dei, in « Communione Sanctorum »...[1]

II quaestio: *Cur istud principium coetibus episcoporum applicetur?*

1ª ratio. Perantiquum est in Ecclesia: S. Irenaeus tradit usum mittendi ad alias Ecclesias particulares Eucharistiam in signum communionis. Hoc principium inspiravit primos coetus episcoporum, qui necessitatibus in communi responderunt. Inde inter Ecclesias locales officia mutua, dona, collectae, in persecutionibus adiumentum.

2ª ratio. Hoc principium valore oecumenico praeditur. Singulare opus afferret ad hoc ut mutua comprehensio cum fratribus protestantibus et orientis crescat.

3ª ratio. Priusquam de iure quaestio fiat, ultra legis scriptae regulas, principium communionis exigentias caritatis ad bonum commune exprimit. Certe, ut decisionibus coetuum aliqua auctoritas iuridica conferatur, opus est regulas determinare, quae quidem cap. III nititur declarare. Sed nonne urgentior et maioris etiam ponderis quam littera legis, caritas Christi in anima episcoporum, qui se missos esse credunt ad Evangelium Dei in salutem hominum?

Ultima et profundior ratio. Principium communionis inter episcopos adunatos in faciem mundi testatur *unitatem Ecclesiae*: unitatem scil. in spatio, hoc est catholicitatem, unitatem in tempore, hoc est apostolicitatem.

III quaestio: *Quomodo principium communionis ad praesentes nostras difficultates conciliares in veritate, in caritate et in pace solvendas lucem affert?* Quoad coetus episcopales, in duas partes tenditur. Unitas autem Concilii in periculum esse posset propter dubium in interpretatione pure iuridica verbi « collegialitas ».

Quapropter, ut dissipentur aequivocationes unitati noxiae, quidquid sit de hoc verbo et praeter illud, nonne distingui potest id quod est ex iure divino et id quod est ex iure ecclesiastico?

De iure ecclesiastico sunt coetus episcopales. Sed solutio « Ecclesiae conveniens » non simpliciter in principiis iuridicis inveniri potest, quia Ecclesia non est solum societas iuridica, sed mysterium fidei, Corpus Christi. In structura et in actione sua, organizatio coetuum episcopalium ...[2] principiis ex iure divino submittendi sunt. Sunt autem tria:

1um principium: primatus Successoris Petri. Summo Pontifici competit suprema auctoritas, potestas iurisdictionis plena in Ecclesiam universalem, in omnes pastorem et homines. Praeter potestatem in communi omnibus apostolis datam, Petrus a Domino potestatem singularem capitis accepit, qua, per ipsum, sine iuridica dependentia erga collegium, utitur: fratres suos in fide confirmare, oves Domini pascere et regere.

2um principium: existentia collegii apostolici. Cooperatores suos non Petrus eligit, sed Dominus. Ipsis simul missionem praedicandi, baptizandi, ligandi et solvendi, non Petrus dedit, sed Dominus. Collegium apostolicum a Deo est.

3um principium: circa relationes inter collegium apostolicum et Successorem Petri: inter eos viget communio in missione evangelizandi totum mundum. Quae missio universo corpori episcopali in solidum confertur in communione cum Successore Petri. Caput Ecclesiae universalis hanc missionem accepit personaliter ut signum unitatis et Vicarius Christi. Unusquisque autem episcopus accepit nonnisi ut membrum corporis, in quantum huic corpori consecratione sua aggregatur. Hanc missionem exercere nequit nisi in unione cum Sede Apostolica et aliis episcopis, praecise et praesertim in coetibus.

Hoc principium communionis, nonne apostolis ab ipso Christo datum est, cum in oratione suprema ad Patrem dixit: « ut sint unum »? Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Cf. *1 Io.*, v. 3. [2] et collegialitatis, ut dicitur.

12

Exc.mus P. D. IOSEPH ANTONIUS DAMMERT BELLIDO

Episcopus Cajamarcensis

Venerabiles Patres,

Cap. III huius schematis, revera est magni momenti, quia prima vice tradit textum iuridicum generalem, pro tota Ecclesia, circa conferentias episcopales.

Hucusque tantum directivae et approbationes fragmentariae exsistebant: nunc vero, conferentiae episcopales ingrediuntur in organizatione Ecclesiae universalis.

Attamen nec officium conferentiarum — sive nationalium, sive regionalium — distincte asseritur; nec iurisdictio episcopi sufficienter tutatur.

Relationes inter episcopum et conferentias, videntur fundari in aliqua mentalitate practica et secundum necessitatem momenti; et inde partim autonomiam episcopalem coarctant; partim auctoritatem qua conferentia eget pro actione pastorali alicuius regionis, non concedit.

Unde relationes inter episcopum et conferentias episcopales ita debent esse: ne conferentia sit organum mere consultivum; ne episcopus sit oppressus sub potestate et decisionibus conferentiarum.

Ut recta via inter duo extrema inveniatur, recta legislatio consideret ut sua illa principia theologica relationis inter Ecclesiam localem et Ecclesiam universalem.

Dioecesis, secundum schema, est unitas quaedam orta ex officio legislativo episcopi; sed omnino praetermittit sensus communionis inter ecclesias locales. Hoc apparet fundatum in ecclesiologia quae videt Ecclesiam universalem ut aliquid unum compositum ex coniunctione Ecclesiarum localium, et divisibile secundum partes.

Secundum hanc doctrinam dioecesis non apparet ut vera Ecclesia localis vel particularis in qua essentia mysterii Ecclesiae — quod est Corpus Christi — perfecte verificatur, sed apparet ut pars uniformis vel integralis alicuius organismi ex dioecesibus constituti. Quapropter, et quidem logice minuitur praestantia et valor Ecclesiae localis in favorem centralizationis et uniformitatis. Agendum est ergo: 1. de natura theologica conferentiae episcopalis; 2. de aliquibus conclusionibus practicis pro emendatione huius capitis.

Schema debet redigi secundum doctrinam ecclesiologicam in discussionibus super schemate *de Ecclesia* propugnatam, i. e., secundum Ecclesiologiam communionis *et praesentiae mysterii in structura Ecclesiae, imprimis Ecclesiae localis.*[1] En fundamenta huius doctrinae: *a*) Eucharistia est bonum commune ...[2] Ecclesiae...[3] *b*) Caritas, pax, concordia inter Ecclesias locales...[4] *c*) Collegialitas episcopatus. *d*) Officium Summi Pontificis qui custodit praesertim caritatem inter Ecclesias locales.

Secundum haec principia Ecclesia universalis definiri potest: « Communio Ecclesiarum localium, in quibus unio per caritatem facta et in Eucharistia fundata, conservatur per collegium episcoporum sub primatu iurisdictionali Papae ».

Ecclesia originem ducit a Trinitate et est catholica et universalis sed

apparet in tempore et in spatio in singulis Ecclesiis seu congregationibus localibus.

S. Paulus talem doctrinam roborat cum loquitur de « Ecclesia Dei quae est Corinthi... quae est Ephesi... quae est Thessalonicae... ».

S. Ioannes scribit Septem Ecclesiis quae sunt in Asia (*Apoc.* 1, 4). Unde et nos possumus dicere: Ecclesia Dei quae est Romae, quae est Lutetiae Parisiorum, quae est Limae, quae est Cajamarcae...

Ecclesia « de caelo descendit » sed aliquo loco determinato apparet, et ubi mysterium Ecclesiae verificatur, scil. origo Trinitaria, verbum Dei, sacramenta, munus episcopale, ibi et Ecclesia exstat.

Ecclesia localis est vere et perfecte Ecclesia Christi quia fundatur in bono communi quod est Eucharistia in qua omnia opera christifidelium sive sacra sive profana incorporantur; deinde episcopus, successor apostolorum praeest communitati in communione cum capite Ecclesiae universalis et non ut eius simplex delegatus, *episcopus* [5] est summus sacerdos Ecclesiae localis, pastor et dux actionis missionariae.

Organizatio atque administratio Ecclesiae universae postulat ut singulae Ecclesiae locales relationes et communicationem inter se habeant et ut patet hoc potest fieri in ordine vel dimensione tum regionali, tum nationali et internationali.

Sic ergo conferentiae episcopales essentialiter sunt « communio Ecclesiarum localium » quae bonum commune Ecclesiae in aliquo territorio custodiunt et relationes episcoporum eiusdem regionis seu nationis inter se coordinant.

Sub lumine theologiae tum Ecclesiae localis tum Ecclesiae universalis debemus considerare conferentias episcopales non solum ut organum quoddam consultivum sed ut principium deliberationum et decisionum in communione caritatis.

Patet ergo quod conferentiae episcopales non tantum sunt summa singulorum et iuxtapositio episcoporum, sed debet esse vera communio Ecclesiarum localium ad imaginem « Populi Dei » quae est realitas quae membris multis coalescit sed organica; diversis ecclesiis localibus constituta atque unio tuta servatur ope « communionis cum Romano Pontifice, qui unus tantum personaliter potestatem primatialem habet super universam Ecclesiam ».

Conferentia episcopalis antiquis Conciliis et Synodis provincialibus succedens, eodem spiritui ecclesiologiae communionis, inspirationem haurire debet.

Cum timor adsit, ne conferentiae episcopales (in praxi, et forsitan sine plena conscientia) in ecclesiologia, ut ita dicam, uniformi ac divisibili exstruere, praesertim quia in diversis regionibus tantum secreta-

riatum quoddam constituunt munere mere administrativo fungentes, regimen conferentiarum episcopalium stabiliri ac solide fundari debent in principio theologico communionis Ecclesiarum localium ut bonum commune fidelium consequantur et minime in normis mere practicis vel administrativis.

Non agitur de diminuenda potestate episcopali in favorem novi instituti soliditate theologica carentis, sed de vero riteque iuvamine praestando episcopo in officio pastorali et apostolico.

Quapropter determinationes conferentiarum episcopalium non debent intelligi ut exercitium potestatis dominationis et auctoritatis sed ut nexus communionis qui est radix auctoritatis conferentiarum in obligatione et vinculatione pastorali Ecclesiarum localium. Unde si aliquis episcopus dissentit alicui decisioni licet in communione facta et signum sit « vinculi communionis », non videtur esse aliqua difficultas.

Theologia communionis Ecclesiarum localium est etiam principium pro cooperatione diversarum conferentiarum episcopalium alicuius continentis, e. g. CELAM organum relationis et collaborationis conferentiarum episcoporum Americae Latinae, quae « ha reso notevoli servigi » secundum dicta Pauli Papae VI.

Applicationes practicas super hoc caput secretariatui generali tradam. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (separatum). [3] et praesentiae mysterii in structura Ecclesiae, in primis Ecclesiae localis. [4] Caritas est bonum commune (immanens) Ecclesiae. [5] deest.

13

Exc.mus P. D. GARABED AMADOUNI

Episcopus tit. Amathusius in Cypro

Venerabiles Patres,

Liceat mihi resumere enucleatius animadversiones quas iam tradidi secretariae, circa cap. III schematis, et de schemate in genere.

1. Conferentiae episcopalis textus, prouti iacet, non potest applicari in patriarchatibus:

a) Ecclesiarum particularium distinctio ibi fundatur generatim super ritus et non nationes;

b) Sedes patriarchales habent Synodum permanentem cum iurisdic-

tione supra-episcopali a iure definita. Conferentia episcopalis tamquam suprastructura evaderet, si non componeretur prius cum iuribus Synodi permanentis. Ergo inaequalitas aliqua fundamentalis existit quoad hoc inter regiones occidentales et orientales.

Eadem inaequalitas ceterum exsistit quoad reservationum summam facultatum episcoporum, ratione semper habita praesentiae patriarchae inter episcopos et supremam auctoritatem Romani Pontificis.

Clausula posita initio schematis sub n. 2 cap. I, per se non sufficit ad removendas omnes difficultates quoad applicationem huius cap. III ad orientales.

Et quoniam schema hoc includit episcopos et regimen dioecesium Ecclesiarum orientalium, eadem ratio valet etiam de aliis capitibus.

2. Cum res ita sint, sive ad perficiendum hoc schema, sive in obsequium eximii relatoris exc.mi D. Carli, qui petiit scire mentem PP. orientalium circa illud, audeo subiicere iudicio Patrum sequentem propositionem: Fundere in hoc schemate paragraphos schematis *de Ecclesiis orientalibus* quae tractant: de patriarchis, de episcopis et de Synodo permanenti, tamquam obiecta pertinentia ad regimen dioeceseos. Rationes:

a) Unitas materiae, necessitas cohaerentiae inter varia schemata et evitandi reiterationes.

b) Insertio decretorum respicientium Ecclesias orientales in contextu Ecclesiae universalis, ita ut illa non maneant *in margine,* tamquam si essent merces exotica.

c) Cum decreta schematis *de Ecclesiis orientalibus* sint disparata, artificiose in unum congesta; praevidentes ex nunc futuras obiectiones contra illam dispositionem, mederi huic incommodo, pro nunc, quoad decreta pertinentia ad regimen dioeceseos.

3. Consequenter ad hanc propositionem, initio huius schematis ponere aliquam paragraphum de Ecclesiis particularibus. Eius formulam iam habemus in schemate *de Ecclesiis orientalibus,* sub n. 3. Sufficeret melius elaborare illam formulam.

Ad melius explanandam mentem *meam,*[1] fas sit mihi parvam parenthesim aperire de necessitate insertionis conceptus Ecclesiae particularis in nostro schemate.

Neminem latet factum quod Litterae Encyclicae RR. Pontificum solent destinatorios suos indicare per Episcopos habentes « communionem cum Apostolica Sede ». Basis unitatis Ecclesiae. Absque conceptu Ecclesiarum particularium mysterium ecclesiasticae communionis non intelligitur. Revera illud effulget praesertim ex visione unionis Ecclesiarum diversarum inter se et cum capite earum, in una fide, in cultu

eucharistico, in hierarchia. Quae communio, ope Spiritus Sancti semper in actu, tamquam lympha vitalis vivificat membra mystici Corporis, ita ut Ecclesia Universalis sit praesens, sicut anima in singulis partibus corporis humani, in unaquaque Ecclesia locali, quae saepe pretium sanguinis solvunt ne amittant illud maximum bonum.

Nonne elucet hic aspectus pneumaticus Ecclesiae cuius momentum pastorale et praesertim oecumenicum longe maius est, meo humili iudicio, quam e. g. sacerdotii universalis.

Momentum huius tractationis erit: *a*) inserere Ecclesias patriarchales in schemate « De Episcopis... »; *b*) ex visione communionis Ecclesiarum particularium, sive sint dioeceses sive Ecclesiae patriarchales, in lucem ponere mysterium unitatis Ecclesiae, cui unitati nihil auferunt differentiae disciplinares, rituales, culturae etc... Immo divina actio Spiritus Dei melius elucet et efficacior evadit in varietate et differentia stirpium, culturarum et rituum...[2] *c*) Dare hoc modo argumentum visibile praesentiae in Ecclesia Spiritus illustrantis mentes pastorum et fidelium de vero sensu Verbi Dei exhortantis discipulos « Ut sint unum ». Ideo ex visione pluralitatis ascendere ad visionem mysterii Unitatis.

Conclusio. Hoc modo perficitur schema et medetur omissioni realitatis Ecclesiarum particularium *in hoc schemate*[3] et mysterii communionis...[4] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] etc. ... [3] deest. [4] in schemate *de Ecclesia.*

14

Exc.mus P. D. ALOISIUS ALONSO MUÑOYERRO

Archiepiscopus tit. Sionensis

Venerabiles Patres conciliares,

De conferentiis episcopalibus *haec habeo*[1] dicenda. Imprimis de *conferentiae constitutione,* n. 18.

Nihil dicitur de conferentiis provincialibus. Tantum de conferentiis nationalibus, i. e. in unaquaque natione constituendis, sermo est. Episcopi comprovinciales non habent in iure aliam normam conveniendi, praeter Concilium provinciale (can. 283). Utique temporis lapsus inter unum et alterum Concilium reducitur a vicesimo anno ad decimum quoque annum. Erit inconveniens in statuenda aliqua norma ut episcopi cum suo metropolita convenire possint frequentius tempore et modis

statuendis in statutis conferentiarum nationalium a S. Sede probandis? Episcopos hispanos Leo XIII, in Encyclica *Cum multa,* 8 decembris 1882, hortabatur ut interdum conventus provinciales celebrarentur, de rebus communibus agendi gratia.

Sub eodem numero, par. 3, agitur de conferentiis *internationalibus* ...[2]. Circa has conferentias animum meum aperiam, agitatum praeoccupationibus propter pericula quae nostrae S. Matri Ecclesiae ex illis obvenire possint.

In ipsis conferentiis nationalibus non deest aliquod periculum, nempe nationalismi, si S. Sedes non curaret de mediis huic periculo subveniendi. Hae conferentiae ortae sunt ex necessitate normas communes sequendi in problematibus communibus solvendis. Optimo spiritu usque ad hodierna tempora celebratae videntur, sub vigilantia S. Sedis, multaque bona inde subsecuta sunt.

Sed quid de conferentiis internationalibus? Exstantibus doctrina theologica et dispositionibus canonicis hucusque vigentibus circa episcopos in sua relatione ad Romanum Pontificem, etiam mihi videretur valde periculosum unam conferentiam continentalem vel internationalem constituere, ...[3] *modo stabili,* quarum membra essent conferentiae ipsae nationales, ut proponitur.

Nondum soluta est quaestio late discussa in hac aula de collegialitate episcoporum, nempe de collegialitate *iuridica iuris divini,* prout una opinio sustinet. Nec facile solvetur.

Quamvis enim quaesita statuta fuerint de hac quaestione et maior pars Patrum illi sententiae videantur consentire, est evidens quod illa suffragatio vim definitivam non habuerit: imprimis, ut illa quaesita subicerentur Patribus, adducebatur necessitas afferendi commissioni competenti, i. e. conciliari, *elementum aliquod iudicii circa amplitudinem adhaesionis Patrum* sententiis oppositis. Ideo dicebatur in prooemio: « *Vota Patrum de eisdem, nullum textum adprobant vel reiciunt* ».

Si illi conceptus collegialitatis praevalerent, quaestio haec de conferentiis internationalibus gravior evaderet.

Immo, etsi de illa collegialitate non veniat probatio definitiva, ut sperandum est, existimo quod conferentiae internationales, praeter aliquas fortasse, ratione territorii parvi vel exigui numeri episcoporum, non deberent constitui *stabiliter.* Hodie etenim iam opinio illa extra aulam exivit, quia prius in aula a labiis eximiis dictum est, quod illa collegialitas definita et proclamata fuerit. In ephemeridibus tamquam fidei divulgata est illa opinio, nondum probata. Inde in mundo hodierno, et in multis episcopis mentalitas formata est in sensu collegialitatis iuris divini, etsi non omnes collegialitatem eodem modo intelligant. Confe-

rentiae episcopales igitur, maxime internationales, hac mentalitate faciliter imbuerentur. Quis non videt periculum scissionum in relatione cum S. Sede; occasiones et motiva rixarum inter episcopos et ipsas conferentias; perturbationes quae ob electiones haberentur; querelas episcoporum qui oppressi a maioritate videantur?

Ideo propono quod conferentiae praedictae non constituantur stabiliter, sed permittatur ut in aliquo casu fiant conventus aliquarum conferentiarum, quaestionibus prius propositis S. Sedi et venia eius obtenta, ita tamen, ut quaestiones tractatae approbationi S. Sedis submittantur. His conventibus delegatus Papae vel Nuntius deberet adesse.

Ad n. 19, par. 1, optarem quod vicarii castrenses, qui dignitate episcopali sint ornati, numerentur inter adsistentes, iure, etiam cum voto, conferentiis episcopalibus. Iurisdictionem enim habent ordinariam in natione cuius vicarii sunt. Hoc propono in eodem supposito quo facta est haec paragraphus quando non cogitabatur de collegialitate. *Aliqui vicarii castrenses quibuscum potui loqui, adhaerent huic propositioni.*[4]

Ad n. 24, ...[5] loco dicendi quod decisiones conferentiarum nationalium debent esse *recognitae* a S. Sede, *iam dixi antea quod debent esse approbatae.*[6]

Non possum assentire propositioni de eligendo praeside conferentiae nationalis ab episcopis, *propter periculum rixarum inter ipsos,*[7] neque ut nihil dicatur de obligatione, ne quidem in ordine morali, servandi illas decisiones conferentiae, neque quod nullo in casu obligatio iuridica, fortasse urgens, habeatur, *ut esset casus alicuius communicationis dandae quam exspectant fideles.*[8] Si ita esset, supprimatur titulus de conferentiis.

Denique, liceat mihi finire hac consideratione. Quando agitur de vinculo stabiliendo cum S. Sede, vel eius Dicasteriis, *vel etiam, ut vidimus, inter ipsas conferentias vel inter episcopos,*[9] quaedam relaxatio videtur esse disciplinae, et quaedam propensio ad democratiam. Quaelibet autem relaxatio disciplinae ...[10] in hac aula, effectum indisciplinae obtinebit in clero.

Tempora autem potius exigunt in Ecclesia disciplinam, quae non solet esse rigida, quam eius relaxationem. Post episcopalismum, posset subsequi presbyterianismus; *et quidem... (statim!)... et quidem symptomata nunc vere quam citius venient.*[11] Et quid mirum si audimus quod electio Romani Pontificis debet fieri a collegio episcoporum, vel a quodam quasi congressu, et quod episcopi nominari debent a conferentiis, etc.

Ne quid nimis, venerabiles Patres! Praesentia habeamus illa verba apostoli: « novitates devita ».

Progrediamur cum caritate ad fratres separatos, sed prudenter et

lente. Progrediamur sed firmiter permanente centro unitatis et pacis, Vicario Christi, Papa. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] de quibus in cap. III schematis de episcopis) habeo aliqua. [2] constituendis. [3] i. e. [4] deest. [5] pag. 16. [6] debet dici « approbatae », saltem in genere cum « nihil obstat » S. Sedis. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] etsi levis. [11] deest.

15

EXC.MUS P. D. VIDO M. RIOBÉ
Episcopus Aurelianensis

Venerabiles Fratres,

In cap. III, par. 4, art. 25, agitur de relationibus inter conferentias episcopales diversarum nationum.

De hoc textu, mea humili sententia, aliquae animadversiones proponendae sunt.

In sinu gallicae commissionis episcopalis « pro missionibus ad extra » mandatum accepi ad adiuvandum huius regionis episcopatum, ut efficaciorem responsionem det exhortationibus Summorum Pontificum in favorem dioecesarum in America meridionali. Sic vividius expertus sum quod hodiernis diebus Ecclesia non potest sustineri nisi sit universalis, et universalis esse non potest nisi per relationes inter conferentias episcopales nationales.

1. Nostris temporibus, vocatio ad catholicitatem a multis membris cuiusvis Ecclesiae particularis percipitur.

Quanto magis episcopus ipse curam habet de hac vocatione ad catholicitatem adimplendam, eo magis Ecclesiam suam reddit viventem et amoris Redemptoris participantem.

Imprimis mens illa catholica fons est spei et gaudii pro presbyteris, qui vident quomodo officia sua quotidiana et localia in ampliori missione inserantur.

Roboratur vocatio ad sacerdotium apud multos iuvenes qui saepe tergiversantur quoadusque certificant quod eorum dioecesis, per episcopum, servitio totius mundi adaperiatur.

Laici ipsi qui desiderant missioni se devovere, valde confirmantur quando sciunt vocationem suam necessariam esse ut episcopus et tota dioecesis officium suum evangelizationis in universo mundo adimpleant...[1]

Perfectio huius vocationis ad catholicitatem exigit institutionem conferentiarum episcopalium atque colloquium habituale inter has conferentias.

Hoc modo solum, diversi episcopatus possunt se invicem agnoscere prout sunt et unus ab alio locuples fieri audientes quid in unaquaque Ecclesia dicit Spiritus...[2]

Ita omnes episcopi aestimationem generalem habebunt circa mutuas necessitates et moderate dirigent homines incipientes actionem novam, laborem diversum recte ordinando.

Ex illo colloquio et ex illo mutuo adiutorio, episcopi regionum in maiori paupertate versantium non amplius dolorose constringentur apud populos magis fortunatos mendicare.

Certe novellae Ecclesiae nolunt esse semper tantum obiectum generositatis ecclesiarum antiquarum, sed volunt esse subiectum activum, dantes aliquid immo multum sibi ipsis et toti Ecclesiae. Exemplo fratrum seiunctorum adiuvari possumus. Initiata ab origine per personas vel sodalitates privatas, missio magis magisque apparet apud illos his diebus ut responsabilitas communis omnibus ecclesiis et operata ab illis collective in universali coetu ecclesiarum.

Ita mediantibus relationibus inter conferentias episcopales, collegiale exercitium muneris episcopalis iam est factum experientiae in Ecclesia sub motione Spiritus Sancti.[3]

2. *Attamen*[4] relationes inter conferentias episcopales non tantum quoddam instrumentum practicum videntur, sed debent esse medium privilegiatum quo episcopus ipse suum munus episcopale erga populum sibi creditum exercet...[5]

Haec praxis clare manifestat hunc duplicem aspectum muneris episcopalis: fovere praesentiam Ecclesiae universalis in sinu Ecclesiae particularis, et fovere praesentiam activam eius populi in Ecclesiam universalem.

Per concretam illam expressionem sub illo duplici respectu revelatur in plenitudine paternitas episcopi in propria Ecclesia.

Ut dixit Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, in audientia generali feria IV iam peracta: « Si inter positiva sua effecta Concilium efficit ut augeatur conscientia ecclesiastica et catholica, hic eventus erit unus ex optimis fructibus. Unusquisque debet scire quod Dominus eum vocavit ad locum tenendum in Ecclesia, unusquisque debet vocationi respondere et in communione cum magna et universali familia Christi se sentire. Necesse est limites catholicitatis dilatare ».

Concludendo, propono emendationem in nostro capitulo, art. 25: *non sufficit dicere « foveantur relationes », sed*[6] « Relationes inter con-

ferentias episcopales diversarum nationum necessariae sunt ut unaquaeque dioecesis ad universalem Ecclesiam adaperiatur ».

Et, consequenter prooemium huius capituli sic emendetur: « Quia unusquisque episcopus, sub Romani Pontificis auctoritate, est pastor Ecclesiae universalis in dioecesi sibi commissa, necesse est ex una parte, *ut omnes eiusdem nationis episcopi in unum coetum seu conferentiam confluant statisque temporibus simul conveniant* ad catholicitatem in universo suo territorio fructuosius et efficacius promovendam, atque ex alia parte nexus inter illas conferentias episcopales oriantur ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Dum sollicitudinibus totius Ecclesiae communitatem dioecesanam aperit, episcopus signum dat hominibus nostrae aetatis valde accommodatum. Equidem ex animo credunt quod homines eandem peregrinationem vivunt. Intelligunt quod unusquisque non potest vivere, laborare, cogitare ipse solus, sed in omnibus activitatibus suis ab omnibus aliis dependet. Quam solidarietatem experiuntur populi creando institutiones ad cooperationem promovendam. [2] Sanctus. [3] deest. [4] deest. [5] Mediantibus relationibus inter conferentias episcopales, collegiale exercitium muneris episcopalis iam est factum experientiae in Ecclesia sub motione Spiritus Sancti. [6] deest.

16

Exc.mus P. D. LAURENTIUS BIANCHI

Episcopus Sciiamchiamensis

Venerabiles Patres, carissimi Fratres,

Brevissime[1] loquor nomine aliquorum episcoporum...[2]

Textus noster in n. 17, agens de conferentiis episcopalibus, extollit novum elementum practicum in regimine Ecclesiae, quod libenter acceptarem, si vera spes adesset obtinendi commoda quae expectantur. Multum pendebit a redactione definitiva quae fiet postquam Patres discusserint varia argumenta in hoc cap. III.

In praesenti tamen desidero vestrae benevolentiae unum punctum submittere magni momenti quod prae oculis habendum puto in nostra disceptatione.

Dicitur in prooemio, linn. 13-15, « quantum praeterea ecclesiastica disciplina roboretur, catholica res provehatur, ipsaque episcoporum auctoritas apud Gubernia vel acatholicos viros augeatur ». Haec sunt perpulchra verba, alte sonantia, quibus utilitas probaretur huius iuridici corporis, sed fateor, secundum sententiam meam, nimio optimismo inficiantur.

Revera conferentiae episcopales nationales vel regionales perutiles evadere possunt confratribus in episcopatu ad ideas communicandas, ad discutienda media aptiora pro apostolatu, ad mutuam instructionem circa aliorum experientiam et speciatim ad fovenda caritatis et unionis vincula inter episcopos eiusdem nationis vel regionis. Attamen multos censeo esse in hac aula qui nolunt approbare vim iuridicam obligandi singulos episcopos decisionibus approbatis per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum.

Plene adhaereo sententiae exc.mi Krol, arch. Philadelphiensis, in sua emendatione scripto tradita. Dicebat exc.mus Dominus: « Minime placent omnes provisiones n. 24. Etsi unitas in episcopatu alicuius nationis magnopere optanda sit, confundi tamen non debet haec unitas cum uniformitate... iuridice cogeretur (episcopus) opinionem maioritatis sequi... (hoc) videretur contradicere naturae monarchicae episcopatus residentialis, quae natura monarchica esse iuris divini apparet ». Et recte exc.mus Krol concludebat: « Singuli episcopi solum S. Sedi directe subditi sint, non corpori aut maioritati aliorum episcoporum ».

Ex experientia mea missionaria in Sinis possum affirmare quod ipsi fideles nostri valde solliciti sunt de constitutione monarchica Ecclesiae. Papam venerantur ut Vicarium ipsius Christi et in hac luce tantum venerantur pastores et sacerdotes suos. Pro hoc ideale, Ecclesia in Sinis et in multis aliis regionibus restitit usque ad sanguinis effusionem et vel nunc temporis tormenta patitur in carceribus vel in laborum campis.

Quin immo, vel acatholici semper admirati sunt structuram hierarchicam catholicae Ecclesiae cum Romano Pontifice in vertice, et hoc semper habuit magnum valorem apologeticum apud antiquae civilitatis populos, puta Sinenses et Indianos.

Mihi videtur quod multi impressionem negativam subirent si elementum monarchicum Ecclesiae in discrimen deduceretur mediantibus conferentiis episcopalibus nationalibus vel regionalibus quae quodammodo insererentur in regimen dioecesis.

Conclusio. 1. Expungantur verba prooemii initio huius interventionis citata, nempe: « Quantum praeterea etc. », quae verba exaggerata videntur, si fructus considerantur conferentiarum episcopalium.

2. Ad art. 3 clare definiatur decisiones conferentiae episcopalis vim tantum consultivam habere, nisi in casibus strictae unanimitatis vel post approbationem S. Sedis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] missionariorum.

[*Subscripserunt etiam*] Petrus Massa, Ioseph Obert, G. B. Gobbato, Galbiati Ambrose, Mario Civelli, A. Beretta.

Moderator: Audiant Patres! Post schema *de episcopis et dioeceseon regimine* tractandum erit schema *de Oecumenismo*. Velint hoc illi Patres advertere, qui de hoc schemate *de Oecumenismo* loqui velint. Discussio fiet ad normas *Ordinis Concilii*: primo, in genere; et postea, de singulis capitibus.

Proxima congregatio generalis erit crastina die, hora 9.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. II SCHEMATIS DE EPISCOPIS AC DE DIOECESIUM REGIMINE

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. II SCHEMATIS DE EPISCOPIS AC DE DIOECESIUM REGIMINE *

1

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Pag. 11, linn. 17 ss. Nonne aliquid magis praecisum dici deberet de sensu huius commendationis, id est utrum sit simplex commendatio vel utrum sit vere iniunctio pro iis, qui vicarium capitularem eligere debent. Cum autem agatur de iure eorundem restringendo expressiones magis determinatae esse deberent. Melius autem haec § 2 omnino omitteretur.

Linn. 23 ss. Consideratis multis ac gravibus incommodis, quae habentur si episcopus non renuntiat, etsi dioecesi regendae impar est, quae tales ac tantae sunt pro animis fidelium, ut *omnino* aliqua formula magis energica requiri videatur. Rationes a relatore pagg. 17 s. adductae certe graves sunt, tamen bonum animarum *multo gravius* est. Si enim ea condicio adest, de qua agit textus linn. 23 ss. (ut scil. vere recto dioecesis regimini iam aliter provideri nequeat), tunc vere aliquid magis fieri deberet quam solum « enixe rogare » episcopum ut renuntiet. Nonne maxime hic *superior auctoritas bonum Ecclesiae* tutari deberet, suaviter quidem in modo, sed fortiter in re? Proponitur: « si dictae condiciones verificantur », Apostolica Sedes (pro orientalibus competens auctoritas), *ius et officium* habet renuntiationem episcopo imponendi, eum graviter in conscientia obligando ». Ceterum nonne hodie de facto haec saepe est praxis? Ergo firmior reddatur et auxilium a Concilio accipiat.

2

EXC.MUS P. D. ANTONIUS ABED
Episcopus Tripolitanus Maronitarum

1. *De episcoporum successione perdurantibus angustiis temporum.*

In regendis dioecesibus non tantum duae graviores occurrunt difficultates scil. ex senectute episcopi et amplitudine territorii aut fidelium numero provenientes, sed aliae quaedam horrendae surgere possunt quae mentem et

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio clausa est.

conscientiam plurimorum episcoporum nunc angustiare possunt in quibusdam locis.

Quid est enim faciendum quando in temporibus exceptivis humiliatur Ecclesia quaedam in servitute ex parte gubernantium in nationes, an valet episcopus octuagenarius, e. g., successorem sibi dare, ubi nec Apostolica Sedes nec patriarchalis, neque collegium in provincia vel natione adiri possunt ut tempestive intervenire queant neve per radiophonium neve per epistularum aut legatorum commercium?

Utrum praeferendum sit vigentem canonicam disciplinam prouti se habet conservare et fideles absque pastore deserere, an potius iam nunc clare edicendum sit, ob quietem conscientiarum et efficacem ministerium, iure divino *radicaliter* ad episcopum-successorem pertinere quod ipse sibi successorem det et constituat, ne inde propter institutiones canonicas ad bonum unitatis in disciplina requisitas, « usque in finem deficiat in quibusdam Ecclesiis, angustiam temporis et pressuram gentium sufferentibus, sacerdotalis decoris eximius ordo, et nostrae religionis magnum ac venerandum mysterium ignoretur, si iam non sit sacerdos et sacrificium aut spirituale libamen... »?

Haec ultima verba, sunt Martini Pp. I ad Ioannem episc. Philadelphiae in Palaestina anno 651, dum exercitus non christiani in partibus illis invexissent, et iugum suum imposuissent.

Casus ergo iam historice non erat theoreticus, unde et hodie pluries poni potest, cui et Martinus ille Papa, nullatenus inde canoni praeiudicium afferendo, positive seu affirmative respondidit post factum, nempe per illud adagium semper valiturum: « Novit enim canon afflictorum temporum persecutionibus veniam tribuere... »!!

Ideoque et legato suo Philadelphiae iussit confirmare omnes qui tunc praeter mentem ac scientiam seipsos elegerunt (hoc est exclusa malitia) vel electi sunt... propter angustiam temporis, vel quod eius copia non esset, qui iudicio adhibito sive iuxta canones eligere deberet vel permittere » (cf. Mansi, *Coll. Conc.* X, col. 810).

2. *De incongruenti institutione auxiliariorum et coadiutorum.*

Ipse relator in hunc schema confessus est « quamdam anomaliam secumferre constitutio coadiutoris et auxiliaris», salva quidem reverentia qua digni sunt confratres titulares hic praesentes.

Et quidem quaenam sunt necessitates quae a coadiutore vel auxiliari adimplentur, quaeque a simplici presbytero, interveniente mandato canonico aut privilegio, aequali efficacitate adimpleri non possint, nullo modo praeterea obfuscata exinde indole monarchica episcopi-successoris et unitate personae in dioeceseos patre et apostolo?

Ita enim vitarentur saepe « situationes, uti aiunt, falsae » immo et aliquando scandala, divisionesque animarum et amaritudines in fidelium adspectantium animabus!

Mihi videtur non convenire ut magis magisque insistetur in novis interferentiis inter episcopum et presbyteros suos qui nati sunt iam a tempore

apostolorum ut ipsi per se sint coadiutores et auxiliares in regendis dioecesibus. Presbyteri enim unius eiusdemque dioecesis, meliori psychologia et animorum dispositione coadaptantur in munere explendo, episcopo suo unico, omnesque actiones et consecrationes adimplere possunt data eis facultate per delegationem ad normam iuris aut per praelaturam periodeutae sive per sic dictum « chor-episcopatum ».

Difficultati vero provenienti ex amplitudine territorii aut ingenti numero fidelium bene mederi potest per dismembrationem dioecesis, concomitante novarum dioecesium erectione in provinciam ecclesiasticam cui praesideat tamquam metropolita ipse episcopus qui fuerat pater dismembratae dioecesis. Sic firmitas Ecclesiarum et decus episcopatus in tuto ponuntur.

3

Exc.mus P. D. IOSEPH A IESU ALBA PALACIOS
Episcopus Tehuantepecensis

Quoad cap. II constitutionis de episcopis et dioeceseon regimine, haec habeo observanda:

Empirice tantum statuuntur relationes inter episcopos coadiutores et coadiutos, auxiliares et auxiliatos; empirice etiam proponitur convenientia renuntiationis episcopi infirmi vel senescentis, nisi prius supponatur collegialitas episcopalis sub capite Summo Pontifice.

Si enim iure divino unusquisque episcopus residentialis est successor apostolorum ut singularis persona, non ut membrum collegii episcopalis, non videtur posse iustificari consilium datum ut ipse renuntiet; immo, quod gravius est, difficilis videtur theologica iustificatio praxis Sanctae Sedis petendi renuntiationem episcopi qui non sit indignus vel evidenter ex toto incapax ad munus adimplendum.[1] Haec autem explicantur si verum est quod docuit Summus Pontifex Leo XIII in Dogmatica Encyclica *Satis cognitum*: « Hanc vero (Romanorum Pontificum) de qua dicimus in ipsum episcoporum colle-

---

[1] Verissimum enim est apostolorum successores iure divino habere potestatem episcopalem ordinariam et immediatam in gregem suum ita ut ipse Summus Pontifex non possit in singulis quibusque dioecesibus sibi vindicare iura episcopalia et substituendi potestatem papalem potestati territoriali episcopali.

« ... Neque quoad res ecclesiasticas papa monarchus absolutus nuncupari potest, quippe cum subordinatus sit iuri divino et obstrictus sit iis, quae Christus pro Ecclesia sua disposuit » (Denz. 3114).

« Vi eiusdem institutionis divinae, in qua fundatur munus Summi Pontificis, exsistit etiam episcopatus; competunt eidem iura et officia vi dispositionis ab ipso Deo promanantis, ad quae mutanda Summo Pontifici neque ius neque potestas prostat. Decreta Vaticana ergo plane erronee intelliguntur, coniiciendo, iisdem " iurisdictionem episcopalem a papali absorptam esse " » (Denz. 3115).

Declaratio episcoporum Germaniae sollemniter a Pio IX approbata ut authentica interpretatio Concilii Vaticani I.

gium potestatem... agnoscere ac testari nullo tempore Ecclesia destitit. Sed Romani Pontificis potestas summa est, universalis planeque sui iuris: episcoporum vero certis circumscripta limitibus nec plane sui iuris... Romani autem Pontifices, officii sui memores, maxime omnium conservari volunt, quidquid est in Ecclesia divinitus constitutum: propterea, quemadmodum potestatem suam ea, qua par est, cura vigilantiaque tuentur, ita et dedere et dabunt constanter operam, ut sua episcopis auctoritas salva sit » (Denz. 3309).

Agitur ergo in hac Encyclica de potestate collegii episcopalis. Supposito hoc fundamento Summus Pontifex suadere et exigere potest renuntiationem episcopi a suis functionibus gravi de causa; immo, si hoc maximum bonum Ecclesiae postulet, aliquando totaliter potest mutare personas physicas quae sedes episcopales occupant, sine ulla earum culpa et incapacitate, ut accidit in Pontificatu Pii VII.

Haec doctrina supponitur in Encyclicis Summorum Pontificum Pii XI [2] et Pii XII, quando episcopos hortantur ut cooperentur non tantum ex caritate, sed ex officio apostolico, in adiuvando Summo Pontifici in negotio extendendi fidem ad omnes gentes.

Ait Pius XII in Encyclica *Fidei donum* (*A.A.S.,* 1957, p. 236): « Procul dubio uni Petro apostolo eiusque successoribus Romanis nempe Pontificibus Iesus Christus gregis sui universitatem concredidit: " Pasce agnos meos, pasce oves meas " (*Io.* 21, 16-18). Quod si unusquisque episcopus portionis tantum gregis sibi commissae sacer pastor est, tamen qua legitimus apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris, Ecclesiae, una cum ceteris episcopis est sponsor secundum illa verba, quae Christus ad apostolos fecit: " Sicut misit me Pater, et ego mitto vos " (*Io.* 20, 21). Haec quae " omnes gentes usque ad consummationem saeculi " (*Mt.* 28, 19-20) amplectitur missio, cum apostoli de mortali vita decesserunt, minime decidit; immo in episcopis, cum Iesu Christi Vicario communionem habentibus, adhuc perseverat. In his, namque, qui peculiari nomine " missi " appellantur, nempe Domini apostoli, plenitudo apostolicae dignitatis residet ».

Ita hi Summi Pontifices quadamtenus compleverunt doctrinam Concilii Vaticani I circa potestatem ordinariam, primatialem, vere episcopalem et immediatam Summi Pontificis super omnem Ecclesiam, super omnes episcopos singillatim et coniunctim sumptos, quae definita fuit postquam deputatio fidei explicavit: « Si Summus Pontifex una cum episcopis vel dispersis vel congregatis vere plenam et supremam potestatem in solidum exercet, nulla possibilis collisio » et « suprema et plena potestas est in Petro qui tamen non potest, non debet eam exercere per alios coadiutores suos, nisi per Apostolos eiusque successores ». Ita Zinelli et Avanzo relatores Constitutionis *Pastor aeternus* in Concilio Vaticano I (Mansi, t. LII, col. 1109-1111 et 715).[3]

---

[2] *Rerum Ecclesiae* (*A.A.S.*, 1926, p. 64).

[3] In schemate II *De constitutione Ecclesiae,* quod approbari non potuit in Vaticano I propter eius interruptionem sic dicebatur: « Verum etiam supremi mu-

Tum Pontifices, tum Concilium Vaticanum I fideliter interpretantur in hac materia divinam traditionem de collegio apostolico et episcopali cuius ita praeclarus assertor fuit S. Cyprianus, ut doctrina libri « De Ecclesiae unitate » fuerit etiam norma pro Summis Pontificibus Pelagio I et Pelagio II ad schismata comprimenda (Denz. 446 et 469).[4]

Evidenter autem S. Cyprianus, hac in re secutus est doctrinam evangelicam quam ita interpretatus est Doctor Communis. S. Thomas Aquinas in *Lectura super Io. Evang. XXI, 17*: « Congrue autem officium Pastoris, omni-

---

neris docendi et gubernandi universam Ecclesiam episcopi expertes non sunt. Illud enim ligandi et solvendi pontificium quod Petro soli datum est, collegio quoque apostolorum suo tamen capiti coniuncto, tributum esse constat, protestante Domino: " Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo " (*Mt.* 18, 18) ». Quapropter inde ab Ecclesiae primordiis oecumenicorum Conciliorum decreta et statuta iure merito tanquam Dei sententia et Spiritus Sancti placita summa veneratione et pari obsequio a fidelibus suscepta sunt (Mansi, t. LII, c. 1109). Ita etiam episcopus Gasser, quando nomine deputationis de fide explicavit infallibilitatem collegialem episcoporum in Concilio Oecumenico (Mansi, t. LII, c. 1216).

[4] Haec verba S. Cypriani laudantur etiam a S. Augustino, a S. Caelestino in Epistula ad Concilium Ephesinum et a Summo Pontifice Leone XIII in Enc. *Satis Cognitum*.

Sufficiat quaedam citare de praedicto libro: « Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus etc. (*Mt.* 16, 18 sq.). Super unum aedificat ecclesiam [vel: Eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas (*Io.* 21, 17). Super illum aedificat ecclesiam, et illi pascendas oves mandat], et quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum: si cuius remiseritis peccata, remittentur illi: si cuius tenueritis, tenebuntur (*Io.* 20, 21 s.), tamen, ut unitatem manifestaret (unam cathedram constituit), unitatis eiusdem originem (atque rationem) ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur (et primatus Petro datur), ut ecclesia Christi una (et cathedra una) monstretur. (Et pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur, qui ab apostolis omnibus unanimi consensione pascatur).

Quam unitatem tenere firmiter et vindicare debemus, maxime episcopi qui in ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidem veritatis perfida praevaricatione corrumpat. Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est, quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur, quomodo solis multi radii sed lumen unum, et rami arboris multi sed robur unum tenaci radice fundatum, et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine ».

bus intermissis, Petro commisit qui secundum Chrysostomum eximius apostolorum erat et os discipulorum et vertex collegii ».[5]

Ideo pro praxi postulandum aestimo ut, si quae sunt adhuc dubia, non de existentia collegii apostolorum et episcoporum quae ab omnibus catholicis absque dubio admittitur,[6] sed de eius natura plus minusve stricte iuridica, quam primum ad normam S. Scripturae, traditionis et vivi magisterii

---

[5] His addi possunt sequentia verba S. Cypriani desumpta ex epistula LV ad episcopum Antonianum: « Accepi primas litteras tuas... concordiam collegii sacerdotalis firmiter obtinentes et catholicae Ecclesiae cohaerentes... Sicut et collegii concordia et colligendae fraternitatis ac medendi vulneris utilitas exigebat... Non tamen a coepiscoporum suorum collegio recesserunt aut catholicae Ecclesiae unitatem... ruperunt... Manente concordiae vinculo et perseverante catholicae Ecclesiae individuo sacramento... Cum sit a Christo una Ecclesia per totum mundum in multa membra divisa, item episcopatus unus episcoporum multorum concordi numerositate diffusus... Haec... pauca de multis, quibus et desiderio tuo satisfacerem et te magis ac magis collegii et corporis nostri societate coniungerem » (apud A. D'Alés, *La Théologie de Saint Cyprien,* Paris 1922).

Hic auctor in compendium reddidit totam doctrinam S. Cypriani circa collegium episcopale sequentibus verbis: « Le collège épiscopal lui-même, selon S. Cyprien, n'est pas un ensemble amorphe, un pur agrégat, mais un véritable corps moral, dont l'unité est maintenue par la confédération des volontés.

« Pour ne voir dans l'Eglise décrite par Cyprien qu'un assemblage d'Eglises autonomes, une confédération de monarchies épiscopales indépendantes, il a fallu s'en tenir à un seul groupe de textes et fermer les yeux à d'autres textes nombreux qui les complètent et les corrigent. Assurément Cyprien n'admet pas qu'un évêque, par autorité privée, s'ingère dans le gouvernement d'un autre évêque; mais il n'admet pas, tant s'en faut, que le gouvernement épiscopal soit ici-bas sans bornes ou sans contrôle. Le contrôle appartient à la collectivité des évêques; cette collectivité légifère avec pleins pouvoirs pour contraindre les récalcitrants dans les limites territoriales de sa juridiction. Malheur à qui, par son obstination, se jetterait en dehors des voies tracées par l'épiscopat: il encourrait la déchéance et s'excommunierait lui-même ».

Eodem fere modo S. Cypriani doctrinam expressit P. Aemilius Mersch (*Le Corps Mystique,* études de théologie historique, p. 29).

Huius divinae traditionis testimonium praeclarum habetur in S. Liturgia: *a*) quoad collegium apostolorum, v. g. in oratione in festo S. Matthiae: « Deus qui b. Matthiam apostolorum tuorum collegio sociasti... »; *b*) quoad collegium episcoporum in formula consecrationis episcoporum ut legebatur in Sacramentario Gelasiano; in ea enim petebatur a Deo ut infunderet in episcopo potestatem super Ecclesiam et universam plebem.

[6] Praeclarus card. Billot fidelissimus S. Thomae discipulus sic loquitur de collegio apostolorum: « Et re quidem vera, Ecclesia quam (Christus) post se in terris reliquerat nonnisi a collegio apostolico plantandam aperte declarabat, dum apostolis solis conferebat missionem sine qua, cum de supernaturali instituto agitur, tentamen frustraneum, omnis demum opera cassa atque irrita est » (*De Ecclesia,* p. 241, ed. 1927).

clarificentur, quatenus id fieri possit, in commissione theologica, et quidem ita ut, ad normam ordinis Concilii, omnibus patribus qui id necessarium existiment et opportune petant detur facilitas interveniendi, ut securo gressu ulterius procedi possit.[7]

4

EXC.MUS P. D. HUMBERTUS ALTOMARE
Episcopus Muranus

Parcite mihi qui minimus in hac assemblea audeo aliquid dicere contra quod propositum est in hoc schemate, cap. II « de episcopis coadiutoribus et auxiliaribus ». Ex experientia loquor quia fui episcopus auxiliaris optimi archiepiscopi felicis recordationis et nunc sum episcopus residentialis.

Officium episcopi auxiliaris et coadiutoris, mihi videtur, in parva vel media dioecesi omnino supprimendum est.

Non loquor de dioecesi nimis magna quae, ob rationabilem causam, dismembrari non potest; nam hoc in casu supponitur episcopus residentialis viribus validus ac potens qui bene suam dioecesim gubernat, dum auxiliarii in definitis mansionibus vel in definitis partibus suum episcopalem apostolatum exercere valent.

Difficultas habetur quando de media vel parva dioecesi agitur, quando episcopo residentiali infirmitate vel provecta aetate gravato datur alter episcopus in auxilio.

Si episcopus auxiliaris debet esse tantum administrator Confirmationis vel officiator alicuius caerimoniae, melius videretur has facultates committere alicui praelato ipsius dioecesis.

Si e contra episcopus auxiliaris mittitur ut adiuvare possit episcopum

---

[7] Sic intelligimus cur in manualibus theologiae dogmaticae, in maioribus trac tatibus de Ecclesia et in operibus specialistarum et exegetarum proponatur exsistentia collegii apostolorum et episcoporum ut doctrina Ecclesiae quae negatur a protestantibus liberalibus (Zapelena, *De Ecclesia Christi,* pars I, ed. 1950, p. 173); ut doctrina de fide (v. g. a Tanquerey et Salaverri, a Sullivan); similiter a Schmaus in *Theología Dogmática,* ed. 1955, La Iglesia, pp. 148, 154, ab Ottone Karrer, in *Problemi ed Orientamenti di teologia dommatica,* libro edito Mediolani anno 1957 cum praesentatione archiepiscopi mediolanensis card. Ioannis Montini. Citari etiam possunt Tromp in opere *Corpus Christi quod est Ecclesia,* Van Laak in *Repetitorio,* p. 293, Dieckman, *De Ecclesia,* ed. 1925, pp. 198 et 394; D'Herbigny, *De Ecclesia,* vol. II, ed. 1927, pp. 283 ss.

Quoad specialistas sufficiat citare A. Medebielle in *Suppl. Dict. de la Bible,* vol. II, c. 590, a. Michiels, D.A.F.C., (*Evêque*) c. 1785; F. Prat in D.R.C. (*Episcopat,* c. 1656 et ss.) et J. V. Bainvel in eodem dictionario (*Apôtres,* c. 1650); quoad exegetas sufficiat citare P.J.M. Lagrange (*Ev. selon S. Luc,* ed. 1921 ad caput 22, 32, p. 554).

residentialem etiam in administratione dioecesis tunc ponitur dilemma ut dicitur cornutum:

Episcopus in hoc casu aut aliquid facit, aut non facit: si aliquid facit, humanissimi patres, perturbationem episcopi residentialis suscitare potest, tanquam reformator; si nihil facit eius praesentia evaderet inutilis et forsitan perniciosa.

Quod dictum est de auxiliari dici potest etiam de coadiutore, immo coadiutor, tamquam proximus successor ipsius residentialis, etiam nolens ad se attrahere potest benevolentiam partis cleri et fidelium ita ut practice dioecesis in duas partes dividatur.

Hoc periculum non est mere hypotheticum sed reale si in ipso schemate, folio 10 sub art. 9, ubi agitur de relationibus inter coadiutorem et coadiutum, valde commendatur obsequium, reverentia, fraternitas et reciproca aestimatio.

Si periculum adest melius est illud vitare; et vitare faciliter possit si quod statutum est in art. 16, par. 1 huius capitis in practicam redigatur.

Bene dicitur in folio 11, lin. 26: « Episcopi residentiales ceterique in iure ipsis aequiparati, qui ob permanentem valetudinis defectum vel ob ingravescentem aetatem aliamve gravem causam, implendo pastorali muneri minus apti evaserint, enixe rogantur ut, ob Dei atque animarum amorem, sua ipsi sponte renuntiationem ab officio faciant ».

Sed melius sit si in his circumstantiis ipsa Sedes Apostolica intervenire possit ad recolendam episcoporum memoriam huius capitis quod nunc libere statuimus; ratio est quod si decisio renuntiationis ex nobis tantum pendet difficiliter renunciatio fierit quia nemo est iudex in causa propria. Certo certius durus est hic sermo, sed pro bono Ecclesiae necessarius.

Si ergo episcopus aegrotus vel superadultus renunciationem ab officio facit non videtur amplius, ut diximus, necessitas episcopi auxiliaris vel coadiutoris in parva vel media dioecesi, ut probare voluimus.

Sed quia homines sumus et nihil humani a nobis abest, optime proponitur in folio 11, art. 16, par. 2, congruum emolumentum, decens substentatio, onorificentiae etc. pro episcopo renuntianti.

Ex dictis, puto, sequuntur omnia bona:

1. Bonum episcopo renuntianti qui per multos annos in sua dioecesi operatus est et bene meruit, forsitan ultimis temporibus involuntarie destruere posset quod accurate et laboriose aedificavit.

2. Bonum novo episcopo qui, in dioecesi plena et originaria potestate praeditus, potest cum fervore iuvenili libere agere.

3. Bonum praesertim saluti animarum quae ex unitate regiminis et actionis et ex renovato fervore novi episcopi omnia bona recipere possunt.

5

EXC.MUS P. D. CUSTODIUS ALVIM PEREIRA

Archiepiscopus de Lourenço Marques

Ad n. 15 § 2, pag. 11. Nullum malum ut capitulum cathedrale privetur iure eligendi vicarium capitularem ubi auxiliaris invenitur. Ut dicitur in nota 11, pag. 12, ratione dignitatis (quam capitulares saepe spernunt) opto ut ipse auxiliaris, vel senior, si sunt varii, *semper* fungantur munere administratoris apostolici sede vacante. *Deleatur* ergo, pro bono Ecclesiae, illud « optandum », et lex simpliciter statuatur.

6

EXC.MUS P. D. ALOISIUS BARBERO

Episcopus Viglevanensis

Non facilis sane, immo salebrosa in praxi evadit quaestio « quandonam commendanda sit episcopo renuntiatio ».

Rationes hinc inde militantes, nempe nexus iuridici, pastorales, affectivi inter episcopum et suam Ecclesiam necnon legitimae fidelium exigentiae ad quotidiana pascua dynamico modo et temporibus accommodata sollicite accipienda, optime in relatione huius capitis sunt recensitae praesertim si ad hoc recurritur quando aliter, puta episcopo coadiutore, provideri non potest.

Sed silentio praetereundum non est periculum quod ipsum coadiutoris remedium malo medendo peius aliquando non evadat.

Ad quod recte diiudicandum et, quantum fieri potest, solvendum haec in mentem revocare oportebit.

1. « Animarum salus lex est in Ecclesia suprema », ut dicitur in prooemio schematis. Et quidem optime. Christus enim characteres boni pastoris describens docuit: « Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis ». Animam, scil. vitam! Nemo tamen ignorat saepe esse facilius vitam pro ovibus generose offerre quam ab ipsis ovibus voluntarie separari; sed pariter experientia comperitur ipsum pro ovibus amorem talem non raro suggessisse propositionem verba illa S. Ignatii martyris ad Polycarpum memorando: « Christianus ad se non pertinet ».

2. Remedium episcopi coadiutoris estne reapse efficax remedium, praesertim si coadiutor iisdem ac coadiutus pollet facultatibus?

Sapientioribus ac prudentioribus ea perpendere quae in quotidianis adiunctis accidere possunt, non obstante bona utriusque partis voluntate ad consonum velle et nolle in regimine exercendo ne ullo modo porta ad diarchiam aperiatur, mihi tantum liceat dubium exponere utrum in hoc casu integrum remanere dici possit episcopatum qui iure divino-apostolico monarchicus est.

Neminem certo latet quanta cum cura S. Ignatius martyr — exeunte primo saeculo et secundo ineunte — talem episcopatus characterem in suis praedicaverit epistulis ad Ecclesias Asiae *utpote radix ac fons unitatis, sanctitatis et regiminis.*

Episcopatum monarchicum clare etiam commemorat pro Ecclesia Smyrnensi, uti apparet sive in Epistula ad hanc Ecclesiam, sive in Epistula ad Polycarpum, qui, ut refert S. Irenaeus (eiusdem Polycarpi discipulus), una cum Eusebio, Tertulliano ac S. Hieronymo, ab apostolo Ioanni ordinatus ac episcopus Smyrnensis constitutus fuerat. Hanc esse apostolicam normam clare patet ex ratione agendi apostolorum necnon S. Pauli, qui monarchico modo Ecclesias regebant et novis Ecclesiis discipulos praeficiebant — e. g. Titum Cretensi et Timotheum Ephesinae — presbyterii opera persaepe utentes: nempe presbyterorum et diaconorum, quamquam talia vocabula haud raro promiscue adhibebantur.

« *Episcopus - Presbyteri - Diaconi* ».

Omnia et omnes in episcopo et ab episcopo, qui uti pastor est sacerdos, propheta et rector: « Non licet sine episcopo neque baptizare, neque agapem celebrare; sed quodcumque ille probaverit hoc et Deo est beneplacitum, ut firmum et validum sit omne quod peragitur » (*Ad Smyr.* VIII).

« Ubi comparuerit episcopus, ibi et multitudo sit, quemadmodum ubi fuerit Iesus Christus ibi catholica est Ecclesia » (*Ad Smyr.*). Uno verbo: « Nihil sine episcopo... omnes adhaerere debent episcopo ut citharae cordae ».

Non clare videtur quomodo talis unio immo et unitas in casu coadiutoris cum iisdem facultatibus ac coadiuti intacta manere possit. Quapropter valde videtur commendandum in casu permanentis valetudinis defectus vel alius gravis causae, enixe rogare ut sponte fiat renuntiatio et pro ingravescente aetate aliqua regula indicetur quae, utpote generalis, suas exceptiones habere possit.

Ad hoc, aliquo modo, decernendum alia adest ratio, revera gravis, illa nempe quae aetatem respicit « parochorum » ut dicitur in Appendice III, n. 29 (cessatio parochi a munere) schematis *De cura animarum.*

Omnes etenim norunt quot et quantae difficultates nec non *animarum detrimenta* ex ingravescente aetate vel ex permanente valetudinis defectu parochi *inamovibilis* oriantur.

Excepto casu, revera rarissimo, voluntariae renunciationis, pacifica solutio unice haberi posse videtur quando aliqualis adesset indicatio aetatis ut in citato n. 29 App. III, *De cura animarum,* legitur.

Sed quomodo haec agendi ratio parochis applicari poterit si nullo modo eadem ratio etiam pro episcopo valeret.

Nonne inde fas erit parochis respondere: « eadem quippe mensura qua mensi fueritis remetiatur et vobis? ».

Ergo valde laudandum est quod in schemate, n. 16 et nota 12, asseritur nempe suasio ad sponte renuntiandum ob Dei atque animarum amorem,

praesertim si ad vitandam diarchiam et ad regimini episcopatus monarchico vulnus nullimode inferendum prae oculis habeatur intentio.

Hoc modo duplex principium salvabitur: nempe et « animarum salus et regimen monarchicum Episcopatus ».

7

EXC.MUS P. D. GILBERTUS BARONI
Episcopus Albiganensis

Adhuc loquor de cap. II praesentis schematis; sed, aliter ac fere omnes qui antea locuti sunt, mihi propono, non observationes particulares exhibendi, nec sententiam dicendi circa aliqua puncta: ita spero me non iterare quae iam dicta sunt.

Mihi in animo est duas observationes vobis proponere, generales quidem, quae tamen mihi videntur iuvare accuratiorem structuram huius cap. II et faciliorem singulorum problematum solutionem.

In primis: in hoc capite mihi videntur adesse ultima consectaria defectus totius schematis: scil. schematis structura, est tota circa personas singulas, fere omni abstractione facta a communitate: sermo est de episcopo, de coadiutore, de auxiliari; omnia diudicantur sub specie eorum iurium, facultatum et etiam legitimarum utilitatum aut privilegiorum honoris; sed nunquam prae oculis habentur, nec principaliter nec saltem pari tractu et congruenter, realitas, firmitas unitaria, necessitudines institutionales communitatum, quibus singulae personae ordinantur.

Totus sermo ergo est de iuribus, de facultatibus et privilegiis personarum. Eius digestio, est necessario subiectivistica et aliquo modo privatistica; propterea non exhibet fundamenta clara et certa ad problemata difficiliora enuncianda: e. g. relationem episcopi cum coadiutore vel auxiliari, necnon limitem aetatis episcopi etc. quae problemata, vaga evadunt et commissa affectibus vel piis exhortationibus.

Certo non deest intentio finaliter prosequendi scopum ultimum, nempe salutem animarum; quae tamen eminet tantum indirecte, quia deest fundamentum theologicum et institutionale, i. e. Ecclesia particularis, utpote communitas unitaria et organica.

Schemata nostra — schemate *de Ecclesia* incluso — conformantur methodologiae theologicae et iuridicae saepius individualisticae: etiam in schemate hoc, et quidem in cap. nostro II, personae ergunt et quasi se a communitate seiungunt.

Hoc modo episcopus quasi exhibetur *extra* et *supra* suam Ecclesiam particularem. Ita omnia problemata quasi insolubilia fiunt.

Hoc maxime vellem commissioni competenti humiliter commendare: schema hoc recogitetur et speciatim hoc cap. II funditus redigatur; ita ut expositio tota, initium et fundamentum habeat in adaequata enucleatione doctrinae Ecclesiae particularis.

Forsan aliquis obiiciet non esse hanc sedem propriam.

Respondeo: et quidem; quod attinet Ecclesiae particulari utpote mysterio, pertinet ad schema *de Ecclesia*; sed quod attinet Ecclesiae particulari utpote structurae visibili, i. e. utpote communitati institutionali organice articulatae, pertinet ad hoc nostrum schema de episcopis, praesertim in hoc capite: sive consideratae in se ipsa (episcopo, auxiliaribus, presbyterio et ministeriis inferioribus nec non communitatibus inclusis) sive consideratae relate ad alias Ecclesias particulares finitimas eiusdem provinciae metropolitanae vel eiusdem regionis ecclesiasticae.

Quam admirabile exemplum nobis exhibet ius canonicum antiquum, a quo omnia problemata de quibus agimus, perpenduntur sub specie communitatis: si fas est vellem suggerere commissioni competenti comparationem cum multis canonibus ante decretum Gratiani de renuntiatione episcoporum, de episcopis coadiutoribus etc.

Facile pateret, problema nobis propositum hoc esse: inveniendi lineamenta essentialia Ecclesiologiae et systematis institutionum ecclesiasticarum, a quibus non feliciter digressi sumus per amputationes et depauperationes decursu saeculorum.

Pariter forsan magnae difficultates nos crastina expectabunt, cum de cap. III disceptabimus, circa conferentias episcopales; ipsae in tali schemate exhibentur ut merae abstractiones; nempe simplices coetus episcoporum seiuncti ab eorum communitatibus — nationalibus vel regionalibus —.

Secunda observatio pertinet ad thema de quo sermo iam factus est, sed semper per transennam, durante hac sessione. Hucusque sedem propriam non invenit in qua posset exhaustive tractari.

Est thema de unitate cleri, totius cleri, saecularis et regularis, circa episcopum: quod connectitur necessario problemati sic dictae exemptionis. De hoc themate, schema *de Ecclesia* in cap. IV, par. 34 habet incidentaliter aliquas lineas, et de ipso locuti sumus in disceptatione de statibus perfectionis; sed tam imperfecte et improprie, ut in animis nostris remanserit tantum, amaritudo problematis maximi momenti iam praeiudicati, quin fieret consulto et exacte propositio ipsius problematis. Quod in schemate *de Ecclesia* de exemptione religiosorum dicitur, non respicit proprie doctrinam theologicam de Ecclesia; sed potius eius structuram utpote societatem iuridicam: propter hoc transferendum in hoc cap. II praesentis schematis.

Hic congruenter et organice loquendum est de unitate Ecclesiae particularis; de unitate episcopi cum eius auxiliaribus; de unitate episcopi cum omnibus sacerdotibus, quomodocumque occupatis in actione pastorali in sinu eiusdem Ecclesiae, intra fines eiusdem dioecesis.

Neque putandum hoc problema differendum esse ad schema de religiosis: quia iterum iterumque res non est tractanda sub specie personarum, earum iurium et privilegiorum; sed *sub respectu unius communitatis, nempe Ecclesiae particularis.*

Propterea postulo a schemate *de Ecclesia* excerptari ultimam partem

par. 34 cap. IV de exemptione religiosorum; ipsam transferendam esse in hoc cap. II cum convenientibus mutationibus necessariis ad unitatem Ecclesiae particularis affirmandam, servatis tamen finibus propriis cuiusque instituti religiosi, et salva semper Romano Pontifici facultate sibi reservandi in ipsis, peculiarem iurisdictionem.

De hoc ultimo puncto tradam in scriptis secretariatui propositionem novae redactionis totius materiae, per summa lineamenta tantum, de unitate Ecclesiae particularis et de exemptione religiosorum.

8

Exc.mus P. D. MICHAEL BLECHARCZYK

Episcopus tit. Iotanus, aux. Tarnoviensis

Sit mihi venia de « adintegratione » muneris seu institutionis episcopi auxiliaris sequenti modo proponere:

1. Inde ab ipsis temporibus apostolicis unicuique ecclesiae particulari unus tantum praeerat episcopus tamquam pastor, cui presbyteri et fideles plenam praestabant oboedientiam et quem intimo prosequebantur amore. Ecclesia enim a suis primordiis apparet ut « acies bene ordinata » et « grex pastori suo adhaerens ».

2. Eodem fere tempore — ut periti in scientiis ecclesiasticis ostendunt — praeter hunc unum pastorem alii etiam adsunt episcopi, qui non sunt proprie pastores, quamvis « manus imponant et dent Spiritum Sanctum ». Episcopi isti varias sortiuntur denominationes; dicuntur chorepiscopi, episcopi titulares, in partibus infidelium vel auxiliares. Praeter diversa nomina, diversus erat eorum numerus et — imprimis — diversa auctoritas.

3. Tempore praeparatorio ad praesens Concilium Oecumenicum orta est idea seu tendentia munus episcopi integrum ac plenum reddendi, seu — ut dicitur — « adintegrandi » (« das Bischofsamt aufwerten »); quae idea omnino orthodoxa, menti nostrae evidens et cordi quam maxime acceptabilis videtur. Quae cum ita sint, liceat mihi, em.mi ac exc.mi Patres conciliares, modum proponere munus episcopi auxiliaris « adintegrandi » et quidem in triplici relatione: ad Sedem Apostolicam, ad conventus seu conferentias regionales episcoporum et ad episcopum residentialem:

a) relate ad Sedem Apostolicam unum proponitur, i. e., ut omnes episcopi auxiliares (vel saltem maior ipsorum pars) non ad personam episcopi residentialis, sed ad servitium determinatae dioecesis in futuro constituantur. Novus hic titulus, hodiernum certe implicans, munus episcopi auxiliaris absque dubio « adintegrabit » ipsumque episcopum eo firmius dioecesi devinciet;

b) relate ad conferentias regionales episcoporum duo proponuntur, scil.: ut omnes episcopi sine ullo discrimine sint eorundem conventuum membra cum aequali iure votandi in omnibus rebus, paucis nonnisi maioribus

forsitan exceptis; et secundo, ut in casu absentiae episcopi residentialis ipso iure eum repraesentant;

c) relate ad episcopum residentialem triplex hic terminus distinguendus est: persona ipsius episcopi residentialis, deinde eius presbyteri dioecesani, denique eius grex.

aa) Relate ad personam episcopi residentialis quinque proponuntur:

primo, ut episcopi auxiliares membra sint specialis « Consilii episcopalis » ex solis episcopis constituti;

secundo, ut in sessionibus huius Consilii episcopalis omnes res — etiam maiores — mutuo examini subiiciantur;

tertio, ut decisiones episcopi residentialis fiant semper de auditu episcopi auxiliaris;

quarto, ut decisiones episcopi residentialis, praesertim in quibus consensus capituli cathedralis iure postulatur, fiant a fortiori de consensu episcopi auxiliaris;

quinto, ut ipsum vicarium generalem faciat;

bb) relate ad presbyteros unum proponitur: ut rationes et motiva episcopi auxiliaris quoad idoneitatem, dignitatem vel officium demandandum, quoad promotionem, correptionem, amotionem, visitationem presbyterorum, ab episcopo residentiali vere et sincere ponderentur;

cc) relate ad gregem unum proponitur: ut in casu dismembrationis dioecesis super singulas partes territorii episcopi auxiliares constituantur cum plena tamen dependentia a vero gregis pastore, qui est episcopus residentialis.

4. Quae omnia dum vobis, em.mi ac exc.mi Patres conciliares, humillime ac instantissime diiudicanda ac discernenda proponere audeo, spes mihi simul affulget fore, ut respectiva « adintegratio » a Concilio Oecumenico inducta nos episcopos Sedi Apostolicae eo firmius adhaerere faciat, collegii episcopalis auctoritatem, unitatem et caritatem corroboret et potissimum episcopis residentialibus eo operosiorem caritatem et efficacius adiutorium ex parte episcopi auxiliaris conciliet ad Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem et animarum salutem.

9

Exc.mus P. D. PETRUS BOILLON
Episcopus Virodunensis

De episcopis titularibus. Mos est in Ecclesia latina titulos dioecesanos dandi episcopis non residentialibus. Qui mos hodie importuna videtur e diversis rationibus, scil. biblica, theologica, pastorali, convenientiae et oecumenica.

1. Ratio biblica. In Novo Testamento apostolorum cooperatores nonnulli apparent qui non ad Ecclesiam particularem determinatam pertinent. Unde intelligitur titulus dioecesanus non esse necessarius.

2. Ratio theologica. Titulus non residentiali episcopo afficitur ex eo quod in Codice Iuris Canonici non apprehenditur episcopus nisi ratione alicuius

dioeceseos. Atqui, e Concilio Vaticano II altera apparet ratio, i. e. ratio collegii episcoporum. Sufficit ergo episcopum collegio episcoporum inhaerere ut sit vere et plene episcopus, nec utilis est ratio alicuius dioeceseos.

3. Ratio pastoralis. Episcopus non residentialis munus aliquod in Ecclesia accipit. Melius est si sub illo respectu designatur, v. g. episcopus auxiliaris Parisiensis. Quod munus quidem illi suae vitae actionisque pastoralis obiectum est principale.

Episcopo autem qui suae dioeceseos renuntiationem fecit, remanet illius dioeceseos principalis dilectio, atque orationes et valetudinis aut senectutis cruces pro illa dioecesi cotidie offert. Multo melius est ergo si designatur sub hoc titulo: v. g. *Episcopus emeritus talis dioeceseos.* Qui titulus ius ei concedere potest et proprium huius dioeceseos officium divinum servandi, et in ea sepulchrum obtinendi quae illi fuit ecclesia cathedralis, et a dioecesi sustentationem accipiendi.

4. Ratio convenientiae. Titulus sub quo titularis episcopus inscribitur saepe tum fidelium tum infidelium admirationem suscitat. Pluries titularis ipse aegerrime situm et naturam, a fortiori historiam tituli sui cognoscit. Ego doctissimos filios S. Benedicti interrogare debui ad obtinendam relationem paene vacuam. Ius non habet titularis dioecesim visitandi. Orare tantum debet, dummodo homines et non tantum ruinas continet. Unde fidelibus fateri cogitur titulum mere fictionem iuridicam et formalisticam esse. Atqui coaevi nostri sunt realisti nec formalismum ac titulos irreales admittunt.

5 et ultimo. Ratio oecumenica. Tituli persaepe assumuntur e regionibus quae sub orientali iurisdictione degunt, ideoque orientalibus episcopis pergrati non apparent. Quod manifestum ex eo est quod titularis ius non habet visitandi...

Attamen magis importuni quidam videntur. Ego ipse episcopus titularis fui Mainensis in Graecia. Mainensis autem dioecesis erecta est per istum funestum et odiosum sub specie Crucis bellum, quando proh dolor! urbs Constantinopolis a latinis capta est. Unus tantum episcopus latinus in ea remansit et quidem per quattuor annos, quia aufugere coactus est, incolis eum occidere cupientibus. Num opportunum videtur talia ad aeternam memoriam traducere in personis episcoporum Ecclesiae Romanae?

Conclusio. Id peto ne episcopi non residentiales sub titulis mere formalisticis nec ulli realitati conformibus inscribantur, sed sub munere et ratione vera quae eorum vitae aptetur.

10

Exc.mus P. D. HIERONYMUS BARTHOLOMAEUS BORTIGNON
Episcopus Patavinus

a) Ad n. 7, linn. 21-23. Quod coadiutori detur de regula ius successionis: 1) moestum, potius vitandum, nuncium funeris iam iam imminentis videtur aliquando sonare episcopo coadiuto; 2) periculum non imaginarium

inducit divisionis pro sacerdotibus dioecesanis, quorum alteri orientem solem, alteri occidentem veneraturi erunt; 3) in discrimen adducit tranquillitatem seu temperiem illam ambientalem, quae necessaria videtur cuilibet fructuoso pastorali dioeceseos regimini; 4) cedere posset in incommodum non leve ipsius Sanctae Sedis, pro casu, quo coadiutor, quacumque de causa, minus aptus muneri sese revelaret aut non bene visus clero et fidelibus evaderet.

Hae rationes a fortiori urgent, si coadiutor concedatur non episcopi aegritudinis vel provectae aetatis causa, sed propter nimiam dioecesis amplitudinem, quae sanari per dismembrationem aut nequeat aut non expediat.

Coadiutoria sine iure successionis non tantum relinquit Apostolicae Sedi maiorem libertatem pro futura successione seu provisione dioecesis, sed ipsi coadiutori incentivum optimum exhibet ut prudenter sese gerat; accedit quod sacerdotes dioecesani libentius, minore scil. anxietate et suspicione, accipiunt coadiutorem si illum sciant non necessario successurum et maiori etiam sinceritate erga ipsum sese habent.

b) Ad n. 8, linn. 27-28. Omittenda videntur verba « nulla tamen facta episcopo coadiuto facultate sibi quidpiam reservandi ». Ratio est, quia dicta verba videntur contradicere doctrinae de episcopatu monarchico iamdudum in Ecclesia receptae, quam ideo inficere erroneum est sub respectu doctrinae et periculosum sub respectu sanae praxis.

c) Ad n. 16. Humiliter sentio Concilium de renunciatione episcoporum silere potius debere. Silentium enim Concilii intactam opportune relinqueret sive antiquissimam traditionem, vi cuius fere semper pastor gregis in medio gregis a se custodito et nutrito moritur, sive facultatem S. Sedis tempestive interveniendi si quando renunciatio vere necessaria est aut utilis et sine incommodis obventura videtur.

Submisse denique dicere audeo materiam n. 16 esse vel de rebus satis obviis vel de rebus iuridicis et minoris momenti. Quod illae solemniter in Concilio tractentur quamdam admirationem causare potest, quasi verificati essent casus deprecabilis carentiae (quod, ut plurimum, non est); istae autem sine damno melius demandarentur ad Codicem reformandum.

11

Exc.mus P. D. VINCENTIUS BRIZGYS

Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

1. *De aetate et emeritura.* Ordinati et consecrati sumus, ut sacri ministerii munere fungamur in redemptionem animarum. Non sumus igitur, neque considerari fas est nos ad instar functionariorum status vel membrorum alicuius societatis commercialis. Non annis ideo computandum est servitium nostrum, sed potius capacitate uniuscuiusque. Capacitati autem non datur ulla mensura valens pro omnibus. Bene se expressit celeberrimus homo politicus aetatem senectutis non ab annis computandam esse, sed ab eo quomodo quis se habet. Existimo inopportunum esse ponere limitem fixum aetatis ser-

vitii ecclesiastici. Ex altera autem parte nemo nostrorum potest se considerare proprietarium alicuius dioecesis vel paroeciae. Quando quis iam non potest suo munere debite fungere, propter bonum animarum debet amoveri vel transferri. De hoc opportune iudicent, qui competentem potestatem habent. Deum servire et animas salvare possumus semper et ubique etiam quando non habemus directam responsabilitatem pro tali vel tali territorio. Ad nostram dispositionem manent semper oratio, poenitentia et innumerae opportunitates animas iuvare.

Dignum et iustum est cogitare de tranquilla et secura senectute vel infirmitate eorum, qui in labore annos et vires consumpserunt. Verumtamen non decet nimis insistere super rem oeconomicam. Iis, qui solliciti fuerunt et sunt de regno caelorum, cetera, pane quotidiano incluso, addet Deus. Et quis possit huic promissioni non credere.

2. *De episcopis coadiutoribus et auxiliaribus.* Titulus episcopi coadiutoris mihi abolendus esse videtur. Permulta dici possunt de inopportunitate utriusque (et coadiuti et coadiutoris), quando coadiutor cum iure successionis datur Ordinario sine ipsius desiderio.

Si Sancta Sedes opinionis sit aliquem ex Ordinariis non posse debite providere gubernio dioecesis, vel si ipse Ordinarius de se taliter sentit, proponatur dimissio vel provideatur per episcopum auxiliarem.

Secundum meam opinionem titulus auxiliaris personae dati minus felix apparet. Unde concludo proponendo, ut in novo C.I.C. nonnisi de episcopo auxiliari sermo fiat, vel nihil amplius addendo, vel si addatur, dicatur sedi datus, sine ulla tamen mentione successionis.

Heri unus exc.mus Pater proposuit opportunitatem alicuius normae providentis de episcopis expulsis ex propriis dioecesibus et patria.

Sum unus ex his expulsis — ex Lituania. Exc.me Pater, quam maximas tibi gratias ago.

Iustitia tamen et gratitudo imperat mihi repetere hic verba piae memoriae archiepiscopi Michaelis Rachl, episcopi Eichstettensis in Germania: « Et tamen pulchra est nostra religio ».

Fungens missione a Sancta Sede mihi commissa, iterum atque iterum peragravi regiones Americae Septemtrionalis et Canadae, Americam Latinam, Australiam et Novam Zelandiam. Post 12 annos affirmo ubique et semper in personis em.morum et exc.morum praesulum me invenisse veros fratres in Christo, ita ut Deo et ipsis iuvantibus nunquam aliquid necessarii mihi defuit. Haec est quasi providentialis occasio haec verba pronuntiare coram praesulibus ex omnibus partibus mundi congregatis. Omnino particulares gratias ago beatae memoriae card. Samueli Alfonso Stritch, arch. Chicagiensi et eius successori em.mo card. Alberto Gregorio Meyer, hic praesenti.

12

EXC.MUS P. D. MICHAEL ANGELUS BUILES
Episcopus S. Rosae de Osos

Schema *de episcopis ac dioecesium regimine* comprehendere posset non tantum vicarios a S. Congregatione a Propaganda Fide dependentes, sed praefectos etiam apostolicos pariter ab eadem S. Congregatione pendentes, necnon praelatos nullius, quia officia eorum quoad potestatem iurisdictionis eadem sint ac officia episcoporum residentialium, saltem quod pertinet ad substantiam, ita ut iuxta can. 198 Ordinarii loci aequaliter omnes sint.

Altera ex parte, ex voluntate Sanctissimi Patris Pauli VI, supradicti praefecti ac praelati nullius, patres conciliares sunt pro hac secunda periodo Concilii Vaticani II.

Et quoniam hodie gubernia civilia nolunt praefecturas apostolicas habere, bonum esset si Sacra Synodus statuat dignitatem episcopalem pro omnibus praefectis apostolicis ac praelatis nullius.

Igitur enixe ac reverenter Sacrosanctum Concilium rogo ut omnes praefectos ac praelatos nullius, episcopi fiant et ipsa terminologia « missionis » mutetur, ita ut in Ecclesia distinguantur episcopi a S. Congregatione de Propaganda Fide pendentes, et episcopi qui a S. Congregatione Consistoriali, ut hodie est, diriguntur.

13

EXC.MUS P. D. CONSTANTINUS CAMINADA
Episcopus Ferentinus

Ad n. 16 observo:

1. Statuere principium oportebit: « sedes pro sedente? » aut: « sedens pro sede? ». Si salus animarum suprema lex, evidens evadet principium: « Sedens pro sede! » cum suis logicis consectariis. Vitarentur maximae animarum iacturae! Si bonus pastor animam suam dare debet pro ovibus suis, cur non etiam, suo tempore, etiam sedem?... Parochus quidam dioecesis Comensis (loci vulgo « Mandello Lario »), sponte renuntians paroeciae ob aetatem, suis fidelibus declaravit: « Puto, mea renuntiatione, vobis offerre maximum testimonium mei amoris! ».

2. Norma iuridica de renuntiatione cedit in bonum episcopi. Nam hodie renuntiatio generatim consideratur ut minoratio (italice « declassamento ») personae. Si principium iuridicum statuatur, episcopus renuntians totum suum honorem (non mere externum) conservat.

3. Episcopus coadiutor, etiam magnis praeditus facultatibus, difficillime potest initium dare pastoralibus inceptis, quae saepe — praesertim nostris temporibus — vere necessaria et maxime urgentia sunt.

4. Nunc optimam occasionem habemus praebendi parochis, qui ob valetu-

dinem vel aetatem implendo pastorali munere minus apti evadunt. Quomodo senescens episcopus, qui dioecesi renuntiare non vult, suo parocho ut paroeciam relinquat persuadere potest?

14

EXC.MUS P. D. PETRUS CANTERO CUADRADO

Episcopus Huelvensis

« Non debet reprehensibile iudicari, si, secundum varietatem temporum, statuta quandoque varientur humana, praesertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex his quae in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo ». His verbis Concilii Lateranensis IV (Conc. Oec. Decr. Herder, 233, 25-29) satis exprimitur principium mutationum legum et institutorum.

Hodie, mutatis temporibus, ad curiam episcopalem hoc principium applicandum est, de qua curia schema nihil dicit.

Nemo non videt quot et quam maximas immutationes sive idearum sive structurarum humanitas nostrorum temporum sustineat. Quarum effectio tumultuatim in mundo universo in dies maturantur, praesertim propter instrumenta technica « informationis » de actualitate non tantum — ut ita dicam — « epidermica » (eventus, notitias, etc.) verum etiam de actualitate altiore, i. e., de systematibus idearum, de formis vitae, de tendentiis ideologicis, etc.

Ecclesiae quidem maximi momenti est, ut collective noscat et exploret progressus et naturam harum mutationum, maxime autem mentalitatis populorum et hominum nostri temporis. Hoc admittere et considerare cogimur, nempe: sub aspectu *quantitativo* relationes statisticae praebent, in his ultimis 75 annis, incrementum numeri catholicorum relate ad incrementum totale incolarum mundi tantummodo attingere 14 centesimas unius ad centum. Sub aspectu vero *qualitativo* cultura, quae technica dicitur, secum affert, saltem factu, novas formas cogitationis et vitae, quae crescunt non tantum extra muros Ecclesiae, sed etiam contra ipsam mentem et sensum Ecclesiae.

Ecclesia autem, sua ipsius missione sanctificatrice et salvifica, fermentum supernaturale esse debet totius sic dictae « explosionis demographicae », et « supplementum animae » huic culturae technicae praebere, ope actionis pastoralis et oecumenicae, necessitatibus populi Dei consentaneae. Nunc vero, actio pastoralis et oecumenica quae ex una parte exercentur sine collaboratione vere activa Religiosorum et laicorum, et alia ex parte non fulciatur institutionibus et methodis aptis ad facta socialia et culturalia populi Dei, difficile consequi poterit unitatem et permanentiam necessariam ad finem propositum adipiscendum.

De facto, mea quidem sententia, quaedam institutiones iuridicae Ecclesiae, iuris positivi, tam in gradu iuris publici quam in gradu iuris interni, prout in Codice Iuris Canonici dispositae apparent, necessitatibus spiritualibus et apostolicis Ecclesiae *hodie* non respondent, inter quas curia episcopalis hodierna est.

De hac ideo curia haec dicenda putamus:

1. *Defectus.* Curia episcopalis hodierna nimis iuridice concepta et operans, respondens conservationi ordinis iuridici legalis, administrativa nimis clericalis, quin ipsi religiosi et laici actuose participent, ex quo aliquid permolesta et fidelibus et ipsi clero aliquoties apparet.

Cum vicario generali, cancellario et officiali tantum constituatur, solummodo munus regendi episcopi exprimit; minime vero munus sanctificandi et munus docendi. Tandem aliquando, munus regendi est medium ad adimplendum et attingendum munus docendi, et praesertim munus sanctificandi.

2. *Quid curia esse oporteat.* Curia dioecesana, ut organum episcopi, pertinens ad ambitum iuris publici ecclesiastici, episcopo adiuvare debet *in suo triplici munere,* regendi, docendi, sanctificandi, et quidem tum in ordine ad ecclesiam particularem, tum etiam in ordine ad totam Ecclesiam, siquidem episcopus habere debet « sollicitudinem omnium Ecclesiarum », ita ut ipsam Ecclesiam sibi commissam in bonum Ecclesiae universalis proiiciat.

Unde, praeter praedictum aspectum iuridicum regendi, curia dioecesana incumbere debet:

a) *muneri sanctificandi,* coordinando tum omnia quae ad administrationem sacramentorum et cultus in dioecesi pertinent, tum omnes institutiones et opera apostolatus, etc. etiam religiosorum. Quibus rebus praeesset delegatus episcopi pro re pastorali;

b) *muneri docendi,* ordinando et coordinando omne ministerium verbi sive in actibus cultus, sive extra hos actus, ut v. g., publicationes ephemerides, instituta docentia, scholas catechesis, etc. quae in dioecesi inveniuntur, cum collaboratione actuosa et responsabili laicorum, et praesertim ipsorum religiosorum et religiosarum. Quibus rebus praeesset delegatus episcopi pro institutione christiana;

c) *sollicitudini omnium Ecclesiarum fovendae,* cui praeficiendum esset delegatus episcopi pro re missionaria, cuius esset omnem sedulitatem pro Ecclesia universali in dioecesi et omnia instituta missionalia promovere;

d) *administrationi oeconomicae bonorum temporalium.* Notandum enim est clericos non optimos oeconomos esse solere; alia ex parte hanc functionem melius laici exsequi possunt, ut clerici verbo Dei et orationi instantes sint. Ideo esset valde conveniens ac opportunum eligere et designare aliquem laicum vel aliquos laicos ad hoc munus adimplendum.

3. *Fructus huius ordinationis.* Ita omnes aspectus et omnis familia dioecesana uniuntur et coordinantur « mente et corde » sub dictione pastorali episcopi. Exinde apparebit unitas Ecclesiae particularis non tantum in persona episcopi, modo quasi statico, sed in institutionibus et in omni vita dioecesis, organice constructa, crescens in Dominum. Curia erit instrumentum coordinationis, non tantum exhortatorie sed et institutionaliter totius vitae socialis dioecesis. Et episcopus, pastor et pater, apparebit modo dynamico per suos delegatos ut principium et centrum unitatis. Curia episcopalis, tali modo efformata, esset, de facto, tamquam verus Senatus episcopi, quin

necessario debeat esse, prout nunc de iure apparet, capitulum cathedrale, quod, initio erectionis suae non fuit sic, et respondebat, saltem in parte, muneribus antea descriptis.

4. *Conclusio.* Quapropter in schemate exponatur saltem principium seu criterium, ut curia episcopalis, prout hodierna pastoratio exigit, apte aptetur ad omnes aspectus vitae socialis Ecclesiae.

Principium illud Codicis Iuris Canonici (can. 349) quod unum vicarium generalem tantum in dioecesi novit, nisi aliud ab amplitudine dioecesis postuletur, corrigatur expresse loquendo de principio quodammodo inverso, scil.: sint tot delegati generales episcopi vicarii quot necessarii existimentur, nisi ob parvitatem dioecesis unus tantum sufficiat.

15

Exc.mus P. D. ANTONIUS CARDOSO CUNHA

Episcopus tit. Barenus in Pisidia, aux. Beiensis

Mea opinione, a Sancta Synodo statuendus est limes aetatis ultra quem episcopus residentialis non amplius regeret dioecesim.

Optima dispositio esset et episcopo et dioecesi. Nam episcopus provectus aetate raro et difficulter efficacem vitam pastoralem ducere poterit. Cum aetate, veniunt infirmitates et facultates laboris valde restringuntur. Multas quaestiones gravissimas quas cognoscere et solvere debebat ei celantur ne eius valetudo detrimentum patiatur. Sic multoties fit ut pastores, ultimis annis vitae, propter debilitatem aetatis senescentis, valde noceant dioecesibus in quibus, alioquin, optime laboraverant.

His episcopis potest Sancta Sedes imponere coadiutorem plena potestate gaudentem. Attamen, si lex generalis sit, imponens limitem aetatis, modus nobis videtur magis suavis et minus odiosus.

Non desunt vero episcopi qui, etiam in senectute, magnam activitatem evolvant in salutem animarum. Agitur enim de casibus parum frequentibus et leges respicere debent communia contingentia.

In omnibus populis excultis, viget hodie lex de limite aetatis. Meo iudicio, nullum nocumentum et dedecus erit si Ecclesia in hac materia procedat ad similitudinem societatis civilis.

Concilium Oecumenicum propositum habet, a Summis Pontificibus Ioanne XXIII et Paulo VI indictum, renovandi Ecclesiam et eam accommodandi ad circumstantias temporis nostri.

Conditiones episcopi qui ad limitem aetatis pervenit Sacrosancto Concilio bene determinandae sunt.

Decoretur honoribus et privilegiis et insuper imponatur dioecesi onus eum decenter et convenienter sustentandi.

Cura de eius sepultura ad dioecesim spectare debet.

Hoc modo, salva iustitia et caritate, in tutum ponitur decor Ecclesiae et *salus animarum* quae semper *suprema lex est.*

16

Exc.mus P. D. PETRUS CARRETTO
Episcopus tit. Zenobiensis, vic. ap. Rajaburiensis

Aurea mihi videtur regula « renuntiationis episcoporum qui aetatem nimis provectam attingerunt ». Cum rationes contra hanc regulam in hac aula allatae non semper « spirituales » sed nimis « humanae » visae sunt, mihi liceat unum verbum facere, h. e. unam regulam asceticam proferre. Cum tota vita episcopi plena sit laboribus et sollicitudinibus pro animabus sibi concreditis, quis non videt magnum esse bonum si nobis dabitur aliquot tempus ad cavendum saluti animae nostrae? et etiam nostrorum salus per orationem et contemplationem, et non per actionem?

Ratio ascetica evidens: quis ignorat valorem sacerdotis *orantis?* At immensus erit valor et influentia episcopi senis, qui vitam suam in oratione et meditatione et contemplatione impendit.

Detur nobis tempus sanctificandi ultimos annos vitae nostrae apostolicae hoc modo, liberis a sollicitudinibus et instantia quotidiana animarum nobis traditarum. Nec timeamus nostram renunciationem damnum inferre Ecclesiae Dei... In lingua nostra thailandensi est proverbium: « Ayuthaya yang mai mot khon di » quae possumus vertere: « Romae non desunt boni viri... ». Nemo necessarius in Ecclesia Dei. Quot iuniores sacerdotes poterunt episcopatum gerere et cupiunt nostrum exitum...

17

Exc.mus P. D. IRENAEUS CHELUCCI
Episcopus Ilcinensis

Quaestiones quae proponuntur in schemate *de episcopis ac de dioecesium regimine* nonnullae saltem et capitaliores haud scio an non resolvi queant nisi prius resolvantur quaestiones dogmaticae de sacramentalitate episcopatus deque collegialitate de quibus in utramque partem diu disputatum est neque ad ullam certam ac definitam conclusionem perveniri potuit saltem conciliariter.

Si, ut pro certo habeo, nullum dubium admittendum sive de sacramentalitate sive de collegialitate, animadversiones Patrum quae ex duobus enuntiatis principiis logice eruuntur, meo quidam iudicio, plenam merentur approbationem.

Ut nonnulla afferam exempla, adhaereo sententiae Ordinariorum Indonesiae quae legitur in pag. 6 n. 29 fasciculi qui inscribitur: « Emendationes a Concilii Patribus scripto exhibitae super schema decreti de episcopis ac de dioecesium regimine ».

Item censeo facultates quae intrinsece inhaerent episcopali munere potius-

quam tamquam gratuitae concessiones, tamquam iure divino debitae exhibenda esse ut in formula proposita in pag. 7 n. 40, fasc. Si episcoporum iura optimo consilio Sacrosancta Synodus asserit, roborat, vindicat, non minus in tuto ponere necesse est Summi Pontificis primatum, ut sartus tectus maneat fidei firmitatis fundamentum et Ecclesiae unitatis.

Ita censeo, omnia vitanda quae videantur illum vel minime minuere. Meum igitur facio iudicium arch. Barensis de opportunitate expungendi expressionem « sive ex rei... conservandam » pag. 6 n. 33 cit. fasciculi.

Si quae dixi parvi vel minimi momenti putentur, neque parvi neque minimi momenti est amor erga Sanctam Ecclesiam, pro cuius honore vitam ipsam sacrificare non dubitem.

Hoc amore motus adsentio toto corde principio fundamentali art. 2 et salva omnimodo libertate Summi Pontificis circa opportunitatem decernendam nec non modos statuendos et formas, probanda mihi videntur ea quae proponuntur de Consilio Apostolico. Dubius haereo de concilio oecumenico decimo quoque anno habendo, eoque magis de celebrandi modo. Melius videtur exquirere scripto sententias omnium episcoporum et ad celebrationem sollemnem convocare Romam delegatos conferentiarum episcopalium nationalium tempore et forma a Romano Pontifice statuendis.

Animadversiones additae:

Amore tantum motus sanctae Matris Ecclesiae, attente considerato cap. II de episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus, audeo proponere ut inter causas renuntiationis a munere ne ponatur aetas ingravescens, ut dicitur in schemate, eo magis quod haec aestimetur septuaginta quinque annorum, cum in multis, quin etiam in pluribus vigent facultates intellectuales et non raro etiam vires physicae. Neque enim computanda est aetas media vitae humanae ut praeteritis temporibus, cum apud omnes constet eam longiorem esse. Potius quam aetas mihi videtur tanquam criterium iudicandi ineptitudinem qua episcopus impar sui officii explendi evadat, sumendum esse, potius quam a causis ordinis physici, a causis ordinis moralis vel intellectualibus.

In statuendis relationibus inter coadiutorem et coadiutum satis apta videtur forma quae proponitur n. 102 emendationum, designando, quantum fieri potest, negotia maioris momenti.

18

Exc.mus P. D. UBALDUS EVARISTUS CIBRIÁN FERNÁNDEZ

Episcopus tit. Bidensis, prael. null. Corocorensis

1. Quod ad difficultates refertur inter episcopum residentialem et eius auxiliarem vel coadiutorem videtur facile diminui posse, etsi non omnino tolli, si in eorundem nominationem procedi non liceat inconsulto episcopo coadiuto, praesertim in quantum refertur ad personam. Desiderandum ergo ut ad nominationem episcopi coadiutoris vel auxiliaris non perveniatur inscio vel non consentiente episcopo residentiali, saltem quoad personam.

2. Quod attinet ad facultates coadiutoris vel auxiliaris cavendum est ne ita extollantur vel amplificentur contra iura ipsius coadiuti ut e contrario provisio coadiutoris vel auxiliaris neve sit in auxilium episcopi residentialis in detrimentum deveniat. Facultates igitur episcopi residentialis in tuto servandae sunt ita ut coadiutor vel auxiliaris, quorum facultates convenienter aptari et provideri debent, vere in adiutorium et non in detrimentum convertantur.

3. Cum in schema *de Ecclesia* agatur de figura et persona episcopi extollenda et in eius studio perveniatur usque ad sacramentalitatem in eius institutione et ad ius divinum in eorundem functione, absonum videtur in hoc capite « de episcopis » parvipendere eorundem figuram et illam reducere ad officium mere temporaneum. Certe salus animarum suprema lex, sed in sensu et modo quo Ecclesia, edocta et inspirata a Christo Domino, semper tenuit et docuit. Non ergo admittenda est praxis vel lex taxativa renuntiandi ad determinatum tempus, sed relinquendum ad prudentiam Romani Pontificis, cuius est iudicare de convenientia vel insuper obligatione morali renuntiationis in casibus et circumstantiis determinatis.

4. Pro his casibus determinatis non sit ius et obligatio informandi solum nec praecipue penes Nuntium vel Delegatum Apostolicum qui, utpote persona sola, facilius in errorem incidi potest, sed exquiratur etiam iudicium totius conferentiae episcopalis.

5. Quod attinet ad numerum episcoporum auxiliarium videtur minui debere. Magis interest in Ecclesia Sancta Dei figuram episcopi extolli et in tuto servari quam, propter rationes historicas vel antiquae traditionis, indivisas servare aliquae dioeceses nimis extensae, sive geographice sive demographice. Deveniendum igitur est, utique cum prudentia et attentis circumstantiis loci vel temporis, ad divisionem earum dioeceseos quae, decursu temporis, ita creverunt extensione vel numero incolarum ut, iure ordinario, ab uno solo episcopo residentiali regi et pasci non possint.

19

Exc.mus P. D. ALOISIUS GONZAGA DA CUNHA MARELIM
Episcopus Caxiensis in Maragnano

A) *Quoad episcoporum renuntiationem.*

Odiosum videtur episcopis exigere aut insinuare renuntiationem a munere, ob provectiorem aetatem aut infirmitatem permanentem, sed id eorum arbitrio relinquatur.

Ideo: pag. 9, n. 6, lin. 10. Corrigatur: « Iamvero prior difficultas cessat, si episcopus sponte a munere renuntiet, altera vero... », et pag. 11, n. 16: totum supprimatur.

Ratio est: *a*) Ex natura sua, sedes episcopalis assignatur episcopo sine temporis limitatione;

b) renuntiationis obligatio ob senectutem aut infirmitatem, etc., est quid novum contrarium apostolorum praxi et ecclesiasticae traditioni usque ad hodiernos dies;

c) generatim renuntiationis obligatio aegre accipitur ab episcopo;

d) animarum bonum non exigit ut episcopus renuntiet dioecesi suae, sed tantum, si eius administrationem, sicut oportet, exercere non potest, eamdem administrationem totaliter aut partialiter, prout casus ferat, ipsi auferatur. Sic in familia naturali patres semper manent patres, sed, data eorum incapacitate, filii maioris aetatis negotiorum familiae administrationem assumunt;

e) permanentia episcopi incapacis in sua sede, etiam sine administratione, consolatio et aedificatio et stimulum est fidelibus, sicut de apostolo Ioanne narratur.

B) *Quoad episcopos auxiliares.*

1. Ordinarie non dentur auxiliares nisi in magnis dioecesibus, aut in minoribus quando per vicarios generales sufficienter provideri non potest.

2. Detur episcopo facultas tria nomina praesentandi cum respectivis informationibus, aut saltem consulatur sub sigillo si electus a Sancta Sede sit ipsi persona grata.

Ratio est: *a*) mortuo episcopo dioecesano, si eius substitutus auxiliaribus non indigeat, isti manebunt sine alio officio aut dioecesi etiam per longum tempus;

b) auxiliarium sustentatio magnum onus est dioecesibus non divitibus;

c) si auxiliares nominentur cum beneplacito episcopi dioecesani, concordia inter ipsos multo melius promovetur.

3. Episcopus auxiliaris erit semper vicarius generalis, aut si sint plures vicarii generales, unus ex ipsis.

4. Sede vacante, si non sit episcopus coadiutor, auxiliaris ipso facto erit vicarius capitularis; si sint plures, praeferentia favet auxiliari antiquiori.

C) *Quoad episcopos coadiutores.*

1. Si episcopus, infirmitate permanente aut provectiori aetate gravatus aut alia gravi causa praepeditus, suo officio, ut oportet, explendo impar evadit, de quo Nuntiatura Apostolica et conferentiae episcopales Sanctae Sedi informare debent, eidem detur coadiutor, non solum cum omnibus facultatibus auxiliaris, sed etiam cum privativa aliquorum negotiorum vel totius dioecesis administratione, de qua ipso facto in futurum carebit episcopus residentialis, quin tamen amittat honores et privilegia ad suam dignitatem pertinentia. Si episcopus residentialis compos sit, ad coadiutoris nominationem consuli debet, ut supra dictum est de auxiliaribus.

2. Post episcopi residentialis renuntiationem aut mortem, ordinarie succedit coadiutor, nisi Apostolica Sedes, ob magnam dioecesis praestantiam aut alias rationes diverse iudicaverit. Nunquam tamen nominetur coadiutor cum iure successionis, quod odiosam reddit coadiutoris positionem erga coadiutum.

3. Supprimatur titulus administratoris apostolici sede plena, quia odiosus est episcopo coadiuto et sufficienter provisum sit per coadiutorem cum tota administratione dioecesis.

20

Exc.mus P. D. IOANNES DA SILVA CAMPOS NEVES

Episcopus Lamacensis

1. Quaecumque via episcoporum auctoritatem imminuit, revera in ruinam dioecesis atque Ecclesiae vertit. Remotio episcopi, sive senectutis sive infirmae valetudinis causa, graviter eius auctoritatem attingit.
2. E pluribus gravibus damnis quae dioecesibus obvenire possint, minus haud dubio erit quod per aliquod breve tempus apostolica episcopi activitas aliquantum deminuit.
3. Etiam, si in aliquo casu particulari remotio cum bono Ecclesiae magis consentanea videretur, nec tunc locus esset ad legem generalem eam urgentem ferendam, nam Sancta Sedes ad casum providere posset.
4. Ecclesiastica disciplina in dioecesi magnum damnum pateretur si omnibus esset notum episcopum quibusdam annis elapsis remotum iri.
5. Lex ut necessariam urgens renuntiationem episcopos impelleret ut exitu eorum vitae congruo praeoccupati de acquirendo peculio forsan plus aequo cogitarent, quod in damnum Ecclesiae converteretur.
6. Insuper talis agendi ratio quosdam concitare posset ad tentandam remotionem illorum episcoporum quos animis adversis acceperunt, quia hoc sibi esse facile putarent.
7. Post vitam in apostolatu consumptam et tot tantisque laboribus actam, episcopus ab omnibus derelictum se videret etiam ab Apostolica Sede!
8. Quod episcopo bona valetudine deest vel aetate superest, si vires et activitatem imminuit, experientiam et hominum cognitionem auget, quae multum ad dioecesis regimen conferunt.
9. Talis agendi ratio in praxim deducta Ecclesiam scientia, experientia ac regiminis prudentia plurimorum episcoporum orbaret, praesertim si ad omnia ecclesiastica beneficia et officia cuiuscumque hierarchiae gradus extenderetur prout aequitas exigeret.

His positis et mature perpensis, humiliter propono ut n. 16 cap. II his vel similibus verbis redigatur: « 16. Quoties ad Sanctam Sedem pervenerit notitia episcopum vel alium episcopo a iure aequiparatum, propter provectam aetatem vel infirmam valetudinem, munus suum convenienter exercere non posse, Sedes Apostolica de hac re per personam idoneam diligenter inquirat. Et, si casus ferat, episcopus de auxiliari vel coadiutore petendo moneatur. Si vero monitum praefinito tempore ille non audierit, auxiliaris vel coadiutor a Sancta Sede ei imponatur. Renuntiationi tantum subiciatur episcopus in casibus quibus nullo alio modo res componi possit, approbante Summo Pontifice et provisa renuntianti honesta sustentatione ».

21

EXC.MUS P. D. IOSEPH D'AVACK
Archiepiscopus Camerinensis

Relate ad cap. II n. 16 « Quandonam commendanda sit episcopi renunnuntiatio »: attentis argumentis hinc inde prolatis; attenta maxima diversitate inter singulas dioeceses earumque exigentiis; attenta maxima diversitate inter singulos homines eorumque conditiones physicas et intellectuales in valetudine et senectute; attentis ideis theologicis et asceticis, non semper omnino rectis et completis circa munus et efficientiam episcopi in bonum dioecesis; attento bono animarum; videtur fortasse — etiam contra anxietates conscientiae — remedium esse posse hoc: praeter iusiurandum fidelitatis erga Sanctam Sedem, de quo in can. 332 par. 2 C.I.C., episcopus electus iuret plus minusve ut sequitur: Ego, conscius de suprema exigentia boni animarum; conscius de humana infirmitate unde nemo iudex in causa propria, praesertim circa proprias conditiones physicas et intellectuales; conscius de inaestimabili dono qua Divina Providentia munivit infirmitatem episcoporum per supremam auctoritatem Summi Pontificis, Ordinarii quarumcumque dioecesium, quem audientes audiunt ipsum Christum, sine quo nihil possumus facere; iuro me docillime accepturum commendationem si quae et quando a Sancta Sede, me rite audito, facta fuerit de renuntiando dioecesi; firma spe fretus sacrificium meae supernaturalis oboedientiae summe profuturum bono spirituali meae dioecesis.

22

EXC.MUS P. D. HADRIANUS DDUNGU
Episcopus Masakaensis

N. 9, lin. 4, dicitur: « Curet denique (coadiutor) ita in munere suo se gerere ut unitas regiminis dioecesani sarta tecta habeatur ».

Ibid., lin. 9: (episcopus coadiutus) « in omnibus negotiis maioris momenti eum (coadiutorem) consulere ne omittat ».

N. 10, linn. 15 ss.: « Vicarius generalis etiam ad coadiutorem praecipua acta curiae referat eumque certiorem faciat de iis quae gesta aut gerenda sint ad tuendam in clero disciplinam. Caveat ne suis potestatibus utatur contra mentem et voluntatem non solum episcopi coadiuti sed etiam coadiutoris ».

Plene assentio commissioni quoad necessitatem reformationis in relationibus inter episcopum coadiutum et coadiutorem. At modus huius reformationis non videtur satisfacere. Ex una parte enim volumus exigere in favorem episcopi coadiutoris facultates quas episcopus coadiutus non facile concedit; ex alia vero, coadiutorem coarctare ubi limites facile transgredi potest.

Iamvero quae in schemate statuuntur, nimis leviter et ad modum consiliorum dicuntur nec vim habebunt, si ita remanserint. Manifestum est enim

saepe consilia negligi, immo non raro reiici prorsus! Sane ex his quae in aula conciliari de supradictis relationibus disputata sunt, compertum est adesse difficultates non paucas nec nimis facile sperare licet tales difficultates statutis supradictis solvi posse, salva etiam lege caritatis quae omnia permeare debet.

Secundum meam humilem sententiam, ad fovendam concordiam inter episcopum coadiutum et coadiutorem, ad praecavendam admirationem (ne dicam scandalum) fidelium et ad removendam confusionem sive cleri sive religiosorum aut religiosarum in rebus episcopis referendis, quaestio de relationibus inter episcopum coadiutum et coadiutorem remittenda est *peritis* qui, omnibus perpensis, ita leges statuent (a Patribus confirmandas) ut ex una parte quaedam *bene determinata* ab episcopo coadiuto *iuridice* exigi possint; ex altera vero ut et coadiutor *iuridice* coarctari possit, ubi necesse est. Secus, natura humana eadem remanente, finis reformationis non obtinebitur.

23

Exc.mus P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

1. N. 8 ita aptetur ut omnis dyarchia in dioecesi vitetur. Si « coadiutori, vi officii, ea omnia in universa dioecesi potestas iurisdictionis in spiritualibus et temporalibus, cum iisdem facultatibus, competit quae iure communi ad vicarium generalem spectat, nulla facta episcopo coadiuto facultate sibi quidpiam reservandi » ut dicitur in hoc numero, non videtur quomodo vitari possit dyarchia in dioecesi.

Praeterea ut dignitas coram populo salvetur coadiutoris, non debet minui dignitas ipsius coadiuti, quae utpote antiquioris, quadam prioritate gaudet. Item, non videtur conveniens ut decretum Concilii iam supponat quandam malam voluntatem ex parte episcopi coadiuti. Eo vel magis quod non semper incommoda quae occurrunt ex parte coadiuti procedat; plura enim accidunt ex minore experientia coadiutoris.

2. In hoc ipso n. 8 § 2 vitetur distinctio inter Ecclesiam latinam (in textu: Sancta Sedes) et Ecclesiam orientalem (in textu: auctoritas competens pro orientalibus), quasi duas agnoscat Concilium Ecclesias Christi, latinam nempe et orientalem quae ultima non a Sancta Sede regatur.

3. In n. 9, exprimatur clare obligatio iuridica coadiutoris ut semper consentiat coadiuto, qui tandem aliquando pastor est dioecesis. Secus non vitaretur dyarchia de qua in prima animadversione.

4. In n. 10, linn. 19 et 20, item aequiparantur episcopi coadiutor et coadiutus, quod videtur inconveniens utpote ad dualitatem gubernii in dioecesi inducit.

5. In n. 12 § 1, linn. 29-32 videntur supprimendae. Sancta Sedes habet semper potestatem episcopo auxiliari illas facultates tribuere quas opportunas iudicaverit. At non videtur conveniens ut in decreto conciliari hoc ut

norma ad omnes casus statuatur. Hac enim dispositione videtur minui dignitas et honorabilitas episcopi auxiliati, sicut etiam periclitare posset unitas gubernii in unaquaque dioecesi.

6. Quoad § 2 istius n. 12, eadem animadversio facienda quae ad n. 8 § 2. Cf. supra 2 animadversio.

7. In n. 14. Mutatis mutandis applicentur quae supra notavi in animadversione 1.

8. In n. 15 § 1. Cf. quae supra dixi in animadversione 2.

9. In n. 16 supprimatur § 1. Non videtur conveniens ut decretum conciliare obligatione morali inducat episcopos ad renuntiationem. Haec res sit commissa prudenti iudicio Sanctae Sedis in unoquoque casu applicando. Decretum conciliare odiosum videtur et etiam caritati erga aegrotos et senes minus congruens.

24

Exc.mus P. D. ALOISIUS DE COURRÈGES D'USTOU
Episcopus Montis Albani

Institutio episcoporum coadiutorum et auxiliarium statuit collaborationem permanentem inter duos vel plures episcopos, qui eamdem missionem pastoralem in eodem gradu detinent. Rectus ordo regiminis exigit, ut unus solus alterum vel alios tanquam subordinatos habeat. Attamen relatio haec subordinationis per se est naturae prorsus specialis, et consequenter valde differt ab illa quae inter episcopum et suum vicarium generalem, i. e. aliquem simplicem sacerdotem, exsistit.

Multum ergo interest ut legislatio positiva, sive per decreta conciliaria, sive per dispositiones iuris canonici, modo clarissimo in lucem ponat naturam illius relationis, et eius modalitates determinet.

Si difficultates vel defectus adsunt in habitudine episcopi cum coadiutori vel auxiliari suo, damnum affertur bono communi dioecesis, exemplum nocivum praebetur sacerdotibus a quibus fraterna collaboratio requiritur, et miratio vel etiam scandalum apud fideles provocantur. Ut unitas sit in regimine, necesse est ut prius unio sit in corde.

His praemissis, has emendationes proponere vellem:

1. Pag. 9, n. 6, lin. 18: post « dignitas caracteri episcopali inhaerens... » addatur: « in conformitate cum doctrina theologica de episcopatu, prout in cap. II schematis *de Ecclesia* exponitur ».

2. Pag. 9, n. 8, lin. 29: loco par. secundae, legatur: « Praeterea, semper pressius et clarius determinentur in litteris apostolicis facultates quae coadiutori conceduntur, ratione habita status dioecesis et necessitudinum episcopi ».

« Tales facultates post aliquod tempus revisioni subiiciantur, sive ipso iure, sive ad petitionem coadiutoris vel ipsius episcopi coadiuti. Idem fiat a competenti auctoritate pro orientalibus ».

3. Pag. 10, n. 9, lin. 8: post « Episcopus coadiutus coadiutorem... in omnibus negotiis maioris momenti eum consulere... », addatur: « et eius consensum exquirere ne omittat ».

4. Pag. 10, n. 12, lin. 31: post: « ... in litteris quibus auxiliaris constituitur, eiusdem iura et officia definiantur eique facultates concedantur... », addatur: « quae iuri communi ad vicarium generalem spectant » (vel saltem vicarium episcopalem, secundum « De cura animarum », appendix I, n. 5, pag. 2), et quod sequitur omittatur: lin. 33: « ... Quodsi in litteris... » usque ad « ... valeat »; sed retineatur lin. 37. Episcopus autem habitualiter aliis ne deleget quae auxiliaris potest et vult per se exercere.

5. Pag. 11, n. 12: post par. secundam, vel alibi, addatur: « Si episcopus auxiliari indiget ad Confirmationem conferendam potiusquam ad regimen dioecesis, melius est ut facultatem confirmandi postulet pro vicario generali vel sacerdote in dignitate constituto ».

[*Subscripserunt etiam*] Louis de Courrèges, év. de Montauban; Ioseph Urtasun, arch. de Avignon; Michel Vial, év. coad. de Nevers; Pierre M. Puech, év. de Carcassonne; Maurice Rigaud, év. de Pamiers; Henricus Brault, év. de S. Dié; Franciscus Marty, arch. Remensis; Alfred Couderc, év. de Viviers; A. Collini, ep. coad. Adiacensis; Jean Mouisset, ep. Nicensis.

25

Exc.mus P. D. ALBERTUS DEVOTO
Episcopus Goyanensis

Cum episcopi consecrentur ad bonum propriae gregis ac totius Ecclesiae, evidens est quam maxime expedire quod a munere exercendo discedant, quando graves ac permanentes causas ad illum bonum tuendum hoc expostulent.

Hac de causa, mihi videtur n. 16 huius capitis, redigendum esse hoc sequenti modo, ut signatum finem melius assequatur:

(*De cessatione episcoporum a munere*) § 1. Episcopi residentiales ceterique in iure ipsis aequiparati qui, ob permanentem valetudinis defectum vel ob ingravescentem aetatem aliamve gravem causam, implendo pastorali muneri minus apti evaserint, enixe rogantur ut, ob Dei atque animarum amorem, sua ipsa sponte renuntiationem ab officio faciant.

§ 2. Septuagesimo quinto aetatis anno expleto, omnes episcopi residentiales a suo munere cessabunt, salvo iure Apostolicae Sedis eum confirmandi ob speciales rationes.

§ 3. Exercitio muneris episcopalis renuntiantibus vel cessantibus, titulus « episcopus emeritus » eiusdem dioecesis decernetur et congruens providebitur sustentatio etiam, si casus ferat et his placuerit, per alicuius consentanei officii collationem. Illis insuper peculiares honores vel privilegia concedentur, necnon ius ut in cathedrali ecclesia sepeliantur et quotannis pro eis funeralis ritus celebretur.

[*Subscripserunt etiam*] Alphridus Viola, ep. Saltensis; Jorge Kemerer, ep. Posadensis; M. J. Blanchoud, ep. Rivi Quarti; Manuel Tato, ep. S. Iacobi de Estero; Marcel Mendiharat, ep. coad. Saltensis.

26

Exc.mus P. D. IOSEPH FADY

Episcopus Lilongwensis

De episcopis coadiutoribus et auxiliaribus, ad n. 16 (quandonam commendanda sit episcopi renuntiatio).

In hac difficillima quaestione Sacrosancta Synodus tacere nequit. Cleri et laici exspectant ut de hac re tractetur. Liceat mihi mentem meam aperire et pauca humiliter proponere:

a) « *Lex* in Ecclesia Christi *suprema* est *salus animarum* » (Introductio lin. 1). Hoc semper prae oculis habeamus sine acceptatione personarum.

Si autem « nihil in hac vita et maxime hoc tempore, difficilius, laboriosius, periculosius » (S. August.: Introd. linn. 4-5) quam officium episcopale, recte iudicatur, ingravescente aetate — 75° anno — resignationem petendam esse (exceptis rarissimis casibus).

Nota. Ne obiectetur Summos Pontifices quandonam in hoc difficillimo munere manere, immo eligi post annum 75um et usque ad extremam aetatem officium suum exercere. Sed: 1. est Summus Pontifex = Petrus; ei soli dicitur « tu es Petrus », i. e. Petra; 2. mirum, immo miraculosum videtur Summos Pontifices saltem recentioribus annis post paucas hebdomadas vel menses malae valetudinis ad Deum vocatos esse. Ergo eorum mala et brevis aegritudo nullum detrimentum secum tulit.

b) *Nemo est bonus iudex in causa sua,* maxime in hac difficillima quaestione, quae secum fert non minima sacrificia.

Si ergo propter graves causas a n. 16 relatas, pastorali minus aptus evaserit, episcopus humiliter et voluntarie abdicet, i. e. offerat resignationem Summo Pontifici, in favorem iunioris. Dura lex, sed stet lex.

Anecdota. Fuit quidam rex, vertente hoc saeculo, qui appropinquante aetate sua 80°, omnes octogenarios in vicinitate ad prandium invitavit ad celebrandum anniversarium. Inter prandium et vinum rex hoc dixit: « Deo gratias ago quia adhuc terram meam regere valeo. Vere non sentio aetatis meae pondus ». Tunc octogenarius quidam respondit non sine malitia: « Excellentissime Domine, tu dicis te non sentire pondus annorum tuorum, subiecti autem tui id sentiunt ». Et siluit rex et hilaritas evanuit.

Nemo est bonus iudex in causa sua; omnes vident quidem, sed ipse non videt.

c) Episcopus est episcopus non pro seipso, sed pro dioecesi et populo sancto Dei. Det exemplum bonum: 1. *clero.* Multae paroeciae detrimentum patiuntur propter parochos senes qui iam incapaces sunt bene administrandi

paroeciam. Quomodo episcopus eis suadere potest ut officio propter bonum animarum renuntient, si ipse in officio manere persistit; 2. *laicis*. Mirantur quod non detur lex renuntiandi apud episcopos et clericos. Dolent quando res Ecclesiae periclitantur propter nimium conservatismum saepius senectuti inhaerentem (semper salva exceptione). Sed exceptio nunquam fiat lex, quando agitur de renuntiatione.

Tandem renuntiatio spontanea dat aedificationem populo et impedit detrimentum episcopalis honoris. E contra episcopus qui coacte suo officio renuntiat facile scandalum apud christifideles et extraneos provocat.

Sed hic non possum non dolere quod non pauci episcopi in missionum territoriis non propter senectutem vel defectum valetudinis vel competentiae vel zelus, « modo burocratico » *invitati sunt* (ut leniter dicam) ut dioecesi renuntient propter « clamorem » non fidelium, sed paucorum virorum politicorum novarum nationum quae nuper independentiam adeptae sunt.

Haec verba scripsi « sans rancœur », sed solo bono Ecclesiae in Africa intentus. Remaneat Ecclesia independens.

27

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES
Archiepiscopus Catacensis-Episcopus Squillacensis

Recte perpensis quae in n. 6 dicuntur de gravi difficultate (linn. 2-5) ex infirmitate vel provecta episcopi aetate proveniente, necnon de renuntiatione episcopi in n. 16;

attenta experientia episcoporum coadiutorum (inter quos et ego fui) ex qua resultant saltem duo certissima: displicentia quam maxima coadiuti, qui tamen virescit statim in bonam valetudinem et miram actuositatem...; necnon periculum divisionis in clero, et quandoque etiam in populo;

cum psychologice saltem (quandoque etiam moraliter et *materialiter*) impossibile sit episcopo gravi causa praepedito ut renuntiationem det dioecesi sibi commissae; *sequens audeo promere votum*:

a) inter modos quibus succurri potest necessitatibus dioecesis, proponatur Summo Pontifici ut provideat per *administratorem apostolicum sede plena,* intactis manentibus, secundum possibilitatem, iuribus *in sacra* episcopi praepediti. Administrator apostolicus — sive ita vocetur sive alio nomine designetur — nec dioecesim dividit, nec episcopo detrahit, nec per successionem futuram quae non datur bono futuro dioecesis et episcopo futuro obstat;

b) cum res sit maxime difficilis 1. ut inducatur episcopus ad renuntiationem faciendam, nec 2. ut statuatur lege conciliari aetas dimissionis ab officio episcopale, si videatur, opportuna adhortatio ponatur in n. 16 ut episcopus, prae oculis habens bonum suorum fidelium, ipsis subveniat in circumstantiis difficillimis, de quibus iudicat S. Sedes, per suam renuntiationem.

28

Exc.mus P. D. IOSEPH FENOCCHIO
Episcopus Apuanus

Videtur insufficiens et inefficax, in praxi, rogatio vel exhortatio ut episcopi renuntient suo officio « ob ingravescentem aetatem ».

Etenim quotidiana experientia monet haud facile episcopum conscientiam sumere suae iam ineptitudinis ob provectam aetatem, ac magis difficilius episcopum, hanc ob causam interiorem vim renuntiandi possidere, etsi plus minusve necessitatem huius actus cernat.

Id accidit praesertim ob duas rationes naturae psychologicae inter se connexas et coalescentes: 1. ob instinctivum amorem vitae qui fortior evadit in senectute, cum subiectum sentit vitam suam iam declinare; 2. ob debilitatem voluntatis quae facile instinctui succumbet, dum quaerit speciosas rationes ad angustias conscientiae placandas, quando problema sibi ponit utrum adhuc aptus sit necne ad dioecesim regendam.

Provisio ex parte Sanctae Sedis per auxiliarem vel coadiutorem utilis apparet si episcopus vires suas mentis et physicas efficientes habeat, quia tamen, ob amplitudinem finium vel operum dioeceseos, par sit omnibus officiis obeundis; auxiliaris autem qui datur episcopo laboranti non quodam morbo specifice sed « senectute », remedium sufficiens non est, immo saepe, in praxi, reciproca comprehensio seu animorum consensus difficilis evadit, necessaria libertas ministerii in auxiliari nimis coarctatur, actio pastoralis languet, vita dioecesana grave damnum capit.

Magis ergo consentanea videtur bono animarum norma iuxta quam peremptorie statuitur cessatio ab officio certa aetate, sicut in omnibus officiis vitae civilis accidit. Si regula generalis statuetur, nullum dedecus inde redundabit in personam episcopi, quia senectus dedecus non est; episcopus autem liber exsistet a molesto et, pro ipso, difficili examine de sua aptitudine vel non ad munus prosequendum, ut certa scientia iudicet de opportunitate suae renuntiationis.

Apostolica Sedes poterit, singulis casibus ad modum exceptionis, concedere ut episcopus in suo munere prosequatur, si id expedire vel utile videbitur.

His positis, dignum laude apparet id quod in paragrapho secunda dicitur circa honestam sustentationem episcopi renuntiantis, circa collationem alius officii minus onerosi, circa privilegia.

29

Exc.mus P. D. SECUNDUS GARCIA DE SIERRA Y MENDEZ

Archiepiscopus tit. Parianus, coad. Ovetensis

Quaestiones quae fortasse dilucidandae essent, intra Regolamentum Concilii, ut hoc caput nitidius eluceat, hae, credo, essent:

1. An Patres desiderent fines certos terminosque aetatis constituere, ut episcopi abdicent munia pastoralia? Sententia moderari oporteret ad tres formas: placet, non placet, placet iuxta modum, ut Patribus sit potestas definiendi aetatem et limitem, aut exceptiones Sedi Apostolicae subnotandi, sive in formula placet, sive non placet.

2. An etiam optent Patres, episcopos morbo insanabili correptos, atque amplius dios annos protracto, cuiuslibet illis sint aetatis, invitari sive a conferentia episcoporum sive a Sancta Sede ut receptum postulent?

Si affirmative videretur, episcopi et archiepiscopi coadiutores necessarii non essent, ad summum perpaucis occasionibus ad Sedis Apostolicae mentem, nunquam vero cum successionis iure. Haec clausula, submisse iudicamus, abradi posset. Nam episcoporum auxiliarium ope quaestio quaelibet solveretur.

Item censemus multiplicari non oportere episcopos auxiliares, cum horum sit munus in officiis et functionibus pontificalibus aut episcopalibus opitulari. Reliqua munera, quibus non sit consecratio episcopalis necessaria, quamvis sit auctoritas superior et necessaria, possunt, et censemus, debent commendari et exsequi creatione numeri sufficientis vicariorum generalium, ad mentem episcopi, qui eos est constituturus — neque obliviscatur posse servatis servandis advocari ex aliis dioecesibus — ut vi officii et cum potestate ordinaria, episcopo opem ferant semper activam et indeficientem in ministerio pastorali.

Cui rei ordinationem compositam regiminis diocesium proferimus, sub aspectu maxime pastorali conceptam.

A) *Episcopus caput.* Si episcopus auxiliaris adsit, idem et vicarius generalis erit omni dioecesi omnibusque muneribus; si varii sint episcopi auxiliares, eadem pollebunt auctoritate, licet episcopus residentialis distribuat, et faciat oportet, diversa munera et officia.

B) *Vicarii generales.*

1. Vicarius generalis iudicialis, cui hodie nomen officialis est.
2. Vicarius generalis administrativus, sive curialis.
3. Vicarius generalis pro spirituali assistentia, institutione vel potius robore cleri dioecesani; necnon rebus liturgiae.
4. Vicarius generalis educationis vel docentiae.
5. Vicarius generalis Religiosis in re iuridica, et si de feminis religiosis agitur etiam in cura spirituali.
6. Vicarius generalis apostolatus saecularis.

7. Vicarius generalis missionibus in universum mundum, et in populos dioecesis; exercitiis spiritualibus, etc.

Qui vicarii generales tot secretariatus haberent quot pro diversis muneribus commendatis necessarii viderentur.

C) Coordinationi pastorali et efficienti non sufficerent haec organa capita, ut ita dicam, opus etiam esset creare pro-vicarios regionum, qui urbibus, vicis et demarcationibus praeessent, quae propter multitudinem fidelium ultra 25.000, aut propter territorii dilatationem, aut propter identitatem difficultatum pastoralium, praesentiam continuam et activam moderationis pastoralis exigant, quin impugnetur praesens ordinatio vicariorum foraneorum, qui etiam ad temporum postulata aptari deberent.

En consilii presbyteralis constitutio: Presbyterium episcopi: vicarii generales, pro-vicarii, quaedam capituli cathedralis membra, v. g. qui « de officio » vocantur, et vicarii foranei quos episcopus deligeret, etiam quidam parochi atque vicarii cooperatores pro certis quibusdam rebus.

Denique duo observationes: 1. Ut episcopus auxiliaris constituatur, auctoritas opportuna certior plane fieri debet ordinationis et efficientiae horum vicariorum generalium ab episcopo constitutorum. Ita facile erit ut unus episcopus auxiliaris constituatur, difficile ut duo, difficillime vero ut tres creentur.

2. Nimis, nobis videtur, insistitur in digna sustentatione episcopi demissi, non tantum quod passeres non seminent... sed quia facilis factu nobis apparet, cum conglobanda esset cum securitate sociali omnis cleri dioecesis, immo nationis. Forsan hic erit vivus stimulus ut securitas socialis nostrorum dilectissimorum sacerdotum maturetur, quibus minime placet paternalis protectio curiae, cum ipsi iustum debitum existiment praevisio et infirmitatis, et ineptitudinis temporalis, et senectutis.

30

EXC.MUS P. D. AUGUSTUS GIANFRANCESCHI
Episcopus Caesenatensis

N. 5. *Episcopi in SS. Congregationum Consilium coaptandi*:

Adhaereo animadversioni circa hunc n. ab episcopis Africae merid. prolatae et rationibus quibus suffulta est.

Ius est unius Summi Pontificis, plenum et exclusivum iuxta suum supremum iudicium, SS. Congregationes reformandi quatenus sunt organa quibus ipse utitur in totam Ecclesiam regendam. In hac materia has tantum minimas observationes sit mihi licitum proponere:

1. Ad vitandos in SS. Congr. compositione defectus « romanismi » et « italianismi » et « carrierismi » vel « arrivismi » sic dictos, qui a plurimis lamentantur, meo humili iudicio, hoc quod propono posset esse aliquod remedium:

a) ad servitium SS. Congr. nemo assumatur nisi per concursum;

b) Moderatores uniuscuiusque collegii Romae existentis ex omni na-

tione, singulis annis nomina praestent alumnorum qui, eodem anno licentiati, virtute, et summopere humilitate, spiritu ecclesiastico sed et aliis requisitis prae condiscipulis distincti;

c) ex istis ad concursum ab omni natione ii tantum vocentur, et nonnisi licentia obtenta ab illorum Ordinariis, qui in cura animarum, saltem per quinquennium, et quidem laudabiliter, incubuerunt.

2. Titulum Congregationis, prout hodie applicatur Dicasteriis Ap. Sedis, mihi videtur minus convenire Congregationibus Caeremonialis et Rev.dae Fabricae S. Petri, quia non sunt directe ordinatae ad regimen Ecclesiae.

3. Potius ex novo constituendas esse puto Congregationem de apostolatu laicorum et etiam « de instrumentis communicationis socialis ». Opportunum mihi videtur stabiliter ponere « Secretariatum pro Oecumenismo ».

4. Etiam competentiam uniuscuiusque Congregationis puto esse recognoscendam et melius forsan distribuendam; et nomen singularum melius debeat respondere propriae cuiusque competentiae.

De episcopis non residentialibus.

1. Nemo episcopus consecretur nisi ad verum et utile servitium Ecclesiae et animarum, numquam vero ad recognoscenda merita et virtutes alicuius presbyteri etsi episcopatus vere dignus sit, et tam minus ad decorem alicuius Sedis potioris dignitatis vel personae, e. g. cardinalis; vel alicuius officii etiam nobilissimi quod tamen sacramentum Ordinis episcopalis non requirat. Nam episcopatus non est decus sed servitium. Et ideo minuatur in Ecclesia numerus episcoporum titularium.

2. Episcopi coadiutores numquam dentur; auxiliares vero solum si sint vere necessarii et ad bonum dioeceseos aliter provideri non possit. Auxiliaris et coadiutor — est proverbium — nec eos habere nec esse. Et ideo plene adhaereo sententiae card. Döpfner quam in aula proposuit die 11 h. m. Nam in pluribus casibus melius provideri poterit varias facultates sacerdoti vicario generali tribuendo inter quas etiam confirmandi et functiones sacras speciali solemnitate peragendi.

3. Si vero episcopus, infirmitatis causa se movere praepeditus sit, sed mente adhuc validus, et si haec difficultas per renuntiationem superari non possit, tunc detur ei auxiliaris qui sit simul vicarius generalis. Quando sedes vacabit, capitulum eligat vicarium capitularem qui, ut praesumitur, erit qui fuerat auxiliaris defuncti episcopi. Sed si capitulum iudicaret esse revera iustas causas alium eligendi, casus ad S. Sedem in devolutivo deferatur et interim episcopus qui fuerat auxiliaris, dioecesim regat facultatibus vicarii capitularis.

4. Circa ius episcoporum titularium Conciliis interveniendi:

a) putarem non esse dubitandum de stricto iure interveniendi Conciliis Oecumenicis, quod ius derivatur ex ipsa consecratione episcopali qua potitur potestate in Ecclesia Dei sicut alii episcopi;

b) non vero si agatur de Conciliis particularibus vel de conferentiis episcopalibus in quibus tractatur de negotiis Ecclesias particulares tantum

spectantibus in quibus nemo habet potestatem praeter proprios episcopos dependenter ab uno Romano Pontifice. Episcopi titulares, sicut C.I.C. decernit ubi de Conciliis Provincialibus agit, possint quidem vocari ad conferentias et cum voto etiam deliberativo, sed ad discretionem Patrum seu episcoporum residentialium.

31

Exc.mus P. D. FORTINUS GÓMEZ LEÓN
Archiepiscopus Antequerensis

Circa cap. II schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* videtur adnotare sequentia:

Non apparet aequum, immo nec rectum, quod episcopus provecta aetate vel infirmitate etiam diuturna gravatus, cogatur vel moraliter ad renuntiandam dioecesim; infirmitas enim vel provecta aetas est finis omnium, unde sequeretur quod omnes episcopi tandem aliquando, nisi brevi vel repentina infirmitate correpti, dioecesi privati decedere debent quod est contra omnium saeculorum traditionem.

Praeterea, ad quid cooperatores vel auxiliares episcopi? Non certe ob brevem infirmitatem episcopi residentialis, sed ad iuvandum illum cui deficiunt pristinae vires.

Ad n. 8 dicitur quod episcopo coadiuto nulla facultas reservatur, sed nulla negatur. Coadiutor ergo omnia habet nulla reservata; ergo de iure duae potestates haberentur, quae independenter agere possunt, quod vere absurdum apparet.

Ad par. 2 eiusdem numeri: Si nihil reservatur adiuto, quae ampliores facultates possunt coadiutori committi?

Ad n. 10: si ordinaria potestas coadiuto integra maneat et ideo potest sibi constituere vicarium generalem ad curiam dioecesanam administrandam, coadiutor omnibus facultatibus praeditus potest vel esse vicarius generalis, vel sibi alium constituere, quod iterum absurdum videtur.

Quoad n. 16 iterum notandum est quod adest aliquod inconveniens supposita renuntiatione tot episcoporum in Orbe, eo quod aliquis providere debet ad eorum congruam sustentationem. Parum aequum videtur si Sancta Sedes omnibus providere debeat; dum ex alia parte non paucae sunt dioeceses quae ob paupertatem vix unius episcopi sustentationem providere possunt. Quae incommoda, ut videtur, vitarentur, si renuntiatio non est generalis lex, vel statuto tempore adimplenda

32

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI
Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Post diuturnam lectionem huius cap. II et auditis in aula diversis oratoribus, ad hanc conclusionem deveni: episcopi cooperatores et auxiliares nec amplius nominentur et paulatim inter residentiales connumerentur. En rationes:

a) Institutio cooperatoris et auxiliaris episcopi, in se considerata, est: 1. veteri traditioni ecclesiasticae contraria; 2. modo contradictorio facta; 3. profluens non ex intrinseco dynamismo Ecclesiae sed ex malis quibus ipsa Ecclesia, hominibus visibiliter concredita quamvis invisibiliter sed firmiter a Deo recta, aegrotavit et aegrotat hucusque.

Ad primum: ratio patet ex antiqua disciplina ecclesiastica et ex ipsa institutione cooperatorum et auxiliarium episcoporum quae, saltem in sensu relativo, dici potest novissima.

Ad secundum: ratio patet ex eo quod episcopatus est munus, non honor, unde antiquitus nullus episcopus erat sine dioecesi et in unaquaque dioecesi unus tantum episcopus. Sed ope institutionis cooperatorum et auxiliarium, committitur episcopo cura gregis alterius pastoris et honori ditatur multoties civitas inter mortuos connumerata vel in partes infidelium ubi Titulatus nec fuit nec ibit et nec semper ire posset. Et cum multa, de hac re, audivimus in aula, sufficiant haec pauca quae dixi.

Ad tertium: ratio desumitur ex ipso prooemio cap. II ubi legitur in initio (linn. 1-2): « in regendis dioecesibus duae, inter alias, eaeque graves saepe occurrunt difficultates ».

(Cf. ad hanc quaestionem quod attinet quae dicuntur in sequenti cap. III ubi cooperatores et auxiliares apparent veluti episcopi demidiati!).

b) Sed institutio cooperatoris et auxiliaris episcopi est remedium inefficax, ergo reicienda quia: 1. malum non superat, 2. ad nova mala adducit.

Ad primum: malum non superat. Ratio est quia, saltem auxiliaris est episcopus sine potestate (et iam dictum est: ordo et potestas, arcto vinculo coniunguntur; sed ipsi habent ordinem et non potestatem, et sunt qui potestatem et non ordinem habent!). Et ad hoc addendum est quod audivimus in aula ex ipso ore cooperatorum et auxiliarium episcoporum!

Ad secundum: nova mala adducunt. Ratio patet ex eo quod dignitas titularis non satis in tuto ponitur nec per decretum nostrum ubi sub n. 15 § 2 sic legitur: « optandum est ut, sede... vacante, munus administratoris apostolici vel patriarchalis aut vicarii capitularis, ... committatur auxiliari », sed quaenam est vis istius « optandum est? »... Insuper, experientia docente, uti audivimus in aula, multoties oritur pluralitas regiminis in dioecesi (cf. quae dicta sunt in aula et quae scripta sunt in decreto nostro ad nn. 9, 10, 12). Ac tandem notandum est: auxiliator et cooperator datur episcopo non dioe-

cesi, quamvis in bonum dioeceseos; unde, cessante auctoritate residentialis episcopi, morte vel alia de causa, et auctoritas cooperatoris et auxiliaris cessare deberet, nam comparandi essent accidentibus qui sine substantia, per miraculum tantum, uti in Eucharistia, subsistere possunt.

Remedium vellem tandem indicare, prae oculis habens quae dicta fuere de curia romana (« decentralizzare e... pochi vescovi, anzi, nessun vescovo!):

1. Episcopus quoties oportuerit committat aliquibus sacerdotibus: *a*) administrationem chrismatis; *b*) administrationem curiae; *c*) visitationes.

Explicatio: ipse facit qui per alium facit et ad haec implenda, historia duce, non est necessarium character episcopalis, praesertim si consideratur institutio praelatorum nullius, et praefectorum apostolicorum.

2. Episcopus seligat suos cooperatores inter sacerdotes qui ad unitatem regiminis certe consulunt et ei, etiam senectute fracto, provideant: qui sacerdotes efformare possunt veluti senatus episcopi.

Bona quae praevideo ex hac solutione: 1. nullus episcopus sine dioecesi; 2. nullus titulus sine episcopo; 3. fere novitiatus cooperatorum quoad probabilem electionem in numero episcoporum; 4. perraro ad renuntiationem esset deveniendum.

33

Exc.mus P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

N. 6. Legitur « A infirmitate » addendum esset: *permanente* (ita in n. 16). Extensio nominis « infirmitate » declaranda est. Sunt aliae et aliae infirmitates. Sunt quae totaliter impediunt exercitium muneris. Sunt quae tantum partialiter auferunt facilitatem adimplendi munus completum. Si episcopis daretur facultas delegandi, quoad confirmationem conferendam, in suo vicario generali vel in aliquo sacerdote in dignitate constituto, ut concessum est durante Concilio, multis episcopis lene redderetur exercitium sui muneris, nam ad regimen generale suae dioecesis sunt capaces.

Quis de gravitate et permanentia futura infirmitatis iudicaturus est? De quibus considerandae sunt causae graves? Idem dicendum de existentia et gravitate ipsarum et de senectute. Consilium ad renuntiandum theoretice est pulcherrimum, sed in his ut in aliis quaestionibus applicatio non erit ita facilis, praesertim cum de senibus agitur. Iam notulae appositae hoc ostendunt indubitanter, et hac de causa notulam 13 addiderunt. Sed in omni casu non obliviturі sumus quod « Salus animarum »...

Meo iudicio non perfecta est constructio paragraphi « Tamen ... saltem ». Proponerem: si neutrum competentis auctoritatis iudicio fieri potest in casibus particularibus, pro eis saltem...

Dubito num conveniens sit ponere verba « eorum activitas... ponatur ». Videtur exprobratio quaedam illis qui habuerunt coadiutores vel auxiliares.

N. 7. De ipso nihil dicendum.

N. 8. Facultates huius « *vicarium generalem* » credimus esse easdem quas describit Codex I. C. actualis. In hoc casu non poterit coadiutor sine venia coadiutus functiones pontificales exercere? Ita videtur. Cf. cann. 351 et 352.

Par. 1 est, fere ad verbum, quamvis aliqua correctio notetur, eadem paragraphus prima can. 368; potestas est ordinaria. Cf. Codex (BAC) commentarium ad can. 368. Potestne applicari coadiutori can. 371?

N. 9. *Unitas regiminis dioecesani.* Hic dispositiones quae dantur nimis debiles videntur. Iuxta ipsas potest dari dioecesis quae habeat episcopum residentialem, coadiutorem ipsius, auxiliarem vel auxiliares, vicarium generalem coadiutus et etiam vicarios episcopales de quibus loquitur nota 4. Non sunt plura capita ut in omnibus conveniant? Et si inter se discrepent coadiutor et coadiutus, coadiutor et vicarius generalis coadiutus, auxiliaris vel auxiliares et coadiutor, ubinam inveniri poterit solutio huius discrepantiae?

Nonne oporteret addere aliqua relate ad haec in decreto?

Et audemus dicere: Quid, si vicarius generalis, de quo in n. 10, supprimeretur?

Par. 2 huius numeri desumpta est, quibusdam correctionibus intermissis, ex can. 369.

N. 10. Res in praxi difficilis, spinis plena et periculosa. Ad quid tot vicarii generales? unus pro unoquoque episcopo. Faciamus rem simpliciorem ita ut vicarius generalis sit episcopus coadiutor cum uno vel multis delegatis ad curiam administrandam.

Quid sibi volunt haec verba: « praesertim ad curiam dioecesanam administrandam »? Cum referantur ad vicarium generalem, credimus agi de curia administrativa vel gubernativa, non vero de curia iustitiae. Quoad hanc videtur nullam innovationem vel dispositionem in hoc decreto contineri. Et interrogandum est, si episcopo aegroto vel seni detur coadiutor, quis erit dux curiae iustitiae? Coadiutor minime erit nam potestatem habet vicarii generalis. Hac eadem ratione nec vicarius generalis coadiutus. Idem dicendum de auxiliari, immo fortasse hic non est. Tunc videtur coadiutum esse ducem. Sed hic est contradictio quatenus aegroto vel seni datus fuit coadiutor, et quia aegrotus vel senex erat.

N. 11. Par. 1 videtur supprimi posse, cum sufficiens sit par. 2, si addantur haec: « vel ob peculiaria apostolatus adiuncta ».

Cum bonum animarum postulet episcopum auxiliarem, iudicio competentis superioris auctoritatis, nominetur et imponatur, secus res poterit demorari vel non peti ab episcopo residentiali, natura humana aliquando est caeca. Idem dicendum de dismembratione territorii etc.

N. 12. Res nimis in aere constituta est cum praeiudicio episcopi auxiliaris, qui consecratione est et erit semper episcopus, dignitate sua supra omnes alios sacerdotes.

Cur non proponatur eadem doctrina quam de episcopo coadiutori et eidem dentur eaedem facultates, nam ratione muneris est practice eadem.

Res pro nostra debili natura clare et concrete proponendae sunt ut scandala et rixae vitentur. Etiam nos sumus homines passionibus subiecti.

In hoc n., idem ac in n. 8, interrogari potest: Quae differentia adest inter concedi et committi? Forsan intelligendum est « concedi » habitualiter, et « committi » pro casibus particularibus? In omni casu oporteret haec declarare. Auxiliari applicari potest quod describit Codex de coadiutore in genere, can. 351, 3.

In verbis « in administranda universa dioecesi » nonne esset melius tollere verbum « universa »? Ratio est haec: quia auxiliaris uni tantum parti dioecesis destinatur vel aliquibus quibusdam officiis, saltem quando plures sunt auxiliares. Aliud dicendum si unus tantum auxiliaris esset in dioecesi.

N. 13. Videtur in hoc n. animadverti periculum, actum est in n. 9.

N. 14. Nihil hic notandum.

N. 15. Si adest vicarius capitularis vel administrator apostolicus et simul auxiliaris, quae relatio statuenda inter ipsos quoad facultates? Oporteret haec declarare.

N. 16. Qui sunt hi « ceterique in iure ipsis aequiparati »? administratores apostolici? vicarii capitulares?

In par. 2 videtur agi tantum de episcopis residentialibus (cf. notam 14). Si vero qui abrenuntiavit est vicarius capitularis vel administrator apostolicus, sed non episcopus, quid ipsi servatur post abrenuntiationem?

Revera nimis forte videtur consilium quod in hoc numero datur. Et cum haec est renuntiationis ratio « aliam gravem causam » quae potest dari sine renuntiantis culpa, immo involvere potest contemptionem ipsius. Tunc vi herois indiget qui praeteriens omnia praebeat suam abrenuntiationem.

34

Exc.mus P. D. CLEMENS IOSEPH CAROLUS ISNARD

Episcopus Neo-Friburgensis

Post n. 15 nova par. introducatur, de stabilitate episcopi in dioecesi, sequentibus constans verbis: « Episcopus residentialis maneat ad vitam in sede pro qua primo nominatus est, ita ut translatio de una sede ad aliam sit revera exceptio propter gravissimas rationes admissa ». Rationes:

1. Episcopus in ritu suae consecrationis simul ac in actu nominationis aliquomodo suae dioeceseos sponsus constituitur. Non expedit tale mysticum vinculum, cuius signum episcopus in digito anulum gerit, postponere rationibus administrativis vel, quod peius est, sic dictae « carrière ecclésiastique ».

2. Si episcopi translatione uni consulitur dioecesi, detrimentum certe aliae confert. Animae in dioecesi « a quo » ita valent sicut animae in dioecesi « ad quem ». Et nonnunquam accidit bonus episcopus in prima dioecesi, pastor minus aptus fieri in secunda.

3. Episcopus pastor constituitur animarum, et est officium pastoris cognoscere oves et ab eis cognosci. Quomodo hoc fieri potest si episcopus bis vel ter de una in aliam dioecesim transfertur?

4. Antiqua traditione episcopi stabiles sunt in dioecesibus suis. Sedibus etiam maioris momenti providebatur per electionem, non autem per translationem. Sic Pontifices Romani usque ad Medium Aevum semper e gremio Romanae Ecclesiae seligebantur. Si invenitur exceptio S. Gregorii Nazianzeni, invenitur etiam exemplum S. Augustini, qui episcopus mansit Hipponensis quin ad sedem Carthaginensem promotus sit.

5. Fovetur bona sequentia administrativa in dioecesi. Quando episcopus transfertur, frequenter opera incepta a successore non perficiuntur, non sine damnis spiritualibus et temporalibus.

6. Finis imponitur sic dictae « carrière ecclésiastique », quae omnino absona est a spiritu evangelico servitii (« principes gentium... vos autem non sic »). Usus verbi « promotionis » ad translationem significandam innuere potest episcopum promoveri in archiepiscopum, archiepiscopum vero in cardinalem, eodem modo ac in exercitu vel in publica administratione fit, ob merita vel pro tempore servitii. Historia nonnulla scandalosa refert de appetentia dignitatum in Ecclesia, quae utique non accidissent si episcopi essent stabiles.

35

Exc.mus P. D. FRANCISCUS JACHYM

Archiepiscopus tit. Maroneus, coad. s. d. Vindobonensis

Ne umbra alicuius inaequalitatis vel opprobium cuiusdam inobiectivitatis cadat supra istam disceptationem de coadiutore petivi ut coadiutor veniam loquendi in hac aula.

Multa enim adhuc de isto munere dicta sunt ex parte praesulum residentialium indeque liceat et mihi saltem pauca ex altera parte proferre, ut etiam hic « audiatur et altera pars! ».

Multae adhuc auditae obiectiones contra tales propositas facultates coadiutoris mihi videntur nasci et progredi ex quodam occulto timore, ne oratoribus exc.mis ipsis contingat aliquando coadiutor et iam hodie prompti apparent ad quam maximam resistentiam huic futuro coadiutori parandam, sed isto modo confirmant, quantis facultatibus hic indigebit, ut muneri suo sufficiat! De cetero recordemur timorem solum numquam esse consiliarium bonum! Quod munus coadiutoris deinde non est nostrum inventum, sed in ultimo, saepe reluctanter, implemus mandatum apostolicum!

Multa dicta sunt elapsis hebdomadis de responsabilitate omnium episcoporum et uniuscuiusque episcopi de universali Ecclesia et non tantum de propria dioecesi. Multo certius constat ista cura et responsabilitas Papae pro tota Ecclesia: « Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos! ». Ex ista auctoritate promanat istud officium coadiutoris.

Talis nominatio autem involvit gravem obligationem erga Sanctam Sedem atque etiam erga populum et clerum istius dioecesis, quae sine extraordinariis facultatibus non potest impleri.

Et non potest dici tantas facultates in periculum ducere unitatem regiminis in hac dioecesi. Coadiutor nec regiminis nec unitatis infirmitatem causat, sed ista infirmitas antecedens et hoc periculum imminens provocat coadiutorem sicut expresso modo annotatur inter motiva, propter quae Sancta Sedes coadiutorem instituit (n. 6, pag. 9). Ne invertatur nexus neve causa dicatur, quod revera est effectus!

In relatione super hoc schema expresso modo declaratur nominatione coadiutoris quasi extrema in extremis tentari — et quidem in favorem huius ordinarii aut dioeceseos. Periculum inde alicuius « dyarchiae » inductum superari potest et plerumque iam potuit caritatis virtute amborum (episcopi nempe coadiuvandi et coadiutoris) erga populum fidelem et ecclesiam huius territorii.

Concludo. Aut tollatur hoc officium et munus aut instruatur istis propositis facultatibus et competentiis, quae humili iudicio meo necessariae videntur ad effectum intentum.

Si vero odiosum esset in aliquo decreto Concilii aut novi codicis Iuris Canonici praeparandi ista iura singillatim et taxative enumerare et forte non semper omnis coadiutor omnibus hisce facultatibus indigeret, saltem ultra codicem vigentem (can. 351 § 2) decernatur:

Facultates coadiutori ab Apostolica Sede omnibus circumstantiis perpensis per litteras apostolicas assignantur.

36

Exc.mus P. D. IOANNES KULIK

Episcopus tit. Rhandensis, aux. Lodzensis

I. In cap. II schematis decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine,* in prooemio, ubi dicitur de duabus difficultatibus in regendis dioecesibus mea sententia dicendum est potius de duobus *generibus* difficultatum quam simpliciter de *duabus* difficultatibus, quia enumerantur infra non duae, sed quattuor saltem difficultates.

II. In n. 6, pag. 9, lin. 7, post verba « nimium incolarum numerum » sequentem additionem inserere humiliter propono: « *vel ob iniustum impeditum civitatis terrenae* », et sententiam hanc ita profero: « altera vero ex eo quod episcopus, viribus licet validus ac potens, nequit, ob nimiam dioecesis amplitudinem vel nimium incolarum numerum vel ob iniustum impeditum civitatis terrenae vel peculiaria apostolatus adiuncta, per se ipse episcopalia munia, sicut animarum exigit bonum, adimplere ».

Historia Ecclesiae nos docet, in variis regionibus, v. g. in Gallia tempore magnae revolutionis atque in Austria tempore Iosephinismi, necnon prae-

senti saeculo in aliquibus regionibus episcopos licet viribus validos ac potentes neque potuisse neque posse suum munus episcopale exercere.

III. In eodem cap. II, n. 11, lin. 23, dictum: « *a competenti auctoritate* » occasio dubii fieri potest; agiturne de sola Sede Apostolica an de alia auctoritate (ecclesiastica aut civili)?

IV. Quarta propositio attinet ad n. 12, lin. 37. Post verba: « explere valeat » novam sententiam addere propono, nempe « Optandum est, ut episcopus auxiliaris regulariter sit etiam vicarius generalis, nisi in casu peculiari bonum commune dioecesis aliud exigat ». Et probo:

1. Incongruum atque incommodum est episcopum auxiliarem, si non est vicarius generalis, quoad iurisdictionem, e. g. in casu matrimonio assistendi, illum nullam potestatem possidere. Quam ob rem episcopus auxiliaris in concreto a simplici sacerdote munus vicarii generalis fungenti in potestate sua dependet.

2. Omnes fere Patres conciliares in congregatione generali, die 30 octobris, anni currentis habita, suffragia sua per formulam « Placet » dederunt pro sequentibus propositionibus: *a*) Consecratio episcopalis summum gradum sacramenti Ordinis constituit. *b*) Omnis episcopus legitime consecratus in communione episcoporum et Romani Pontificis membrum est corporis episcoporum. *c*) Corpus seu collegium episcoporum in munere evangelizandi, sanctificandi et pascendi succedit collegio apostolorum; et ipsum una cum capite Romano Pontifice plena et suprema potestate in universam Ecclesiam pollet.

Optandum est episcopum etiam auxiliarem, ut pleno sensu et realiter membrum corporis episcoporum sit, potestate Ordinis una cum potestate iurisdictionis pollere.

3. Si episcopus auxiliaris est simul et vicarius generalis nullum obviat periculum dyarchiae in regimine dioecesis, nam vicarius generalis cum episcopo suo residentiali una persona censetur, et ipse ad nutum episcopi residentialis removeri potest (cf. c. 366, § 2).

4. Recenti tempore saepe saepius episcopi residentiales suos auxiliares vicarios generales nominare solent.

5. In cap. II, pag. 11, a lin. 16 usque ad lin. 20, ita dictum est: « Optandum est, ut sede per mortem aut renuntiationem vacante, munus administratoris apostolici vel patriarchalis aut vicarii capitularis, nisi aliud graves rationes suadent, committatur auxiliari, vel ubi sint plures, uni ex auxiliaribus ». Ergo eo magis optandum est, ut episcopus auxiliaris regulariter sit simul et vicarius generalis, nam Ordinario loci adhuc vivente minus existit periculum abusus potestatis iurisdictionis quam sede vacante, minime autem obviat periculum potestatis diminutae episcopi residentialis propriae. Sicut enim sol eo quod multos emanat radios clarius splendet, ita et potestas episcopi residentialis tanto magis fit evidens quanto plures eam participant.

37

EXC.MUS P. D. IOSEPH KUO

Archiepiscopus tit. Salaminensis

Cum episcopus missionarius, infirmitate vel provecta aetate gravatus, suam missionem recte et vitaliter administrando impar evadit, convenit ut potius successorem quam coadiutorem a Sancta Sede petat.

Institutum enim coadiutoris in terris novae evangelizationis, ubi nondum plena perfectaque habetur sacrae hierarchiae organizatio, non producit bonos, sicut speratur, fructus et quidem propter sequentes rationes:

1. Gubernium binorum retardat, impedit, quandoque etiam pervertit administrationem ecclesiasticam. In bonis enim administrationibus unum sit caput, oportet: ubi sunt plura, ibi deficit unitas directionis et ordinis; sic debilitatur sensus responsabilitatis et administratio obtorpescit et elanguescit.

Quando dispositio ad duos spectat, accidere potest ut unus alteri negotium remittat et dispositio ad effectum non reducatur, sicut vulgare testatur proverbium: canis duorum dominorum fame perit.

In naviculis unicum tantum adhibetur gubernaculum; ubi duo exstant ibi naviculum in discrimine versatur. Prudens potest quidem alterum tenere subsidiarium pro casu quo illud in activitate fractum esset. Sed hoc in casu ageretur de substitutione, non vero de collaboratione.

Si coadiutor munere non fungitur vicarii generalis, tunc in dioecesi enumerantur episcopus, coadiutor et vicarius generalis. Sic quandoque fit ut nec episcopus, nec coadiutor, nec vicarius generalis rem tractandam decidat. Primus enim rem tractandam coadiutori remittit; alter vero putat negotium tractare vicario generali spectare; et tertius credit se nihil posse agere nisi de consensu et cum adprobatione tam episcopi quam coadiutoris.

2. Diversitas sententiae inter episcopum et coadiutorem. Accidere potest quod coadiutor non est candidatus, quem ipse episcopus Sanctae Sedi praesentavit: inde exsurgunt frigiditas et incomprehensiones innumerae.

Insuper ideae episcopi et coadiutoris saepe non sunt conformes: episcopus enim formatus est tempore in quo problema missionarium videbatur sub diverso respectu, nunc autem coadiutor sentit necessitatem aliquam peragendi reformationem — res inevitabilis in fine longi episcopatus — sed illam peragere non potest quin sit contra episcopum. Si quoties credit absolute agendum esse, creabitur dissidium et periculum imminet divisionis in dioecesi. Psychologia senum naturaliter tendit ad conservatismum, salvis raris exceptionibus, in quibus senes animum conservant iuvenilem.

Missiones sunt exercitus in itinere (in marcia); et sic evenit aliqua species institutionis damnosissimae progressui dioeceseos.

3. Periculum divisionis inter missionarios. Cum sacerdotes habeant olfactum subtilissimum, sicubi discrepantia occurrit inter episcopum et coadiutorem, eam statim animadvertunt. Est revera iactura pro dioecesi, si forman-

tur duae aquae profluentes, quarum una est pro episcopo et altera pro coadiutore. Caritas est quidem remedium supremum in similibus casibus, sed caritas inservit tantum pro relationibus personalibus, minime sufficit ad supprimendas dissensiones programmaticas. Caritas est quidem res excellens, sed in his casibus figuram potius habet remedii medicinalis: melius est autem non recurrere ad medicinam.

Neque statutis huius schematis, ut notavit etiam em.mus card. Ernestus Ruffini in congregatione generali 63, supradictae difficultates solvi possunt, nec proinde unitas regiminis dioecesani sarta tecta haberi potest.

Exemplum liceat afferre administrationum civilium. Pro istis, etiam si characterem habeant sedentarium, existunt limites aetatis, quae tangunt etiam homines benemeritos et adhuc validos ac robustos.

Ceterum opera apostolica episcopi coronabitur tempestiva renuntiatione; qui vero, iam incapax administrando, renuntiare recusat, non solum damnum enorme afferet dioecesi, immo et umbram iniiciet meritis, quibus ex aliis forte titulis iam plenus erat.

Tandem dioeceses non debent considerari tanquam canonicatus pro episcopis, qui impares sunt administrando. Dioeceses enim non sunt pro episcopis, sed episcopi pro dioecesibus. Semper igitur prae oculis illud habeamus S. Pauli: « Nemo sibi vivit, nemo sibi moritur » (*Rom.* 14, 7); nemo quae sua sunt quaerat, sed quae Ecclesiae Dei.

Inde humiliter propono: 1. ut episcopi, qui ob permanentem valetudinis defectum administrando incapaces evaserint, vel ad certam aetatem (v. g. 75) attigerint, renuntiationem ab officio faciant; 2. ut coadiutor non constituatur, praesertim in terris missionum, nisi rarissime ac per modum exceptionis.

38

Exc.mus P. D. ANTONIUS LÓPEZ AVIÑA
Episcopus Durangensis

Circa cap. II de episcopis coadiutoribus et auxiliaribus pag. 9, n. 7 loco verbi « episcopo » ponatur « sedi »; insuper deleantur verba « cum iure successionis ». Rationes: 1. Coadiutor directe datur in bonum totius dioecesis (proinde et sedis); 2. nulla videtur utilitas coadiutoris cum iure successionis; nam vi officii illa potestate iurisdictionis in spiritualibus et temporalibus, cum iisdem facultatibus, competit quae iure communi ad vicarium generalem spectat.

Ex altera autem parte prudenter procedendum est ne forte post mortem episcopi coadiuti magnae difficultates immo et damna dioecesi eveniant. Nam nullo modo realitatem videre non possumus, quia de facto aliquoties etiam vivente episcopo dantur et magnae difficultates cum episcopo coadiuto, cum canonicis capituli et sacerdotibus. Haec omnia pro bono pacis et animarum totis viribus vitanda sunt.

Quare votum meum est: relinquatur Sedi Apostolicae iudicare singulis in casibus de convenientia vel non talem coadiutorem talis sedis esse vel non cum iure successionis.

39

Exc.mus P. D. SIMON LOURDUSAMY

Episcopus Sozusenus in Libya, aux. Bangalorensis

Salva reverentia commissionis quae hoc schema sedulo praeparavit, quasdam animadversiones facere audeo, sed duas tantum:

1. Inter art. 6 (i. e., prooemium) in pag. 9 et art. 16, par. 1, in pag. 11 latere videtur quaedam contradictio.

Cum art. 6 tum art. 16 agunt de difficultate quae oritur si episcopus residentialis, infirmitate vel provecta aetate gravatus aut alia gravi causa praepeditus, suo officio explendo impar evadit. Sed in hac difficultate solvenda se invicem quodam modo contradicunt, et quidem sic: secundum art. 6, remedium *ordinarium* est generosa episcopi a munere renuntiatio; remedium *extraordinarium vel substitutivum,* ut ita dicam (i. e., in casu quo renuntiatio fieri nequit), est constitutio coadiutoris vel auxiliaris. Secundum vero art. 16, remedium *ordinarium* est constitutio coadiutoris vel auxiliaris; remedium autem *extraordinarium seu substitutivum* est episcopi residentialis a munere renuntiatio.

Ita, id quod dicitur ut remedium ordinarium et primarium in art. 6 praebetur in art. 16 ut remedium extraordinarium seu substitutivum, et vice versa. Si attente legimus utrumque articulum, unum simul cum altera iuxtapositum, haec contradictio circa ordinem praeferentiae horum duorum remediorum clare apparebit.

Ergo, salvo meliori iudicio, correctio in uno vel altero articulo ita fieri debet ut ordo praeferentiae remediorum propositorum in utroque loco idem sit.

2. In art. 14, pag. 11, sermo fit de relationibus inter auxiliarem et episcopum residentialem. Bene dicitur quod auxiliaris munus suum exerceat sub omnimoda dependentia ab episcopo residentiali, nihilque magni momenti agat nisi eo consulto et probante. Sed nihil dicitur de modo quo episcopus residentialis auxiliarem tractare debet. Mutua relatio mutua obligatione muniri decet ac debet.

C.I.C. agens de relationibus inter parochum et vicarium cooperatorem in can. 476, par. 7, haec profert verba pulcherrima: « (Vicarius cooperator) subest parocho, qui eum paterne instruat ac dirigat in cura animarum... ».

Ita mutua relatio inter eos optime enuntiatur. Aliquid similiter, mutatis mutandis, dici potest ac debet etiam hic de relationibus inter episcopum residentialem et auxiliarem, et quidem sic: « Auxiliaris munus suum exerceat maxima cum reverentia et sub omnimoda dependentia ab episcopo residen-

tiali, qui autem eum fraterne, sicut natu maior in familia vel corpore episcoporum, instruat ac dirigat in cura animarum et in regimine dioecesis atque nihil agat quod dignitati characteri episcopali auxiliaris inhaerenti repugnet ».

40

EXC.MUS P. D. EDUARDUS MASON

Episcopus Rusicadensis, vic. ap. de El Obeid

1. Peropportunum videtur ut conveniens aetas pro renuntiatione sive episcoporum, sive parochorum fixetur ad annum 75, aequo tamen modo ita ut qui velint renuntiare, id securius possint facere sine scrupulo desertionis officii; qui vero nolint, sed debeant ex iustis causis canonicis ab episcopo diiudicandis, possint adstringi.

2. In casu episcoporum declaretur quod onus declarandi obligationem renuntiationis incumbat praesidi conferentiae episcoporum qui per se vel per alios id exequi poterit prout opportunitas suggeret.

3. Valde aequum et iustum erit si provisiones quaedam, et quidem generosae pro *sustentatione* episcoporum vel parochorum renuntiantium fixentur nunc in quavis regione ecclesiastica, sive domos aptas aedificando sive alteras provisiones praeparando.

4. Provisio autem sustentationis nunquam connexa sit alicui officio ne officium ipsum patiatur detrimentum vel renuntians cogetur operari citra vires suas. Collatio alicuius officii autem in multis adiunctis posset considerari sub aspectu caritatis si renuntians per aliquam occupationem se iterum utilem esse et ne taedio conficiatur.

41

EXC.MUS P. D. ANTONIUS ROSARIUS MENNONNA

Episcopus Neritonensis

In regendis dioecesibus praesertim duo principia in tuto esse debent: 1. unitas regiminis, ne in dyarchiam vel triarchiam incidatur et in eius noxia consectaria (factiones in clero et in fidelibus uni aut alteri episcopo faventibus, etc.); 2. debitus decor cuiuscumque in dignitate episcopali constituti, etsi ut auxiliaris aut ut coadiutoris. Quod sequenti modo consequi potest.

A) *Episcopus auxiliaris* constituatur solum si dioecesis regenda nimis ampla est (ad 1.000.000 fidelium et supra) neque reduci potest per dismembrationem varias ob causas (e. g. est magna urbs cum cohaerentibus suburbibus aut cum necessaria oppidi retroterra). Quo in casu autem, episcopus auxiliaris habeat suam territorii vel urbis definitam partem aut spheram activitatis una cum determinatis a iure, non autem ab episcopo residentiali, facultatibus et, si opportunum videtur, cum sua curia, quamvis omnia sub ductu episcopi residentialis explenda sint ad regiminis et ministerii unitatem in tota dioecesi tutandam.

Episcopus auxiliaris appellari posset episcopus residens aut saltem episcopi residentis figuram gerere deberet, ut in quadam Galliae dioecesi utilis experientia facta est, de qua in aula conciliari verbum habuit exc.mus D. Le Cordier, Lutetiae Parisiorum episcopus auxiliaris, necnon exc.mus D. Peralta, Victoriae in Hispania episcopus.

B) *Episcopus coadiutor* illi episcopo detur, quem, etsi annis gravatum aut ob permanentem defectum invalidum, opportunum non est varias ob causas ad renuntiationem cogere. Episcopus autem coadiutor tota potestate omnibusque facultatibus episcopi residentialis praeditus sit ipsique et vicarius generalis, si adsit, pareat, ad regiminis unitatem atque ministerii dynamismum plene tutanda; episcopus coadiutus tantum pontificalia aliasque sacras functiones, si potest et quando potest, gerat atque consilio coadiutorem in caritate iuvet.

Ad notulam 12 cap. II quod attinet circa aetatis limites, norma generalis fixa statuenda non videtur, cum non desint senes octoginta annorum et ultra, qui muneri pastorali implendo adhuc et bene apti sunt, quorum e contra amotio gravi detrimento dioecesi esse posset. Casus amotionis singillatim a Sede Apostolica diiudicandi sunt et, si episcopus, etsi infra septuaginta et quinque annos natus, ob valetudinis defectum impar muneri pastorali implendo evaserit, ad renuntiationem inducatur ad praecavendum fidelium bonum, servatis cautelis de quibus in n. 16, par. 2.

Ad n. 15 eiusdem cap. II. Sede episcopali vacante quacumque ex causa, aut ob mortem aut ob renuntiationem aut ob translationem, munus administratoris apostolici episcopo coadiutori aut auxiliari committatur et, si hic non est, episcopo viciniori, nisi ob peculiares rationes Sedes Apostolica alteri episcopo committendum censeat; numquam autem presbytero in vicarium capitularem a capitulo cathedrali cooptato, cuius vicarii capitularis figura iuridica plane supprimatur peropportunum videtur ob multiplicia inconvenientia a simili nominatione exurgentia.

42

Exc.mus P. D. CAESAR ANTONIUS MOSQUERA CORRAL
Archiepiscopus Guayaquilensis

In nomine multorum episcoporum, ut in pag. 6 post lin. 26, ut haec addantur postulamus: « Similiter, ad fovendam uniformitatem necnon ad episcopalem dignitatem et unitatem tuendam, habitus chorales (abiti prelatizi) pro ritu latino omnes iidem sint, etiam quoad colorem, contrariis non obstantibus privilegiis religiosorum ordinum ».

Nulla ratio existit ad conservanda privilegia Regularium. Congregationes modernae hanc uniformitatem observant et etiam ex Regularibus, non pauci privilegium habent sese ceteris accommodandi.

In multis ditionibus, fideles has distinctiones non intelligunt et nonnulli

diversos gradus in episcopatu existere credunt, aliquando scandalizantur et saepe voluntatem manifestant proprium episcopum ab aliis diversum non esse.

Hoc praesertim sacerdotes dioecesani volunt qui non semper aequo animo ferunt quod episcopus cum ipsis unum corpus coalescens, quasi classium differentiam foveat et permanenter ut quasi ab illis distinctum sese exhibeat.

[*Subscripserunt etiam*] Emmanuel Serrano Abad, arch. Conchensis; Bernardinus Echeverria Ruiz, ep. Ambatensis; Crispulus Benitez Fontúrvel, ep. Barquisimetensis.

43

Exc.mus P. D. THOMAS VILLELMUS MULDOON

Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis

1. Magna pro multis Patribus *confusio* habetur propter terminologiam quae relate ad varias « species iuridicas » episcoporum in hoc schemate exhibetur. Et explico. Ex iis quae in schemate exstant, clarum est commissionem *quattuor* species episcoporum enumerare, nempe *a*) residentiales, *b*) coadiutores cum iure successionis, *c*) auxiliares, *d*) *mere titulares* qui inveniuntur in natione degentes (pag. 15, lin. 9). Cur igitur haec enumeratio non clare et consulto ponitur initio cap. I? Vel forsitan aliquis commissionis socius dixerit: « Sed haec non est *mens nostra* ut quattuor species iuridicas episcoporum enumerentur ». Et respondeo: « Quare igitur in schemate quattuor species inter se clare distinguuntur? ». Revera, schema facit claram distinctionem inter « auxiliares » qui munera pastoralia explent et « mere titulares » in natione degentes. Certissime enim auxiliares non sunt « mere titulares in natione degentes ».

2. In pag. 6 schematis, lin. 24, quare episcopi « auxiliares » excluduntur cum statuitur principium illud fundamentale totius tractationis? Vel forsitan « mere titulares » hoc loco *alio sensu* adhibetur, nempe ad significandos « auxiliares et mere titulares »? Confusio augetur. Ambiguitas extenditur. Si autem verba illa « etiam *mere* titulares » indicant omnes episcopos qui *non sunt residentiales,* quare vox « mere » adhibetur? Num Summus Pontifex in documento nominationis dicit: « Tu nominatus est " mere titularis episcopus " »? Absonum et absurdum est.

3. Quare, ex una parte, episcopi « mere titulares in natione degentes » (i. e. qui nullum munus pastorale exercent) possunt in nationalem episcoporum conferentiam cooptari (pag. 15, lin. 9) et ex altera parte *auxiliares* qui munus pastorale explent, omnino excluduntur?

Sed forsitan aliquis dixerit: « Episcopi mere titulares hoc loco indicant etiam *auxiliares* ». Respondeo: « Auxiliares *non* sunt mere in natione degentes ».

Patet igitur nimiam esse *confusionem terminologiae.* Et ob hanc causam tot Patres contradictoria proferunt in aula.

4. *a*) Nunquam dicatur « mere » titularis; *b*) clarificentur notiones de variis speciebus episcoporum; *c*) auxiliares habeant *et* facultates bene determinatas *et* ius participandi conferentiae episcopali cum voto deliberativo.

44

Exc.mus P. D. HENRICUS NICODEMO
Archiepiscopus Barensis

Circa cap. II schematis decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine* haec habeo animadvertenda.

1. Relationes inter coadiutorem et coadiutum, inter coadiutorem et vicarium generalem, ut hic proponuntur, sat difficiles videntur. Evidens est quod duplex fuerit cura — et iure quidem — in schemate apparando: cura nempe seu praeoccupatio (preoccupazione) ut auctoritas episcopi coadiuti sarta tecta maneret et paris cura seu praeoccupatio ut affirmarentur sive dignitas sive etiam auctoritas episcopi coadiutoris. Sed, de facto, confusio aliqua potius ex hoc scatet. Et explico.

a) « Coadiutori — dicitur in schemate — vi officii ea in universa dioecesi potestas iurisdictionis in spiritualibus et temporalibus, cum iisdem facultatibus, competit quae iure communi ad vicarium generalem spectat, nulla tamen facta episcopo coadiuto facultate sibi quidpiam reservandi ». Adhibentur scil. eadem verba — mutatis mutandis — quae C.I.C. in can. 368, § 1, habet pro vicario generali relate ad episcopum. Tamen, cum episcopo coadiuto negetur facultas sibi quidpiam reservandi et potestas coadiutoris non sit, sicut potestas vicarii generalis, potestas vicaria, duplex in concreto creatur in dioecesi ex aequo auctoritas, quae in dualismum quam maxime periculosum resolvitur. Commendatur utique coadiutori ut in omnibus negotiis maioris momenti coadiutum consulat et eodem modo coadiuto ut consulat coadiutorem; commendatur utique mutua existimatio cum mutuo obsequio et coadiutori ut ita in munere suo se gerat ut unitas regiminis dioecesani sarta tecta habeatur, sed haec omnia non videntur sufficere ad dualismum vitandum. Quin immo crescit, si episcopus coadiutus vicarium generalem sibi elegerit, dum vicarii generalis condicio incerta et angens evadit. Utrique enim, i. e. coadiuto et coadiutori, debet vicarius generalis referre et cavere ne contra mentem et voluntatem utriusque suis facultatibus utatur. Sed, si mens et voluntas coadiutoris et coadiuti non consentiunt, quid faciet miser vicarius generalis? Tandem aliquando, mihi videtur quod, cum omnes hoc modo velint in tuto poni, in praxi multae exurgunt difficultates.

b) Oportet ergo — meo humili iudicio — ut clara statuatur coordinatio, quae et subordinatio necessario esse debet. Unus tantum ultimam et definitivam sententiam proferre debet, qui unus nonnisi coadiutus esse potest, si iurisdictionem adhuc retinet. Ideo propono quod n. 9 ita emendetur: « Coadiutor episcopo coadiuto semper obsequium ac reverentiam exhibeat;

in omnibus negotiis maioris momenti eum consulat, *numquam autem contra mentem coadiuti suis facultatibus utens* etc. ... ». In n. vero 10 supprimatur ultima periodus: « Caveat ne suis potestatibus etc. ».

2. Ad auxiliares quod attinet propono ut statuatur norma, ob quam episcopus auxiliaris et vicarius generalis nominetur. Ad tuendam autem libertatem episcopi in vicario generali designando, ei danda esset facultas aliqua nomina praesentandi pro officio auxiliaris, servatis, ut evidens est, de iure servandis. Propono igitur ut n. 11 ita emendetur: « § 1. Si ob peculiarem dioecesis condicionem bonum animarum id exigat, ne renuat episcopus a competenti auctoritate auxiliarem expostulare, facta ei facultate aliqua nomina pro tali officio ipsi competenti auctoritati praesentandi ».

Ad eumdem finem ita recognoscatur n. 12: « Nisi graves rationes obstent, quae Sanctae Sedi patefaciendae erunt, episcopus auxiliaris et vicarius generalis ab episcopo nominetur. Si plures sunt episcopi auxiliares convenit ut omnes vicarii generales nominentur, singulis determinata dioecesis parte assignata vel determinata competentia. Quae norma in novo Codice I. C. recipiatur ».

3. Relate ad episcopi renuntiationem, si notae 12 aliquis valor tribuendus est, propono ut ita nota ipsa emendetur: « Aetas ingravescens generatim censenda videtur post octogesimum expletum annum ».

45

Exc.mus P. D. RAPHAEL PELLECCHIA
Episcopus Aliphanus

N. 8, par. 1, lin. 26 dicatur: « ... competit quae iure communi ad administratorem apostolicum sede plena spectat ». Hac potestate praedito, coadiutor cum i. s. liberius et melius bono animarum ipsi concreditarum consulere potest. Hoc modo facilius vitantur factiones, dissensiones etc. quae semper fieri possunt inter sacerdotes praesertim; magis fovetur caritas, unitas crescit, et actio pastoralis in aedificationem Corporis Christi non consistit.

Ipse episcopus coadiutus, gravioribus oneribus pastoralibus liberatus, in humili oblatione sui ad Deum maximam consequitur gratiam suorum fidelium, qui semper eum vident patrem et pastorem.

46

Exc.mus P. D. EMMANUEL A IESU PEREIRA
Episcopus tit. Praenetiensis, aux. Conimbricensis

1. Quoad renuntiationem episcoporum, leges canonicae, ut nunc sunt, videntur perficiendae. Episcopus non raro ob senectutem efficitur incapax regendi dioecesim. Sua sponte tunc generatim non renuntiat et quia non

potest operare et frequenter non sinit ut alii operent, res de die in diem evaduntur non recte in dioeceseos regimine, quod est christifidelibus nocumento et etiam aliquando scandalo, et de die in diem episcopus et praesertim alii videbunt opus ab episcopo olim perfectum in peius mutare.

Cum, in his adiunctis, Sedes Apostolica suadet episcopo renuntiationem, ipse libenter et animo bono suggestionem non accipit. Christifideles et sacerdotes a Concilio Vaticano II exspectant remedium, nempe, legem, in qua haec praevideantur et de his provideatur, limitem aetatis constituendo. Idem agit status civilis pro inservientibus ei et merito, nam, deficientibus viribus physicis et aliquando mentalibus, quomodo officium suum implebunt? Officia episcopalia non sunt minoris momenti quam officia civilia, ut apparet.

Si episcopus animas sibi commissas diligat, paratus sit ad renuntiationem. Provideatur congruenti sustentationi eius; ipse in vita aliquod pro se et pro sacerdotibus ad sustentationem in senectute agat. Concedantur ipsi debitos honores in vita et in morte. Sed bonum animarum suprema lex. Omnes ad senectutem tendimus, sed omnino omnibus apparet saltem theoretice in senectute satis episcopum laborare nequit, ut ab animis exigitur. Dura lex erit sed necessaria.

2. De episcopis coadiutoribus et auxiliaribus haec tantum dicam. Cognovi quemdam casum, qui per se loquitur. Quidam episcopus residentialis senex et praesertim aegrotus a Sede Apostolica auxiliarem petiit. Cum hic in dioecesim advenit, ab initio et semper ullas facultates unquam ei concessit. Necesse fuit ab eo petere iurisdictionem ad confessiones audiendas. Numquam permisit ut auxiliaris Confirmationem ministraret, etc. Haec miranda dictu per aliquot annos perdurarunt. Sedes Apostolica hoc agere debuit: transtulit auxiliarem ad aliam dioecesim. Quantae autem vituperationes a christifidelibus et a sacerdotibus! Aiebant: Auxiliarem petiit a Sede Apostolica et nihil conceditur ut agat. Dioecesis magna non erat. Tamen vicarius generalis semper servatus est, etsi valde senex. Numquam episcopus auxiliaris saltem facultates vicarii generalis habuit, nempe, inferior in potestatibus vicario generali. Proh dolor! in Ecclesia Dei similes casus dantur in plurimis nationibus de coadiutoribus et auxiliaribus.

Quae cum ita aliquando sint, cuinam haec placebunt? Ita inveniatur medium, ut haec numquam sint possibilia, quae sunt dedecori auxiliari et etiam episcopo residentiali, non ad honorem Ecclesiae ipsius ducunt et animabus nocent. Dum haec accidunt, inimicus animarum zizaniam spargit in dioecesi.

Est Concilii Vaticani II de his providere. Dedecus auxiliaris, dedecori Ecclesiae redundat, si contemnatur.

Cur, sede vacante, auxiliaris statim non erit administrator apostolicus dioeceseos, nulla mediante electione a capitulo cathedrali? Quoties, in historia Ecclesiae, auxiliaris, nulla sufficienti causa interveniente, non electus est a capitulo vicarius capitularis? Statim ac episcopus residentialis obeat e vita, auxiliaris in dioecesi iurisdictionem perdit. Cum vicarius capitularis ipse non est electus, sine facultatibus pergit, quas petere debebit a canonico vi-

cario capitulari. Haec omnia absona sunt. Praevideantur et provideantur in Concilio Oecumenico.

Si vicarius cooperator, mortuo parocho, statim succedit ipsi in iuribus paroecialibus, donec Ordinarius definitive provideat, cur idem non agendum est, mortuo episcopo residentiali, nempe, per promotionem auxiliaris ipso iure ad administratorem apostolicum dioeceseos, qui praeterea « sede vacante » nihil innovare potest.

47

EXC.MUS P. D. HELDER PESSÔA CÂMARA

Episcopus tit. Salditanus, aux. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Nomine 63 episcoporum Brasiliensium, quorum heic adnectitur relatio, honore ditamur in proponendo per scripta ad cap. II decreti *de episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus* illa quae nobis visa sunt suggerenda quaeque sic sonant:

1. Cap. II post actuale IV transferatur. *Fundamentum*: ordo magis erit logicus, nam si cap. I de iis quae universaliorem prae se ferunt characterem agit, relationes scil. ad Sanctam Sedem, sequens caput logice tractare debet de institutis internationalibus ac nationalibus (conferentiis episcopalibus), III caput interdioecesana argumenta tanget (divisio dioeceseon), IV demum caput dioecesanos perlustrabit organismos, de episcopis dice coadiutoribus et auxiliaribus.

2. Nova introducatur terminologia quae loco ponatur verbi « episcopi titularis », quo mera exprimitur « iuris fictio » quodque nonnisi significare poterit episcopum simpliciter « titulum » quemdam gestare. Episcopi reapse designentur a missione canonica qua vere funguntur, sive territorialis sit, sive « functionalis ». Ita suggerimus ut qui residentialis appellatur episcopus nomine ditetur « Episcopus Praeses Dioeceseos X »; coadiutores vel auxiliares a dioecesibus, quibus sese dant, designentur (e. g.: X, episcopus coadiutor Lugdunensis). Nuntii Apostolici, Congregationum Romanarum consultores, consultores conferentiarum episcopalium qui a secretis sunt, apostolatui laicorum praepositi, atque alii huiusmodi, a functionibus quae exercent nominentur, quin inexistentes ipsis tribuantur dioeceses. Sic etiam non tantum videbuntur auxiliares episcoporum, quibus manus praestare nequeunt, quia ad alia extra limites dioeceseos cui suffecti sunt sese dare tenentur.

3. Consequenter, capitis etiam modificetur titulus et fiat « de episcopis coadiutoribus, auxiliaribus et non dioecesanis ». Utcumque res fuerit, ne omnino dicatur, ut in schemate: « de episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus », sed saltem: « de episcopis coadiutoribus et auxiliaribus ».

4. Aliter reddatur n. 6, linn. 10 ss., sequenti ratione: « Iamvero prior difficultas ordinarie videtur superanda per coadiutoris constitutionem qui episcopi coadiuti iurisdictionalibus oneribus gravetur; altera vero per dioecesis divisionem dismembrationemve, aut per auxiliarium concessionem. Coadiutoris autem et auxiliarium instituta... ». *Ratio*: auxiliarium et coadiu-

torum institutionem ut quid trutinum et normale tenemus, nullimode « anomalum » (Relatio, pag. 16) putamus, eo vel magis quod tam frequens invenitur magisque fiet in futuro. Conferatur hodiernus coadiutorum atque auxiliarium numerus.

5. Alio redigatur modo n. 7, scil. sequenti: « Coadiutor datur sedi, quando episcopus praeses, infirmitate vel aetate gravatus aut alia ex gravi causa, impar evaserit ad munus suum rite adimplendum, nec translationi sit locus; auxiliaris vero datur sedi, si haec nimis magna sit aut complexa, nec dividi aut dismembrari queat: episcopo autem praeside praevie audito ». *Ratio*: quae per « potissimum » et per « non exclusive » et per similia dicuntur nihilo inserviunt nisi ut novam pariat complexitatem figurarum iuridicarum, necnon ut excitent terminologiam, cui praesens Concilium finem imponere satagit. Quapropter coadiutor erit qui episcopo inhabili dabitur et quidem ad gubernandum (saltem ad determinatam dioecesen quod attinet, ideoque addidimus: « neque translationi sit locus »). Auxiliares vere dabuntur ad determinatas dioeceseos necessitates attendendas. Quacumque tamen in hypothesi, alius vel alius sedi exclusive detur, non vero episcopo; equidem ipsi ac episcopus praeses ad servitium praestant dioeceseos.

6. Nn. 8, 9 et 10 similibus substituantur verbis: « *a*) Episcopi coadiutoris constitutio fit etiam ex officio a S. Sede, bono animarum postulante; *b*) nisi aliud litteris apostolicis caveatur, coadiutor habeat stabiliter omnia iura ad officia episcopalia, etiam sede plena, cum exclusiva iurisdictione in universa dioecesi; *c*) episcopus coadiutus, maxime honorandus et condignae sustentationi providendus, omnia iura et privilegia non iurisdictionalia, sicut antea retinet, ipso iure residentiae non excluso; *d*) sede vacante, episcopus coadiutor fit ipso iure episcopus praeses ».

Ratio mutationis: coadiutori episcopo omnes iurisdictionis facultates tribuendo, coadiutoque singulos, quorum ius habet, honores reservando, et hac dumtaxat ratione, quatuor sequentia desiderata certo habentur: *a*) possibilitas gubernii stabilis; *b*) unitas in dioecesi ducenda; *c*) inutilis evadit ardua quaestio renunciationis, petitae vel impositae; *d*) omnia quae ob animarum bono exiguntur sine negotio providis sane prae manibus habebuntur.

7. N. 11. sequenti modificatione teratur: « In casu nimiae territorii amplitudinis, vel nimii incolarum numeri, aut negotiorum gravitatis, nec bonum animarum consulendum sit per dioecesis divisionem dismembrationemve, unum pluresve auxiliares episcopus praeses a competenti auctoritate expostulare ne omittat ». *Ratio*: eadem est quae sub 4 affertur.

8. Mutationi, ut prostat, subiiciatur n. 12: « Episcopus auxiliaris esto ipso iure vicarius generalis; quodsi plures constituantur, territorii dioecesani pars vel negotia specifica ipsis attribuantur cum iurisdictione ordinaria excercenda sub dependentia ab episcopo praeside, quo inconsulto vel contradicente nihil magni momenti efficiant. Negotia autem communia, capite episcopo praeside, omnes collegialiter conferant et operam navent. *Ratio*: praeter argumenta, quibus episcopum auxiliarem dicimus vicarium generalem per-

utilem putamus modum quo collegialitas in ipso dioecesano ambitu verificari incipiat.

9. Supprimendi sunt nn. 13 et 14, quia ab eis requisita sufficienter reperiuntur nostris emendationibus provisa.

10. N. 15 aliter fiet, nempe: « Nisi aliud a Sede Apostolica, aut a competenti auctoritate ecclesiastica pro orientalibus, in casibus particularibus praevisum sit, sede quomodocumque vacante, auxiliaris, ut administrator apostolicus vel patriarchalis, ipso iure constituitur; quodsi plures sint, omnibus cum praehabitis facultatibus manentibus, prior ex ipsis, secundum regulas praecedentiae, administrator sit, quod etiam Vicariis generalibus non episcopis applicandum erit ». *Ratio*: praeterquam thesi adhaeremus de auxiliari episcopo ipso facto administratore apostolico, notis supra rationibus, idem simile vicario generali non episcopo tribuimus ut frequentia vitentur mala in suffragationibus capitularibus detecta, necnon ut continuitas gubernii dioecesani habeatur, dum a Sancta aliter provideatur Sede. Privilegia quae excutiuntur capitulorum nos non movent, quia aboleri simpliciter queunt.

11. N. dematur 16. *Ratio*: renuntiationi locus non erit, si coadiutor cum plena et exclusiva iurisdictione, etiam sede plena, admittatur.

12. Paragraphus secunda n. 16 poterit praeteriri, si ratihabeatur novus spiritus, quem sequentibus vertimus verbis: « Episcopi omnes, ob eorum praeexcellentem dignitatem, omni saeculari ostentatione et qualibet inter ipsos externa diversitate sepositis, iisdem devotionis et amoris signis honorandi sunt ».

[*Subscripserunt etiam*] Em.mus card. Jaime de Barros Camara; exc.mi DD. Candido Padim, Diogo Parodi, Edilberto Dinkelborg, Manoel Tavares Araujo, Aristides Pirovano, Jaime Luiz Coelho, Afonso Nihues, João Rezende Costa, Frei Cesário Minalli, José Dalvit, João Marchesi, David Picão, Clemente Isnard, Francisco Austragésilo de Mesquita, Geraldo Pellanda, Anselmo Pietrulla, Herminio Malzone Hugo, José Varani, José Gomes, José Medeiros Delgado, Antonio Batista Fragoso, Amadeu Gonzales Ferreiros, Eugenio de Araujo Sales, José Bezerra Coutinho, José Mauro Alarcon Santiago, José Costa Campos, Jorge Marcos de Oliveira, João de Souza Lima, Frei Tiago Ryan, Tadeu Prost, Avelar Vilela Brandão, João Batista da Mota e Albuquerque, João José Mota e Albuquerque, Agnello Rossi, Aloisio Lorscheider, Edmundo Luiz Kunz, José Lamartine Soares, Alberto Etges, Adelmo Cavalcante Machado, Augusto Carvalho, Wilson Laus Schmidt, Nivaldo Monte, Tomás Vaquero, Othon Motta, Manoel Pereira da Costa, José Eugenio Correia, Carlos Gouvêa Coelho, José Brandão de Castro, Augusto Petró, Walfrido Teixeira Vieira, Raimundo Lui, Serafim Fernandes de Araujo, Bernardo José Bueno Mielli, Daniel Baeta Neves, Gabriel Paulino Bueno Couto, Frei Caetano Lima dos Santos, Arcangelo Cerqua (exclusa emendatione 7 *e*), Luiz Gonzaga Marelim (cui non placet nomen « episcopus praeses », nec emendatio 10), Quirino Adolpho Schmidt, Afonso Maria Ungarelli, José Vicente Tavora.

48

EXC.MUS P. D. ALOISIUS PIRELLI

Episcopus Soanensis-Pitilianensis

Quoad episcopos coadiutores. Pater et pastor gregis unus est et unus esse debet. Si unum caput, unum et regimen.

Quod principium — natura sua tam evidens — ante quam theologicum vel iuridicum, sensui communi proprium videtur; idemque proinde popularis sapientia semper tenuit in illo proverbio incisive expresso « due galli non s'accordano in un pollaio ».

Hisce positis, vi n. 8 § 1 et n. 10 § 1 cap. II de episcopis coadiutoribus, mihi videtur per coadiutorem in dioecesi duo in omnibus pares constitui et proinde vera dyarchia creari, quae ex sese inevitabilis fons divisionis, praesertim in clero fiet, ob humanae naturae defectibilitatem, praesidis corrosionem in gubernatione, spem mutationis a novo superiore fere semper allaturam.

Quae difficultates, in natura dyarchiae insitae, virtute dicitur superandae; sed in sola virtute lex fundari non potest. Nec eaedem consiliis vel remediis, quamvis optimis, eliminandae, quae humanitas et caritas in art. 9 eiusdem cap. inspirant.

Quoniam vi officii solus episcopus coadiutus in universa dioecesi *omnes* potestates habeat et habere debeat, quaedam reservationes episcopo coadiutori faciendae sunt *unicusque* vicarius generalis duobus acceptus constituendus, ut dioecesis unicum utileque regimen teneat.

Mihi submisse concessum sit ad insitas huic instituto difficultates componendas insinuare ut, ad normam can. 475 I. C., de vicariis adiutoribus, tota quaestio solvatur.

Si episcopus vitio mentis laborat, episcopo coadiutori omnia iura officiaque competant administratoris apost. munere fungendo, titulum dioeceseos coadiuto retinente.

Si episcopus sui compos sit, sed senectute, deambulatione, caecitate, etc. impeditus, regimen sibi spectet, in potioribus tamen et duraturis negotiis coadiutorem consulendo; coadiutor, vice sua, omnia suppleat quae coadiutus per se exsequi non potest. Ita res simplificantur et art. 8 § 1, art. 10 § 1 inutiles evadent.

Quoad episcopos auxiliares. Pacificum sit auxiliari — sicuti omni episcopo titulari — omnia tribui quae characteris episcopalis dignitati conveniant. Facultates opportunas habeat non tantum in pontificalibus peragendis, sed etiam in clare determinatis dioecesani regiminis provinciis.

Si episcopi auxiliaris potestas et facultates obtentae — inter quas, sicuti pro omnibus episcopis titularibus, potestas matrimoniis adsistendi — non expirent cum munere episcopi residentialis, pauca refert quod in dioeceseos vacatione sibi administratoris apost. munus non committatur. Salvae manent et

sua dignitas episcopalis et capituli cathedralis libertas vicarium capitularem eligendi.

Quoad episcopos iniuste iudicatos vel dimissos. Cum Curia Summi Pontificis sacra sit sed non infallibilis, etiam episcoporum iniuste iudicatorum vel dimissorum casus verificantur.

Mentis acie; obiectiva serenitate; praeiudiciis omnique animi commotione semotis; non paucis testibus quamvis qualificatis sed interesse habentibus, sed pluribus diversarum partium acute excussis, imprimis — ad ius naturale servandum — episcopo ample audito; i. e. lentissimo pede procedendum est. Veritate detecta, vel positivis elementis praevalentibus, si episcopus in sede mansit, moraliter cohonestetur; si dimissus, quoad omnia, congruenter provideatur, vel novam dioecesim assignando, vel consentaneum officium conferendo, ad iustitiam reparandam, ad honorem restituendum, ad plagam cordis eius sanandam, quia paternitas spiritualis sic abrupta, uti spina acuta transfigit, donec altera substituatur.

Quoad renuntiationem episcopi. Episcopi omnes, uti apostolorum successores, a solo Summo Pontifice pendent. Ergo iniuriosum est illis — sicut in aula audivimus — ad renuntiationem invitari per conferentias episcopales vel per metropolitam. Par in parem non habet ius.

Ita odiosum est parumque paternae episcopali dignitati conveniens episcopis senectute ingravescentibus per legem renuntiationem imponere. Sola suavi ratione rem in opportunis casibus a Summo Pontifice suadeatur, ob Dei amorem et animarum, ad earum bonum melius procurandum.

Quodsi vix possibile est eos in sede vel dioecesi private, sed quoad omnia digne, remanere, hoc solamen libenter eis concedatur cum omnibus episcoporum residentialium privilegiis, ad cleri populique exemplum, ad spiritualem dioeceseos fecunditatem; morteque erepti, honestis funeribus inque sepulcro sibi electo condiantur.

Tali modo, talibusque humanis conditionibus, facilius episcopi senectute ingravescentes ad renuntiationem invitabuntur et Ecclesia bene merebit de filiis suis tam bene meritis.

49

Exc.mus P. D. MAURITIUS POURCHET
Episcopus S. Flori

Fere totum caput in hunc scopum tendit ut episcopi, sive coadiutores, sive auxiliares, potestate et facultatibus polleant quae characteris episcopalis dignitati congruunt. Sed:

1. In eo ipso quod eorum facultates augentur, unitas in dioecesis regimine videtur in periculo posita, et consilia ordinis moralis quae dantur, etiam optima et pertinentia, non erunt semper efficacia.

2. Ex alia parte, harmonisatio cum vicarii generalis munere, in plerisque casibus, difficilis evadetur, praesertim ubi unus vicarius generalis existit.

3. Iura et libertas capituli in eligendo vicario capitulari non plane recognoscuntur.

4. Si vicarius capitularis electus non est episcopus auxiliaris, potestas et facultates quas auxiliaris, iuxta nostrum textum conservat, non facile componentur cum potestate et facultatibus vicarii capitularis.

Sub alio respectu satis compertum est sortem episcopi auxiliaris saepe precariam inveniri, quando episcopus cui suffectus erat moritur, et novus episcopus auxiliari non indiget.

Cum, ex neutra parte, inconvenientia vitari non possint, statuendum esset hunc procedendi modum, scil. nominatio coadiutoris vel auxiliaris, omnino exceptionalem esse debere (exceptis casibus ubi amplitudo dioecesis hoc requirit). Et satis mirum est quod par. 16 ut normale considerare videatur hunc modum, et renuntiationem voluntariam proponere, solum quando aliud medium adhiberi non potest.

Causa istius ambiguitatis in eo est quod haec renuntiatio quae, in multis casibus, postulari videatur et a bono dioecesis, et a bono animarum, non facile consideratur. Ab hac plerique abhorrent, et textus schematis ipse ipsam tangere, nisi timide audet.

Verum tamen medium in ea consistit, et non potest in futuro adhiberi, nisi regulae practicae statuantur.

En forma quam audacter forsan, sed humiliter propono: Post absolutionem septuagesimi aetatis anni episcopus renuntiationem dioecesi quam administrat scripto Sancto Patri traderet, et Summus Pontifex illam ad effectum deduceret tempore quo necessarium duceret, consulta tamen commissioni speciali pro hoc a conferentiis episcopalis constituta.

Si hoc statueretur, facilius esset pro nobis episcopis renuntiationes obtinere, quae etiam necessariae videntur.

50

Exc.mus P. D. PASCHALIS QUAREMBA
Episcopus Gallipolitanus

Pag. 9, n. 7, *agitur de episcopis coadiutoribus et de auxiliaribus, qui tantum titulares sunt*. Quodnam est fundamentum theologicum vel argumentum quo eorundem *titularitas* innititur?

Cum episcopus ad regendam determinatam ecclesiae partem ordinatus sit, quaenam est portio ecclesiae episcopo titulari destinata?

Insuper institutio episcopi coadiutoris vel auxiliaris saepe diminutio auctoritatis episcopi residentialis esse potest; et aliquando duplex regimen in dioecesi discordiae et divisioni inter clerum et christifideles favere videtur. Humillime igitur propono ut nunquam episcopo residentiali coadiutor vel auxiliaris detur; et episcopus inhabilis vel senex factus, ope vicarii generalis aut delegati, quibus maiores facultates ipse concedere potest, utatur.

Pag. 11, n. 16, *agitur « de renuntiatione episcoporum »*. Articulus ille suam vim habet. Si episcopi enim apostolatus finis salus animarum est, quoties propter senectutem vel virium imbecillitatem episcopus suis muneribus rite obeundis impar evaserit, conveniens erit ut dioecesi renuntiet. At contra thesim hanc variae difficultates militant:

a) Saepe saepius visum est apostolatum doloris magis efficacem esse quam apostolatum verbi aut actionis. Acceptare magna cum humilitate et obsequio voluntati Dei dolores, eos patienter tolerare, causa sanctificationis est pro clero et fidelibus.

b) Senectus ipsa non semper est incapacitatis causa: quot sunt senes qui, experientia teste, iuvenibus validiores sunt!

c) Episcopus, dioecesi renuntians, saepe saepius animo deficit, quia renuntiatio illa culpae suspicionem parere potest; insuper timor ne in futurum ipse laboribus vacuus sit, suam famam laedere videtur. Huic ergo quaestioni hanc propono solutionem: *episcopus decimo saltem quoque anno ad aliam sedem transferatur.* Id et ipsi, et clero et populo magno commodo erit.

a) *Ipsi*: episcopus, sciens se non in perpetuum quamdam dioecesim gubernaturum, actuosius adlaborabit, eius cor nemini adhaerebit, zelum pastoralem semper vivum servabit, et bonam ipsius famam relinquere curabit. Experientia docet quod loci mutatio spiritum renovat.

b) *Clero*: si quis ex clero suum episcopum, quacumque de causa, non diligit, eius translatione decennali animi tranquillitatem acquirit.

c) *Populo*: Cum episcopus in aliam dioecesim transfertur, fidelibus nova apostolatus methodus datur, novae dispositiones, novus zelus, novus fervor; et si qua malevolentia in episcopum erat, eius translatio decennalis populum alleviabit.

Si inamovibilitatis abolitio parochorum quaesita est, cur translatio decennalis episcoporum concedi non potest?

Concludendo humillime propono ut « episcopus in unaquaque dioecesi plus quam decem annos non permaneat ».

Pag. 11, n. 16, par. 2, *agitur de « sustentatione providenda episcopo renuntianti »*.

Quaeritur: unde proventus huius sustentationis? Quis eam procurare et concedere deberet?

Ut quaestio solutionem habeat, reformationem administrationis bonorum ecclesiasticorum proponerem; scil. omnes proventus ecclesiastici, cuiuscumque naturae (congrua, adventitia, stipendia Missarum, legata etc.) in officio administrativo nationali vel regionali cumulentur; et officium istud unoquoque mense pro rata personis, cultui addictis, eos distribuat ope officii administrativi dioecesani, consideratione habita gradus, aetatis etc. uniuscuiusque.

Ita etiam episcopo renuntianti honesta sustentatio haberetur.

* * *

Sicut Concilium Vaticanum I statum Romani Pontificis determinavit, ita Concilium Vaticanum II episcoporum statum determinare vult in Ecclesia Dei. Sit mihi venia si capitulo « de episcopis » aliquid addere audeam.

Ad regendam Ecclesiam Christus Dominus Petrum et apostolos tantum vocavit, simplicem hierarchiam constituens sine interpositis structuris.

Bonum erit si illa simplex hierarchia restauretur; propono igitur ut ad regendam Ecclesiam sint tantum Summus Pontifex et episcopi residentiales, auferendo illos gradus hierarchiae, qui cum nostro tempore facilis cum Sancta Sede communicatio sit, aboleri possunt, ut archiepiscopatus, metropolitani, primates, patriarchae etc.

Relate ad collegium cardinalium, quoniam ipsi Senatum Summi Pontificis constituunt, nullam dioecesim regant, sed tantum curialibus muneribus vel Apostolicorum Delegatorum in singulis nationibus, aut munere praesidentiae in episcoporum nationalibus coetibus seu conferentiis fungantur.

51

Exc.mus P. D. CAROLUS QUINTERO ARCE

Episcopus Vallipolitanus

In pag. 9, n. 8, de facultatibus coadiutoris: ita textus emendetur ut facultates quae episcopis coadiutoribus tribuuntur ne excedant iis quas episcopus residentialis iure suo habet; et quidem ne videatur duplex quidem regimen in dioecesi adesse.

Difficultas quidem haec ab ipso schemate videtur praevideri, nam in n. 9 « relationes inter coadiutorem et coadiutum » exhortationes morales adiunguntur; sed hae exhortationes possunt inefficaces esse nisi principium exponatur de inconcussa auctoritate episcopi residentialis (quae tamen auctoritas, quidem cedit saluti animarum: suprema lex).

52

Exc.mus P. D. ALOISIUS IOSEPH REICHER

Episcopus Austiniensis

Emendatio proposita ad cap. II, n. 16. Dividatur paragraphum primum in duas partes, nempe:

1. Episcopi residentiales ceterique in iure ipsis aequiparati qui, ob permanentem valetudinis defectum vel ob ingravescentem aetatem aliamve gravem causam, implendo pastorali muneri minus apti evaserint, enixe rogantur ut, ob Dei atque animarum amorem, sua ipsi sponte renuntiationem ab officio faciant.

2. In casu quo renuntiationem sua sponte non factus est et si Apostolicae Sedis vel, pro orientalibus, competentis auctoritatis iudicio, recto dioecesis regimini neque per coadiutorem neque per auxiliarem seu auxiliares congruenter provideri possit, episcopi provinciae debent convocare et opiniones dare scriptis ad tradendam Apostolicae Sedis vel competentis auctoritatis utrum episcopi residentiales renuntiationem facere debent.

Rationes:

1. In praesentem schema, datur praesumptionem factis incapacitatis quando aetatem septuagesimum quintum habetur sed nulla datur praesumptionem nec dare potest de permanentem valetudinem defectum nec de aliam gravem causam.

2. Ideoque, et deleantur nota 12 et nota 13: quia nota 13 ad hoc dirigatur ut " burocraticism " evitetur. Sed praxis hodierna est rogare archiepiscopum vel alium episcopum vel personas bene notas a membris Sacrae Congregationis Consistorialis et tantum cognoscere possunt partem veritatis.

Videtur quod saepe occurrit nominatio administratoris apostolicae sine vera necessitate secundum normas in 2, supra, notatas.

3. Si praesumptio daretur opiniones maioritatem episcoporum provinciae, videtur « burocraticismi » vinceretur facilissime.

4. Dividitur paragraphum in duas partes quia in prima rogantur renuntiationem sponte facta et in secundam partem datur norma pro exigendi renuntiationem.

53

Exc.mus P. D. VINCENTIUS REYES
Episcopus Boronganensis

Liceat mihi paucas observationes vel emendationes proponere circa aliquos articulos cap. II.

1. In prooemio optandum est ut paragraphus secunda omittatur, secus in contextu apparet quod episcopi coadiutorem vel auxiliarem habentes nolunt facere a munere renuntiationem, quamvis haec propter gravem causam sit necessaria vel valde desiderabilis.

2. Ad art. 7, in linn. 21 et 22, loco verbi *episcopo* ponatur *sedi.* Hoc enim videtur magis consentaneum dignitati episcopali. Praeterea, prae oculis habendum est quod episcopus quicumque sit est propter gregem, secundum illud Sacrae Scripturae: « Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei ». Ideoque, sicut episcopus residentialis, etiam eius coadiutoris vel auxiliaris nominatio *sedi* non episcopo semper detur. A. v., proponere vellem ut notio coadiutoris et auxiliaris sic se habeat: coadiutor datur sedi cum iure successionis; auxiliaris vero datur sedi sine iure successionis.

3. Ad art. 8. In textu schematis episcopo residentiali denegatur facultas quidquam sibi reservandi ex facultatibus coadiutori concessis. Potestas autem reservandi est iam ius acquisitum episcopi residentialis. Quare ergo tolle-

retur? Hoc enim laborat contra principium fundamentale iam statutum in cap. I nostri schematis, scil.: « Quapropter facultates hucusque ipsis recognitae amplificentur ».

4. Ad art. 9. In linn. 19 et 20 praecipitur vicario generali ne suis facultatibus utatur contra mentem et voluntatem non solum episcopi coadiuti sed etiam coadiutoris.

Aliquando contigit, et saepe contingere potest, non esse eandem coadiuti et coadiutoris mentem, in quo casu difficile esset pro vicario generali si placere deberet utrique. Ideoque non debet imponi vicario generali tale praeceptum.

Episcopus coadiutus manet semper episcopus proprius et habens onus reddendi rationem villicationis suae. Quapropter propono ut linn. 19 et 20 deleantur. Nam de conformitate usus facultatis vicarii generalis cum mente et voluntate eius episcopi iam provisum est in iure, can. 369 § 2.

5. Ad art. 11. Textus schematis, ut iacet, relinquit voluntati episcopi expostulare vel non expostulare auxiliarem; et idem dicendum est de divisione vel dismembratione dioecesis. Hoc principium, meo humili iudicio, non est efficax, quia aliquando deficit spontaneitas seu bona voluntas ex parte episcopi. Uti remedium huius difficultatis seu obstaculi proponere audeo hanc emendationem, nempe ut in lin. 24 art. 11 loco verbi *expostulare* dicatur *accipere*; et in lin. 26 eiusdem articuli loco verbi *satagat* ponatur *ne renuat*. Sed in utroque casu anteponantur verba *eo audito*.

6. Ad art. 12. Secunda paragraphus huius articuli, ubi legitur: « Quodsi in Litteris constitutionis provisum non fuerit » etc. mihi videtur quod est superflua, immo et contraria primae paragrapho, scil.: « In Litteris quibus auxiliaris constituitur, eiusdem iura et officia *definiantur* » etc.

7. Ad art. 14: (Relationes inter auxiliarem et episcopum). Hic articulus non videtur esse completus, quia tantum dicit de modo agendi auxiliaris erga episcopum, sed non vicissim. Propono igitur ut addatur alia paragraphus, hoc modo: « Episcopus auxiliarem magna cum caritate prosequatur, eum informatum habeat eumque audiat de variis negotiis magni momenti in dioecesi, et de eius honesta sustentatione bene provideat ».

8. Ad art. 15. De facultatibus auxiliaris sede vacante. Mihi videtur quam miserabilem esse auxiliaris conditionem si cum episcopi residentialis munere exspirarent sua potestas et facultates! Ad mentem revocat hominem exspoliatum in via ad Jerico. Est enim mera figura auxiliaris post mortem vel renuntiationem episcopi residentialis.

Quapropter, venerabiles Patres, in adiutorium auxiliaris intendite; ad adiuvandum eum festinate; sint eius potestas et facultates magis magisque stabiles!

54

EXC.MUS P. D. HILDEFONSUS M. SANSIERRA

Episcopus tit. Oriensis, aux. S. Ioannis de Cuyo

Ad auxiliares et coadiutores quod attinet prae oculis, forsan, quaedam principia haberi iuvabit, ex quibus hanc ut ita dicam spinosam quaestionem de cap. II, n. 16, solvi poterit. Et quidem:

I. Figura iuridica coadiutoris omnino supprimatur quia et non penitus consona doctrinae theologicae, ut manifestavit em.mus card. Ernestus Ruffini; ac non raro permultum odiosa.

II. Auxiliaris semper et solummodo sedi assignetur, nempe gregi, in cuius bonum spiritualem residentialis episcopus *potestatem* seu *ius* docendi, regendi et sanctificandi habet a Domino et ab Ecclesia receptam.

III. Distinctio tamen facienda est inter ipsum *ius* et iuris *exercitium,* et quidem hoc modo:

1. *Ius* maneat apud episcopum residentialem, etiam expleto 75 aetatis anno, vel morbo laborantem, quia pater est dioecesis et ob alias rationes: inde sequitur quod congrua sustentatio et honores ex illo iure manantes ei semper erunt.

2. *Exercitium* vero iuris, sit penes auxiliarem ut cura animarum detrimentum non patiatur et omnino efficax evadat. Ita principium theologicum solidum manet, nempe quod unus est pastor quia episcopus residentialis et auxiliaris iuridice, una persona constituunt: itemque illud « qui per alium facit et per se facere videtur », ad actum reducitur.

IV. Aetatis vel salutis causa, *praesumptio iuris est,* quod episcopus residentialis expleto 75 anno plene validus esse non videtur ad regendam dioecesim sibi commissam; proindeque sedi episcopus auxiliaris assignabitur qui non erit titularis alius dioecesis.

V. Hoc autem ne iniuriosum a christifidelibus vel a clericis videatur, *modo stabili in C.I.C.* decernatur.

Haec mihi videtur quaedam « via media »; nam et episcopi dignitati ac necessitati consulitur, salusque animarum in tuto ponitur.

55

EXC.MUS P. D. ALEXANDER SCANDAR

Episcopus Lycopolitanus

In genere, cap. II schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* substantialiter placet. Propositiones quas facit aliquas clarificationes et praecisiones requirunt. Liceat mihi aliquas observationes proponere.

a) Ad art. 6, i. e. in prooemio, episcopus scire debet officium primarium suum salus animarum esse. Ergo in conscientia quando difficilis est

ei correspondere obligationi suae tam gravi, auxilium sive auxiliarem sive coadiutorem a competenti auctoritate petere debet. Ad exemplum Magistri episcopi munus est in humilitate ministrare et non ministrari, quia facta id postulant sine ullo praeiudicio animis. Meminisse iuvat, hac de re, verba Domini prophetis facta et maledictiones a Christo Domino prolatae sacerdotibus et pharisaeis qui populum Dei negligebant.

b) Ad nn. 8 et 9 propono quod est Sedis Apostolicae videre immo et decidere an melius auxiliaris vel coadiutor esset episcopo residentiali. Ad iudicium Sanctae Sedis episcopus magno animo sese remittet. Attamen mihi videtur, pro unitate regiminis et concordia convenit ut consilium ab eo audiatur et nomina electandi ab eo petatur si hoc fieri potest.

Item si coadiutorem nominat competens auctoritas, vicarium generalem suum eligere potest sed in hoc casu ad consilium episcopi residentialis sese conformare monetur si hoc fieri potest.

In hoc casu libertatem et facultates sine reservatione sibi facta episcopus concedit coadiutori. Nihilominus non obstat episcopo gaudente bona experientia sua in apostolatu consultorem coadiutoris esse.

c) Pro oriente, attenta diversitas rituum et morum et normarum liturgicarum uniuscuiusque ritus in eadem dioecesi locali, propono ad facilitandam administrationem et gubernationem animarum episcopum residentialem et autochtonum coadiuvandum esse auxiliaribus diversis ritibus, a competente auctoritate illius ritus constituti, qui synodum cum episcopo residentiali formant ad unitatem auctoritatis et gubernationis dioecesis praebendam et ad exemplum catholicitatis Ecclesiae non catholicis illustrandum. Attamen episcopus residentialis libertatem et facultates auxiliaribus suis det in exercitio proprii ritus, conservando administrationem bonorum spiritualium et temporalium coram civili auctoritate.

d) Si episcopus residentialis rectum dioecesis regimen minus apte evadit ob gravem causam sive valetudinis sive aetatis, sive xonophobiae hodiernis temporibus et insinuante Sede Apostolica renuntiationem ab officio suo mavult, persuadendum est hanc renuntiationem facere praevisis honesta sustentatione et peculiaribus honoribus et privilegiis ipsi concessis. Attenta peculiaribus personarum et locorum circumstantiis, audita certa quadam commissione designata a competente auctoritate, Romanus Pontifex iudicat de singulo casu pro salute animarum.

Haec humiliter propono, venerabiles Patres, sapienti iudicio vestro.

56

Exc.mus P. D. IOSEPH STREBLER

Archiepiscopus tit. Nicopolitanus in Epiro

Paucas animadversiones tantum Patribus submittere volo circa art. 16, cap. II, « De renuntiatione ab officio » tractans, et loquor in nomine novem

episcoporum Africae Occidentalis et Madagascar qui annis elapsis Officio renunciaverunt in favorem novi episcopi de *clero indigena,* ad meliorem promotionem Ecclesiae localis et secundum Sanctae Sedis placitum.

Paragraphus haec loquitur de rationibus in favorem renuntiationis, nempe: 1. Ingravescens aetas; 2. Defectus valetudinis; 3. Alia gravis causa.

Inter has alias causas, libenter opinor, prima et essentialis esse debet *bonum Ecclesiae* — quia *bonum Ecclesiae,* sicut salus animarum, est suprema lex episcopi, nec alia ulla ratio requiritur ad commendandam renuntiationem, dummodo semper haec in veritate et caritate et debita humana consideratione a superioribus urgetur.

Renuntiatio est semper magnum sacrificium, etiam si « ob *Dei et animarum amorem* sua sponte » accipitur.

Argumenta exc.mi relatoris schematis paululum tantum placent et permissum nobis sit aliquas suggestiones humillime proponere.

1. *Novus titulus.* Cum exc.mo D. Baudoux, arch. S. Bonifacii in Canada — (cf. Emendationes pag. 21) — proponimus ut paragraphus secunda, art. 16, incipiatur ut sequitur: « Exercitio muneris episcopalis renuntiantibus titulus *episcopus emeritus* dioecesis decernatur, et congruens providebitur sustentatio etiam, si casus ferat et ipsis placuerit, alicuius consentanei officii collationem ».

Nominatio ad sedem titularem fictivam non est compensatio digna pro sacrificio quod postulat Sancta Mater Ecclesia a *pastore* animarum, qui per longos annos in agro Domini suis curis commisso laboravit et pondus diei et aestum portavit. Crudelis est separatio pastoris a dilectis ovibus. Dioecesim fictivam eiusdemque oves novas nunquam videbit.

Melior et valde humanior solutio esset, discedenti pastori simpliciter titulum verum dare, nempe *episcopus emeritus* veteris sedis.

Sic divortium inter pastorem et oves dilectas non requiritur; sponsalia die consecrationis contracta non dirimuntur, nisi morte, et haec certitudo esset vera consolatio pro ingravescente episcopo, officio renuntiaturo.

2. *Oratio pro episcopo emerito, vivo et defuncto.* Titulus episcopi emeriti nullas facultates illi concedit sed enixe rogamus Sanctissimum Patrem ut permittere velit nomen episcopi emeriti, usque ad felicem e vita exitum, post nomen successoris in canone Missae et in Breviario nominari posse. Libenter episcopi emeriti Missam pro populo et sacrificia senectutis Deo offerebunt pro dilecto suo populo et sacerdotibus, qui cum illis in Evangelio laboraverunt, quorum plures ad sacerdotium elevaverunt.

Ius sepulchri in episcopali conditorio dioecesis — cum solemnitate funeris de qua loquitur paragraphus secunda — non est argumentum magni valoris ad voluntariam renuntiationem episcoporum obtinendam.

Nuper in Breviario legimus haec verba S. Augustini: « Curatio funeris, conditio sepulturae et pompa exequiarum magis sunt vivorum solatio quam suffragia mortuorum » (*Officium Defunctorum,* die 2 nov.).

Quapropter liceat nobis proponere ut Ecclesia pristina episcopo emerito

defuncto suffragia pro defuncto Ordinario offerat. Dignus est operarius mercede sua.

3. *Quoad sustentationem.* Quoad sustentationem de qua mentio fit in paragrapho secunda, liceat nobis proponere, quando de missionariis agitur, qui in pauperrimis missionibus per longos annos laboraverunt, ut sustentatio honesta a S. Congregatione de Propaganda Fide, etiam pro *religiosis* et episcopis alicuius Congregationis, derivaretur. In hoc casu, libenter iterum diceremus: Operarius dignus est mercede sua. In Africa, mensa episcopalis non potest hunc officium adimplere, quia « securitas socialis » nondum existit.

Haec tria puncta sunt aliquid novum in traditione ecclesiastica, sed propositio art. 16 quoque nova est in hodierna forma et propter hoc, legem novam postulat.

57

EXC.MUS P. D. ANTONIUS TEDDE
Episcopus Uxellensis et Terralbensis

Liceat et mihi humillime in schema decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine* aliquas proponere animadversiones.

1. In schemate tenue dicendi genus ac benigno sermone fluens laudandum praecipue videtur.

2. De rationibus inter episcopos et Sanctam Sedem humanissime in hoc capite agitur; quod pergratum Patribus conciliaribus evadit. Et quidem res maximi momenti est cum reapse plurimis ex partibus recto atque aequo animo rationes inter episcopos et Sacras Congregationes et Tribunalia Romana pastorali cooperatione suffultae optentur. Sed fas mihi sit humillime aliquas emendationes benigne considerandas proponere.

a) In hoc capite sermo nimis administrativus videtur. Cum autem schema, de quo agimus, totam vitam ac diutinam actuosam sollertiam episcoporum attingat, humillime censeo caracterem pastoralem episcopi — qui tamquam rationem redditurus pro animabus sibi commissis Deo et Ecclesiae totam suam vitam consecrat — hic aperte declarandum esse ut perspicue eniteat vera figura episcopi, qui — apostolorum successor, una cum Summo Pontifice ac sub eius suprema auctoritate — est dioecesis sibi commissae caput, pater, magister et sanctificator.

b) Neminem latet plurimis ex coetu cleri, sive dioecesani sive religiosi — immerito quidem sed pertinaciter — persuasum esse — quod valde dolendum est — Sacras Congregationes Romanas facile quibuscumque litteris accusatoriis contra episcopos redditis fidem tribuere (maxima reverentia erga Curiam Romanam dico) ita ut episcopi in offensam Sacrarum Congregationum et in angorem incurrant, ac illorum auctoritas et episcopalis muneris exercitium extenuentur.

Quod utique episcopis optima occasio est humilitatis perspicue excolen-

dae, sed in gravissimum damnum sive socialis disciplinae quae est fundamentum cuiuscumque regiminis sive praesertim in gravissimum damnum spiritualitatis ac pietatis sacerdotalis vertit.

Quod cautis verbis innuitur in n. 4 capitis de quo agitur.

Provido divino consilio, igitur, in Concilio Oecumenico Vaticano II haec in diem quam maxime periculosa atque damnosa rerum condicio, per B. M. Virginem Christo Ecclesiae Capite adiuvante, deterreri atque amoveri potest, immo amovenda atque deterrenda est.

Nam pro bono animarum auctoritas episcopi residentialis fovenda omnino est. Etenim inter episcopum et clerum et laicos vinculum Christi est vinculum caritatis.

Quod vinculum caritatis saepe saepius in mentem revocandum ac aperto animo recolendum est tamquam fundamentum vitae pastoralis necnon omnis actuositatis, dioecesanae et paroecialis, in laudem Dei, in bonum Ecclesiae, in salutem animarum.

In textu capitis *de episcopis ac de dioecesium regimine* optima passim ad hunc finem apta inveniuntur.

Candida reverentia his praemissis, mihi liceat humillime aliqua proponere.

In schemate *de episcopis ac de dioecesium regimine* haec optantur:

a) Introductio aptius incipere videtur his verbis: « Dei honor et gloria, animarum salus immo et consecratio mundi lex in Ecclesia Christi suprema etc. ».

b) In ipsa introductione peropportunum videtur in mentem revocare officium — et, audeo dicere, ius — cooperationis utriusque cleri, dioecesani scil. et religiosi, cum episcopo, eius actuositatem ac caritatem pastoralem perlibenter ac fideliter aequo animo in bonum animarum adiuvando.

Humillime itaque propono ut in fine lin. 12 ipsius introductionis haec verba adiungantur: « ... consequi valeant, utroque clero, dioecesano scil. et religioso, aequo animo in bonum animarum cooperante ».

c) Pag. 6 in titulo cap. I dicatur: De rationibus inter episcopos et Sanctam Sedem.

d) Pag. 6, lin. 9, post verba « ... sint praesto » haec verba adiungantur: « ita ut omnibus — et quidem utrique cleri coetui et laicis — prorsus manifeste pateat quanta reverentia paternitati episcopali debeatur et illi vicissim ... ».

e) In n. 3, lin. 19, sic dicatur: « quae ad aptius et expeditius eorum ordinariae ac immediatae potestatis exercitium sub primatu iurisdictionali Romani Pontificis explendum, characteri atque muneri episcopali inhaerent ».

f) In pag. 7, n. 5, ne Patres conciliares suam voluntatem Summo Pontifici imponere videantur, humillime propono ut n. 5, lin. 22, his verbis initium habeat: « Sacra Oecumenica Synodus Vaticana II enixe exoptat ut nonnulli episcopi... etc. ».

Si audacius dixi, velint mihi indulgere.

58

EXC.MUS P. D. OCTAVIUS TERRIENNE
Episcopus tit. Menelaitensis

Un Père conciliaire a demandé que la note n. 14, page 13, se rapportant au n. 16 du chapitre II soit introduite dans le texte même du schéma.

Je voudrais me permettre de proposer d'ajouter aux privilèges énumérés dans la note le droit de garder la Sainte Eucharistie (selon les règles liturgiques) dans la chapelle privée de la maison de l'évêque démissionnaire.

Raison: pour la consolation de l'évêque démissionnaire, et le secours qu'il y trouvera pour sa piété personnelle.

J'oserais même demander que ce même privilège soit accordé à tous les évêques.

Raison: privilège rattaché à la plénitude de leur sacerdoce.

59

EXC.MUS P. D. VILLELMUS M. VAN ZUYLEN
Episcopus Leodiensis

De coadiutoribus et auxiliaribus.

a) Dicitur in schemate coadiutori ipso iure competere in dioecesi potestatem quae iure communi vicario generali tribuitur. Non autem affirmatur eundem esse formaliter vicarium generalem vel ad instar vicarii generalis. Est quidam vicarius generalis ipso iure datus, de quo autem non statuitur quod de vicario generali decernitur, scil.: « caveat ne suis potestatibus utatur contra mentem et voluntatem episcopi » (can. 369, § 2). Unitas regiminis, quae in dioecesibus omnino requiritur, non tuta habetur. Itaque statui debet praescriptum canonis 369, § 1 et 2 etiam episcopo coadiutori applicari. Sed aut statui potest principium, vi cuius episcopus residentialis coadiutorem suum in vicarium generalem assumat.

b) Cum dedeceat ut episcopus auxiliaris inferior sit vicario generali, qui episcopali dignitate non gaudet, expediret ut in schemate decerneretur episcopum residentialem obligari ut episcopum auxiliarem in vicarium generalem aut in vicarium episcopalem assumat. Itaque in ipso schematis textu figura « vicarii episcopalis » includi debet atque affirmari debet episcopum residentialem praeter (aut etiam loco eius) vicarium generalem nominare posse vicarios episcopales, qui nempe potestate ordinaria gaudent, uti vicarius generalis, sed in certa territorii aut negotiorum parte tantum.

60

Exc.mus P. D. PASCHALIS VENEZIA
Episcopus Arianensis

Tria principia, secundum meum iudicium, inspirare debent quae dicuntur in nn. 11-15, i. e.: 1. salus animarum; 2. dignitas episcopalis; 3. unitas episcopatus monarchici dioecesani; quae arcte inter se connectuntur.

Ut hoc melius eluceat has animadversiones propono:

1. Circa n. 12: in Litteris quibus auxiliaris constituitur: *a*) expresse dicatur auxiliarem habere omnes facultates episcopi residentialis, quibus tamen uti debet consulto et probante episcopo dioecesano; *b*) determinetur domicilium auxiliaris et eorum qui cum eo sunt et emolumentum pro honesta sustentatione eius et eorum qui cum eo sunt. Nam:

a) Auxiliatus et auxiliaris, iisdem facultatibus et potestatibus utentes, eadem fide, caritate et prudentia apostolica vivificati, ita se complent ut unum episcopatum exerceant in salutem earumdem animarum in eadem dioecesi. Plena potestas in utroque est, sed in episcopo auxiliato limitata ex hoc quod auxilium habere debet ut eam exerceat, et in auxiliari limitata ex hoc quod ipse eam exercere debet ut auxilium afferret.

Quo maior necessitas auxilii eo plenius fit exercitium facultatum auxiliaris.

b) Certo non consuleretur saluti animarum et dignitati episcopali si auxiliaris deberet aliquod officium vel laborem habere ad sibi et eis qui cum ipso sunt honestam sustentationem procurandam, quod sane ipsi non relinqueret libertatem necessariam ad collaborationem pastoralem dandam.

2. Invertantur nn. 13 et 14 et eos praecedat alius novus numerus: « Relationes inter episcopum et auxiliarem », in quo transferantur linn. 37 et 38 e n. 12: « Episcopus... », et aliqua dicantur de paternitate, i. e. de fiducia, de caritate et de gratitudine, quibus episcopus auxiliatus auxiliarem tractet.

Non est iustum loqui tantum de officiis auxiliaris erga auxiliatum et post officia auxiliarium inter se.

3. N. 15, par. 2, linn. 17-21, loco « Optandum et ss. » dicatur « Sede per mortem aut renuntiationem aut translationem vacante, munus administratoris apostolici vel patriarchalis competit auxiliari vel, ubi sunt plures auxiliares, primo electo inter ipsos ».

Episcopus enim in sua electione non dependet a capitulo vel ab aliquo alio, sed solum a S. Sede. Ergo ab una S. Sede debet in exercitio suae potestatis dependere. Capitulum cathedrale ius habeat eligendi vicarium capitularem cum non adsit auxiliaris et a S. Sede non aliter provisum fuerit (C.I.C. can. 431).

61

Exc.mus P. D. MATTHIAS WEHR
Episcopus Trevirensis

Quae in cap. II de condicione episcoporum coadiutorum et auxiliarium eorumque relatione ad episcopum dioecesanum dicuntur, non placent. Neque difficultates eo solvi posse videntur, quod magnae dioeceses dividantur vel aliis sacerdotibus facultas confirmandi concedatur. Vera autem solutio, quae pari modo rationem habet unitatis regiminis dioecesani, dignitatis muneris episcopalis ac boni communis fidelium, haec esse videtur:

1. Abrogato modo, hucusque vigente, nominandi episcopos in titulum ecclesiarum in regionibus sitarum, ubi hierarchia catholica suppressa fuit, unusquisque episcopus coadiutor et auxiliaris ordinetur in titulum dioecesis, cui destinatur, et quidem qua auxiliaris, ut partem habeat curae pastoralis episcopi dioecesani, sive ei pars determinata territorii vel gregis dioecesani assignetur, sive generatim pro universa dioecesi constituatur.

2. Cui mutationi hodiernae disciplinae absque dubio grave momentum oecumenicum inesset, cum non iam Ecclesiae in titulum conferrentur, quae episcopum residentialem, licet a communione cum Apostolica Sede seiunctum, habent.

3. Hoc modo etiam auctoritas et iurisdictio episcopi dioecesani, non limitatur neque unitas regiminis in discrimen vocatur, cum clare significetur auxiliares veros quidem esse episcopos vocatos ad determinatam partem gregis dominici pascendum, at tamquam adiutores seu compastores huius determinati episcopi dioecesani ad participandam eiusdem curam potestatemque, ita ut de eorum subordinatione ipsa vi nominationis et consecrationis constet.

4. In praxi opportunum videtur, ut auxiliares cum episcopo dioecesano peculiare consilium episcopale constituant, in quod etiam vicarius generalis, propter specialem eiusdem habitudinem ad episcopum dioecesanum adsciscatur. Quo Consilio certe unitas regiminis fovebitur, quia formatur communis ratio in universa dioecesi agendi atque decisiones omnes nomine episcopi dioecesani statuuntur. Simul autem eiusdem suprema responsabilitas mitigabitur communi cooperatione et responsabilitate adiutorum episcopalium.

5. Quod attinet ad relationes inter auxiliares et vicarium generalem, minus decere videtur, ut nominentur vicarii generales, cum vocati sint ad partem sollicitudinis episcopi, non vero ad eius vicem gerendum. Quoniam autem participes sunt episcopalis muneris regiminis, omnibus facultatibus potiri debent, quibus ad munus suum cum et sub episcopo dioecesano exercendum indigeant, ita ut cum auctoritate agere possint, quin in singulis casibus peculiari facultate aut mandato egeant, licet agere tantum debeant iuxta normas ab episcopo dioecesano statutas. In praxi ideo omnes facultates habeant, quae

vicario generali iure communi competunt, relicta vero eidem ordinaria et generali administratione dioecesis.

6. Auxiliares, cum episcopi sint legitime constituti, pleno iure etiam membra sunt collegii episcoporum et sponsores Ecclesiae universae, eodem modo ac episcopi dioecesani. Ideo etiam ad omnia Concilia oecumenica et particularia convocari debent fruunturque voto deliberativo. Idem valet de conferentiis episcoporum, quae et ipsae de rebus agere solent, quae non ad singulas tantum dioeceses pertinent.

7. Quibus praemissis proponimus, ut textus schematis, deletis praesentibus nn. 7-15 sequenti fere modo mutetur:

N. 7. (Constitutio auxiliarium).

§ 1. Ubi bonum commune dioecesis id suadeat, constituantur unus vel plures episcopi auxiliares, qui episcopum dioecesanum adiuvent in exercendo munere pastorali.

§ 2. Si peculiaria adiuncta id postulent, constitui potest episcopus auxiliaris tamquam coadiutor cum iure successionis.

§ 3. Episcopi auxiliares (et coadiutores) ordinantur in titulum dioecesis, cui destinantur.

N. 8. (Facultates auxiliarium).

§ 1. Auxiliarium ius et officium est cum et sub episcopo dioecesano partem habere in eiusdem cura pastorali exercenda et dioecesi regenda.

§ 2. In suo munere gerendo competunt eis omnes facultates, quibus vicarii generales iure communi gaudent. Sollicite autem curent, ut istis facultatibus utantur iuxta normas ab episcopo dioecesano statutas.

§ 3. Ampliores facultates in casibus particularibus eis concedi possunt ab Apostolica Sede vel alia auctoritate competenti, vel ab episcopo dioecesano committi.

N. 9. (Relationes inter auxiliares et episcopum dioecesanum). Episcopi auxiliares, cum in partem sollicitudinis episcopi dioecesani vocati sint, eidem semper honorem et venerationem exhibeant eiusque auctoritati in universa dioecesi promovendae studeant.

Vicissim autem episcopus dioecesanus suos auxiliares tamquam adiutores episcopales fraterne diligat, existimatione prosequatur atque in munere obeundo sedulo foveat.

N. 10. (Relationes inter auxiliares et vicarium generalem).

§ 1. Licet facultatibus vicarii generalis praediti sint, episcopi auxiliares caute tantum eis utantur atque de actibus maioris momenti vicarium generalem certiorem reddant, ut eiusdem conditio in dioecesi roboretur atque unitas regiminis et administrationis foveatur.

§ 2. Vicarius generalis auxiliares tamquam partem habentes cum episcopo dioecesano in sollicitudine pastorali honore et veneratione prosequatur eosdemque de omnibus rebus maioris momenti in dioecesi accidentibus certiores reddat.

N. 11. (Facultates auxiliarium sede vacante). Sede vacante facultates auxi-

liaribus iure communi attributae integrae remanent. Quae vero ab episcopo dioecesano ultro eis concessae erant, exspirant.

In cap. III, n. 19 § 1, lin. 7, dicatur: « ... necnon et episcopi coadiutores *ac auxiliares* », vel, omisso verbo « coadiutores » tantummodo « episcopi *auxiliares* ».

N. 19 § 2 deleatur.

[*Subscripserunt etiam*] Bernardus Stein, ep. tit. Dagnen. et Carolus Schmidt, ep. tit. Thasensis, auxiliares Trevirenses.

62

EXC.MUS P. D. VALENTINUS WÓJCIK

Episcopus tit. Barensis in Hellesponto, aux. Sandomiriensis

Pag. 9, n. 8, linn. 27-28, tollatur propositio: nulla tamen facta episcopo coadiuto facultate sibi quidpiam reservandi. Haec clausula opportunius possit addi in litteris nominationis.

In n. 9, pag. 10, post verbum « obsequium » addatur « canonicum » vel « disciplinare ». Obsequium sicut res odiosa in iure debeat accuratius circumscribi.

In n. 14, pag. 11, loco verborum « magni momenti » ponatur: « quod episcopo interesse possit ».

63

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS ZAYEK

Episcopus tit. Callinicensis

A. Institutum coadiutoris *cum iure successionis* in Ecclesia abrogandum esse censeo, nam revera institutum illud:

a) *Odiosum apparet et est*: videtur nempe aliquo modo coadiutorem per suam praesentiam in dioecesi expectare mortem residentialis ut suis iuribus plene gaudeat!

b) *Nocumentum afferre potest* bono regimini dioecesis et saluti animarum ex discrepantiis et quandoquidem litibus quae oriuntur et generatim vigent inter utrumque episcopum: dissentiones illae persaepe a clero et populo cognoscuntur, necque ad aedificationem sunt!

Instituto hoc provideri potest per auxiliarem, qui sit et ipso iure vicarius generalis, aut per renuntiationem propositam residentiali et ab illo acceptam, aut per administratorem.

B. Quam maxime desideratur et urgeri debet, exceptione facta pro Summo Pontifice, uti patet, *limes aetatis pro cessatione officii,* uti iam sapienter viget pro aliquibus, in Dicasteriis Curiae Romanae! Qui limes et extendi debet *omnibus* qui officium aliquod in Ecclesia exercent concessa utique eis congrua sustentatione. Summus Pontifex aliquibus in casibus exceptionem sta-

tuere potest, aut melius prorogationem concedere (v. g. pro patriarchis)! Exemplis vero constat: Homines in senectute constitutos inscie destruere quae multis laboribus et difficultatibus ipsos antea extruxisse! Limes ille potest esse aetatis 75 annorum.

C. A die nominationis, auxiliaris sit et *vicarius generalis* in dioecesi. Nominatio auxiliaris relinqui autem non potest solo desiderio, voluntati aut electioni episcopi residentialis qui quaerit saepissime virum nimis sibi subiectum et correspondentem suae mentalitati, necque forsitan semper secundum necessitates dioecesis illius, aut alterius dioecesis, ad quam post mortem residentialis destinari possit et auxiliaris ille! Ne tamen multiplicentur et episcopi auxiliares, multa committi possunt simplici vicario generali; et ipsa administratio Chrismatis et exercitium Pontificalium, de mandato episcopi residentialis, concredi possunt quoque vicario generali aut alio presbytero in dignitate constituto, ut peragunt in Ecclesia Antiochena Chorepiscopi, qui tamen characterem episcopalem carent!

64

EXC.MUS P. D. IOSEPH ZIMMERMANN

Episcopus tit. Ceryniensis, aux. Augustanus Vindelicorum

Praeprimis me episcopum auxiliarem, inde ab undecim fere annis episcopo suo auxiliantem, profiteor.

De collegialitate inter episcopum residentem eiusque auxiliarem pauca disserere liceat et quidem 1. de ipsa collegialitate qua tali; 2. de applicatione eius ad casum.

1. Collegium in sensu classico est coetus hominum, maxime eiusdem condicionis, qui statuto ordine ad finem aliquem obtinendum cooperantur. E. g. collegium magistrorum alicuius scholae est coetus magistrorum qui rite praeparati et a competenti auctoritate vocati, sub scholae directore ad instruendos et educandos discipulos cooperantur.

Collegium episcoporum autem — ut puto — sunt viri illi qui uti apostolorum successores ab ipso Iesu Christo ad docenda, sanctificanda et regenda membra mystici eius corporis missi et per sacramentum consecrationis episcopalis legitime et valide susceptum omnibus facultatibus ad triplex hoc munus exsequendum necessariis instructi sunt, quatenus vi eiusdem consecrationis eiusdemque missionis omnibus communis, in communione cum capite ab ipso Christo constituto, i. e. S. Petri successore, et in communione mutua vivunt, quae communio tum in eadem fide, tum in unitate mensae eucharisticae, tum in cooperatione mutua inque cooperatione cum Summo Episcopo et sub eius suprema auctoritate ad Corpus Christi mysticum aedificandum consistit.

Vel brevius: Collegium episcoporum sunt episcopi S. Ecclesiae, quatenus in communione inter se et cum Summo Pontifice et sub eius primatu munus suum ad Corpus Christi mysticum aedificandum exercent.

Signum ergo distinctionum omnis collegii est stabilis communio et cooperatio multorum ad eundem finem statuto ordine obtinendum.

Communio et cooperatio nullo modo regimini (nec regimini primatiali) officiunt. Regimen enim in ordine iurisdictionis, cooperatio in ordine caritatis est. Caritas non est contra legem. Iurisdictio, qua superior subdito i. e. sub eo stanti, legem imponit, linea verticali comparatur; caritas, qua frater fratrem adiuvat, linea horizontali significatur.

Collegialitas ontologice sumpta, est ipsum factum omnes episcopos caritate mutua ad aedificandum Christi mysticum Corpus ab ipso Domino missos (quamvis quibusdam certa gregis pars a Summo Pastore pascenda assignata sit).

Collegialitas moralis vero est *virtus* qua singuli episcopi caritate non ficta cum collegis suis, summo episcopo incluso, docendo, sanctificando et regendo ad aedificationem corporis Christi mystici in laudem Dei et salutem hominum in sincera submissione sub Summi Pontificis suprema auctoritate cooperantur.

2. De episcopo *residentiali* eiusque *auxiliari*. Episcopus *residentialis* praeter generalem sollicitudinem pro universa Ecclesia, vi consecrationis episcopalis incumbentem, onus pascendi specialis gregis partem a Summo Pontifice suscepit.

Episcopus *auxiliaris* eandem consecrationem cum iisdem per se facultatibus et cum eadem missione generali accepit. In collegium episcoporum assumptus est. *Specialis* eius missio est auxilium episcopo residenti praestandum. Sic episcopus auxiliaris vi consecrationis cooperator Summi Pontificis (aliorumque episcoporum) *in genere* et episcopi determinatae dioecesis in specie exsistit.

Auxilium, quo auxiliaris nomen habet, nunquam est restrictio vel imminutio liberi exercitii auctoritatis et regiminis, nec esse potest. Liberi exercitii regiminis restrictio potius in limitatione et fragilitate humanae naturae invenitur, quae auxilium postulant.

Cum igitur episcopus auxiliaris *et* episcopus *et* auxiliaris est, duo sequuntur:

1. Episcopus residentialis collegae suo in ordine episcopali de se omnes facultates ad docendum, sanctificandum et regendum in sua dioecesi exercendas concedat eique *reservationes* tantum notificet. (Quod enim episcopis residentialibus relate ad Sanctam Sedem congruum videtur, hoc etiam episcopus auxiliaris a collega suo in ordine episcopali exspectare potest).

2. Cum vero *auxiliaris* sit, episcopo regnanti competit ut ea omnia sibi in sua dioecesi reservare possit, quae ipse per se ipsum exsequi posse censet. At vero cum episcopus necessario plures in dioecesi sua habeat cooperatores, utpote parochos, curiam suam, sacerdotes omnes, religiosos etc., auxiliaris vero *primus* eius cooperator exsistat (uti de cetero ab omnibus sacerdotibus et fidelibus dioecesis ultro creditur et conceditur), pro ipsa episcopali dignitate servanda decet ut episcopus auxiliaris omnem saltem potestatem habeat qua quisvis simplicior in dioecesi sacerdos fruitur. Propono igitur:

1. Ut in textu pag. 10, nn. 11 vel 12 vel alibi in hoc capite inseratur, episcopum auxiliarem ipsa consecratione in collegium episcoporum adnumeratum esse.

2. Ut in n. 12 eiusdem paginae loco « facultates concedantur » dicatur « eique de se exercitium omnium facultatum episcopalium concedatur et reservationes tantum notificentur quae episcopo (vel S. Sedi) necessariae videntur ».

3. Ut textus in linn. 34 ss. eiusdem paginae positus, in eodem sensu mutetur.

Augeatur dignitas episcopatus, augeatur magis episcopalis collegialitas.

65

EXC.MUS P. D. CYRILLUS IOANNES ZOHRABIAN
Episcopus tit. Acilisenus

(*Emendationes,* pag. 19, n. 124 - Schematis, pag. 10, linn. 23-26): « Episcopi residentiales ... faciant Apostolicae Sedi vel *pro orientalibus* ... ». Haec vox *pro orientalibus* applicabilis ad omnes ritus orientales, aut prorsus tollenda aut singuli ritus hoc privilegio gaudentes respective singillatim enumerandi sunt, nam patriarcha Ciliciae Armenorum, ut patebit sequentis casus expositione, non habet potestatem acceptandi renuntiationem cuiuscumque episcopi etiam titularis.

Exemplum unicum afferam, sed plusquam sufficiens ad probandam meam thesim.

Praemittere debeo quod sequitur ut melius intelligar. Duo Ordinariatus creavi in favorem patriarchatus Ciliciae Armenorum: *a*) in Graecia, cum residentia in suburbio urbis capitalis Athenarum Dourgouti. Aedificavi funditus presbyterium, scholam, domus et — botteghe — redditus, similia in suburbio Pireos Kokinià; *b*) in Superiori Gezira — Alta Gezira — quod est Mesopotamia Syriae — cum residentia in urbe tunc nascenti Kamechlié, quam nunc, Pius XII v. m. ad gradum sedis residentialis elevavit. Dico autem *creavi,* nam media pecuniaria cum sudore vultus mei procuravi, et patriarchatus nec in minimis mihi in auxilium venit. Ex parte quidem mihi adiuvarunt, Sacra Congregatio Ecclesiae Orientalis, cuius em.mi cardinales a Secretis mihi semper generose, immo singulariter prae ceteris in auxilium fuerunt. Extraordinaria dona quae Americae piae ac religiosae feminae pro missionibus offerebant mihi dabant. Principalis meus benefactor extitit semper rev.mus minister generalis mei Ordinis Capuccinorum et Provincia Calvariensis Capuccinorum Americae (New York). Deinde « Il Sovrano Ordine Militare di Malta » quia multipliciter eos adiuvi in pluribus circumstantiis praesertim in Graecia annis 1923 et deinceps usque ad mortem piissimi Principis Ludovico Chigi.

Circa annum 1952 Ordinariatus Altae Gezirae erat perfecte fundatus.

Ubi erant fideles armeni, ibi aedificavi scholam, habitationem missionarii et ecclesiam vel sacellum, iuxta necessitatem loci. Sustinebam septem scholas cum 42 magistris. Meae scholae reputabantur ut meliores respectivorum locorum testibus ipsis magistratibus mahumetanis.

Patriarcha meus, i. e. Ciliciae Armenorum, volebat ut « motu proprio » sub nomine velato, renuntiationem Pio XII offerrem. Accidit ut graviter usque ad mortem aegrotassem. Inde convalescens renuntiationem obtuli per em.mum cardinalem a Secretis, patriarcha semper insistente, motivum adducens impotentiam ex gravi morbo secutam. Summus Pontifex noluit acceptare renuntiationem, concedens mihi annum quietis extraordinarium; si hoc tempus erit insufficiens pro acquirenda perfecta sanitate, extendatur inquit Summus Pontifex tempus quietis, omnino noluit renuntiationem. At patriarcha insistebat pro renuntiatione motu proprio mihi affirmanti nolle me agere contra voluntatem SS. Patris, cui iam pluries oboedientiam vovi et renovavi solemniter. Tunc respondit em.mus patriarcha cardinalis: « Dic quod *ego sic volo* ». Ita evanuit omnis difficultas. Novam formulam a me redactam praesentavit em.mus cardinalis a Secretis ad Summum Pontificem. Qui lecturam auscultavit tacite... Deinde tamquam expergefactus a profundo somno, dixit: « Qui exigit renuntiationem istius episcopi, accipiat illam et responsabilis si quae accident post renuntiationem ». Acceptans renuntiationem (!?) declaravit se tristissimo animo id facere... sciens quod non est possibile subsequentibus annis iunior aut sanior esse possim, mihi gratias infinitas egit, patriarchatus Ciliciae Armenorum nunquam mei obliviscetur... etc. etc. Concludens: nunc proficiscere ad tuos Superiores Capuccinorum. Ordo Capuccinorum te sustentare debet...

Quod dicitur in pag. 20, n. 127 « Determinandum etiam est quod honesta sustentatio episcopo renuntianti a sua dioecesi debetur », non valet in meo casu, quia non eram episcopus residentialis sed tantum vicarius patriarchalis. Ergo patriarchatus debebat determinare aliquid pro mea sustentatione, nam Ordo Capuccinorum dat mihi cum omni caritate panem quotidianum, cellam pulchram cum commodo lectulo et non potest facere aliud, quia non habet. Ceterae expensae faciunt ingentem turbam, quae sunt vestes, medicinae, libri, pauperes, collaboratores mei sacerdotes quibus nisi subsidia interdum mitterem deseruissent dioecesim quam tantis sudoribus fundavi.

Numquid quaerelam ferre intendo haec narrando? Absit a me! Sed vivat Deus cuius auxilii gratia in me vacua nunquam fuit! Deus mihi dedit et continuo dat valetudinem optimam, resistentem, ferream, labore manuum mearum non solum necessitates meas sed et omnium meorum pauperum abundanter procuro!

Occasione praesenti nactus, dico nunc quod in ultima mea relatione oblitus sum. Non mihi placet propositionem pag. 10, n. 55: « Disciplina Ecclesiarum orientalium vult ut episcopi adeant proprium patriarcham antequam accedant ad Summum Pontificem. *Et hoc esset motivum aedificationis*

pro fratribus separatis ». Quia hoc non valet pro Ecclesia armena, et apud nostros fratres separatos armenos esset motivum scandali, vel saltem dicerent quod graeci orthodoxi asserunt pro catholicis ritus byzantini: « C'est la même comédie que chez nous orthodoxes ». Sed apud graecos orthodoxos et catholicos byzantinos, non valet ista propositio. Habeo centena testimonia ad probandam meam thesim, inter alia testimonium insigne Patriarchae Oecumenici Athenagorae, quocum operabamur fraternaliter in insula Corfù (Kekyra) annis 1923, 1924, 1925.

Ex dictis sole clarius patet evidentiam meae assertionis, h. e., *vox pro orientalibus multoties repetita in schematibus et in emendationibus aut totaliter supprimenda aut in singulis casibus ritus orientalis privilegio nominato respective et singillatim enumerandi sunt citando scrupulosa conscientia referentias fontium.*

Tandem non piget me instanter, instantius instantissimeque repetere quod iam pluries proposui: Formetur commissio specialis pro nostro ritu virorum sapientium in Iure Canonico, qui sunt: duo exc.mi ac rev.mi abbates generales Serapion Uluhogiàn, Mesrob Haboziàn; ac exc.mi episcopi Garabed Amadouni, Raphaël Bayan et novissime consecratus episcopus Mesrob Terziàn. Credatis mihi, exc.mi ac dilectissimi praesules, in nostra hierarchia isti praesules exclusive soli, solissimi sunt viri sapientes, capaces nobis efficacissime cum plausu monstrandi veram praxim, iura onera, honores et privilegia patriarchae et episcoporum.

Schema decreti de Oecumenismo.

Quis mihi tribuat ut vox mea gratiarum actionum ac profundi sensus gratitudinis adeat usque ad thronum Ss.mi Domini mei Papae Pauli VI propter decretum « *De catholicorum habitudine ... maxime maxime ad Iudaeos* ». Gaudium meum est plenum. Orationes meae exauditae sunt. Multa habeo dicere circa meas habitudines ad Iudaeos. Ne sim longus solummodo dicam quod toto corde dilexi omnes errantes a veritate fidei, sed praesertim Iudaeos quia ipsi responderunt meis attentionibus. In Kamechliè (Syriae) Rabbinus Musohe, protectus a me tempore persecutionis musulmanorum contra iudaeos, usque modo scribit bis in anno: Capo d'Anno et Pascha!

Perdono della lunghezza della mia relazione.

66

CONFERENTIA EPISCOPORUM HELVETIAE

N. 10 difficultas quae surgit in linn. 19, 20 resolvenda videtur ad mentem can. 44, 2 C.I.C.

N. 16 addatur lin. 31: « *semper prae oculis habeat episcopus se esse propter populum sibi commissum et non populum esse propter episcopum* ». Et deleantur linn. 26, 27 verba: « permanentem valetudinis defectum vel ob ingravescentem aetatem aliamve ».

67

CONFERENTIA EPISCOPORUM LUSITANIAE

De episcopo residentiali. Principium fixationis aetatis limitis non placet. *Rationes*: *a*) principium hoc paternitati spirituali episcopi consonum non videtur; *b*) esset quid insolitum in Ecclesia quae videretur indulgere criteriis « immediatismi » et efficaciae nimis humanis; *c*) idem principium posset, immo deberet, et logice quidem, Romanum Pontificem afficere, quod omnino dedecet.

Bono animarum utique consulendum est, sed alii modi dantur quibus providendum sit, ut in schemate (n. 16, pag. 11) revera supponitur.

Intuitu adiuvandi huius ingratae quaestionis solutionem liceat haec summatim proponere: *a*) profundius enucleatur doctrina de paternitate spirituali episcopi ad mentem Patrum Apostolicorum; *b*) in senectutis vel infirmitatis casu quo impossibilis evadat recta muneris pastoralis adimpletio, ipse episcopus postulare debet auxiliarem. Si hoc non fecerit, Sedes Apostolica de eo monebit et, si casus ferat, ei auxiliarem imponet; *c*) aliquo in casu, vere exceptionali, quo per auxiliarem Sedes Apostolica providere non posset ipsa episcopum de obligatione morali renuntiandi moneret et, eo renuente, renuntiationem imponeret; *d*) episcopo sua ipsi sponte renuntianti titulus eiusdem sedis servaretur; *e*) in omnibus renuntiationis casibus episcopo provideretur congruens sustentatio.

De episcopo coadiutore. Figura iuridica episcopi coadiutoris, a fortiore cum iure successionis ut in schemate (nn. 7-10, pag. 9 et 10) proponitur, minus placet. *Rationes*: *a*) saepe saepius cum episcopus coadiutus obiit coadiutor clero et fidelibus iam non est persona grata; *b*) in hoc casu Sedes Apostolica iam non polleret libertate meliori forma providendi bono animarum; *c*) nihil obstare videtur quin episcopo auxiliari eaedem facultates tribuantur ac episcopo coadiutori.

De episcopo auxiliari. Figura iuridica episcopi auxiliaris magis ac melius determinanda videtur ne eius dignitas in charactere sacramentali Ordinis radicata obnubiletur. Praeterea, experientia docet quod episcopus residentialis et episcopus auxiliaris, diversis de causis, difficile coutuntur. Exinde proponitur: *a*) *sede vacante,* episcopus auxiliaris Administrator Apostolicus dioecesis ipso iure fiat; *b*) *sede plena,* episcopus auxiliaris iurisdictione et praecedentia semper sit primus. (Ne ille ponatur in eadem linea ac capitulo); *c*) quantum fieri potest ne nominetur inconsulto ep. residentiali; *d*) in litteris nominationis clare definiantur eius iura et officia; *e*) ne omittatur congruens sustentatio ei tribuenda.

68

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI DITIONIS VENEZUELIENSIS

Pag. 9, lin. 8: inseratur vox « omnia » hoc modo: « Per se omnia episcopalia omnia ».

Pag. 9, lin. 10: dicatur: « Iamvero, prior difficultas *saepe* non aliter... ».

Pag. 9, lin. 22: dicatur: « Auxiliaris vero datur *sedi,* sine iure... ».

Pag. 9, n. 8, linn. 24-30: tollantur.

Pag. 10, n. 9, linn. 1-9: mutentur modo ab exc.mo Weber, pag. 17 Emendationum, sub n. 102 proposito.

Pag. 10, n. 12, linn. 29-30: adoptatur mutatio proposita a Weber, Emendationes, pag. 18, n. 112.

Pag. 11, n. 15 § 2, lin. 17: tollantur verba « *Optandum est ut* »; lin. 21 addatur: « uni ex auxiliaribus a capitulo vel alio competenti organo eligendo ».

Pag. 11, n. 16, linn. 27-28: tollantur verba « *vel ob ingravescentem aetatem* ».

[*Subscripserunt*] Humbertus card. Quintero, arch. Caracensis; Alejandro, San Cristobal; Crispulo Benítez Fontúrvel, ob. Barquisimeto; A. Ramírez S., ob. Maturin; Aloisius Henriquez, ep. aux. Caracas; Ioseph R. Pulido M., arch. tit. Cyrrhensis; Juan José Bernal, arz. Bolivarensis; Ioseph Alí Lebrún, ep. Valentinus in Venezuela; Ascanius F. Gonzales, ep. Macaraiensis; Chrysanthus Mata Cova, ep. Cumanensis; Ioseph Leo Rojas, ep. Truxillensis.

CONGREGATIO GENERALIS LXVII
14 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXVII

14 novembris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur disceptationem circa cap. III schematis *de episcopis et de dioecesium regimine,* in hac 67 congregatione generali, em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Heri, vespere, improviso morbo correptus, obiit rev.mus D. Gabriel Sortais, abb. gen. Patrum Cisterciensium Reformatorum seu Trappistarum. Oremus pro eo.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT recitavit *De profundis* alternatim cum Patribus, additis versiculis et oratione.

Secretarius generalis: Attendant Patres! A die 28 novembris ad diem 6 decembris anni 1964 celebrabitur in civitate Bombayensi in India sollemnis Congressus Eucharisticus Internationalis. Ad Concilium Oecumenicum quod attinet, ita res componentur et disponentur ut Patres liberrime possint ad eumdem Congressum participare.

Communico pariter Patribus: hodie distribuetur libellus qui continet Epistolam Apostolicam SS. Domini nostri Pauli divina providentia Papae VI, cuius initium est a verbis « Summi Dei Verbum », quarto exacto saeculo post constituta a Concilio Oecumenico Tridentino sacra Seminaria. Textus est lingua latina. Sed crastina Patres poterunt ad ingressum huius Basilicae habere exemplaria in aliis linguis.

Hodie, prout iam feria II anteriori nuntiatum est, procedetur ad suffragationem schematis *de instrumentis communicationis socialis,* post relationem de eodem factam. Ut omnes Patres iam probe norunt, suffragatio fit, quoad singula capitula, per *placet, non placet* et *placet iuxta modum.* Quaecumque sententia igitur suum habet locum: *placet, non placet, placet iuxta modum,* sed modi exprimendi sunt.

Nunc lego nomina eorum qui verba facere postulaverunt circa cap. III schematis *de episcopis et de dioecesium regimine.* Hi sunt em.mi DD. cardd. Ioseph Siri, arch. Ianuensis in Italia, Stephanus Wyszyński, arch. Varsaviensis in Polonia, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis in Hollandia; exc.mi DD. Gerardus Coderre, ep. S. Ioannis Quebecensis in

Canada, Edmundus Peiris, ep. Chilavensis in Ceylon, Ioannes Garner, arch. Praetoriensis in Africa Meridionali, Franciscus Franić, ep. Spalatensis in Iugoslavia, Benedictus Reetz, sup. gen. Beuronensis O.S.B., Antonius Santin, arch. ep. Tergestinus in Italia, Ludovicus Cabrera, ep. S. Ludovici Potosiensis in Mexico, Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus in Brasilia, Andreas Perraudin, arch. Kabgayensis in Ruanda, Eugenius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridionali, Ismaël Castellano, arch. Senensis in Italia, Elias Zoghby, vic. patr. Melchitarum in Aegypto, Ioseph Sibomana, ep. Ruhengeriensis in Ruanda, Iulius Rosales, arch. Caebuanus in Insulis Philippinis, Georgius Mayer, ep. S. Rosae in Argentina, Vincentius Enrique, ep. Celsonensis in Hispania, Georgius Dwyer, ep. Loidensis in Anglia, Darius Miranda, arch. Mexicanus in Mexico, Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio, Carolus Quintero, ep. Vallipolitanus in Mexico, Michaël Ntuyahaga, ep. Usumburaënsis in Burundi, Victorius Maria Costantini, ep. Suessanus in Italia.

1 – SCHEMA EMENDATUM DECRETI DE INSTRUMENTIS COMMUNICATIONIS SOCIALIS* [5]

Hic textus Patribus distributus est in congregatione generali LXIV, die 11 novembris 1963.

PROOEMIUM

(ex n. 1) ** 1. Inter mirifica technicae artis inventa, quae hodiernis praesertim temporibus, Deo favente, humanum ingenium e rebus creatis deprompsit, peculiari sollicitudine Mater Ecclesia ea excipit ac prosequitur quae hominis animum potissimum respiciunt,

---

* Hoc schema, de quo in prima periodo Concilii disceptatum est, a Commissione de fidelium apostolatu; de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis fuit emendatum iuxta « Propositionem » a Patribus probatam in XXVIII Congregatione Generali.

In eadem « Propositione » suffragationi Patrum subiecta sunt haec, quae sequuntur:

« 1) *Schema quoad substantiam placet. Et quidem maxime convenit ut Ecclesia in magisterio conciliari de re tanti momenti pastoralis expresse pertractet.*

2) *Perpensis observationibus a Patribus Conciliaribus factis, extrahantur e schemate essentialia principia doctrinalia necnon generaliora lineamenta pastoralia per competentem Commissionem Conciliarem eo fine, ut — servata rei integritate — in breviorem formam redigantur et suo tempore suffragio Patrum subiciantur.*

3) *Cetera vero, quae potius ad praxim et executionem pertinent, de expresso mandato Concilii, in forma Instructionis pastoralis edantur, cura Officii de quo in numero 57 schematis, adiuvantibus ex variis nationibus rei peritis* ».

Praedicta Commissio, iuxta Patrum mandatum, schema in valde breviorem formam redegit, essentialibus principiis doctrinalibus et generalioribus lineamentis pastoralibus retentis; eademque Commissio, rei integritate servata, omnes Patrum observationes debita consideratione perpendit.

N. B.: Litteris inclinatis seu minutioribus ponuntur emendationes minoris momenti.
Litteris vero grandioribus proponuntur nonnulla additamenta, quae in priore schemate locum non obtinuerunt, quin tamen substantiam prioris schematis immutent.

** Numeri referuntur ad schema quod in prima Concilii periodo Patribus propositum est [cf. *vol. I, pars III, pp. 374 ss.*].

[5] quaeque novas aperuerunt vias cuiusvis generis nuntios, cogitata ac praecepta facillime « communicandi ». E quibus vero inventis ea eminent « instrumenta » quae non modo singulos homines, sed ipsas multitudines totamque « humanam societatem », natura sua attingere *ac movere* valent, sicuti prelum, cinematographeum, radiophonia, televisio et alia huiusmodi, quae proinde « instrumenta communicationis socialis » merito vocari possunt.

(*ex nn. 2 et 3*) 2. Novit quidem Mater Ecclesia haec instrumenta, si recte adhibeantur, humano generi valida praebere subsidia, cum multum conferant *ad relaxandos* et excolendos animos atque ad Dei regnum propagandum et firmandum; novit etiam homines posse ea adhibere contra divini Conditoris consilium et in suorum ipsorum iacturam convertere; immo materno angitur doloris sensu ob damna quae ex *pravo* eorum usu humanae consociationi nimis saepe orta sunt.

(*ex nn. 8, 4, 5 et 113*) Quare Sacrosancta Synodus, *Summorum Pontificum et Episcoporum, in re tanti momenti, vigilanti curae instans,* suum esse censet quaestiones praecipuas tractare cum instrumentis communicationis socialis conexas. Confidit insuper suam doctrinam et disciplinam hoc modo propositam, non modo christifidelium saluti, sed etiam totius consortionis humanae progressui esse profuturam.

Caput I

DE ECCLESIAE DOCTRINA

(*ex n. 7*) 3. Catholica Ecclesia, cum ad salutem universis hominibus afferendam a Christo Domino constituta sit ideoque evangelizandi necessitate compellatur, *sui officii partes esse ducit* nuntium
[6] salutis, ope etiam instrumentorum communicationis socialis, praedicare hominesque de eorum recto usu docere.

(*ex nn. 9 et 10*) Ecclesiae ergo *nativum ius competit* quodvis horum instrumentorum genus, quatenus ad christianam educationem omnemque suam de animarum salute operam sunt necessaria vel *utilia, adhibendi atque possidendi; ad Sacros vero Pastores munus pertinet fideles* ita instituendi atque moderandi ut iidem, horum etiam instrumentorum auxilio, suam totiusque humanae familiae salutem ac perfectionem prosequantur.

CETERUM TOTIUS ECCLESIAE EST HUIUSMODI INSTRUMENTA, LAICORUM PRAESERTIM OPERA, HUMANO CHRISTIANOQUE

SPIRITU VIVIFICARE, UT MAGNAE HUMANI CONVICTUS EXPECTATIONI DIVINOQUE CONSILIO PLENE RESPONDEANT. [6]

(ex nn. 12, 13, 14, 16 et 17)

4. *Ad recte haec instrumenta adhibenda omnino necesse est ut omnes, qui iisdem utantur, ordinis moralis normas noscant et fideliter in hac provincia ad effectum deducant.* « *Rerum materiam* » ergo considerent, quae pro peculiari cuiusque instrumenti natura, communicantur; simul vero « adiuncta » seu circumstantias omnes, *hoc est finem,* personas, locum, tempus ceterorumque prae oculis habeant quibus ipsa communicatio perficitur, quaeque eiusdem honestatem possunt mutare, vel prorsus novare; inter quae numeratur « *modus* agendi » uniuscuiusque instrumentorum proprius, eorum scilicet vis, quae tanta esse potest ut homines, praesertim si imparati sint, eamdem animadvertere, imperio regere ac, si res ferat, reiicere, *difficulter* valeant.

(ex n. 20)

5. *Praecipue vero necesse est ut omnes quorum interest* rectam de horum instrumentorum usu conscientiam sibi efforment, praesertim quod attinet ad nonnullas quaestiones nostra aetate acrius agitatas.

(ex nn. 21 et 75)

Prima quaestio « informationem », quam aiunt, spectat, *seu nuntiorum exquisitionem atque evulgationem.* Patet, profecto, eam, ob hodiernae humanae societatis progressum atque ob arctiora vincula inter eiusdem membra, perutilem atque plerumque necessariam evasisse; publica enim et tempestiva eventuum rerumque communicatio pleniorem et continuam eorum notitiam praebet singulis hominibus, ita ut ipsi ad bonum commune efficaciter conferre possint omnesque auctiorem totius civilis societatis profectum *facilius promoveant.* Inest ergo in societate humana ius ad informationem de *iis* quae hominibus, sive singulis, sive societate coniunctis, secundum uniuscuiusque condiciones, [7] conveniant. Huius tamen rectum iuris exercitium expostulat ut, quoad suum obiectum communicatio sit semper vera atque, iustitia et caritate servatis, integra; praeterea quoad modum sit honesta et conveniens, scilicet leges morales hominisque *legitima iura* et dignitatem, cum in nuntiis quaeritandis tum in evulgandis, sancte servet; non omnis enim scientia prodest « caritas vero aedificat » (1 Cor. VIII, 1).

(ex nn. 22, 23 et 12)

6. *Secunda quaestio rationes respicit intercedentes inter artis,* ut aiunt, iura et legis moralis normas. Cum increbrescentes de hac re controversiae *non raro ortum ducant a falsis doctrinis* de ethica

[7] et aesthetica, Concilium *obiectivi* ordinis moralis primatum absolute omnibus tenendum edicit, quippe qui ceteros omnes rerum humanarum ordines, *artis non excepto,* licet *dignitate* praestantes, unus superet *congruenterque componat.* Solus enim ordo moralis hominem, Dei rationalem creaturam et ad superna vocatum, in tota ipsius natura attingit idemque, si quidem integre fideliterque servetur, ad perfectionem et beatitudinem plene assequendam ipsum adducit.

(*ex n. 24*) 7. *Postremo,* mali moralis narratio, descriptio vel repraesentatio possunt sane, *etiam* ope instrumentorum communicationis socialis, inservire ad hominem penitius cognoscendum explorandumque, ad veri bonique magnificentiam manifestandam atque extollendam, opportunioribus ceterum effectibus dramaticis obtentis; attamen, ne damnum potius quam utilitatem animis afferant, legibus moralibus omnino obtemperent, praesertim si agatur de rebus quae debitam reverentiam exigant, vel quae hominem, originali labe vulneratum, facilius ad *pravas cupiditates* incitent.

(*ex n. 26*) 8. Cum publicae opiniones hodie vim et auctoritatem maximam exerceant in omnium ordinum civium vitam, sive privatam sive *publicam,* necesse est ut omnia societatis membra sua iustitiae et caritatis officia *hac quoque in provincia adimpleant;* itaque, istorum etiam instrumentorum ope, contendant ad rectas publicas opiniones efformandas atque pandendas.

(*ex n. 27*) 9. Peculiaria officia obstringunt receptores omnes, lectores scilicet, spectatores et auditores, qui *communicationes* his instrumentis diffusas, personali ac libera electione, recipiunt. Recta
[8] enim electio postulat ut iidem omnibus, quae virtute, scientia et arte praestent plene faveant; ea autem vitent quae vel sibi spiritalis detrimenti causa vel occasio fiant, vel alios per pravum exemplum in periculum inducere possunt, vel bonis communicationibus obstent malasque promoveant; quod plerumque fit pretium praebitoribus solvendo, qui ob oeconomicas dumtaxat rationes haec instrumenta adhibeant.

Ut ergo iidem receptores legem moralem adimpleant, officium ne praetermittant sese tempestive certiores faciendi de sententiis quae his in rebus a competenti auctoritate ferantur, atque eisdem secundum rectae conscientiae normas obsequendi; ut vero minus rectis suasionibus facilius obsistant, bonis autem plene faveant, curent suam conscientiam *aptis auxiliis* dirigere atque instituere.

(*ex nn. 28 et 97*) 10. *Receptores,* praesertim iuniores, *curent* ut in usu horum [8] instrumentorum moderationem et disciplinam *assuescant; studeant* insuper ut res visas, auditas, lectas penitius intellegant; cum educatoribus *ac peritis* de iisdem disserant et rectum iudicium proferre ediscant. PARENTES VERO GRAVISSIMUM SUUM ESSE OFFICIUM MEMINERINT SEDULO INVIGILANDI NE SPECTACULA, FOLIA ET ALIA HUIUSMODI, QUAE MORIBUS INFENSA SINT, DOMESTICI CONVICTUS LIMEN INTRENT, NEVE FILIIS FAMILIAS ALIBI TALIA OCCURRANT.

(*ex n. 29*) 11. Praecipuum morale officium quoad rectum instrumentorum communicationis socialis usum respicit diurnarios, scriptores, actores, scaenarum artifices, *effectores,* diribitores, *distributores,* exercentes et venditores, criticos ceterosque qui *quocumque modo* in communicationibus efficiendis et transmittendis *partem habeant;* omnino enim patet quae et quam gravi momenti officia iis omnibus sint tribuenda in hodiernis hominum *condicionibus* cum ipsi informando atque incitando, humanum genus recte vel pessum ducere possint.

(*ex nn. 30 et 86*) Eorum itaque erit oeconomicas, vel politicas, vel artis rationes ita *componere* ut eaedem bono communi *numquam adversentur; quod ut expeditius obtineant, ipsi laudabiliter nomen consociationibus dent* ad suam professionem spectantibus, quae *suis membris* — etiam inito foedere, si opus fuerit, de codice morali recte observando, — legum moralium reverentiam in suae artis negotiis et officiis imponant.

(*ex nn. 73 et 71*) *Semper autem memores sint magnam partem lectorum et spectatorum e iuvenibus constare,* qui indigent prelo *atque spectaculis* [9] quae honesta oblectamenta praebeant atque ad altiora animos alliciant. *Curent insuper ut communicationes* de rebus ad religionem spectantibus personis *dignis* ac peritis tractanda concredantur et *debita* reverentia perficiantur.

(*ex nn. 31, 32, 79 et 93*) 12. Civilis auctoritas hac in re peculiaribus officiis obstringitur ratione boni communis, ad quod haec instrumenta ordinantur. Eiusdem enim auctoritatis est, pro suo munere, informationis veram iustamque libertatem, qua hodierna societas ad sui profectum omnino eget, *praesertim ad prelum quod attinet,* defendere ac tutari; religionem, culturam, *optimas* artes fovere; receptores, ut suis legitimis iuribus libere frui possint, tueri. Praeterea civilis potestatis est ea incepta adiuvare quae, licet praesertim iuventuti maxime sint utilia, suscipi secus non possunt.

(ex n. 33) [9] Denique eadem publica potestas, QUAE LEGITIME OPERAM DAT CIVIUM VALETUDINI, tenetur officio, per legum *promulgationem ac sedulam exsecutionem,* iuste et vigilanter consulendi ne ex horum instrumentorum pravo usu gravia discrimina publicis moribus et societatis progressui obveniant. Per hanc vigilem curam minime singulorum *vel coetuum* comprimitur libertas, praesertim si validae deficiant cautiones ex parte eorum qui, ex suscepto munere, haec instrumenta adhibent.

PECULIARIS AUTEM TUTELA EXERCEATUR AD IUNIORES DEFENDENDOS A PRELO ET SPECTACULIS QUAE EORUM AETATI NOXIA SINT.

[10]

CAPUT II

DE ECCLESIAE ACTIONE PASTORALI

(ex nn. 35 et 39) 13. *Omnes Ecclesiae filii communi animo consilioque* conentur ut instrumenta communicationis socialis, nulla interposita mora et maxima adhibita industria, efficaciter in multiplicibus apostolatus operibus, prout rerum et temporum adiuncta exposcent, usurpentur, noxia incepta praecurrentes, illis praesertim in regionibus quarum moralis et religiosus progressus urgentiorem navitatem exquirunt.

(ex n. 81) Sacri ergo Pastores suum munus in hac provincia, cum eorumdem ordinario praedicationis officio arcte conexum, explere properent; LAICI QUOQUE, QUI IN HIS INSTRUMENTIS ADHIBENDIS PARTES HABENT, CHRISTO TESTIMONIUM REDDERE SATAGENT, IMPRIMIS SUIS CUIUSQUE MUNERIBUS PERITE ET APOSTOLICO ANIMO PERFUNGENTES, IMMO, PRO SUA PARTE, TECHNICIS, OECONOMICIS, CULTUS ARTISQUE FACULTATIBUS ACTIONI PASTORALI ECCLESIAE DIRECTE AUXILIATRICEM PRAESTANTES OPERAM.

(ex n. 80) 14. *Imprimis prelum honestum foveatur.* Ad lectores autem christiano spiritu *plene* imbuendos, prelum etiam *excitetur* et provehatur veri nominis catholicum, quod scilicet, — sive directe ab ipsa auctoritate ecclesiastica, sive a catholicis viris promotum et dependens — manifeste hoc animo edatur ut publicas opiniones iuri naturae et catholicis doctrinis praeceptisque consonas efformet, firmet atque promoveat, facta vero, quae Ecclesiae vitam respiciant, pervulget ac recte explanet. MONEANTUR AUTEM FIDELES DE NECESSITATE CATHOLICUM PRELUM LEGENDI ATQUE

DIFFUNDENDI AD IUDICIUM CHRISTIANUM SIBI DE OMNIBUS EVENTIBUS EFFORMANDUM. [10]

(ex n. 88) Taeniolarum effectio et exhibitio ad honestam *animi relaxationem,* humanum cultum et artem utilium, imprimis autem earum quae iuventuti destinentur, *validis omnibus auxiliis* promoveantur et in tuto ponantur: quod praesertim fit opes atque incepta honestorum effectorum et distributorum adiuvando ac simul coniungendo, pelliculas laude dignas criticorum consensu et praemiis commendando, catholicorum proborumque exercentium au- [11] ditoria fovendo ac inter se consociando.

(ex nn. 99 et 103) *Itidem* efficax adiumentum feratur transmissionibus *radiophonicis et televisificis honestis,* imprimis iis quae familiis sint consentaneae. *Catholicae* autem transmissiones sollerter foveantur, quibus auditores et spectatores *ad vitam Ecclesiae participandam inducantur* atque veritatibus religiosis imbuantur. Sollicite quoque, *ubi oportuerit, excitandae* sunt stationes catholicae; curandum vero est ut earum transmissiones convenienti perfectione et efficacitate praestent.

(ex n. 65) CONSULATUR INSUPER UT NOBILIS ET PRISCA SCAENICA ARS, QUAE IAM PER INSTRUMENTA COMMUNICATIONIS SOCIALIS LATE PROPAGATUR, AD SPECTATORUM HUMANITATEM MORUMQUE CONFORMATIONEM CONTENDAT.

(ex n. 41) 15. Ut *necessitatibus* nuper expositis provideatur, sacerdotes, religiosi necnon laici tempestive instituantur, qui congrua peritia polleant in his instrumentis ad fines apostolatus moderandis.

(ex n. 42) Imprimis debent laici arte, doctrina et moribus instrui, multiplicato scholarum, facultatum et institutorum numero, ubi diurnarii, auctores cinematographei et radiophonicarum televesificarumque transmissionum ceterique quorum interest, integram formationem, spiritu christiano imbutam, praesertim quoad doctrinam socialem Ecclesiae, nancisci possint. Scaenici quoque actores instituendi ac iuvandi, ut sua arte humanae societati convenienter prosint. Sedulo denique parandi sunt critici litterarii, cinematographici, radiophonici, televisifici ceterique, qui suam quisque scientiam optime calleant atque talia iudicia ferre edoceantur et incitentur in quibus semper ratio moralis in sua luce collocetur.

(ex n. 37) 16. Cum rectus instrumentorum usus communicationis socialis, quae receptoribus praesto sunt aetate cultuque diversis, accommodatas et proprias requirat eorumdem institutionem atque *exer-*

citationem, incepta quae huic fini consequendo sint apta — praesertim si iunioribus destinentur — in scholis catholicis cuiusve gradus, *in Seminariis* necnon in *apostolatus* laicorum coetibus foveantur, multiplicentur atque iuxta morum christianorum principia dirigantur. Quod ut *promptius* efficiatur, doctrinae et *disciplinae* catholicae de hac re propositio ac explicatio in catechismo tradatur. [11]

(*ex nn. 44, 46 et 47*)

17. Cum prorsus dedeceat Ecclesiae filios desides pati verbum salutis alligari ac praepediri technicis moris vel expensis, ingentissimis sane, quae istorum instrumentorum propria sunt, monet haec Sancta Synodus eosdem officio obstringi sustinendi et auxiliandi catholicas ephemerides, folia periodica atque cinematographica *incepta,* stationes transmissionesque radiophonicas et televisificas, quorum finis praecipuus sit veritatem evulgare et defendere atque christianae institutioni hominum societatis providere. Simul vero consociationes et singulos viros, qui in rebus oeconomicis *vel technicis* magna polleant auctoritate, instanter invitat ut suis opibus *suaque peritia* libenter haec instrumenta, quatenus veri nominis culturae et apostolatui inserviunt, largiter sustentent. [12]

(*ex n. 48*)

18. Quo autem Ecclesiae multiformis apostolatus circa instrumenta communicationis socialis efficacius roboretur, in omnibus orbis *dioecesibus, Episcoporum iudicio,* quotannis dies celebretur in qua fideles edoceantur de suis in hac rerum parte officiis, invitentur ad preces pro hac causa fundendas et ad stipem ad eumdem finem conferendam, quae scilicet in instituta et incepta ab Ecclesia in hac re promota, sustentanda ac fovenda, *iuxta orbis catholici necessitates,* sancte impendatur.

(*ex nn. 56 et 57*)

19. *In sua suprema pastorali cura adimplenda circa instrumenta communicationis socialis praesto est Summo Pontifici peculiare Sanctae Sedis Officium.*

Patres autem Concilii, votum « Secretariatus de Scriptis prelo edendis et de Spectaculis moderandis » libenter excipientes, Summum Pontificem reverenter rogant ut huius Officii munera et competentia ad omnia communicationis socialis instrumenta, prelo non excepto, extendantur, ASCITIS EX VARIIS NATIONIBUS REI PERITIS, ETIAM, SI OPUS FUERIT, LAICIS.

(*ex n. 58*) 20. Episcoporum *autem* erit huiusmodi operibus et inceptis [12] in propriis Dioecesibus invigilare eademque promovere et, quatenus ad apostolatum publicum spectant, ordinare, iis non exceptis quae religiosorum exemptorum moderamini subiciuntur.

(*ex nn. 59 et 60*) 21. Cum vero efficax pro tota Natione apostolatus unitatem *consiliorum* et virium requirat, haec Sancta Synodus statuit et mandat, *ut Officia nationalia pro rebus preli, cinematographei, radiophoniae et televisionis ubique constituantur omnique ope adiuventur.* Horum ergo Officiorum praesertim erit consulere ut [13] conscientia fidelium in his instrumentis adhibendis recte efformetur necnon quidquid in hac provincia a catholicis agitur *fovere* et ordinare.

In unaquaque Natione eorum moderatio peculiari Episcoporum coetui, vel alicui Episcopo delegato, concredatur; *in iisdem autem Officiis laici quoque partes habeant,* qui catholicae doctrinae harumque artium periti sint.

(*ex nn. 62 et 63*) 22. Cum insuper eorumdem instrumentorum efficacitas limites Nationum excedat, atque singulos quasi cives efficiat totius consortionis humanae, *in hac provincia incepta nationalia cooperentur inter se etiam in ambitu internationali.* Officia autem, *de quibus in numero vigesimo primo,* operose adlaborent una cum sua cuiusque Consociatione catholica internationali. Hae autem Consociationes Catholicae Internationales a sola Sancta Sede legitime approbantur et ab eadem pendent.

CLAUSULAE

(*ex n. 114*) 23. *Ut universa huius Sanctae Synodi principia et normae de instrumentis communicationis socialis ad effectum deducantur,* « de expresso mandato Concilii Instructio pastoralis edatur cura S. Sedis Officii, de quo in n. 19, adiuvantibus ex variis nationibus rei peritis ».[1]

(*ex nn. 5 et 113*) 24. Ceterum confidit haec Sancta Synodus hanc suam *institutorum et normarum traditionem libenter acceptam et sancte custoditam fore ab omnibus Ecclesiae filiis, qui idcirco, etiam his*

---

[1] Propositio probata a Patribus in XXVIII Congregatione Generali.

[13] *auxiliis utentes, nedum damna patiantur, salis lucisque instar, terram condiant ac mundum collustrent; insuper omnes bonae voluntatis homines, imprimis eos qui haec instrumenta moderantur,* invitat ut studeant eadem unice flectere in bonum humanae societatis, cuius sors magis in dies ab eorum recto usu pendet. Itaque, sicut priscis iam artium monumentis, novis etiam hisce inventis Nomen Domini glorificetur, secundum illud Apostoli: *Iesus Christus, heri et hodie, ipse et in saecula* (Hebr. XIII, 8).

2 – RELATIO EXC.MI P. D. RENATI LUDOVICI M. STOURM *Archiepiscopi Senonensis*

Venerabiles Patres,

In « propositione » a Vobis probata suffragiis fere unanimis, in XXVIII Congregatione Generali die 25 novembris elapsi anni habita, tria postulabantur circa schema « De instrumentis communicationis socialis »:

Primo: ut schematis substantia servaretur.

Secundo: ut schema ipsum in breviorem formam redigeretur, remissis ad Instructionem pastoralem omnibus quae ad essentialia principia doctrinalia necnon ad generaliora lineamenta pastoralia non pertinerent.

Tertio: ut in textu emendando observationes Patrum perpenderentur.

Commissio « De Fidelium Apostolatu; de Scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis », Praeside Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Cardinali Fernando Cento, postulata Patrum Conciliarium diligenter perpendit atque « schema emendatum », quod sub Vestris manibus est, paravit.

Textus qui hodie Vobis proponitur, Venerabiles Patres, tribus condicionibus, de quibus supra, nostra humili sententia, plene respondet.

A) Primo, equidem, rerum substantia servata est. Schema enim emendatum fere integrum conflatur — prouti numeri in margine positi demonstrant — ex prioris schematis materia, plerumque iisdem verbis servatis.

B) Multo brevius esse novum schema evidenter patet, si comparentur paginae quibus nunc constat, novem scilicet, dum contra fere

quadraginta paginae prioris schematis erant. Numeri autem ad vigintiquattuor redacti sunt ex centum quattuordecim. Simpliciore modo denique tota materia disposita est, cum in duo tantum capita divisa sit. Haec autem materiae reductio atque ordinatio nobis non permisit ut duo textus comparative transcriberentur, sicut pro schemate « De Sacra Liturgia » factum est. Attamen in novo textu emendationes clare patent, dum facile evadit vetus schema consulere, quod in appendice ponitur.

Schema autem retractatum, propter brevitatem textus, non iam « Constitutio », sed « Decretum » aptius nuncupari posse videtur.

C) Examinandum nunc restat quanam ratione Commissio observationes a Vobis propositas, perpenderit.

1) Ex his observationibus, quae octogintaduae fuerunt, plures respiciunt materiam quae, Vestro suffragio, ad Instructionem post-conciliarem remissa est.

2) Quae autem schema contractum respiciunt, locum obtinuerunt in textu emendato atque litteris grandioribus seu MAIUSCULIS referuntur. Agitur de additamentis maioris momenti quae sequuntur:

a) Cum nonnulli Patres postulaverint ut longe maior pars tribueretur, hac in provincia, laicis, in *numero tertio* principium generale statuitur omnes laicos respiciens; in *numero decimotertio* laici praesertim instimulantur, qui in instrumentis communicationis socialis moderandis quocumque modo partes habent; in *numero undevigesimo* tandem agitur de viris peritis, etiam laicis, quorum adiutrix opera utiliter praestatur apud Officium Sanctae Sedis hisce instrumentis moderandis praepositum.

b) Quidam Patres postulaverunt ut, gravioribus verbis, pericula quibus iuvenes exponuntur, preli spectaculorumque causa, magis in lucem ponerentur ad ea efficacius removenda. Quod factum est in *numero decimo,* in quo officia parentum recoluntur, et in *numero duodecimo,* ubi officia Auctoritatis civilis urgentur, praesertim erga iuvenes. Item parentum officia, in hac rerum provincia, clarius et pressius in *numero decimo* recoluntur.

c) Ex consilio quorumdam Patrum exhortatio in *numero decimo quarto* addita est ut fideles prelum catholicum legant, sustineant atque diffundant.

d) Cum quidam Patres aegre ferrent schema nostrum de theatro silere, in *numero decimo quarto* expresse, quamquam breviter, de ipso est sermo.

e) Accedunt plures emendationes quoad formam externam,

quae litteris minoribus *inclinatis* indicantur, quaeque textum meliorem reddunt, quin eius substantiam immutent.

f) Quaedam tandem extabant observationes, quas Commissio in novo textu inseri non posse iudicavit, eo quod ad schema directe eaedem non pertinebant, quamquam per se validae et utiles.

Venerabiles Patres,

In « propositione » quam in prima periodo Concilii probastis, haec verba — ut nostis — inveniuntur: « *Schema quoad substantiam placet. Et quidem maxime convenit ut Ecclesia, in magisterio conciliari, de re tanti momenti pastorali expresse pertractet* ».

Hanc vestram sententiam magni faciens, Commissio conata est etiam quoad formam ipsum Schema perficere, consiliis a Patribus propositis maxima cum diligentia perpensis.

En nunc textus emendatus, qui reverenter atque fidenter Vobis proponitur, duobus finibus prae oculis habitis:

a) Statuere — et quidem prima vice in Oecumenico Concilio — Ecclesiae doctrinam circa quaestiones quae apud homines nostri temporis maximae sunt gravitatis, uti sunt, exempli gratia: praesidium et tutela legis moralis, ius ad debitam informationem, publicae opiniones, conscientiarum institutio.

b) In lucem ponere quanti momenti sint instrumenta communicationis socialis ad Ecclesiae actionem pastoralem fovendam, et ad viam struendam qua evangelicum nuntium ad omnes bonae voluntatis homines aptius diffundatur, atque Regnum Dei in mundo universo instauretur.

Moderator: Legat nunc exc.mus D. secretarius generalis textum primae votationis.

Secretarium generalis: Prima suffragatio vertitur circa prooemium et cap. I *De Ecclesiae doctrina*. Lego initia et fines. Prooemium: videatis, Patres, pag. 5 ... [*cf. pp. 179-184*].

Suffragatio fit, iterum repeto, per *placet, non placet, placet iuxta modum*. Et em.mi moderatores concedunt ut modi, si hodie praesto non sint, possint afferri etiam crastina. Dixi.

Moderator: Continuatur nunc disceptatio de cap. III schematis *de episcopis et de dioeceseon regimine*.

PATRUM ORATIONES
(*De episcopis ac de dioecesium regimine*, cap. III)

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI
Episcopus Ianuensis

Venerabiles Patres,

Nomine *conferentiae episcopalis* [1] Italiae fere unanimis peto ut hoc cap. III « de nationali episcoporum coetu seu conferentia » ad pauca generaliora reducatur, praesertim circa structuram *conferentiae* [2] et valorem *eiusdem* [3] decisionum. Hoc sensu adhaeremus his quae iam dicta sunt a cardd. Spellman, Frings et Meyer. Etenim et legitima episcoporum libertas servanda est et *providendum* [4] est ne lex conciliaris nimis ad particularia deducta impediat *aptationem* [5] et articulationes successivas, quae in hac materia decursu temporis et diversis in locis necessariae apparent. Ne obliviscamur conciliarem legem non esse facile reformabilem.

Et addo:

1. Ius quo conduntur conferentiae nationales est mere ecclesiasticum. Etenim solummodo Concilium Oecumenicum legitime celebratum fruitur iure divino *apud omnes certo.*

2. Libertas et dignitas episcoporum, qui omnes sub Romano Pontifice sunt per se plane aequales, intra limites generalioris necessariae et opportunae legis ecclesiasticae, omnino servandae sunt...[6]

3. Praeter ea quae pro aliquibus materiis placuerit huic Sanctae Synodo statuere, ad fungibilitatem conferentiarum sufficit ius naturale, quo cuncti homines recti et cordati libere convenientes inter se adstringuntur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] episcoporum. [2] deest. [3] deest. [4] praevidendum. [5] aptationes. [6] et defendendae a localibus principatibus.

2

EM.MUS P. D. STEPHANUS CARD. WYSZYŃSKI
Archiepiscopus Gnesnensis et Varsaviensis

Quaedam dicam de conferentiis episcoporum in Polonia et de experientiis nostris hac in re, quae forte utilia esse poterunt pro disputatione.

Et 1. Conferentiae episcoporum initium sumpserunt, cum Polonia

nondum libertate gauderet. Itaque primae conferentiae, praesentibus omnibus episcopis Poloniae, celebratae sunt anno 1917, dum Polonia libera et independens fiebat. Inde bis vel ter in anno convocabantur.

2. In conditionibus insolitis, in quibus invenitur hodie Polonia, etiam actio Ecclesiae catholicae accommodari debet; proinde necesse est, ut conferentiae quam crebrius convocentur ad capienda consilia defendendae Ecclesiae. Quapropter conferentiae episcoporum residentialium sexies in anno convocantur.

Insuper omnes episcopi *etiam auxiliares* [1] conveniunt semel in anno in Sanctuarium Claromontanum ad sessiones duorum *vel trium* [2] dierum, quibus praemittuntur exercitia spiritualia in communi per tres dies.

3. *Sessiones plenariae* praeparantur a commissione principali novem episcoporum. Munus autem huius commissionis est: *a*) statuere ordinem discussionum; *b*) proponere schemata et summa lineamenta Litterarum Pastoralium, vel publicarum enuntiationum; *c*) examinare statum praesentem Ecclesiae, eiusque relationum cum potestate civili.

Omnes quaestiones distribuuntur inter *commissiones particulares,* quae sunt: commissiones conciliaris, pastoralis, catechetica, mariologica, de religiosis, de seminariis et studiis, liturgica, caritativa, pro Universitate Catholica Lublinensi, iuridica et de administratione, de edendis libris, et aliae.

Singulae commissiones componuntur praesertim ex episcopis auxiliaribus, aliisque viris peritis. Non raro autem praesident hisce commissionibus ipsi episcopi auxiliares.

Officium huiusmodi commissionum consistit in parandis schematibus pro tota Polonia, quae submittuntur examini in sessionibus plenariis.

Ad coordinandas relationes inter Ecclesiam et Statum habetur *commissio mixta,* quae constat ex duobus episcopis et ex duobus ministris Status.

4. *Vis resolutionum* quae in sessionibus plenariis feruntur est potius naturae moralis quam iuridicae.

Quamvis non habeamus normas scriptas seu obligatorias pro conferentiis, omnes tamen episcopi: *a*) ad sessiones celebrandas conveniunt, imo id sibi ...[3] necessitatem habent; *b*) *schemata pastoralia,* proposita a commissione particulari et a commissione plenaria accepta, exsecutioni mandantur ab omnibus Ordinariis locorum; *c*) schemata et statuta liturgica obligant unitatis seu conformitatis causa; et *d*) similiter in negotiis inter Ecclesiam et Statum vim habet *modus agendi bene definitus,* quem sequi tenentur omnes episcopi.

5. *Uniformitas* consiliorum in conferentiis episcoporum necessarie

postulatur propter commune periculum, quod imminet Ecclesiae ex parte *atheismi militantis*.

Utilitas ex uniformi actione evidens est: nam Ecclesia in Polonia potuit conservare propriam constitutionem et disciplinam, necnon unitatem agendi episcoporum, non obstantibus difficillimis conditionibus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] onus et.

3

EM.MUS P. D. BERNARDUS IOANNES CARD. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Patres,

Si de conferentiis nationalibus episcoporum sermo est, faciliter oritur quaedam confusio sicut ex discussionibus in hac aula habitis relate ad schema constitutionis *de Ecclesia* clare patebat. Liceat mihi circa hanc confusionem tres res proferre:

1. Saepius de conferentiis episcoporum localibus sive provincialibus sive nationalibus sermo factus est ac si in his conferentiis realizaretur sic dicta collegialitas corporis episcoporum. Attamen, si de corpore seu collegio episcoporum loquimur et de eius collegialitate, semper et ubique sermo est de toto corpore seu collegio episcoporum.

Munus et functio quae in Ecclesia Christi corpori episcoporum competit, omnibus Ecclesiae episcopis cum Romano Pontifice unitis et numquam sine eo competit. A. v., corpus episcoporum semper et ubique, omnes episcopos Ecclesiae includit simul cum Summo Pontifice. Corpus episcoporum non vult dicere omnes episcopos Ecclesiae sine Papa, et si vis, contra Papam, sed corpus episcoporum est Summus Pontifex cum omnibus ceteris episcopis et episcopi omnes cum Summo Pontifice.

Haec functio et hoc munus corporis episcoporum numquam ad quemdam coetum episcoporum localem vel nationalem transferri possunt, quia potestas quae toti corpori episcoporum agnoscenda est, solummodo a corpore completo sive in Concilio sive in mundo disperso exercetur, sed numquam a parte istius corporis, quamvis magna, exerceri potest. Igitur bene distinguamus necesse est inter corpus episcoporum et conferentias episcoporum locales. Etsi idea collegialitatis in conferentiis episcoporum localibus quodam modo realizatur, hic sermo esse non potest de ista collegialitate in sensu stricto, specifica, et ut

ita dicam theologica, de qua agitur quando de collegialitate totius corporis episcoporum loquimur.

2. His praemissis, clarum est quod istae conferentiae episcoporum, de quibus in cap. III sermo est, auctoritatem vel potestatem non *sumerent*[1] de munere et potestate quae toti corpori episcoporum in Ecclesia competit. Nisi fallor, auctoritas et potestas quae his conferentiis competunt, ex duplici capite *oriuntur*:[2]

a) Ex auctoritate et potestate quae unicuique episcopo in proprio territorio competunt. Auctoritas et potestas conferentiae episcoporum super provinciam ecclesiasticam vel nationem non superat, saltem ex hoc capite, auctoritatem et potestatem quas singuli episcopi in suo territorio exercere possunt. Finis talis conferentiae imprimis est 1. ut singuli episcopi in proprio territorio suam potestatem eodem modo exerceant ita ut uniformitas desiderata regiminis oriatur quae in genere pro fidelibus et pro auctoritate episcoporum et Ecclesiae maximum habet valorem; et 2. ut in quaestionibus quae totam provinciam ecclesiasticam aut totam nationem respiciunt communi disceptatione solutio desiderata inveniatur.

b) Alio ex capite auctoritas et potestas conferentiis episcoporum localibus competere possunt ex potestate derivata a suprema potestate in Ecclesia. Saepius iam in decretis et constitutionibus in hac aula Concilio Oecumenico propositis, quoddam munus vel quaedam potestas conferentiis localibus episcoporum delegatur, non alio fine quam ut exercitium potestatis supremae in Ecclesia utilius et expeditius ad actum deducatur. Est ergo quaedam decentralizatio de qua pro cura animarum certa utilitas speratur...[3]

De cetero in statutis illarum conferentiarum, ut iam *dixerunt plurimi Patres*,[4] pauca tantum praescribantur, ut illae conferentiae, modo circumstantiis localibus adaptato libere et expedite agere possint, sicut, v. g. apud nos ubi iam a restituta hierarchia anno 1853, conferentia episcoporum existit ubi, post disceptationes utiles, consilia practice nonnisi unanimi suffragio capiuntur, et quidem sine statutis approbatis. Hoc ultimum est ratio cur nostra conferentia non apparet in Annuario Pontificio.

3. Insuper confusio quaedam orta videtur de collegialitate corporis episcoporum, quae cum materia huius cap. III nostri schematis cohaeret. Nisi fallor, Patres conciliares non desiderant ut Concilium Vaticanum II circumscriptionem vel definitionem *iuridicam* exhibeat vocis corporis vel collegii. Desiderant solummodo Patres ut Concilium Vaticanum II statuat doctrinam catholicam de potestate omnium episcoporum simul sumptorum, Summo Pontifice incluso, in Ecclesia, prout

a) de ista doctrina iam sermo factus est in Concilio Vaticano I et quidem sequentibus verbis: « Episcopi congregati cum Capite in Concilio Oecumenico aut dispersi, sed cum Capite, vere plenam potestatem habent ». Verba sunt ipsius relatoris commissionis theologicae ab ipso praeside commissionis designati, optimi igitur socii.

Prout *b*) a commissione theologica praeparatoria *Concilii Vaticani II*[5] est formulata, et Patribus in schemate constitutionis *de Ecclesia* proposita, cui denique longe maior pars Patrum suffragium dedit positivum, licet provisorium et indicativum, et quidem postquam per plures menses illud schema prae manibus habuerunt, et postquam per plures hebdomadas disceptationibus de illo schemate in aula adsisterunt.

Ad progressum efficacem laboris conciliaris promovendum, omnino necessarium videtur ut quamprimum de ista quaestione, scil. de potestate coetus omnium episcoporum cum capite unitorum in Ecclesia, claritas oriatur.

Ideoque invitare liceat moderatores ut cum omni sollicitudine claritatem desideratam oriundam curent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] sumunt. [2] oritur. [3] Rogare ergo vellem ut de positione theologica harum conferentiarum episcoporum localium deque earum positione iuridica nostro cap. III quaedam praecisatio addatur. [4] dixit em.mus card. Frings. [5] deest.

4

EXC.MUS P. D. GERARDUS M. CODERRE
Episcopus S. Ioannis Quebecensis

Venerabiles Patres,

Nomine *45*[1] episcoporum canadensium loquor. Caput hoc in genere placet, sed sunt quaedam in hoc capite quae compleri et emendari deberent, nempe:

1. In hoc schemate in genere et in hoc capite in specie, non satis in luce ponitur structura administrativa Ecclesiarum orientalium.

2. Quo fit ut non solum permaneat, sed amplius roboretur illa tendentia quae usque adhuc — proh dolor etiam in hoc Concilio — apparuit, scil. quod problemata considerentur solummodo ex parte Ecclesiae latinae. Nam, si de episcopatu tractando, qui dicitur esse et reapse est fautor unitatis Ecclesiae, nullo modo consideramus formam propriam, secundum quam episcopi orientales vere et authentice munus illud in ditione sua adimplent, videmur affirmare Ecclesias orientales

non vere et modo normali in Ecclesia universali locum suum habere. Hoc modo Ecclesiae orientales apparent ut aliquid extraordinarium, ut appendix quaedam, ex caritate ab Ecclesia latina admissa, vel exceptio quaedam, *dum e contrario,* Ecclesiae orientales in ipso corde Ecclesiae sistunt.

3. Talis praesentatio regiminis episcopalis in Ecclesia esset nociva pro bono generali totius Ecclesiae et magno obstaculo foret pro unione mundi christiani.

Quapropter ad vitandum hoc periculum et praestandam imaginem accuratiorem veritatique conformiorem, auderem proponere sequentia:

a) Pag. 14, n. 17, post lin. 7 « promovendam atque ordinandam » addantur verba sequentia: « Quod in Ecclesiis orientalibus a primis saeculis cum magno bono fit per institutionem patriarchalem ».

b) In hac connexione bene, clare et adaequate monstretur quae sit authentica patriarchatus natura.

c) Quando fit quaestio de relationibus inter sic dictas conferentias episcopales et S. Sedem, expositio clara fiat de peculiari modo quo hoc fieri debet, consideratis scil. traditionibus illarum Ecclesiarum orientalium et praesertim facto maximi momenti, quod omnia quae in patriarchatibus apostolicis inveniuntur ad ipsum Ecclesiae mysterium pertinent. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] plurimorum.

Secretarius generalis: Proceditur ad secundam suffragationem: circa cap. II: *De Ecclesiae actione pastorali,* cuius initium est [*cf. pp. 184-188*].

5

EXC.MUS P. D. EDMUNDUS PEIRIS
Episcopus Chilavensis

Em.mi ac exc.mi Patres conciliares, et humanissimi Auditores,

In cap. III schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* saepe invenimus tales expressiones ut: nationalis episcoporum conferentiae — episcopi eiusdem nationis — in unaquaque natione constituatur et ab Apostolica Sede recognoscatur nationalis episcoporum conferentia — et hoc genus omne. In cap. I et IV sunt eadem vocabula. In omnibus his locis « natio » constituit formam coetus episcoporum, et infert ad-

ministrationi ecclesiasticae elementum quidem exoletum sed valde periculosum. Humili meo iudicio verbis « natio » et « nationalis » substituenda sunt verba « regio » et « regionalis » vel « ritus » cum modis requisitis. Rationes *breviter indicabo.*[1]

1. Episcopus est Ordinarius loci, non vero nationis; et episcopi tum residentiales tum titulares semper designantur de loco, et non de natione.

2. In Conciliis Oecumenicis et in C.I.C. sermo est de conciliis vel synodis dioecesanis, provincialibus et plenariis, non vero nationalibus. In temporibus antiquis multae celebratae sunt synodi, quae nomen accipiunt de loco, non de natione: e. g. synodus Alexandrina, Ancyrensis, Antiochensis, Aquileiensis, Carthaginiensis, Romana, Toletana, Trullana et ita porro. Traditio ecclesiastica, ni fallor, semper designavit coetus episcopales de loco ubi habiti sunt, et non de indole nationali.

3. Vocabulum « natio » diversam accipere potest interpretationem: politicam, ut Status civilis, vel ethnicam, ut diversae gentes in eodem Statu. In regionibus nuper imperio alieno liberatis, nationes adhuc non sunt adeo circumscriptae vel statutae ut coetus nationales fiant. Insuper, quaedam sunt nationes a bello dispersae diversisque guberniis subiectae. In his casibus, « natio » non accipit sensum determinatum. Omnes norunt, quod in legibus ambiguitas verborum invidiae et rixae fomitem ministraret.

4. Historia ecclesiastica liquide demonstrat catervas nationales in Ecclesia, praestantia sua innixas, saepe saepius fuisse perturbatores iustitiae, atque pacificam rerum Ecclesiae administrationem impediisse. Immo multa sunt schismata exinde orta. Adest certe tale periculum in regionibus ubi Ecclesia praevalet sed cum potestate civili tam arcte nectitur ut fiat religio Status. Ecclesia Christi Salvatoris debet esse mater et magistra populorum, non autem assecla et assentator Status.

5. Si conferentiae episcopales super fundamentum nationale constituuntur, quid determinandum est de episcopis qui laborant in missionibus, sed sunt natione aliena? Pastores enim sunt, qui gregem suum cognoscunt, et opes, dotes vitaeque otia pro ovibus suis impendunt, quamquam de aliena stirpe.

Venerabiles Patres, conferentiae sunt episcoporum, non nationis: maxime igitur interest quid cogitent episcopi, minime vero quid sentiat natio. Ergo humillime deprecor ut deleatur verbum « natio » vel « nationalis », et usurpetur vocabulum « regio » aut « regionalis » aut « ritus » vel similia. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] sunt.

6

EXC.MUS P. D. IOANNES COLBURN GARNER
Archiepiscopus Praetoriensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres et Fratres,

Loquor de cap. III et speciatim de art. 23 et 24. Duae sunt petrae angulares totius cap. III: 1. *obligatio iuridica omnes praesules adstringens ad observandas decisiones conferentiae episcoporum in rebus gravibus; et 2. libertas facta praesulibus recurrendi ad S. Sedem contra decisiones conferentiae. Continentur, ut bene scitur, in art. 24.*

Voces quorundam Patrum audivimus ut deleatur sive par. 1 sive mentio quaecumque iuridicae obligationis in toto cap. III. Talis omissio non esset emendatio sed potius evisceratio nec tantum capituli III sed etiam totius cap. III. Etenim, ut fatetur commissio, in ipsa relatione super schema decreti, hoc caput finem habet praefiniendi summa saltem huius coetus iuridica lineamenta, et, in paucis et bene definitis materiis, iuridicam obligationem statuendi, ob earum materiarum gravitatem et noxias sequelas, quae ex diversa episcoporum agendi ratione in spirituale commune damnum certo profluerent. Si omittantur omnia quae ad vim iuridicam et obligativam sese referunt, difficulter recognosci potest utilitas totius cap. III, quod absque virtute coercendi ad seriem quasi piarum admonitionum reduceretur. Et aegre videri possit ratio praesentandi augusto Concilio Oecumenico schema tam debile. Numquid enim postulari debet solemnis approbatio Concilii Oecumenici ad hoc ut habeatur colloquium quoddam episcopale vel simplex coadunatio praesulum amicabilis cooperationis causa?

Paucissimae sunt voces quae in aula conciliari laudes etiam exiguas in cap. de episcoporum conferentia protulerunt. Et fortasse revera pauci sunt ex Patribus qui affirmare parati sint iuxta formulam tam bene in hac aula notam « Schema in genere placet ». Ego autem meipsum inter Patres istius minoritatis, si revera minoritas sit, adnumerari fateor. In una ex emendationibus quae scripto in fasciculo inveniuntur, dicit exc.mus arch. Gawlina: « Schema ... mediam inter maximalistas et minimalistas tenet viam ... summa saltem iuridica lineamenta definiendo. Sine enim decisione iuridica quaestio proposita inanis esset ». Huic sententiae libenter assentio.

Quod cap. III sit perfectibile, nemo est qui neget, prouti sunt omnia quae industria humana perficiuntur. Emendationes ab aliis Patribus iam propositae sunt ad varios articulos meliorandos, inter alia,[1] con-

ferentia episcoporum Africae Meridionalis emendationem ad art. 24 ...[2] proposuit, ut « de iuribus ac de obligationis episcoporum minoritatis (sic dictae) aliquid clarius statuatur ». Difficultas forsitan oritur ex eo quod in hoc capitulo distinctio nimis vaga fit inter « res graves » et « res non graves », materiam i. e. maioris momenti et materiam minoris momenti. Ad solutionem saltem partialem, liceat mihi, *nomine proprio,*[3] proponere ut emendetur articulus prior i. e. art. 23, ita ut legatur: « Episcopus in casu aliquo particulari ob gravas rationes contra decisiones conferentiae in sua dioecesi agere intendens, antea scripto certiorem faciat conferentiam per ipsius praesidem de suis agendi rationibus, (*et nunc en verba emendationis propositae*):[4] dummodo agatur de rebus minoris momenti, quae obligationem iuridicam non gignunt ad normam art. 24 *d*) huius capituli ».

Ratio est quia distinctio accuratior fieri debet inter negotia conferentiae *minora et negotia maiora.*[5] Ad res maioris momenti quod attinet, praesules omnes alicuius conferentiae episcoporum obligari possunt, vi iuridica, virtute art. 24, ad observandas decisiones per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum prolatas. Notandum est autem quod in paragrapho 2 eiusdem articuli, recursus praevidetur ad Apostolicam Sedem a praesulibus qui decisionem maioritatis non approbant. *Erui potest e sensu sub-paragraphi d*),[6] quod ius erit ipsius conferentiae ...[7] decidere et statuere quaenam sint revera res graves.

Ceterum optandum est, ut arbitror, hoc conferentiae munus clarius adhuc statuatur per emendationem ad praefatum sub-articulum d). *Dividatur in duas partes, quorum prima pars sic legatur: « d*) *quando duae saltem ex tribus partibus praesulum cum voto deliberativo adstantium per suffragium specialiter ad hoc factum, iudicent gravitatem rei exigere communem omnium episcoporum agendi rationem »; et novus numerus: « e*) *quando duae saltem ex tribus partibus praesulum cum voto deliberativo adstantium iudicent decisionem ipsam esse vi iuridica pro omnibus communiendam ».*

Itaque duo sunt suffragia facienda: primum, ut et praesulibus determinetur num res vere ut gravis definienda sit; et secundum, ut determinetur num decisio de communi ratione agendi vi iuridica obstringat.[8]

In art. 23 nihil praevidetur quoad recursum ad S. Sedem; at neque requiritur, si bene intelligatur et accipiatur, hunc articulum respicere tantum negotia minoris momenti, res non graves; i. e., talis naturae ut, etiamsi a quibusdam praesulibus non observentur, nullum damnum ipsi Ecclesiae vel aliis dioecesibus pariant...[9]

Lego tantum conclusionem.[10] Faxit Deus ut nos episcopi omnes sic dictum « parochialismum » devitemus. Talis enim « parochialismus »

visionem nostram intra fines dioecesis nostrae coarctat. Immo, caveamus ne visionem nostram etiam ad horizontes ...[11] ipsius patriae nostrae restringamus. Ager namque apostolatus nostri est mundus universus, orbs terrarum inquam, qui de die in diem parvior ac parvior evenit, dum cursus vitae eiusdem incolarum magis magisque acceleratur...[12] Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] in scriptis. [3] deest. [4] deest. [5] minoris et negotia maioris momenti. [6] notandum est pariter. [7] episcoporum, per suffragium (si necesse sit) ad hoc factum. [8] deest. [9] In his casibus sufficiens erit praesidem ipsius conferentiae scripto certiorem facere, sicuti provisum est in eodem articulo. Istae sunt petrae angulares totius cap. III: 1. obligatio iuridica omnes praesules adstringens ad observandas decisiones conferentiae in rebus gravibus; et 2. libertas recursus ad Apostolicam Sedem. In una ex emendationibus bene dixit exc.mus arch. Gawlina: « Schema... mediam inter maximalistas et minimalistas tenet viam... summa saltem iuridica lineamenta definiendo. Sine enim decisione iuridica quaestio proposita inanis esset ». Huic sententiae libenter assentio. Timores, vel etiam querelas audivimus expressas, quod, si decisiones conferentiae episcoporum vi iuridica roborentur, actum esset de libertate individua episcopi residentialis in propria dioecesi. Respondendum est autem totum capitulum in tuto ponere ius singulorum episcoporum ad mentem propriam dioeceses regere, contra decisiones conferentiae quandoque agendi; et etiam, si necesse sit, ad Sedem Apostolicam appellandi. De necessitate quandoque praesules omnes obligandi ad actionem communem, nemo dubitare potest. Nec denegare licet necessitatem, in quibusdam rerum adiunctis, auctoritatem nostram individualem cum illa fratrum nostrorum in episcopatu uniendo ad bonum commune. Talis unio nullo modo esset extinctio auctoritatis nostrae propriae; e contra, esset perfectio et roboratio auctoritatis et singulorum et omnium, ad modum fascium Lictorum Romanorum antiquitatis. Ex unitate vires. Beneficia immensa Matri Ecclesiae in territoriis novarum nationum Africae collata sunt, mediantibus nuper fundatis conferentiis episcoporum. Nec tempus nec locus hic datur ad ea enumeranda. Veniam autem peto ut dicam quod, in magna crisi scholarum missionalium in Africa Meridionali, paucis abhinc annis, sola unio irrefragabilis praesulum conferentiae episcoporum, nemine excepto, adiuvante Deo, pericula superavit; et scholae nec tantum vivunt, sed florent. [10] deest. [11] (sit venia verbo!). [12] Nimia sollicitudo de parvis negotiis nostris dioecesanis, vel de iuribus personalibus, detectio esse posset cuiusdam pusillanimitatis et zelotypiae, quae episcopum, filium saec. XX, minime decent.

7

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS FRANIĆ
Episcopus Spalatensis et Macarscensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi duas observationes breves facere de cap. III schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* nomine quoque aliquorum episcoporum Iugoslaviae quorum nomina in folio inveniuntur scripta.

In art. 19, iuxta suggestionem relationis, humiliter propono ut in ipso textu addatur praeceptum:

Ut praeses conferentiarum episcopalium nationalium eligatur ab episcopis membris conferentiae de qua agitur, vel a Sede Apostolica nominetur sicut fit e. g. in conferentia episcopali Iugoslaviae ab eius institutione, scil. a fine primi belli mundialis. Sed ut in utroque casu, seu eligatur aut nominetur, ad determinatum tempus, e. g. ad 3 vel 6 annos, secundum conditiones variarum gentium, ita ut haec lex pro universali Ecclesia valeat. Istud praeceptum mihi videtur valde aptum ad augendum spiritum humilis fraternae caritatis, conscientiae collegialitatis episcopalis, et zeli in Ecclesia Dei, qui zelus singulos praesides valde incitaret ut tempore sui muneris quam magis faceret pro Ecclesia suae nationis, sicut videmus in Ordinibus et Congregationibus religiosis fieri. Insuper episcopi magis collegialiter responsabilitatem pro statu Ecclesiae in eorum nationibus assumerent.

Neque responsabilitas maiori ex parte super humeros unius hominis, praesidis, practice ad vitam nominati caderet, quod maxime valet pro illis Ecclesiis quae in specialibus difficultatibus inveniuntur. Dein auctoritas singulorum episcoporum apud populum et apud magistratos civiles notabiliter augeretur.

Postremo, principium mutationis seu, sit venia verbo, rotationis apprime conformis dynamismo nostri temporis esse videtur, nam hodie maiores mutationes forsan tempore 10 annorum eveniunt quam prius in tempore 100 annorum. Hoc principium mutationis, seu rotationis, secundum meam personalem, humillimam opinionem, etiam ad alias perfunctiones in Ecclesia extendi valde utiliter posset, ad institutiones nempe, quae sunt institutiones humanae in Ecclesia, uti est institutio parochorum, vicariorum foraneorum et generalium, canonicorum, et forsan ipsorum metropolitarum. Superius ascendere non audeo. Non est dubium quin Ecclesia per hoc principium maiorem vitalitatem acquireret.

Secunda mea observatio refertur ad canonem 24, in quo ambitus

decisionum iuridice obligantium singulos episcopos nimis extendi videtur. Haec humilis observatio attingit praesertim decisiones sub litteris *c*) et *d*) in pag. 16, linn. 21-28. Secundum dispositionem sub littera *c*), conferentiae episcopales nationales tractare deberent et solvere quaestiones maximi momenti, sese referentes ad relationes Ecclesiam inter et Statum. Immo dictum est in aula, episcopos alicuius nationis efficacius posse tractare istas quaestiones cum melius historiam, culturam, et in genere omnes conditiones nationis propriae cognoscant quam S. Sedes et Legati vel Nuntii S. Sedis. Hoc pluries dictum est variis sub respectibus.

Et revera negare non possumus hanc assertionem habere validum fundamentum. Sed ratio decisiva in hac quaestione est episcopos conferentiae nationalis, tractantes, secundum hypothesim, cum gubernio civili propriae nationis, esse simul subditos illius gubernii civilis, et proinde ipsos non posse tractare aequo pede cum gubernio cui subditi sunt. Ideo tantummodo Sedes Romana habere potest libertatem absolute necessariam his in casibus. Praesertim, hoc valet pro illis Ecclesiis quae in quibusdam difficultatibus, salva reverentia omnium, inveniuntur.

Similiter valet de illis rebus quae graves sub littera *d*) dicuntur, quae communem episcoporum agendi rationem exigant, et quae pro statu cuiusdam Ecclesiae etiam decisivae esse possunt. Ad solvendas istas quaestiones tantummodo Sedes Apostolica Romana libertate, obiectivitate, et dicerem prudentia ob suam magnam experientiam pollet. Episcopi etenim qui in mediis eventibus inveniuntur, plerumque valde discrepant in aestimandis periculis et eventibus socialibus, oeconomicis, culturalibus, religiosis, etc. Ideo submisse et insimul fortiter puto communem agendi rationem in talibus gravibus casibus unice Summum Pontificem episcopis praestare posse et nostram mutuam caritatem. Insuper ex amplificatione nimia iurium conferentiae episcopalis nationalis, necessitas exsurgeret quamdam curiam nationalem constituendi. At omnis curia tandem aliquando dura nobis fit, nam exigere a nobis debet ut officia nostra impleamus, et aliquando nos admonere debet, sed saepe saepius superior propinquior durior esse videtur. Ita curia nationalis probabiliter durior quam lontana Curia Romana nobis esset, quod nobis non est necessarium sicut intelleximus ex humanissimis verbis em.mi card. Frings.

Accedit, secundum meam personalem humillimam opinionem, quod nimia amplificatio munerum iuridicorum conferentiae nationalis episcopalis favere videtur theoriae de collegialitate iuridica episcoporum, sed etsi de collegialitatis existentia episcoporum dubitari nequit, sicut clarissime maxima pars Patrum Conciliarium declaraverat in hac aula,

tamen Patres non declaraverunt utrum ista collegialitas sit moralis an iuridica in sensu stricto, et aliunde istam gravissimam quaestionem nemo, ne commissio doctrinalis decidere valet, nisi tantummodo hoc Sacrosanctum Concilium ope specialis et clarae suffragationis et sequentis approbationis Pontificis Romani.

Concludo. Sufficit ergo ut conferentiae episcopales nationales tantummodo obligationem moralem in conscientia imponant, exceptis illis casibus de quibus art. 24 sub litteris *a*) et *b*), quando etiam obligationem iuridicam imponere possunt. Sed propono ut casus indicatus sub littera *b*) clarius exprimatur. Gratias!

Textus scripto traditus:

Peto veniam loquendi de cap. III schematis decreti: *de episcopis ac de dioecesium regimine,* in nomine quinque episcoporum (cf. in fine interventus).

Schema capitis in genere placet, sed habeo duas observationes:

1. In art. 19 velim, ut suggerit in relatione sua exc.mus relator, in pag. 19 linn. 16 s., ut explicite addatur in ipso textu aliquid de electione seu forsan et melius, de nominatione ad tempus, e. g. ad 6 vel ad 12 annos, praesidis conferentiarum episcopalium nationalium a S. Sede ita, ut hoc principium nominationis, seu, si magis placet electionis cum approbatione a S. Sede, lex universalis Ecclesiae a Concilio Oecumenico proclamata evadat.

Quod principium posset extendi, uti submisse puto, etiam alias quasdam perfunctiones in Ecclesia, perfunctiones scilicet quae sunt institutionis merae humanae, uti est institutio parochorum, canonicorum in dioecesi, vicarii generalis et forsan ipsius metropolitae alicuius provinciae Ecclesiasticae.

Talis dispositio mihi videtur valde apta ad augendum spiritum humilitatis, fraternitatis et maxime zeli in Ecclesia Dei. Nam unusquisque praeses conferentiarum, metropolita, dein canonicus et parochus, desideraret revera quam magis facere pro tempore sui muneris, sicut videmus in ordinibus et congregationibus religiosorum.

Quod principium mutationis videtur quoque esse apprime conformis dynamismo nostri temporis, in quo hodie maiores mutationes eveniunt forsan in 10 annis, quam prius in 100.

2. Secunda mea observatio refertur ad art. 24, in quo mihi ambitus decisionum iuridice obligantium singulos episcopos nimis amplificari videtur.

Haec mea humilis observatio praesertim attingit puncta *b*) et *c*) in pag. 16, linn. 21-28, quae puncta nimis generica mihi esse videntur ita, ut multas quaestiones, et quidem maximi momenti, conferentiae episcopales solvere deberent, praesertim quaestiones sese referentes ad relationes inter Gubernium civile seu Statum et Ecclesiam, quas quaestiones semper maiori cum libertate Sedes Romana tractare potest, quam episcopi qui subditi sunt gubernio civili. Similiter aliquid valet de illis rebus gravibus quae communem omnium episcoporum agendi rationem exigat. Istas quoque quaestiones, praesertim quando ecclesia particularis in *quibusdam difficultatibus invenitur,* Sedes Romana maiori cum libertate, obiectivitate et dicerem prudentia ob suam summam experientiam, tractare potest, quam ipsi epi-

scopi, qui in mediis eventibus inveniuntur et qui plerumque in similibus occasionibus valde discrepant in aestimandis periculis vel in genere in aestimanda gravitate eventuum socialium, oeconomicorum, culturalium et imprimis religiosorum. Ideo submisse et insimul fortiter puto communem agendi rationem in talibus gravibus rebus unice S. Sedem seu papam episcopis dare posse. Nam unitas nobis a Sede Romana provenit, sicut dixerat S. Cyprianus.

Deinde ex amplificatione nimia iurium conferentiae episcopalis nationalis eveniret, ut quaedam Curia nationalis constitui deberet, quae forsan durior nobis esset, quam Curia Romana, quia esset vicinior. Nam omnis Curia aliquatenus dura videtur, quia exigere debet, ut officia impleantur. Sed saepe saepius quae propinquior durior.

Accedit, quod nimia amplificatio munerum iuridicarum conferentiae episcopalis nationalis videtur innuere ipsam fundari in collegialitate iuridica episcoporum. Sed etsi de exsistentia collegialitatis episcoporum nemo dubitare potest, sicut clarissime maxima pars patrum conciliarium in sua suffragatione die 30 octobris declaraverat, tamen patres non declaraverunt, utrum ista collegialitas sit moralis an etiam iuridica et aliunde talem gravissimam quaestionem commissio theologica decidere non potest nisi hoc sacrosanctum Concilium cum speciali et clara suffragatione et sequenti approbatione Romani Pontificis.

Sufficit ergo, secundum meam modestissimam opinionem, ut conferentia episcopalis tantummodo obligationem moralem episcopis imponat, exceptis expressis illis casibus de quibus art. 24 sub litteris *a*) et *b*).

[*Subscripserunt etiam*] Smiljan Fr. Čekada, ep. Scopiensis; Stjepan Bäuerlein, ep. Bosnensis et Sirmiensis; Josip Arnerić, ep. Sibenicensis; Ioseph Pavlišić, ep. Bruxensis.

8

Rev.mus P. D. BENEDICTUS REETZ

*Superior Generalis Congregationis Beuronensis O.S.B.**

Archiabbas Beuronensis, reversus in Germaniam, petivit a me abbate de Maredsous, ut legerem textum interventionis suae.

Prima animadversio sonat ut verba episcopi de Ceylon. Sed cum non in nomine meo loquar, nolo eam delere.[1]

...[2] Septies in hoc capite occurrit expressio *nationalis* vel *natio*.

Cum vero verbum nationalis semper sapiat illud quod dicunt « nationalismus » vel « chauvinismus », et *cum* sic dictus nationalismus exaggeratus tot bellorum ac litium, discordiarum ac controversiarum causa fuerit, *cum* nostris temporibus limites populorum ac nationum magis magisque tollantur, *cum* denique et praesertim Ecclesia catholica

* Oratio rev.mi P. D. Reetz lecta est a rev.mo D. Godefrido Dayez, abb. Maredsolano in Belgio, praeside Congr. Belgicae O.S.B.

sit vinculum nationum unumque populum Dei constituat, mihi videtur melius esse ut omittatur haec vox, tum in toto capite, tum in titulo. Dicatur simpliciter: conferentia episcopalis Italiae, Germaniae, Galliae et ita porro.

Secunda animadversio. Iuxta C.I.C. ad *synodum dioecesanum* vocandi sunt abbates de regimine et unus e superioribus cuiusque religionis clericalis...

Iuxta *Codicem* [3] ex religiosis vocandi sunt *ad Concilium Oecumenicum*: abbas primas, abbates superiores congregationum monasticarum ac supremi moderatores religionum clericalium exemptarum. *Miror* quod ad concilium plenarium et provinciale de quibus in can. 282 ss. religiosi non vocantur, quamquam invitari possint. *Miror* etiam quod in hoc capite de conferentiis episcopalibus, de religiosis nihil dicatur, qui tamen iuxta pulcherrima, quae in hac aula conciliari de vita religiosa et de eius momento pro Ecclesia audivimus, in unaquaque regione et provincia una simul cum episcopis de populo Dei curam habent. Non requiritur ut superiores maiores partem habeant in conferentiis episcopalibus sed ante oculos habeo *conferentiam aliquam mixtam,* cuius membra erunt plures episcopi a conferentia episcopali designati et plures superiores maiores a conferentia superiorum maiorum electi, quae optimo cum fructu in diversis regionibus iam constitutae sunt. Sermo est hac de re in schemate de religiosis et de cura animarum, sed timeo ne tractatio horum schematum ad calendas graecas differatur. Propono igitur, ut in hoc schemate addatur paragraphus de conferentia mixta inter episcopos et religiosos.

Quoties nostris temporibus, etiam in hac aula conciliari sermo est de trita atque usitata sententia *dialogi* cum fratribus separatis, qui certe necessarius est ac optabilis et expetendus, optabilior tamen ac magis necessarius est dialogus cum fratribus unitis in corpore Christi mystico, dialogus inter episcopos et superiores de iis negotiis, quae ad bonum commune vitae christianae in dioecesi et in regione promovendum pertinent. Mihi persuasum habeo quod mediantibus his conferentiis mixtis multae difficultates, quae ex exemptione religiosorum oriuntur, dissolvi et explicari possunt.

Tertia et ultima animadversio. Dictum est in hac aula paucos ante dies concilium oecumenicum ad solos pertinere episcopos et nonnisi episcopis votum deliberativum esse concedendum.

C.I.C. etiam aliis multis concedit suffragium deliberativum, quod omnino correspondet traditioni antiquissimae. Sunt hac in aula superiores maiores qui iurisdictionem habent super multa milia sacerdotum regularium et religiosorum non sacerdotum. Habent illi, ut ita dicam,

dioecesim non territorialem sed personalem et quidem maximam. Immo multis superioribus maioribus concredita est cura procurandi episcopis suae religionis non tantum subsidia materialia pro seminariis, scholis, nosocomiis et curia episcopali, sed, quod plus est, quaerendi et educandi iuvenes eosque mittendi post ordinationem sacerdotalem in regiones longinquas missionum. Etsi superiores maiores praedicti non sint *ordinarii locorum,* sunt tamen *ordinarii personarum.* Ubinam sunt episcopi qui v. g. iurisdictionem et directionem habent super multa milia religiosorum sicut praepositus S.I., Ministri generales O.F.M. et O.P. aliique? His prae oculis habitis, aliquibus in mentem venit opinio iis, qui talem quasi dioecesim personalem sub cura sua habent, consecrationem episcopalem conferre...[4]

Sed longe mihi alia mens est: status religiosus est *status charismaticus* in Ecclesia, saltem ad eius integritatem pertinens. Sic semper in Ecclesia duo quasi flumina e Spiritu Sancto emanent: *unum* in statu episcopali *et sacerdotali*[5]; alterum in statu charismatico religiosorum, semper ab Ecclesia recognito, probato, venerato, iam a primis saeculis.

Aliquid etiam in concilio deesset sine religiosis non episcopis. Episcopi qui simul sunt religiosi, in concilio adsunt non formaliter ut religiosi, sed ut episcopi. Superiores vero maiores hic partem habent *formaliter ut religiosi.*

Apud S. Ioannem legimus: « In novissimo autem die magno festivitatis stabat Iesus et clamabat dicens: ... qui credit in me ... flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum »...[6]

Patres venerabiles, demus locum Spiritui Sancto, qui « ubi vult spirat », non tantum in episcopis, sed etiam in presbyteris, in religiosis et in omnibus fidelibus: sunt enim omnes templa Spiritus Sancti.

S. Benedictus ...[7] dicit: « Dominus saepe iuniori revelat quod melius est ». Ecclesia nos religiosos non-episcopos ad Concilium vocavit, *quia credit in Spiritum Sanctum.*

« Estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum apostolorum *et prophetarum,* ipso summo angulari lapide Christo Iesu; in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu » ...[8]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Prima animadversio circa titulum huius capitis. [3] can. 223. [4] sicut revera factum est in Congregatione Spiritus Sancti, cuius superiorem in hac aula saepius audivimus. [5] deest. [6] (*Io.* 7, 37-39). [7] in cap. III Regulae. [8] (*Eph.* 2, 19-22).

9

Exc.mus P. D. ANTONIUS SANTIN

Archiepiscopus-episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Venerabiles Patres,

Loquar de nationalibus conferentiis episcoporum. Cap. III incipit solemniter adfirmando: « Unusquisque episcopus, sub Romani Pontificis auctoritate est proprius, ordinarius atque immediatus pastor in dioecesi sibi commissa ».

In disceptatione cap. I asseruerunt multi Patres episcopum *vi consecrationis* [1] pollere omnibus facultatibus ministerio episcopali necessariis, causas solummodo in bonum Ecclesiae esse reservandas et quidem paucas et contra Romanas Congregationes opportune importune reclamationes admovere. Caveamus igitur ne conferentiae nationales nova fiant organa quibus episcopi subiecti sint, ita ut, loco maioris libertatis ad efficacius proprium ministerium explendum, obstricti videantur decisionibus, etiam suo nomine susceptis, quin ipsi suam mentem patefecerint. Iam insonuere in aula voces Patrum conferentiarum quae obligationem tantum moralem decisionum admittunt. Quomodo procedent in perfungendo munere suo conferentiae in quibus magnus sit numerus episcoporum? Pauci tantum pro omnibus decernent. Evenire autem potest ut decisio inutilis immo damnosa sit pro quibusdam dioecesibus, praesertim ubi, ut in Italia, regiones — a Sicilia ad Alpes — historia, moribus, psychologia habitantium valde diversae sint, vel periculosae sint propter temporis adiuncta. Quid tunc faciendum?

Schema profecto statuit: « Decernatur quid agendum sit eum in finem ut mens et vota omnium praesulum innotescant ». Sed quomodo hoc fiet? Quod pauci sapienter quidem paraverunt oportet non praecipi omnibus quin omnes manifestam faciant suam voluntatem, quae condicionum propriae dioecesis cognitione nititur.

Particeps sum regionalis conferentiae trivenetae, in qua mutua aestimatio, genuina caritas, et fraterna libertas vigent. Ioannes XXIII, felicis memoriae, crebro magno cum gaudio, mentionem faciebat quinque annorum quibus nostrae conferentiae praeses fuit et saepe amabiliter in privatis colloquiis in memoriam revocabat illos dies qui sincera caritate et serena fiducia repleti decurrebant. Ii qui, sicut ego, simili desideratissimo dono nunc quoque fruuntur, de conferentiarum utilitate dubitare non possunt. Conferentiae profecto utiles sunt, dummodo inve-

niantur iusti limites earum interventus. Coetus episcoporum scil. non debet libertatem episcopi in servitium dioecesis minuere.[2]

N. 22 asserit decisiones prolatas debita reverentia ab unoquoque episcopo esse accipiendas et ad effectus deducendas. Tenore n. 23 episcopus ob graves rationes contra conferentiae decisiones in sua dioecesi agere intendens, antea certiorem facere debet praesidem conferentiae de suis agendi rationibus.

Et n. 24 significat quando decisiones singulos episcopos etiam iuridice obligant. Casus sunt generatim nuntiati atque saepe saepius scrupuli exoriri poterunt, circa hanc obligationem.

Quare humiliter peto ut sequentia considerentur.

1. Omnes episcopi debent possibilitatem habere personaliter proprium votum promendi antequam aliquid pro omnibus decernatur.

2. Decisiones valorem moralem tantum induant et quilibet episcopus libertatem habeat in Domino agendi in bonum dioecesis. Et hoc sine necessitate rationes conferentiae praesidi pandendi.

3. Decisiones iuridice obligantes paucissimae sint et quidem in casibus gravissimis, omnibus auditis et probante S. Sede. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ex consecratione. [2] Conferentiae profecto utiles sunt, dummodo inveniantur iusti limites earum interventus. Coetus episcoporum non debent libertatem in servitium dioecesis minuere. Conferentiae praeterea scindere non debent Ecclesiam. Quocumque pergimus vultum Ecclesiae catholicae invenimus. Si nimis indulgemus singularibus usibus et traditionibus, communem Matrem fideles ex aliis locis provenientes non agnoscent.

Moderator: Audiant Patres! Maneant nunc Patres in locis suis vel ad eos revertantur et etiam assignatores sint in suis locis.

10

Exc.mus P. D. LUDOVICUS CABRERA CRUZ
Episcopus S. Ludovici Potosiensis

Venerabiles Fratres, amplissimi Adstantes,

Nemo est qui non videat necessitatem vel convenientiam conferentiarum episcopalium in unaquaque natione vel in coetu nationum, ad promovendam actionem sive religiosam sive socialem in necessitatibus *communibus*[1] quae omnibus affectant. Ideo normae et doctrina in cap. III schematis *de episcopis ac dioecesium regimine* propositae, vere laudandae sunt et spes affulget quod in earum adimpletione multus

progressus obtineatur ut magis fructuosa atque salutaris fiat actio pastoralis Ecclesiae.

Nunc vero in pag. 16, in linn. 21 ss., in litteris *b*), *c*), *d*), agitur de rebus magni momenti, scil., 1. de declarationibus faciendis nomine nationalis episcoporum conferentiae; 2. de rebus cum Gubernio civili tractandis quae totam attingunt nationem; 3. quando gravitas rei exigat communem omnium episcoporum agendi rationem, simulque duae saltem ex tribus partibus praesulum cum voto deliberativo adstantium, iudicent decisionem ipsam esse vi iuridica pro omnibus communiendam.

Sed potest contingere quod hisce in rebus magni momenti, non omnes unanimes sint opiniones episcoporum conferentiae, et multa expediuntur argumenta appretiationis *iudicii*[2] in unoquoque praesule ita ut exurgat difficultas ut animi concordes reddantur, imo magis, ne quidem assequatur quod duae saltem ex tribus partibus episcoporum in unum conveniant, sicut dicitur in littera *d*) huius n. 24 in cap. III schematis. Exinde difficultas ut in praxim deducatur aliqua decisio, quae aliunde efflagitatur in bono curando religioso vel sociali fidelium.

Mihi videtur eo in fine quod expedita fiat gestatio dictaminis hisce in rebus divergentibus in conferentia episcopali, quando duae tertiae partes votorum non assequantur, ut stabiliatur aliqua norma suprema, seu instantia ultima quae difficultatem solvat, — reservando consilio episcopali permanenti vulgo dictae « Comité *episcopal*[3] », solutionem problematis, vel etiam Nuntio seu Delegato Apostolico, ut obtineatur in practica actionis norma secura.

Igitur mea est proposito quod in fine litterae *d*) adiciantur insequentia verba: « Quando in rebus adnotatis in litteris *b*), *c*), *d*) non assequantur duae saltem ex partibus episcoporum concordes, decisio reservetur consilio episcopali permanenti, vel Nuntio seu Delegato Apostolico ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest.

Moderator: Audiant Patres! Quia moderatoribus, post orationes hucusque auditas de cap. III huius schematis, videtur materia huius capitis satis esse tractata et proin proponitur Patribus secundum art. 57 par. 6 *Ordinis* agendi Concilii, sequens votum: an placeat Patribus ut concludatur disceptatio de hoc capite. Qui ergo stat pro hoc voto surgat e loco suo et assignatores bene videant exitum votationis.

[*Intervallum*].

Placet. Qui, secundum dictum articulum, loqui vult post conclusam disceptationem, quamprimum det nomen suum secretariatui generali. Sed enixe rogantur illi Patres, ut discrete utantur hoc iure quia experientia docemur talibus orationibus post conclusionem habitis, fieri pluribus in casibus solummodo repetitiones. Dixi.[1]

Secretarius generalis: Incipit ergo disceptatio circa cap. IV schematis *de episcopis ac de dioeceseon regimine.* Post debitam relationem, verba facere postulaverunt: em.mus ac rev.mus D. Mauritius card. Feltin, arch. Parisiensis in Gallia; exc.mi Alexander Renard, ep. Versaliensis in Gallia, Franciscus Peralta, ep. Victoriensis in Hispania, Franciscus Jop, ep. tit. Dauliensis in Polonia, Georgius Hakim, ep. Ptolemaidensis Melchitarum, Ioannes Ferreira, praef. ap. Guineae Lusitanae, Aurelius Sorrentino, ep. Bovensis in Italia, Sebastianus Soares de Resende, ep. Beirensis in Mozambico.

Moderabitur disceptationem circa hoc caput em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

RELATIO

EXC.MI P. D. ALOISII M. CARLI

Episcopi Signini

Venerabiles Patres,

Capite quarto, quod « *de Dioecesium ac Provinciarum ecclesiasticarum congruenti circumscriptione* » inscribitur, remedium aliquod praestari placuit Episcopis, difficultate haud modica in regendo laborantibus ob nimiam parvitatem aut amplitudinem territorii dioecesani, vel ob nimiam paucitatem aut multitudinem incolarum.

Agitur in primis de divisione aut unione dioecesium, et de earumdem finium mutatione. Problema hoc non ubique persentitur, neque eadem ubique ratione; quapropter schema a nimis particularibus abstinet, quibus melius providere poterit singulis in casibus Apostolica Sedes, proponente Commissione nationali de qua in art. 32.

Momentum pastorale huius capitis dilucide in prooemio indicatur (art. 26), ubi et cautelae, maxime in hac re necessariae, et criteria generaliter sequenda clare definiuntur.

---

[1] Cf. pp. 236 ss.

Difficultatem utrum facile necne ad effectum semper et ubique huius capitis dispositiones deduci possent, Commissio Praeparatoria non ignoravit. Omnibus tamen perpensis, plurimorum Patrum voto suffulta, censuit a Concilio quaestionem esse aggrediendam et solutionem, saltem generaliore ratione, esse dandam. Idque duplici de causa: ut et vigilans ecclesiasticae auctoritatis sollicitudo in aptandis iuridicis institutis rerum condicioni sese evolventi ostendatur, et christifideles aut clerici alicubi, diversas ob rationes, huic rei expediendae fortasse obstituri, eam aequiore animo ferant si generali lege a Concilio sit statuta.

Tota res consideranda committitur Conferentiis ipsis nationalibus quippe quae, ex pleniore causae cognitione quam habent, iure merito opportuniora consilia daturae censeantur. Approbatio vero et exsecutio Apostolicae Sedi reservatur, nam prudenti supremae auctoritatis iudicio melius relinquitur nosse tempora et aptum seligere modum quo hoc difficile negotium perficiatur, plerumque secumferens non solum aliquorum Episcoporum renuntiationem aut creationem, sed etiam diplomaticas cum Guberniis civilibus pactiones.

In capite quarto sermo quoque fit de provinciarum ecclesiasticarum congruenti circumscriptione, et de earumdem in regiones compositione. Aliquid novi in iure inducitur, quatenus criterium maxime pastorale — similitudo scilicet sive humanarum et spiritualium condicionum, sive ingruentium periculorum, sive remediorum adhibendorum — indigitatur tamquam unicum aut saltem praevalens criterium in circumscribendis provinciis et in componendis ecclesiasticis regionibus.

Immediatae subiectionis institutum abolendum proponitur (art. 27 § 3), non quidem quasi negetur Apostolicae Sedis ius sibi immediate subiiciendi hanc vel illam dioecesim — quod ius pertinet necessario ad Primatus exercitium — sed quia ratio pastoralis hodie suadet, ut in commune animarum bonum, quemadmodum omnes eiusdem nationis Episcopi in Conferentiam nationalem, ita omnes eiusdem portionis territorialis nationalis Episcopi in provincias, atque adeo in regiones ecclesiasticas aequo iure inter se uniantur.

Denique, per art. 31 providetur erectioni dioecesium personalium ratione Ritus, quod valet sive pro Ritibus orientalibus in Occidente sive pro Ritibus latinis in Oriente.

11

EM.MUS P. D. MAURITIUS CARD. FELTIN
Archiepiscopus Parisiensis

Venerabiles Fratres,

Liceat mihi pauca dicere de art. 31 huius schematis, sic sonante: « Curandum est ut dioeceses personales pro diversitate rituum erigantur ubi plures sunt fideles diversi ritus, quibus sufficienter consulere possibile non sit per sacerdotem aut paroeciam eiusdem ritus ».

Ut Ordinarius pro catholicis ritus orientalis in Gallia degentibus, huic dispositioni plene assentio. Quinimmo, puto alios casus eiusdem personalis ordinariae iurisdictionis in textum huius articuli inserendos esse.

Exemplum unicum afferam de Ordinariatibus militaribus. Optandum quidem est ut populi omnes omnino ab usu armarum se abstineant. « Recta ratio, iustitia, humanaeque dignitatis sensus instanter requirunt — aiebat Ioannes XXIII in Litteris *Pacem in terris* — ut desinant aemula rei militaris augendae studia; ... ut tandem ad congruentem ab armis discessum omnes ex condicto deveniant, mutua efficacique cautione adhibita ».

Sed hoc nec hodie nec cras eveniet, et usque adhuc, in fere omnibus orbis regionibus exstant exercitus regulares, qui praeter milites professionales, omnes iuvenes conscribunt, per plures menses, circa vigesimum aetatis annum. His autem aetatis et vitae circumstantiis, cum omnes indoles omnesque doctrinae occurrunt, praesentia sacerdotis specialiter his iuvenibus assignati — sive ab auctoritatibus civitatis vel exercitus officialiter agnoscatur an non — necessaria efficitur ad eorum fidem servandam et firmandam, cum belli, tum pacis tempore.

Aliunde, difficile, et quasi impossibile apparet bono horum efficaciter consulere per sacerdotes dioecesanos, et per solam iurisdictionem territorialem. Etenim dioecesani sacerdotes iam graviter onerantur cura animarum territorii sibi commissi. Et milites saepe saepius de loco ad locum mutantur, extra fines unius dioecesis, quandoque etiam extra fines nationales.

Hae sunt rationes cur, hisce elapsis annis, in nonnullis nationibus, S. Congregatio Consistorialis erigere annuit Ordinariatum militarem, territorialibus dioecesibus non obnoxium, cui praeest episcopus, vicarius scil. castrensis. Hic autem supra omnes milites unius nationis, et in eius omnibus territoriis militaribus, habet iurisdictionem primariam,

iurisdictione Ordinarii loci solum ob defectum huius primae iurisdictionis vigente.

Ergo exopto ut ubicumque exstat exercitus, sive belli sive pacis tempore, sacerdotes specialiter ad hoc eligantur et assignentur ut militum, praesertim iuvenum, curam habeant.

Deinde, ut hi « cappellani militum » iurisdictione personali praediti sint, et Ordinarii locorum eidem iurisdictioni ab eis exercendae minime obstent.

Tandem, ut in fine, art. 31 addantur haec verba, vel alia eius modi: « Similiter dioeceses personales erigendae sunt pro certis fidelium generibus, a S. Sede determinandis, quando, quacumque ex causa, per iurisdictionem localem eorum bono provideri non potest ». Dixi.

12

Exc.mus P. D. ALEXANDER RENARD
Episcopus Versaliensis

Venerabiles Patres,

Sane gaudendum est quod Concilium, postquam disceptavit...[1] de Ecclesia, etiam quaestionem de dioecesibus viriliter aggredi intendit.

...[2] Earum circumscriptio in antiquioribus saeculis determinata fuit: in Gallia parum mutata est a tempore Pii VII et Napoleonis. Numquid respondere potest exigentiis hodierni ministerii pastoralis? Certo, Ecclesia usque in aeternum permanebit: sed in hoc mundo, tempus et vita saepe velocius procedunt, quam decisiones auctoritatis ecclesiasticae. In schemate dicitur, quod dioeceses nec nimis exiguam, nec nimis extensam amplitudinem habere debent; quod sane verum est, quia maxime vagum; *sed*[3] si tale principium sequeremur, permultae dioeceses in « statu quo » remanerent, cum gravissimo detrimento animarum.

« Dioecesis ...[4] (ut legitur in nota pag. 22), cum sit pars Ecclesiae, quae a Christo Iesu proprii uniuscuiusque episcopi voce potestateque regitur ...[5], in qua proinde tanquam in unitate vitae et regiminis aedificatur Corpus Christi, tales conditiones ... habeat, ut finis proprius, i. e., salus animarum et bonum Ecclesiae, quam perfecte assequi possit ».

...[6] Igitur inquiramus, quae sint criteria, iuxta quae dioecesis maxime inservire possit bono fidei et redemptionis.

Criterium unicum esse non potest, quia et ipsa vita nunquam est *clarus conceptus.*[7]

A. *Ex parte dioeceseos...*[8]

1. *Localis praesentia Ecclesiae universalis.* Homogeneitas sociologica habitantium ...[9] nequaquam exoptanda esse videtur. ...[10] Coagmentatio incolarum ex variis conditionibus favet meliori distributioni sacerdotum specialiter idoneorum, imbuit episcopum et fideles spiritu magis missionario, et *praesertim*[11] exhibet Ecclesiam in ipsa localitate tanquam universalem, illa diversitate praeditam, quae est character constitutivus populi Dei.

Sed in quantum fieri potest, non expedit in duas dioeceses dividere unam eamdemque regionem naturalem, *rusticam vel industrialem.*[12] Accidere *enim*[13] potest, ut ex rationibus convenientiae fines dioeceseos eaedem sint ac regionis civilis, sed tales rationes nunquam ut praevalentes censendae sunt.

2. *Localis Ecclesiae vitalitas.* Unaquaeque dioecesis propria sponte vivere ...[14] debet, ratione habita normalis auxilii ab Ecclesia, et ab aliis dioecesibus recepti; diversis institutis indiget, ut sunt curia dioecesana, directio apostolatus, opes convenientes, et praesertim numerus conveniens vocationum ad sacerdotium.

B. *Ex parte episcopi.*

1. *Episcopus pastor.* Episcopus, utpote pastor et servus et anima dioeceseos, missionem a Christo acceptam recte adimplere debet; in persona suos sacerdotes adire, necnon communitates religiosas, et laicos qui *in Ecclesia*[15] actionis ...[16] responsabilitatem habent; debet per se invigilare rebus maioris momenti ...[17], vitae spirituali clericorum, institutioni catecheticae puerorum et adultorum, apostolatui missionario; ut autem in tali munere pastorali unitas et efficacia procurentur, necesse est ut ipsemet episcopus *hoc*[18] peragat, et non per multas interiectas personas, quae gratiam sacramentalem non habent ad gregem regendum in nomine Domini. Attamen, eius non est omnes singillatim cognoscere; hoc est munus parochorum, qui sunt pastores quam proxime ad populum constituti.

2. *Successoris apostolorum aptitudo.* Dioecesis non debet talis esse amplitudinis, ut vires physicas, intellectuales et spirituales episcopi superet. Per decursum aliquorum annorum necesse est, ut omnes partes visitare possit, et Confirmationem conferre in unaquaque *iuste*[19] dicta parochia. In casu contrario, episcopus personam gereret quasi cuiusdam segregati, documentis in *suum officium*[20] unice attenti, quod quidem successori apostolorum plane absonum esset. « Oportet nos esse in ministerio verbi et oratione ».

Propter graves rationes, ...[21] nimiam extensionem *urbis,*[22] quaestionem vocationum, deficientiam opum aut dispersionem catholicorum,

accidere potest, ut dioecesis, nonobstante nimia territorii amplitudine, vel nimio incolarum numero, prout exstat conservari debeat.

Hoc in casu necesse est ut episcopus, una cum auxiliaribus suis, *quasi* [23] collegialitatem localem efformet pro ecclesia locali, cum officiis pro unoquoque iuridice determinatis, ita ut sint omnes « cor unum », in testimonium episcopale coram sacerdotibus, et in bonum totius actionis pastoralis.

Conclusio. His praemissis, *vota* [24] proponere vellem:

1. *Cap. IV* [25] talia criteria praebeat, quae vitalitatem Ecclesiae localis procurent, et rationem habeant capacitatis episcopi in ministerio pastorali adimplendo.

2. Post Concilium ...[26], nominanda est in unaquaque regione commissio episcoporum qui, seposito quolibet proprio commodo, quaestiones de finibus dioecesium cum *expertis* [27] perpendant, necnon de congrua distributione sacerdotum, et conclusiones omnes Nuntio Apostolico subiciant.

Nobis non licet *qui episcopi* [28] constituimur, non omnia media, et ...[29] quam optima ...[30] adhibere, ut haec quaestio velociter, ...[31] cum prudentia supernaturali, solvatur, ad salutem animarum, et gloriam Trinitatis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] tractatum. [2] Etenim. [3] et. [4] enim. [5] (Pius XII, *Mystici Corporis*). [6] Humillime. [7] simplex et limpidus. [8] vel Ecclesiae localis. [9] (sive sint ex conditione rurali vel industriali). [10] E contra. [11] deest. [12] ut est regio metallorum, vel operae industrialis, vel vinearum. [13] etiam. [14] et crescere. [15] deest. [16] religiosae. [17] dioeceseos, v. g. [18] eam. [19] proprie. [20] sua mensa. [21] v. g. propter. [22] urbium, vel. [23] deest. [24] sequens votum. [25] Capitulum de circumscriptione dioecesium. [26] Vaticanum II. [27] auxilio expertorum. [28] quippe qui in dignitate episcopali. [29] quidem. [30] ideo. [31] etsi.

13

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS PERALTA Y BALLABRIGA
Episcopus Victoriensis

Venerabiles Patres,

...[1] Duo considerationi vestrae proponere audeo.

1. Novum factum sociologicum datur hodie in cura pastorali: incrementum augens in dies magnarum urbium, ut intra aliquot annos magnarum urbium incolae proportionem ingentem ad omnes nationis aut regionis incolas attingant.

Hoc factum magni momenti *est pro actione pastorali,*[2] nam influxus magnarum urbium in vita politica, culturali et religiosa alicuius nationis fere ...[3] decisivus dicendus est. Hae magnae urbes, materialismi influxu, etiam in regionibus catholicis, parum vita christiana florent, immo ipsa earum structura, dicendae videntur *potius medium aliquod*[4] dechristianizationis populi, nam qui in urbem veniunt difficillime vitam religiosam servare possunt, quam prius in vicis atque *oppidis suis*[5] habebant.

Sic dicta defectio multitudinum (apostasia massae) non parum huic ordinationi in vita religiosa *magnarum*[6] urbium tribuitur a peritis sociologiae religiosae. Pastoralis actio seu cura animarum in his urbibus videtur non superasse schema actionis pastoralis *oppidorum et civitatum parvarum.*[7] Concilium nostrum saltem principium seu criterium fundamentale in hac re dare debet.

Nostro cap. IV hoc problema negative attingitur, nam in nota 1 ad n. 27 (pag. 22) legitur: « Sunt denique magnae urbes, praesertim quae caput sunt nationum, quarum territorium dividere vel dismembrare ut novae constituantur dioeceses inopportunum, immo noxium esse posset ». At quaeritur quo modo constitui possit verus pastor animarum pro duobus, tribus vel septem decies centena milia fidelium, licet adsint aut coadiutores aut auxiliares; persona enim veri pastoris et proprii episcopi evanescit, et neque eum fideles noscunt, neque ille eorum potest necessitates difficultatesque suspicari.

Certe ex una parte unitas actionis pastoralis maximi habenda est, sed ex alia parte et sacerdotes et fideles exigunt sollicitudinem et curam proprii pastoris. Quid ergo faciendum? Mihi quidem consentanea videtur solutio quae in nota pag. 22 *excluditur.*[8] Magnae urbes pro cura et regimine episcopali ...[9] dividantur *aliquomodo*[10] in magnas *regiones vel partes vel zonas*[11] ut in re civili fieri videmus. Cuilibet ...[12] episcopus praesit (*non residentialis sed residens, ut dictum est iam feliciter in hac aula*[13]) ibique immoretur, qui *plena* administratione ...[14] fungatur. Hi episcopi forsitan suburbani sint dicendi, et suam actionem pastoralem tantum cum aliis *magnae*[15] urbis episcopis coaptari debent.

Episcopus ...[16] nuclei principalis titulum episcopi dioecesis servat, omnibus aliis praeest et *omnium*[17] consilio moderatur et exsequit quae coniunctim effici debent, ut magisterium, litteras pastorales ab omnibus subscribendas, ordinationem potestatis iudiciariae, institutionem clericorum, apostolatum laicorum in eis, quae communes motus exigant et alia quae determinanda erunt. Credimus hanc solutionem experiendam *saltem esse*[18] cum aliae expertae frustra fuerunt.

2. *Miramur quod in hoc schemate de regimine dioecesium*[19] parum aut ...[20] nihil de regimine ... [21] proprie dicto *dicitur.*[22] Principia *saltem*

altiora in regimine hodierno statui debuissent. Considerari debuisset v. g. in schemate: a) necessitas asservandi continuitatem in orientatione actionis dioecesanae quando plures episcopi sibi succedunt; [23] *b) principium* [24] alicuius cogestionis ...[25] in rebus *maximi* [26] momenti; *nam si regimen episcopi est monarchicus, tamen non debet esse absolutum.*[27]

Notare volo tantummodo aliquod principium quod dicerem principium organizationis seu rationalizationis laboris dioecesani.[28]

Hodie *omnes loquuntur* [29] de inaequa vel iniusta distributione sacerdotum. Ut modo sufficienti solutio consequatur, necesse est *in schemate* [30] de regimine dioecesium aliquid saltem *dicere* [31] quod solutioni praeponatur, i. e. laborem sacerdotalem cuique *rationabiliter et iuste* [32] assignare. Quod si non attingitur fere numquam erunt sacerdotes sufficientes in *aliqua* [33] dioecesi. Nostro quidem tempore in omni officina industriali, ex requisitis productionis industriae, commercii, etc., technice labor ordinatur, ut minimo operariorum numero maiorem productionem consequantur. Ut in nostris dioecesibus sufficientes sint sacerdotes, et ut indigentibus dioecesibus mittere possimus, opus est pervestigare necessitates *reales Evangelizationis et actionis pastoralis,*[34] qui loci teneri a sacerdotibus debeant, *qui loci a laicis teneantur.*[35] Schema principia altiora huius rationalizationis laboris, ut aiunt, sacerdotalis indicare debuisset. *Paucis verbis:* [36]

1. In quaestione pastorali magnarum urbium oportet inserere in cap. IV aliquam solutionem diversam ac quae nunc habetur. Pastorali functioni efficaci ita *inconsentanea videtur lata vel dilatata paroecia quam lata dioecesis. Casus in hac aula expositus de civitate Parisiensi spem magnam affert.*[37]

2. Principia clara et aliquatenus concreta exarentur quae ad aequam et rationalem distributionem laboris et personarum in dioecesibus conducant, ut fundamentum maioris *communitatis* [38] sacerdotalis laboris, et iustioris distributionis in Ecclesia. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Nomine plurium episcoporum. [2] erga actionem pastoralem est. [3] decretorius. [4] constituere velut medium seu instrumentum. [5] civitatibus non magnis. [6] deest. [7] in oppidis et civitatibus actorum temporum. [8] exlucitur. [9] aliquatenus. [10] deest. [11] sectiones seu zonas homogeneitate sociali praeditas. [12] regioni. [13] deest. [14] illius zonae. [15] deest. [16] zonae seu. [17] eorum. [18] deest. [19] Mirandum sane est schema nostrum. [20] fere. [21] dioecesium. [22] dicere. [23] altiora regiminis dioecesani essent includenda. Inter alia haec mihi videntur deberi tractari pro hodierno statu dioecesium: *a*) necessitas in tuto ponendi continuitatem in laboribus dioeceseos, quando plures episcopi sese succedunt. In hac re capitulum cathedrale nullam offert solutionem. [24] principia. [25] ut ita

dicam, ut episcopus non debeat solus sustinere responsabilitatem. [26] magni. [27] Adiutorium episcoporum provinciae esset valde opportunum; *c*) principia fundamentalia organizationis modernae laboris sacerdotalis. [28] deest. [29] passim sermo fit. [30] schema. [31] per indicium enuntiet. [32] deest. [33] deest. [34] Evangelii praedicandi et animas regendi. [35] quae vero munia exsequi possint a laicis. [36] Paucis concludo. [37] inconsentaneae videntur latae paroeciae, ut latae dioeceses, ut latae urbes. [38] efficacitatis.

14

Exc.mus P. D. FRANCISCUS JOP
Episcopus tit. Dauliensis

Venerabiles Patres,

Maxime laudandum est propositum schematis decreti de apta et congruenti dioecesium circumscriptione. Aperitur porta ad amovendas multas difficultates, quae in non paucis dioecesibus ex parum apta finium circumscriptione profluunt. Fines aliquarum dioecesium saepe variis eventibus politicis, bellicis vel oeconomicis decursu saeculorum efformati, minime nunc respondent exigentiis pastoralibus, nec, eo magis, etiam ipsi vitae religiosae fidelium. Adhuc inveniuntur pagi, quorum incolae ad participandum officiis divinis, ad audiendum Sacrum die dominica vel ad sacramenta recipienda in ecclesia propria paroeciae, longum iter debent suscipere et nonnisi transeuntes per territorium aliae paroeciae ad propriam ecclesiam pervenire possunt. Sunt etiam nunc dioeceses magno numero fidelium constantes, quarum civitates episcopales, ubi domus episcopi, sedesque eius curiae et seminarii dioecesani ad fines alienae dioecesis sita est, non ergo in medio, sed ad ipsum limitem propriae dioecesis invenitur. Haec omnia non exiguum impedimentum constituunt in regimine dioecesis exercendo, in promovenda vita religiosa fidelium et etiam in accessu fidelium ad episcopum. Merito igitur nova circumscriptio dioecesium a Concilio Oecumenico statuitur.

Sed in schemate decreti apparere videtur quaedam anxietas, ne post illam novam circumscriptionem nimis parvae dioeceses constituantur, ac propterea, ne ob penuriam sacerdotum aut opum deficientiam episcopi impares sint consulere difficultatibus ex hoc exortis. Nihil proinde dicitur de concretis criteriis et normis in hisce divisionibus, dismembrationibus et circumscriptionibus servandis, nullaque in schemate decreti inveniuntur praescripta saltem approximative indicantia quaenam dioeceses dividi debeant et qualis numerus fidelium constituere potest magis optatam multitudinem populi pro erectione dioecesis requirendam.

Non est facile criteria certa proponere, nam in diversis nationibus diversae inveniuntur condiciones oeconomicae, varia habentur in singulis regionibus media communicationis, inaequalis est etiam gradus civilisationis, proinde communis regula nonnisi caute proponi potest. Videtur tamen, quod fere ubique dioecesis, in qua numerus fidelium non excedit quingenta milia, omnino apta est ad constituendum et sustentandum seminarium maius, ad omnia alia instituta dioecesana condenda. Maior numerus fidelium difficilem reddit efficacem curam pastoralem ex parte episcopi exercendam. Magnae civitates dismembrari non possunt, ideoque in hisce urbibus ex necessitate una tantum dioecesis permanere debet, sed suburbia possunt et debent proprias dioeceses constituere. Altera ex parte, minimum numerum fidelium pro constituenda aliqua dioecesi vel pro retinenda dioecesi iam exsistente requisitum, fere in omnibus regionibus europaeis, ad 200.000 Concilium potest definire.

Non placent illa, quae in par. 27 schematis statuuntur circa necessitatem supprimendi parvas dioeceses. Certe sustineri non possunt, si prorsus incapaces sunt ob exiguum numerum fidelium ad sustentandum seminarium, curiam, etc., sed tunc potius uniri debent unione aeque-principali, i. e., unione in persona episcopi cui conferuntur, sed non supprimi. Agitur enim haud raro de dioecesibus antiquis, immo antiquissimis per plura saecula a temporibus valde remotis, non raro, prout in Italia occurrit, iam a primis Ecclesiae saeculis exsistentibus. Hoc modo unitae dioeceses possunt habere commune seminarium et unicam communem curiam.

In finibus dioecesium ordinandis curandum etiam est, ut non solummodo unaquaeque dioecesis territorio continuo constet, sed ut sedes episcopalis, quantum possibile erit, in medio dioecesis posita sit.

Ad art. 32: commissio de dioecesium et provinciarum ecclesiasticarum mutationibus iuxta schema decreti permanens esse debet. Divisio dioecesium et provinciarum est opus, quod semel pro dimidio vel tertia parte saeculi absolvitur et postea ad longum temporis spatium cessat; non videtur ergo esse sufficiens ratio, ut haec commissio permanenter exsistere debeat. Esset ens iuridicum sine necessitate perenniter constitutum, vel etiam cum quodam damno Ecclesiae coniunctum, nam processus divisionis et circumscriptionis finium dioeceseos eo modo sine fine protractus magnam incertitudinem et inquietudinem populi atque cleri provocaret.

Ipsa etiam commissio non videtur esse necessaria, nam soli episcopi in conferentiis episcopalibus possunt certis et determinatis temporibus ad id convenire ut, collatis consiliis determinent, quaenam mutationes et circumscriptiones dioecesium et provinciarum proprii eorum

territorii necessaria sint. Contra renuentes et imprudenter protestantes quod fere nunquam accidere potest, omnes enim bonum spirituale animarum prae oculis habent, datur semper decisio Apostolicae Sedis, ad quam spectat has mutationes iuridice paragere. Dixi.

15

Exc.mus P. D. AURELIUS SORRENTINO
Episcopus Bovensis

Venerabiles Patres,

Laudabiliter ac cum spiritu vere pastorali, huic Concilio proprio, in n. 27 cap. IV schematis decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine* sancitur principium generale: « (Dioeceses), quae sint nimis parvae, alii dioecesi uniantur aut supprimantur, vel ex pluribus parvis nova dioecesis constituatur », etsi in nota principium valde attenuari videtur cum animadvertitur in hoc negotio caute et prudenter agendum esse, ne inde suscitetur in clero et populo perturbatio vel seditio contra ecclesiasticas auctoritates.

Certo, difficultates obiectivae, non spernendae et non paucae sunt, tum geographicae tum sociales et politicae, tum praesertim historicae, sed, ut mihi videtur, non sunt nimis exaggerandae et nullo in casu bono animarum anteponendae. « Animarum salus, dicit introductio schematis nostri, lex in Ecclesia Christi suprema, semper prae oculis est habenda cum de pastorali ministerio fit sermo ».

Nunc vero, existentia multarum dioecesium, quae parvae vel minimae sunt, ut, e. g. evenit in Italia, mea humili sententia, non bonum sed damnum est consideranda, etsi apparenter contrarium videri possit, et obstaculum impediens quominus verbum Dei minus difficulter diffundatur et bono animarum convenienter consulatur. Et revera:

1. Dioecesis non tantum territorium considerari debet, sed pars Ecclesiae, in qua, in unitate vitae et regiminis, Corpus Christi aedificatur. Unde tales conditiones, in primis quoad ambitum et numerum fidelium, habeat necesse est, ut finis proprius, i. e., salus animarum et bonum Ecclesiae quam perfecte assequi possit.

2. Talis finis convenienter obtineri non potest in dioecesi in qua ...[1] *a*) institutiones et opera, quae pro fructuosa vita et activitate necessaria sunt, haberi non possint; *b*) sacerdotes deficiant, nec spes affulget in posterum haberi posse; *c*) res oeconomicae non suppetant; *d*) seminarium, quod iuxta praescriptum can. ...[2], unaquaeque dioecesis habere

debet, constitui non possit, vel, si adest, nonnisi magna cum difficultate regatur, cum alumni pauci sint, praepositi plerumque non convenienter formati, ad multas occupationes et activitates saepe addicti, et aedes normis hygienicis non respondeant.

Nec aliquis dicat huic difficultati seminariis interdioecesanis vel regionalibus obvenire posse. Seminaria interdioecesana et regionalia ut remedium extraordinarium consideranda sunt, cui necessario recurrendum praecise quia dioecesis parva et ex sese impar sit. Ordinarie sacerdotes in propria dioecesi formandi sunt, sub vigilantia et paterno influxu proprii episcopi, qui pater est suorum sacerdotum. Dioecesis sine seminario, saltem minore, corpus sine corde mihi videtur; *e*) officia dioecesana constitui nequeant, aut, si constituta, nonnisi modo satis imperfecto agere possint, modernis exigentiis et normis pastoralibus minime respondente; *f*) apostolatus laicorum, qui in dies magis magisque necessarius apparet, et adsociationes sic dictae Actionis Catholicae ordinari et moderari non possint.

3. Praeterea, in parvis dioecesibus normae disciplinares et liturgicae facile relaxantur, cum deficiant idonei et efficaces collaboratores episcopus ex sese cogitur omnia facere et ita eius dignitas in pertractandis vel minimis negotiis saepe vilescit.

4. In Italia circiter tercentae dioeceses habentur, quarum multae parvae nimis, cum decem aut viginti aut triginta paroecias habeant, quae simul decem, aut viginti aut triginta milia fidelium non excedunt.

Necessitas revisionis ergo urgens est, ab ipsis fidelibus saepe exquisita, a sacerdotibus, qui bonum Ecclesiae et salutem animarum vere intendunt, admissa, ab Episcopis (saltem a maiore eorum parte) desiderata.

Circumscriptiones dioecesium in Italia circa annum mille statutae sunt. Ex tunc mutationes partiales et minoris momenti factae sunt.

Ex anno mille, per alternam omnipotentiam humanae sortis, ut verbis poetae utar, multa mutata sunt: transmigrationes populorum, magnae civitates in pagos reductae, civitates novae exortae, mores fidelium in dies mutantes, progressus technicus, mutationes geographicae, bella, etc., conditiones historicas et ambientales funditus everterunt et novas conditiones effecerunt ita ut hodiernae limites dioecesium antihistorici, antigeographici, antipastorales considerandi sunt.

Ecclesia non est tantum custos traditionum antiquarum, sed mater vigilans, organum vivens, quae modos magis aptos perquirere debet ut homines nostri temporis facilius salvi fiant.

Iamvero, necessitas revisionis pluries admissa est. Etiam in Pactis Lateranensibus inter S. Sedem et Italiam sermo fit, etsi, meo humili

iudicio, criterium revisionis ibi statutum non videtur magis idoneum, quia episcopus praefectis provinciae aequiparari non potest. Sed optata revisio nondum peracta est.

Perturbationes et seditiones vitari possunt vel saltem minui si, auditis episcopis quorum interest, programma generale revisionis, saltem per provincias, statuatur, ita ut revisio non appareat ut mortificatio quaedam istius vel illius dioecesis singillatim sumptae, sed revisio generalis ad bonum commune statuta et approbata. Iam haec disceptatio quae in hoc Concilio fit, bonum initium considerari potest pro praeparatione psychologica fidelium.

Unde concludo. Principium generale in n. 27 sancitum ad effectum deducatur caute, prudenter et gradatim utique, sed etiam cum debita et necessaria tempestivitate. Hoc postulat bonum animarum.

Ex revisione limitum dioecesium, ex suppressione dioecesium quae nimis parvae sunt et ex eorum unione alii dioecesi multa bona Ecclesiae et fidelibus obvenire possunt et obvenient.

Si mihi licet verba usurpare card. Marella in introductione istius decreti ...[3] adhibita, paulo tamen mutata, dicam: « Illud etiam notetur oportet, quod saepe certa quaedam media valde utilia et opportuna decurrente tempore comprobata sunt quae ab initio vel difficiliora vel impossibilia vel etiam noxia videbantur ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] propter exiguum fidelium et sacerdotum numerum. [2] 1354 § 1. [3] (pag. 7).

16

Exc.mus P. D. SEBASTIANUS SOARES DE RESENDE

Episcopus Beirensis

Patientissimi Patres, humanissimi Auditores et Observatores,

De divisione dioecesium et relate ad prooemium cap. IV huius schematis breviter loquar et clare.

1. *De necessitate divisionis magnarum dioecesium.* Episcopus est pastor et bonus pastor esse debet et propterea officium eius est oves suas cognoscere ut illae eum cognoscant. Praeterea, ut Iesus Christus, ita pastor bonus dicere debet et facere: « Oves meae vocem meam audiunt... et sequuntur me et ego vitam aeternam do eis ». Secundum verba haec, missio divina pastoris, apud oves suas, personalis est et per actus et contactus personales est fungenda, sive in linea instructio-

nis in ordine ad fidem, sive in linea gratiae in ordine ad vitam communicandam. Atque episcopus qui dioecesim valde magnam possidet, quoad extensionem territorii, vel quoad animarum numerum in territorio degentium, illam regere et pascere et sanctificare non poterit secundum necessitates mundi hodierni. In actualibus circumstantiis, sive propter celeritatem progressus scientiae et technicae, sive propter perfectionem instrumentorum communicationis socialis, quae velocem provocant evolutionem vitae societatis, episcopus in dioecesi nimis extensa et nimis populosa, erit sicut proprietarius dives in magno latifundio suo, in quo praecise quia latifundium est, fructus non sunt sed e contra spinae abundant. In hoc casu episcopus magnus princeps esse potest sed fortasse bonus pastor difficile erit.

Liceat mihi, modeste sed firmiter, aliquid de hac re ex propria experientia loqui. Nam, viginti annos antea, munus unius dioecesis assumpsi ut episcopus residentialis. Hodie, territorium omnino idem huius eiusdem dioecesis, per spontaneam petitionem meam apud S. Sedem, constituit tres dioeceses cum suis episcopis, in hoc sacro Concilio praesentibus. Nec propter hoc paternitatem illam, de qua satis locutum est in hac aula, ego perdidi. Et cogito illam etiam non perdere quando, in hora propria, renuntiationem meae actuali dioecesi, magna cum sollicitudine petam. Quaestio non est tantum de paternitate sed praesertim de pastoritate, et pastor senex vel *cum magna dioecesi* [1] difficile pastor bonus esse potest.

2. *De aliquibus obiectionibus contra divisionem dioecesium.* In prooemio cap. IV in linn. 8 ss., dicitur (*sunt verba ipsius schematis* [2]): « Cavendum est ne, ob nimiam territorii parvitatem etc., episcopi impares sint congruenter consulere innumeris sui gregis difficultatibus et habere sustentareque omnia officia et instituta, quae ad rectum regimen necessaria usu comprobantur ». Hoc certissimum est. ...[3] Aliqua ex istis institutis vel officiis, v. g. seminaria, tribunalia ecclesiastica, etc., ut iam fit in multis nationibus, modo spontaneo vel per determinationem S. Sedis, constituere non debemus in ordine ad unam tantum dioecesim sed in ordine ad plures dioeceses vel ad provinciam ecclesiasticam, etc. Nam talia officia vel instituta, si ad inserviendum pluribus dioecesibus constituentur, facilius est illa parari aptiora quoad sufficientiam aedificiorum, quoad personas bene et convenienter praeparatas, quoad numerum et qualitatem instrumentorum laboris et, consequenter, quoad exitum valde desiderandum et ut est desiderandum. Praeterea, quia limitati sumus ex omni parte, etiam sumus valde proclivi ad omnibus imponendum limitem et quamobrem, saepe, Ecclesiam catholicam confundimus cum dioecesi nostra, etiam si aliae multae

sint dioeceses. Ergo si officia aliqua vel instituta in linea interdioecesana eriguntur, non solum melior exitus in laboribus obtinebitur sed etiam effectus magis educativus consequetur apud populum Dei, apud clerum et etiam apud nos relate ad veram dimensionem Ecclesiae Christi.

3 et ultimo. *De aliquibus criteriis divisionum dioecesium.* Criterium divisionis dioecesium aliud esse non potest nisi maior efficacia salutis animarum. Attamen alias circumstantias prae oculis aliquando habere debemus sed non omnes quae in prooemio referuntur. Nam in citato prooemio, in linn. 21 ss., dicitur quod spectare oportet — *sunt verba ipsius schematis* [4] — « ad stirpis diversitatem, ad communitatis dioecesanae seu provincialis spiritualem cohaerentiam, ad peculiaria adiuncta socialia, oeconomica, etc. ».

Si autem in dioecesium divisione « ad stirpis diversitatem » attendimus, tunc racismus anthropologicus habebitur, et omnes homines ex quacumque natione, statu sociali, colore, veri homines sunt et omnes fratres in Christo.

Si autem « ad communitatis dioecesanae seu provincialis spiritualem cohaerentiam », in eadem quaestione de dioecesium divisione inspicimus, tunc erit racismus spiritualis, quia dioeceses pro intellectualibus et dioeceses pro non intellectualibus diversae constituentur. Et magis quam cultura animae est ipsa anima quae, in omnibus hominibus, est omnino eadem.

Si tamen in re constitutionis dioecesium prae oculis habetur « peculiaria adiuncta socialia, oeconomica... », dioeceses pro divitibus habentur diversae de dioecesibus pauperum et hoc erit racismus socialis omnino damnandus. Nam temporalia bona a Deo creata sunt ut omnibus hominibus inserviant...[5]

Omnibus his considerationibus bene perpensis, liceat mihi, Patres conciliares, aliquid vobis proponere:

a) Criterium principale et unicum in divisione et erectione dioecesium habeatur tantum maior efficacia salutis animarum.

b) Visitatio illa pastoralis dioecesium, per quinquennium, secundum ius canonicum, declaretur inactualis quia hodie, per quinque annos, mundum destruere et alium mundum aedificare possunt.

c) In re de dioecesium divisione vitetur omne illud quod racismo sapiat quia talis conceptio socialis humana non est et multo minus christiana.

d) et ultimo. Denique in problemate de divisione dioecesium et provinciarum ecclesiasticarum spectare oportet ad statum actualem societatis et ad circumstantias eius evolutionis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] magnam dioecesim possidens. [2] deest. [3] Attamen exaggerare non debemus tales difficultates. [4] deest. [5] Iterum veniam peto ut de hac re vobis dicam aliquid a me personaliter cognitum. In mea dioecesi catholici habentur africani ex multis stirpibus, sinenses, graeci, europaei, etc., qui simul et indistincte sunt in ecclesiis, in Organizationibus Actionis Catholicae, etc. Ergo.

Moderator: Audiatur secretarius generalis, qui dabit exitum suffragationum.

Secretarius generalis: Exitus primae suffragationis, nempe circa prooemium et cap. I schematis *de instrumentis communicationis socialis*:

Praesentes votantes	2.168
Dixerunt *placet*	1.832
non placet	92
placet iuxta modum	243
Suffragium nullum	1

Altera suffragatio, circa cap. II et clausulas:

Praesentes votantes	2.126
Dixerunt *placet*	1.893
non placet	103
placet iuxta modum	125
Suffragia nulla	5

Ergo duo capita Patribus placuerunt, iuxta art. 39 et art. 61, § 6 *Ordinis Concilii celebrandi.*

Statuunt tamen em.mi moderatores, usi facultate art. 61, § 7, ut nova suffragatio fiat super integro schemate proxima hebdomada, die designanda. Statuit enim haec paragraphus: « In peculiaribus casibus moderator novam potest suffragationem super integro schemate exquirere, quo in casu Patres suum iudicium proferunt schedula, adhibita formula *placet* vel *non placet* ». Ergo proxima hebdomada, die statuenda, fiet suffragatio super integro schemate *de instrumentis communicationis socialis*, cum formulis *placet* et *non placet* tantum.

Moderator: Congregatio proxima erit cras, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LXVIII
15 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXVIII

15 novembris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur disceptationem in hac 68 congregatione generali em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Aliqui Patres, ad normam art. 57, ut nostis, petierunt verba facere adhuc super cap. III. Hi sunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph Lefèbvre, arch. Bituricensis in Gallia, Radulfus Silva, arch. S. Iacobi in Chile; exc.mi DD. Ioannes Ferreira, praef. ap. Guineae Lusitanae, Elias Zoghby, vic. patr. Melchitarum in Aegypto, Michaël Ntuyahaga, ep. Usumburaënsis in Burundi.

Postea continuabitur disceptatio circa cap. IV nostri schematis. Loqui postulaverunt exc.mi DD. Stephanus László, ep. Sideropolitanus in Austria, Ioannes Velasco, ep. Sciiamenensis in Sinis, Bernardus Stein, ep. aux. Trevirensis in Germania, Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis in Gallia, Dominicus Athaide, arch. Agraensis in India, Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis in Gallia, Marcellus Gonzalez, ep. Asturicensis in Hispania, Robertus Massimiliani, ep. Civitatis Castellanae in Italia, Radulfus Zambrano, ep. Facatativensis in Columbia, Ferdinandus Romo, ep. Torreonensis in Mexico. Gratias.

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. LEFÈBVRE
Archiepiscopus Bituricensis

Venerabiles Patres,

Cum de « collegialitate » loquimur, sive agitur de collegialitate quae sub auctoritate Summi Pontificis exercetur pro universo mundo, sive de illa quae propria est episcopis in conferentia episcopali alicuius nationis, videtur adesse aliqua difficultas, quae unanimitatem impedit in nostris disceptationibus. Accidit quinimmo quod opiniones cum quadam

acerbitate in modis contrariis exponuntur, et illa serenitate prorsus carent, quae meliorem intelligentiam problematis certe praeberet.

Difficultas, quae non parvipendenda est, ex eo forsan oritur, quod iam ab initio discussionis omisimus determinare quid realiter pro nobis significaret vocabulum « collegialitas ». Ex defectu huius necessariae definitionis remanemus in aequivoco; et quia eodem vocabulo utamur dum de re diversa loquimur, impossibile est ad unitatem mentis pervenire.

Verbum « collegialitas » etenim in casu nostro nequaquam univocum esse potest. Adhibemus illud ad corpus episcopale, quod revera collegium est, eo sensu quod membris constat quae capiti uniuntur, et una cum eo decisiones in solidum ferre possunt quae universam Ecclesiam obligant. Hoc accidit v. g. in Concilio oecumenico a Summo Pontifice convocato, qui ei praeest et eius decisiones confirmat. Tale Concilium, cum omnibus suis membris et sub auctoritate eius capitis, auctoritatem supremam retinet in Ecclesia.

Hoc tamen accurate notandum est, quod in oppositione cum omnibus collegiis quae in institutionibus mere humanis apparent, collegium nostrum episcopale distinctionem praebet inter caput et membra, quae minime adaequata dicenda est. In hoc collegio episcopali, cuius auctor ipse est Filius Dei, Romanus Pontifex auctoritatem supremam desuper acceptam, titulo prorsus personali detinet. Profecto, a corpore episcopali, auxilio Spiritus Sancti suffulto, suggestiones et consilia *recipit,*[1] tamquam iuvamen in suo labore et lumen in decisionibus statuendis. Sed quia et ipse modo eminenti et prorsus singulari a Deo assistitur in expletione suae missionis universalis, nullo modo a collegio sibi submisso dependet, cum aliquid decernit.

Aliunde ipsum collegium episcopale nullam firmitatem habet nisi in eo qui eius est et fundamentum et caput. Si Christus Dominus illi collegio mandavit, fidem christianam ubique terrarum diffundere, et illi potestatem contulit, animas pascendi in veritate Evangelii, hoc fieri non potest nisi in unione perfecta cum Romano Pontifice et sub eius plena auctoritate. Profecto, per consecrationem episcopalem, ut credimus, episcopus aggregatur corpori episcoporum et, *ut membrum collegii,*[2] missionem suam sicut etiam et potestatem accipit. Haec autem missio et haec potestas *collegii,*[3] ex iure divino accepta, sub dependentia remanent capitis corporis episcopalis, *scil. Romani Pontificis*[4] qui earum extensionem vel applicationem determinare et definire omnino potest.

Agitur ergo in casu nostro de *collegialitate* ex origine divina et supernaturali, in qua habitualis conceptus noster collegialitatis transcenditur, et hic in sensu solummodo analogico adhibetur.

Quapropter, mea humili sententia, collegialitas episcopalis de qua

disceptatur, non potest congruenter definiri simpliciter terminis mere iuridicis, ut sunt termini potestatis vel iuris. Imprimis definiri debet terminis, qui responsabilitatem, curam, officia, servitium, missionem, et summatim caritatem et amorem secumferunt.

Ex voluntate Christi Domini, omne corpus episcopale capiti suo rite unitum coram Deo in solidum responsabilitatem sustinet missionis salutis animarum et totius mundi. Exinde sequitur quod unusquisque episcopus etiam curam habere debet, ultra limites propriae dioecesis, de universa Ecclesia, ut eam adiuvet in sua missione perfecte explenda. Ideoque promptus esse debet, bonum secundarium Ecclesiae suae particularis sacrificare bono communi Ecclesiae universalis.

Quis non videt quod sub huiusmodi respectu, qui mihi rectissimus apparet, auctoritas Summi Pontificis minime timere debeat collegialitatem recte intellectam? Quinimmo, cum hac collegialitate auctoritas Romani Pontificis facilius et uberius exerceri poterit.

Post breves has considerationes quae, ut spero, ad problemata nostra dilucidanda paulisper conferent, opto in mea conclusione ut valor analogicus vocabuli « collegialitatis » in lucem clariorem ponatur, et consequenter ut collegialitas episcopalis modo quam maxime perspicuo definiatur, secundum suam veram naturam, in unione cum successore Petri et sub eius auctoritate. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] recipere potest. [2] deest. [3] deest. [4] deest.

2

Rev.mus P. D. IOANNES FERREIRA
Praefectus Apostolicus Guineae Lusitanae

Em.me Praeses, venerandi Patres, clarissimi Periti, Auditores atque Observatores,

...[1] Specificam quaestionem cap. III attinentem pertractabo, et quidem, tenore art. 57 § 6 Ordinis Concilii, nomine *aliquorum Patrum numero 31,*[2] ex quibus 20 episcopi, 3 praelati nullius, 2 abbates nullius et 6 praefecti apostolici loquor.

Quaestio est de Ordinariis locorum non episcopis.

...[3] Schema decreti *de episcopis,* titulo, capitibus et re totum est paratum pro episcopis. Ex alia autem parte, ut ubique apparet, paradoxali modo, spiritus decreti potius potestatem iurisdictionalem seu regitivam quam Ordinis attingit, eaque potestate iurisdictionali etiam alii, Ordine

episcopali non insigniti, participant. Ex his necessitas oritur aliquid breviter sed expresse dicendi de re coram Patribus.

...[4] N. 19 cap. III, revera, quamquam de episcoporum coetu loquatur, admittitur competere omnibus Ordinariis locorum cuiuscumque ritus conferentiis interesse. Implicite admittitur quod in eadem natione, in eadem regione et inter nationes desideratur *cohaesio pastoralis et regiminis* ac ecclesiasticae disciplinae unitas, inquantum possibile ...[5]. Implicite admittitur etiam quod pro fructuosa et efficaciori promotione et ordinatione rei catholicae, collegialis conferentia iuvat ...[6]. Unitas ergo petit ut omnes Ordinarii locorum alicuius regionis conveniant pro bono communi Ecclesiae tractando.

Exinde sequitur quod si schema « omnes Ordinarios locorum » in coetibus episcoporum admittit, tunc ipsum schema intelligit istos « coetus episcopales » tantum *sensu pastorali* seu iurisdictionali, non sensu plenitudinis Ordinis. Illo sensu admittuntur Ordinarii locorum non episcopi in « coetibus episcoporum ».

...[7] Ergo ex n. 19, « coetus episcopales » non possunt esse integre « episcopales » quoad personas sensu Ordinis, sed tantum sensu pastorali. Datur in ipsis proinde, sive iurisdictio episcopalis sive quasi episcopalis, propria pro quibusdam, vicaria pro aliis. Sunt de facto regiones ubi circa 50 ex cento praesulum non sunt episcopi (in Republica Centri Africani, v. g.), *adsunt etiam regiones* [8] ubi 40 ex cento non sunt episcopi (Respublica Senegalensis, v. g.).

Haec observatio momentosam quaestionem ponit de subiecto schematis iure actuali inspecto. Sunt ergo episcopi, sed in quantum *pastores animarum,* qui cum aliis pastoribus, coadunantur in conferentiis. Est *notio pastoris et regiminis,* sicut iam declaravit em.mus card. Döpfner, quae est in causa in toto schemate. Ergo si de veris pastoribus loquimur, i. e. de episcopis, obliviscendi non sunt *alii pastores,* sensu ordinario vicario, qui etsi potestate ordinis careant eadem onera fundationis, promotionis et conservationis Ecclesiae habent.

...[9] Loquor in specie de praefectis et administratoribus apostolicis, de praelatis et abbatibus nullius et de aliis de quibus can. 198, quando non sunt episcopi.

Hoc in Concilio sunt centum viginti duo Patres non episcopi qui sunt Ordinarii locorum, in qua qualitate « coetibus episcopalibus » suarum regionum vel nationum vi muneris pastoralis participant et erga quos *schema valde avarum est.* Quia ipsi benemeriti pastores sunt in exstruendo corpore Ecclesiae, valde exoptatur ut doctrina et disciplina mutue praestantibus, perfectior ordo iuridicus eis paretur, ut modo ordinario proprio functiones pastorales exerceant.

...[10] Certe quod in iure et disciplina actuali quidam sunt « contrastes » inter theologicos aspectus episcopalitatis et disciplinam iurisdictionis. Adest, v. g. in episcopo titulari potestas Ordinis episcopalis cum carentia, *generatim,*[11] iurisdictionis; in praefecto apostolico adest potestas iurisdictionis ad instar episcopi cum carentia potestatis Ordinis episcopalis. I. e., in primo casu datur quaedam affirmatio essentiae episcopalis cum negatione exsistentiae iurisdictionalis (episcopus titularis) et in secundo casu (praefectus apostolicus) affirmatio exsistentiae iurisdictionalis cum negatione essentiae episcopalis.

Ad propositionem venio.[12]

Proponitur ergo ut *notio pastoralitatis* episcopalis in schemate prolata pro episcopis, propria paragrapho, servatis de iure servandis, in emendatione textus decreti introducatur, pro Ordinariis locorum non episcopis de quibus can. 198, *et ubi titulus habetur « de episcopis et de regimine dioecesium », mutetur sic: « de episcopis ac de aliis Ordinariis locorum necnon de dioecesium ac territoriorum ecclesiasticorum regimine ».*[13]

Si novum ius praevideatur pro ipsis, expresse in schemate dicatur quaestio reservari novo ordini iuridico. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] 1. Quaestio. [2] 31 Patrum. [3] 2. Lacuna. Relatio inter propositum schematis et quaestionem. [4] 3. Punctum a quo. [5] (cf. n. 17). [6] (ib. n. 17, lin. 7). [7] 4. Coetus episcopales sub respectu pastorali. [8] deest. [9] 5. Pastoralitas ordinaria vicaria aliorum Ordinariorum de quibus in can. 198. [10] 6. Postulatur revisio subiecti schematis ex implicationibus pastoralitatis deducta. [11] deest. [12] 7. Propositio. [13] deest.

[*Subscripserunt etiam*] Jerome Weber O.S.B. AN Münster; Walter Coggin O.S.B., AN Belmonte; Florentinus Armas, PN Chota; Iucundus M. Grotti O.S.M., PN; Redemptor M. Gauci, O. Carm. PN; J. Roméo Gagnon, ep. Edmundstonensis; Alonso Arteaga, ep. aux. Popayàn; Manuel Antonio Pires, bispo Silva Porto; Joâo, bispo de Leira; Sebastiâo, bispo de Beira; José Vieira Alvernaz, arc. Goa; Daniel, ep. Nova Lisbona; Joâo, aux. de Viseu; Franciscus Rendeiro OP, ep. Fàro; Paulo Tavares, bispo Macau; Felix Niza Ribeiro, bispo Tete; Pompeu Seabra, ep. Malanje; Moyses Alves de Pinho, arch. Luanda; Manuel, ep. Aveiro; Ernesto, ep. Inhambane; Iosephus, ep. tit. Aegeaensis; Emmanuel a Iesu Pereira, aux. Conimbrensis; Ernestus, arch. ep. Conimbrensis; David, ep. Funchalensis; Francisco, bispo de Quelimane.

3

EXC.MUS P. D. ELIAS ZOGHBY

Archiepiscopus tit. Nubiensis
vicarius patriarchalis Melchitarum in Aegypto

Venerabiles Patres,

De conferentiis episcopalibus resumere liceat sententiam meam in quatuor notationibus, de quibus quaedam momentum oecumenicum praebent.

1. Ecclesia romana obligatur erga orientem orthodoxum cum, per decem saecula unionis, eius regimen collegiale ac synodale non solum agnovit sed etiam, una cum eo, reapse exercuit. Etenim, praeter maiora Concilia oecumenica, ubi adunarunt episcopi orientis et occidentis, Romano Pontifice sine lite praesidente, Ecclesia romana saepe commutavit cum Ecclesiis traditionalibus et apostolicis orientis litteras synodales de rebus Ecclesiarum localium et Ecclesiae universalis tractantes.

In nostris temporibus ubi Ecclesia catholica magis accessibilis fieri conatur cum oriente orthodoxo et colloquio oecumenico sese parat, Concilium Vaticanum II proponere nequit Ecclesiis orientis aliud regimen ecclesiasticum quam regimen synodale, i. e. conferentias episcopales quae vera auctoritate iuridica pollent. Alioquin, si loqueretur ...[1] de conferentiis mere consultativis, ianua clauderetur ad ulteriorem dialogum.

2. In Ecclesiis catholicis ritus orientalis, synodi seu conferentiae episcopales, ab omni vera potestate iurisdictionis spoliatae sunt. Illarum potestas nunc pertinet de facto ad Congregationem pro Ecclesia Orientali. Haec congregatio munere pseudo-patriarchatus fungitur.

Verum est sex patriarchas nuperrime designatos fuisse ut membra adiuncta, huius Congregationis, quae iam habet circa triginta membra, omnes cardinales. Ista solutio, ut patet, est inefficax, non honorabilis ac non oecumenica. Si enim patriarchae, qui sunt de iure praesides eorum Synodorum, habentur nisi ut membra secundaria, in numero tam minore, in quadam Congregatione cuius munus est regere ipsorum patriarchatum, de facto regimen synodale omnino condemnatur.

Huic Congregationi pro Ecclesia Orientali substitui oporteret aliquod organismum collectivum, cuius membra essent delegati a Synodis, seu conferentiis episcoporum ritus orientalis.

3. Episcopi quidem pastores sunt et primi responsabiles actionis catholicae ac omnis apostolatus, speciatim laicorum. Attamen hic aposto-

latus iam circumscribi nequit a finibus paroeciarum nec dioecesium sed spectat magis ac magis ad nationem et universam terram. Atqui, nisi episcopatus potestate collectiva polleat, certo non potest sese exaequare cum actione ordinanda apostolatus laicorum tum in natione tum in universo.

4 et ultimo. Contra episcoporum conferentias, potestate iurisdictionis praeditas, obiicitur in hac aula periculum nationalismi. Hoc periculum quidem *adesset si nationalismus esset exclusivus et centralizans, secus* [2] aliquid positivum prae se fert. Etenim, in nostris temporibus, nationalismus non tam obstat bono universali sed potius principium evenit locupletationis pro tota societate humana. Dum resurgunt novae nationes et ad libertatem accedunt, incoalescunt etiam varia genera coetuum internationalium quorum omnes nationes in aequalitate participes fiunt. Nonne fierent pastores Ecclesiae minus audaces et minus aperti quam gubernatores nationum? Dixi.

In textu scripto tradito: [1] in oriente. [2] adest, sed etiam.

4

EXC.MUS P. D. MICHAËL NTUYAHAGA
Episcopus Usumburaënsis

Venerabiles Patres,

Breviter loquar et quidem [1] nomine conferentiae de Ruanda et Burundi loquor.

Quae dicta sunt de conferentiis episcoporum in cap. III huius schematis nobis generaliter placent.

1. Assentimus rev.mis Patribus qui locuti sunt in favorem exsistentiae conferentiarum episcoporum.

Fundamentum doctrinale huius consensus nostri videtur esse debere in *eo quod, ita ordinante suprema Ecclesiae auctoritate, potestatem suam episcopalem, propriam scil. et ordinariam, quibusdam in casibus determinatis episcopi collectivo modo seu collective exerceant.*[2] Etiam motiva pastoralia nobis argumenta sunt, ut optemus exsistentiam conferentiarum nationalium, regionalium vel internationalium. Necessarium est enim propter bonum animarum quod actio pastoralis coordinetur et aliquam uniformitatem habeat in determinatis regionibus. Insuper conferentiae episcoporum praebent medium optimum diversis episcopis particularibus *sibi mutuum consilium* [3] praestandi et experientias pastorales

communicandi. Hoc mutuum adiuvamen inter episcopos perutile est, quia interdum episcopus particularis caret mediis necessariis ad enucleanda omnia et diversa problemata pastoralia.

Exempla nobis sint: multiformes organizationes nationales et internationales, quae in rebus mundanis institutae sunt ad efficacius suos fines proprios prosequendos.

2. Rogamus ut limites geographici diversarum conferentiarum definiantur secundum desiderium episcoporum quorum interest.

Diversitas in limitatione conferentiarum episcoporum necessaria est ut conferentiae sint instrumenta apta ad solvenda problemata communia regionibus determinatis. Ratio non minoris momenti huius diversitatis est quod adsit in omni conferentia numerus sufficiens peritorum in scientia theologica, in iure canonico et in aliis scientiis pastoralibus.

3. ...[4] Conferentiis hoc modo determinatis convenit statutum iuridicum a iure canonico sancitum; sic conferentiae episcopales evadent elementum insertum in structura organica Ecclesiae.

4. Optamus insuper, ut conferentiae episcopales sic constitutae habeant potestatem iuridicam realem in determinatis casibus. Hi casus maioris momenti definiri deberent a Concilio ipso vel a *Summo Pontifice quippe qui cum supremam in Ecclesia habeat potestatem, exercitium potestatis episcopalis moderari valet.*[5] Sperare audemus quod haec potestas iuridica erit in sensu decentralizationis, ita ut quaedam potestates usque nunc reservatae Dicasteriis Romanis *ad competentiam pertineant*[6] conferentiarum episcopalium. Exemplum nobis sit determinatio impedimentorum ad matrimonium ineundum. Salvo iure naturali et divino haec impedimenta diversa esse deberent in nostris regionibus Africae ac in aliis regionibus. Aliud exemplum est in rebus liturgicis, ut iam optime in schemate ipso *de Liturgia* dictum est.

Et hae sunt, venerabiles Patres, nostrae propositiones quas vestro iudicio humillime submittimus. Vobis gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] collegialitate episcoporum quatenus sunt successores apostolorum. [3] se mutuo consilio. [4] Diversis. [5] commissionibus postconciliariis et a commissione de iure canonico reformando. [6] transferantur competentiae.

Moderator: Nunc transitus fit ad cap. IV « De dioecesium... congruenti circumscriptione ».[1]

---

[1] Cf. p. 210.

5

EXC.MUS P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ
Episcopus Sideropolitanus

Venerabiles Patres conciliares,

Quia haec, quae in textu praesenti nempe cap. IV continentur, tum quoad rem cum quoad valorem circumscriptionis ecclesiasticae incompleta mihi esse videntur et etiam observationibus usque adhuc prolatis nondum sunt completa, liceat mihi sequentia exponere:

1. In prooemio cap. IV dicuntur sequentia: « Quo melius cleri populique christiani bono, etc. prospiciatur, apta et congruens curanda est dioecesium circumscriptio ». Postea causis expositis statuitur, ut dioeceses magnae dividantur ...[1], parvae e contra uniantur, supprimantur aut ex pluribus nova dioecesis constituatur.

2. Verum est, dispositiones uti supra novas esse. C.I.C. de his nihil saltem expresse continet et ergo sunt laudandae. Nihilominus autem mihi tantum iuxta modum placent, et quidem:

a) quia haec dispositio nihil aliud reddit quam spiritum iuris usque adhuc vigentis, qui in hac re nimis individualisticus est. Dioecesis secundum ius vigens est aliqua pars Ecclesiae, ab alia totaliter separata, cum proprio pastore, qui tantum pro hac regione responsabilitatem habet et alium pastorem ad normam iuris ab hac totaliter eximit. Sine dubio constat, hanc circumscriptionem, praesertim congruentem ...[2], utilem et necessariam esse, sed nimis individualistice sumptam hunc scopum non semper assequi;

b) quia haec dispositio non omnes casus respectivos complectitur. Nemo nescit ea, quae ibi statuuntur saepe impossibilia aut fere impossibilia esse ex una parte, ex altera si exsequerentur, non illum scopum assequerentur, quem prosequuntur. Multa exempla ibi proferri possint, praesertim ea ubi divisio possibilis esset, quod territorium aut fideles attinet, *et etiam necessaria,*[3] non autem quoad sacerdotes, qui saepe desunt. Praesertim quod ea ultima attinet, sit mihi permissum adhuc aliqua addere.

Prae oculis habeo aliquam compositionem Patrum conciliarium sectoris nostri in hac aula, ad quem etiam ego pertineo, et quam assignator noster nobis praebuit, pro qua ei gratias ago. Quae compositio continet nomina Patrum, necnon numerum eorum fidelium et numerum sacerdotum harum dioecesium. Hic aliqua exempla *tantum: e. g. in Irlandia ad unum sacerdotem veniunt 700 fideles; in Gallia, 1.300; in Austria,*

1.000; in Iugoslavia e. g., fere 4.000 fidelium; in America Septemtrionali est simile; in America Meridionali, ad unum sacerdotem e. g. in Brasilia fere 6.000 fidelium, in Panama, fere 5.000; in Republica Dominicana, ad unum sacerdotem 13.000 fidelium, et ita porro, et hic essent etiam alia exempla ex Africa et Asia.[4]

Quam magna differentia inter dioeceses! Quam necessarium est his dioecesibus in auxilium venire, ubi relate ad fideles tam pauci sacerdotes sunt! Ibi non profert nova circumscriptio, sed potius, ut spiritus collegialis istius corporis episcoporum aliquam *saltem* [5] concretizationem recipiat et quivis a nobis non tantum pro sibi circumscripta regione, i. e. pro sua dioecesi se responsabilem sciat, sed etiam pro aliis regionibus Ecclesiae.

Nolo repetere ea, quae hesternis diebus tam bene ab aliquo episcopo gallico dicta sunt de missione et de iurisdictione episcopi, quae una nempe se refert saltem aliquo modo ad totam Ecclesiam, altera e contra, ad ecclesiolam episcopo concreditam. Nolo etiam oppugnare ea, quae in iure vigente dicuntur de episcopo eiusque responsabilitate pro sua dioecesi. Idem autem episcopus non est tantum caput alicuius dioecesis, sed eodem modo etiam membrum corporis episcoporum, quod autem eum in relationem profert ad totum corpus Ecclesiae et eum aliquo modo saltem responsabilitate pro toto, etiam ut caput certae ecclesiolae, gravidat, praesertim pro iis partibus, qui adiutorio egent. In hoc sequor ea omnia quae hodie em.mus card. Lefèbvre *iam* [6] dixit.

Circumscriptiones ecclesiasticae ergo rectum ordinem in Ecclesia statuunt, quin eius unionem tangant, et si tribuunt responsabilitatem pro aliqua parte, non sumunt eam totaliter pro aliis partibus eiusdem Ecclesiae. Necesse ergo est, ut iste conceptus individualisticus dioecesis qui adhuc in iure vigebat suppleatur alio conceptu, qui collegiali characteri muneris episcopalis correspondeat. Ita tantum secundum meam opinionem vere cleri populique christiani bono et etiam recto dioecesium regimini prospici potest. Propono ergo:

1. Ut in prooemio non tantum sermo fiat de episcopis qui ob nimiam territorii amplitudinem vel parvitatem impares sunt officia sua adimplere et ideo eorum territoria nova circumscriptione egerent, sed etiam ii episcopi includantur, qui ob aliquas causas graves, praesertim ob nimiam sacerdotum penuriam, munera sua congruenter exercere nequeunt, qui proh dolor non sunt pauci.

2. Ut nova paragraphus, et quidem prima conficiatur, quae bene determinet valorem circumscriptionis ecclesiasticae, praesertim in sua duplici relatione ad episcopum ...[7] ut caput talis circumscriptionis et pari modo ut membrum corporis episcoporum ...[8]. Quae quidem circum-

scriptio responsabilitatem pro certa parte creat, sed non eam sumit pro toto corpore Ecclesiae. Ex hac determinatione postea deducentur principia pro congruenti circumscriptione ecclesiastica, sed non minus etiam pro congruenti provisione harum dioecesium quae praesertim adiutorio aliorum egent et ubi vita ecclesiastica tantum cum auxilio totius Ecclesiae se evolvere potest. Si peritiores id non melius faciant, conor textum congruentem conficere et secretariatui generali tradere. Dixi. Gratias maximas.

In textu scripto tradito: [1] dismembrentur aut novo ordine disponantur. [2] ad cleri populique christiani bonum multis ex rationibus. [3] deest. [4] (folium separatum). [5] deest. [6] in alia connexione. [7] qui. [8] remanet.

	Fideles	Sacerdotes	Sac./Fideles
Europa			
Rotterdam (Nederl.)	739.000	1.061	1/700
Meaux (France)	475.000	360	1/1.300
Eisenstadt (Austria)	231.000	246	1/1.000
Baćka (Jugoslawia)	400.000	106	1/3.900
Lugo (España)	399.000	836	1/480
America			
Sacramento (USA)	225.700	228	1/1.000
Spokane (USA)	64.000	196	1/330
Corumba (Brasil.)	165.000	28	1/5.900
David (Panama)	200.000	43	1/4.900
S. Juan Mag. (Dom.)	430.000	32	1/13.000
Concepción (Parag.)	180.000	28	1/6.000
Araucania (Chile)	370.000	83	1/4.500
S. Nicolás (Argent.)	493.000	71	1/7.000
Barranquilla (Colomb.)	585.000	95	1/6.000
Africa			
Antsirabe (Madag.)	179.000	43	1/4.000
Kikwit (Congo)	386.700	132	1/3.000
Togo (Afr.)	21.800	12	1/1.800
Asia			
Davao (Philipp.)	516.000	89	1/5.700
Palawan (Philipp.)	120.900	30	1/4.300
Kagoshima (Japan)	7.000	35	1/200
Vellore (India)	39.300	76	1/500

6

EXC.MUS P. D. IOANNES B. VELASCO
Episcopus Sciiamenensis

Venerabiles Patres,

Qui in isto instante loquitur vobis, per octo plus annos laboravit cum emigrantibus sinensibus in Insulis Philippinis. Forsan haec observatio alicuius momenti erit ad vitanda multa scandala quae forsan ex dicendis orientur.[1]

...[2] Quae sub isto nostri schematis n. 31 disponuntur quamdam innovationem prae se ferunt eo quod nihil hac de re in C.I.C. habeatur. Novitas haec nobis valde placet, quinimmo et necessariam existimamus omnino ad melius providendum saluti animarum.

Sed quare in decreto nulla mentio fit de erectione dioecesium ratione diversae linguae aut diversae stirpis? Cuius quaesiti et admirationis ratio haec est: quod scil. in capite sequenti, quinto nempe, sub n. 36 ubi agitur de erectione paroeciarum personalium, paroeciae « diversi sermonis, aut ritus, aut stirpis » explicite nominantur. Quare igitur *paroeciae* huiusmodi explicite nominantur, *dioeceses* e contra, silentio premuntur?

Statim atque libentissime admitto aliud esse paroecias ratione sermonis, ritus, stirpis, aliud vero istiusmodi erigendas dioeceses. Rationes enim quae militant pro erectione dioecesium personalium, attenta diversitate rituum, maiores atque praestantiores procul dubio esse debent illis militantibus pro institutione personalium dioecesium, attenta diversitate vel sermonis vel stirpis.

Verumtamen et omnes etiam admittere debent fundamentalem rationem, personalium dioecesium, attenta rituum diversitate, institutionem suadentem, eamdem quoque esse seu valere pro instituendis dioecesibus personalibus ratione stirpis vel linguae, scil.: *ad melius providendum bono animarum,* ceteris quibuslibet posthabitis. *De hoc multi Patres iam locuti sunt in hac aula; regula prima suprema: salus animarum.*[3] Potius ergo dicendum in nostro casu agi non de diverso motivo, non de diversa essentiali ac fundamentali ratione, sed tantum de diverso gradu seu extensione, cum in primo casu, de paroeciis, in altero autem, de dioecesibus agatur.

Quod si iam nunc veniamus ad difficultates exponendas, *quae difficultates in mentibus vestris nunc sunt,*[4] quae in praxi ac diversis in locis *de cetero* [5] oriturae sunt vel saltem oriri poterunt ex harum personalium

dioecesium erectione, animadvertendum est easdem difficultates eiusdem gradus ac naturae esse pro utroque casu: pro erigendis illis personalibus dioecesibus ac pro erectis personalibus paroeciis pro diversitate sermonis ac stirpis.

Prima, etenim, eaque maxima difficultas, ut remur, esset illa proveniens ex indole civilis prudentiae, quam vulgo *politicam* dicimus, ex nimio sensu, ex nimia sensibilitate sic dicta *nationalistica*.

Secunda difficultas autem, utrique institutioni communis, esset illa quasi divisio et multiplicatio ecclesiasticarum auctoritatum in una eademque territoriali ditione, quae regiminis unitatem, monarchiam nempe, vel everteret vel saltem minueret.

Procul dubio clarissimos huius schematis auctores has difficultates earumque congruas solutiones prae mente habuisse quando ipsi ad huius schematis finalem pervenerunt redactionem, in qua schematica redactione nobis facta fuit facultas personalium dioecesium, ratione ritus, erectionem discutiendi atque eventualiter adprobandi. Forsitan et tales auctores cogitarunt proponendi erectionem personalium dioecesium etiam ratione stirpis vel linguae; sed ausi ipsi non fuerunt, idque ob diversas praevisas complicationes.

Vellem, *rev.mi Patres,*[6] nunc conari etiam nostrorum scrupula hac de re e medio tollere, sequentia in mentem omnium revocando:

a) Agitur in nostro casu de gentibus sic dictis emigrantibus ex una natione in aliam, quae gentes sane sive ob ingentem numerum illarum, sive ob earumdem propriae stirpis indolem, sive tandem ob alias causas, diuturne quasi hospites apud patriam non suam manent, levi — etsi aliqua — spe suffultae assequendi aliquam integrationem cum populo apud quem inveniuntur.

b) Fere omnes nos testes sumus eosdem immigrantes vel emigrantes pati irreparabile damnum quoad fidem patrum suorum, idque etiam ob defectum spiritualium pastorum, qui peculiarem curam eis porrigant. *Audivimus nuper in ista aula aliquem Patrem loquendo de conditione miserrima, periculosa Hibernorum vel Irlandensium in Anglia. Quidquid sit, credo, rev.mi Patres, quod situatio emigrantium non totaliter capta fuit a nobis. Verum, verissimum est, existimo, ubique terrarum psychologia emigrantium est psychologia peculiarissima; uno verbo*: *emigrantes, qui e locis suis et patriis suis, boni catholici, boni christiani exeunt, revertuntur pagani.*

Ergo — campanula iam sonavit! — mens, mens Exsul Familia *Pii Papae XII necnon* Pacem in terris *Ioannis XXIII amplissime, etsi implicite, favent institutioni harum dioecesium personalium.*[7]

e) Hoc nostrum Oecumenicum Concilium *habet effatum supre-*

mum [8]: salus animarum suprema lex. *Ergo si seligere debemus* [9] inter duo extrema, in casu nostro inter salutem et bonum animarum ex una parte, ex altera vero considerationes indolis humanae, praeiudicia nationalistica, ipsa materialia bona, etc., etc., nullum pro nobis adest dubium, primum, i. e. animarum bonum, ceteris aliis praeferendum esse, ulla absque vacillatione. *Ne cadamus in isto legalismo toties condemnato in ista aula* [10]*!*

Hisce praelibatis, mature perpensis, vobis conciliaribus Patribus opportunum existimo proponere ut in n. seu art. 31 huius schematis ad verba « dioeceses personales ratione ritus » et haec alia adiungantur « et ratione stirpis ». Idemque fiat in toto corpore articuli.

Erectione [11] harum personalium dioecesium ratione stirpis normis sequentibus subiciatur — *sentite bene* [12]:

1. Erigantur una vel plures ubi emigrantium numerus id suadeat atque urgens necessitas requirat, auditis locorum Ordinariis respectivae ditionis seu illius territorii.

2 (*praecipua* [13]). Episcopi electi ad has personales dioeceses regendas numquam sint eiusdem stirpis seu nationis ac emigrantes, *numquam sint, repeto, eiusdem nationis ac emigrantes, sed ex nationalibus ubi isti emigrantes degunt.* [14]

3. *Sacerdotes possunt esse sive ex natione propria vel sive ex natione emigrantium.* [15]

4. Quoad cetera omnia has personales dioeceses ratione stirpis respicientia, eaedem dioeceses illis normis regantur ac dioeceses personales ratione ritus erectae... [16]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] 1. *Observationes ad totum cap. IV in genere.* Quae hoc in cap. IV dicuntur minus utilia nobis videntur eo quod fere omnia iam sint in rectam praxim deducta perantiquo modo sese hac de re gerendi Apostolicae Sedis necnon eo quod eadem nullam afferant adaptationem disciplinae nunc vigentis hodiernis necessitatibus. Et cf. C.I.C. can. 215 ss. ac correlativos. Unde casu quo aestimaretur mentionem faciendam de illis sub nn. 27-30 contentis, tenerem hoc negotium paucis quidem verbis ac sub unico numero vel articulo absolvendum esse. Etiam quae n. 32 continentur minus utilia nobis apparent, cum iam S. Sedes, Nuntiorum ac Delegatorum apostolicorum ope, illis omnibus aeque prudenter ac congruenter semper consulat, nisi forte horum omnium totalis abolitio in mente redactorum schematis iam erat, quod, sane, aliquid nimis periculosum ac imprudens nobis videtur. 2. *Observationes* ad n. sive art. 31. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] autem. [7] *c*) Quando agitur de emigrantibus, qui adhuc in infidelitate sunt, fere nulla adest spes pro ipsorum ad fidem conversione ubi specialis et quasi exclusiva cura de ipsis non habeatur; *d*) Dispositiones et mens tum Apostolicae Constitutionis *Exsul Familiae,* cum Encyclicae epistolae *Pacem in terris,* Romanorum Pontificum Pii XII ac Ioannis XXIII, huic nostro voto

amplissime, etsi implicite, favent. In prima, enim, agitur, et quidem praevalenter, de modo atque mediis providendi melius quo possibile, spirituali bono emigrantium; de instituendis in diversis regionibus specialibus missionariis, de erigendis personalibus paroeciis a personalibus item parochis vel sacerdotibus peculiariter ad hoc deputandis, regendis. In Encyclica *Pacem in terris* multa quoque dicuntur et de iuribus emigrantium spiritualibus, et de spirituali cura iisdem praebenda necnon de adiutorio illis ubique praestando. [8] tanquam supremum principium habet hoc pastorale effatum, scil. [9] principium ceteroquin tantopere in hac aula repetitum. Consequenter, ubi et quoties eligendum sit. [10] deest. [11] Erectio autem. [12] deest. [13] deest. [14] sed semper cives illius nationis in qua tales dioeceses erunt erigendae. [15] Sacerdotes autem personalibus hisce dioecesibus destinati, esse possunt sive eiusdem stirpis ac emigrantes sive ex eadem natione ubi iidem emigrantes commorantur, modo tales sacerdotes horum linguam vere calleant et cum ipsis faciles possint vitae necessitudines colere. [16] congrua attamen congruis referendo.

Moderator: Loquatur nunc exc.mus D. secretarius generalis.

Secretarius generalis: Velint attendere Patres! Dominica proxima, mane, hora 9, Summus Pontifex solemniter transferet in ecclesiam S. Clementis reliquiam S. Cyrilli, qui est in eadem ecclesia S. Clementis una cum S. Methodio sepultus. Habebitur dein Cappella Papalis. Vespere autem, in hac Basilica S. Petri, Summus Pontifex venerabitur novum Beatum Vincentium Romano.

Nunc attendant Patres; est aliqua communicatio magni momenti.

Feria II proxima inchoabitur suffragatio circa modos a Patribus exaratos de schemate *de sacra Liturgia.* Uti Patres meminerunt, omnia capita *de S. Liturgia* probata sunt per maioritatem requisitam, exceptis duobus, nempe II et III, in quibus modi oblati a Patribus non siverunt, non permiserunt ut maioritas requisita attingeretur. Ergo iuxta Ordinem Concilii celebrandi procedetur ad examinandos modos et suffragia de iisdem ferenda.

Attamen commissio de sacra Liturgia, multa navitate, voluit expendere, examinare etiam modos datos circa alia capita, si quid forsan esset quod meliorem redderet textum et Patribus item pluribus placeret. Itaque hodie distribuetur fasciculus continens modos de prooemio et de cap. I. Sed attendatis, venerabiles Patres: prooemium et cap. I iam probata sunt. Hoc quod exhibetur est studium commissionis liturgicae, quae exhibet Patribus modos oblatos, etiam ab uno Patre, et responsionem dat.

Fiet igitur una suffragatio — modo qui praescribetur a moderatoribus, vel per schedulas vel per erectionem et sessionem — ut comperiatur utrum Patribus placuerit hoc studium vere diligens et exactum commissionis liturgicae. Et videtis in prima pagina huius fasciculi quaesi-

tum generale: « An placeat expensio facta a commissione conciliari *de sacra Liturgia* circa modos prooemium et cap. I respicientes ».

Commissio liturgica vult ut Patres significent quaenam fuerit acceptio huius studii; sed per se, iuxta Ordinem Concilii, haec suffragatio necessaria non est quia prooemium et cap. I sunt iam probata per longam maioritatem votorum. Aliud erit e contra quando examinabuntur modi de cap. II et III; tunc bene dicentur, bene exponentur modi, et de iisdem suffragatio fiet modo solito, nempe per schedulas cum *placet* et *non placet*.

Hodie igitur distribuetur fasciculus continens hoc studium vere egregium, ut potestis vos ipsi videre, commissionis liturgicae, et feria II fiet haec suffragatio quasi approbationis huius studii, modo qui determinabitur a moderatoribus. Postea distribuentur alii fasciculi et aliae normae dabuntur.

Puto hoc quod dixi clarum revera fuisse. Gratias.

Moderator: Gratias agimus secretario pro sua claritate.

7

Exc.mus P. D. BERNARDUS STEIN

Episcopus tit. Dagnensis, aux. Trevirensis

Venerabiles Patres,

Locuturus sum circa art. 27 § 1, scil. pag. 20, linn. 27-29.

1. Textus huius paragraphi bene quidem perpensus videtur, accuratius autem perspicienti non omnino placere potest. Nam nimis generice de magnis dioecesibus statuitur, ut dividantur, etsi nonnulla verba restrictiva adhibeantur et divisio poscatur pro dioecesibus « nimis » magnis. *Sed quaerendum est,*[1] quando dioecesis nimis magna dicenda sit? Ex discussione ad cap. II huius schematis opinio oriri debuit, eas dioeceses iam nimis magnas haberi, in quarum regimine episcopi egeant adiutorio unius vel plurium auxiliarium. Valde autem timendum est, ne Ecclesiae damno detrimentoque sit, si iuxta hoc principium circumscriptio dioecesium perficiatur.

2. Verum et quasi unicum criterium decisivum hac in re esse debent exigentiae curae animarum quam efficacissime gerendae.

a) Ad hunc finem assequendum territorium dioecesis tam amplum numerusque fidelium — quin certus numerus supremus vel infimus indicari queat —, ergo: numerusque fidelium et sacerdotum tam

magnus sit oportet, ut Curia dioecesana habeatur bene ordinata et viris in omnibus campis vitae religiosae et profanae peritis instructa necnon omnia Opera et Instituta *condi*[2] queant, quae hodie necessaria sunt ad vitam religiosam in ipsis fidelibus nutriendam et roborandam atque universum ambitum principiis doctrinae christianae imbuendum, uti v. g. sunt Centrum Pastorale et Actio ac Associationes catholicae. Quae omnia, experientia docente, in parvis dioecesibus iam ob defectum sacerdotum et laicorum idoneorum vix haberi poterunt.

b) Item necessitates pastorales omnino vetare videntur regiones, eadem structura sociali et oeconomica connexas, divisione dioecesium divelli. Qua de causa generatim territorium dioecesis non coarctari debet ad spatium unius urbis, etsi pergrandis, quia eius specialis structura socialis et oeconomica etiam regiones adiacentes afficere solet, quatenus hodie spiritus hominum generatim efformantur non in familia et pago, ubi habitant, sed in officinis, ubi laborant. Ut autem cura animarum eius rei sufficienter rationem habere possit, maxime convenit, ut istud territorium universum ab uno pastore unoque centro pastorali regatur.

c) Simul autem animadverti videtur etiam varietatem rerum socialium et oeconomicarum intra fines eiusdem dioecesis vigentium non esse rationem sufficientem divisionis faciendae. Immo valde utilis esse potest tum pro praxi pastorali tum pro distributione sacerdotum. In dioecesi nostra Trevirensi, v. g., regiones exsistunt industriales et rurales, districtus omnino catholici et *sic dicti*[3] diasporales, oppida maiora et minores loci. Ista varietas actionem et methodum pastoralem fovet et dilatat atque sacerdotibus facultatem praebet de uno opere ad aliud ac de paroecia difficili urbana vel industriali ad leviorem ruralem transire, prout vires et indoles suadent.

d) Maxime congruit, ut unaquaeque dioecesis proprium habeat Seminarium Maius, quo formatio cleri dioecesani sub ductu episcopi fiat nexusque personalis inter eumdem et clerum inde ab exordio sacerdotii intercedere queat. Parvae autem dioeceses tale Seminarium vix sustentare valent atque in Seminario regionali, etsi optime recto, iste nexus personalis difficilior redditur.

e) Quoad condiciones oeconomicas denique, quae in universo orbe de die in diem difficiliores et complexiores evadunt, in magnis dioecesibus, aliter ac in parvis, ita disponi potest, ut curae animarum operibusque pastoralibus non impedimento sed adiumento fiant. Item experientia patet solummodo dioeceses maiores et validiores pauperibus succurrere posse.

3. Cum ergo pro hodiernis exigentiis pastoralibus dioeceses satis magnas esse conveniat, nec possibile nec optandum est, ut magnae dioe-

ceses ideo iam dividantur quod episcopis auxiliaribus indigeant. Auxiliares autem — sicut fusius expositum est in animadversionibus, quas episcopus Trevirensis una cum auxiliaribus suis ad cap. II huius schematis scripto commissioni conciliari tradidit — *auxiliares autem*[4] ordinentur in titulum dioecesis cui destinantur, sive pro determinata parte sive generatim pro universa dioecesi constituantur. Ipsi partem habeant cum et sub episcopo dioecesano in regenda dioecesi atque cum eo (et vicario generali) peculiare consilium episcopale constituant ad universam actionem pastoralem in tota dioecesi coordinandam et fovendam.

4. Ex experientia longaeva dioecesis nostrae *Trevirensis*,[5] quae inter maiores censetur, patet eius magnitudinem non impedire, quin episcopus ipse et auxiliares per certas vices omnes paroecias visitent, Confirmationem conferant ac verbum Dei fidelibus praedicent. Ita modo efficacissimo praesentia episcopi nexusque inter eum et populum actuatur atque in fidelibus conscientia dioecesana roboratur. Itaque magno detrimento esset, si loco episcoporum sacerdotes dignitate episcopali expertes Confirmationem conferrent.

Gravissimae ergo rationes postulant, non modo ut dioeceses sat magnae sint, sed etiam ut episcopi dioecesani adiumento auxiliarium non destituantur. Ideo — nomine quoque exc.morum Matthiae Wehr, episcopi Trevirensis, et Caroli Schmidt, episcopi auxiliaris mecum Trevirensis — propono et opto, ut in textu art. 27 § 1 statuatur magnas dioeceses tunc tantum dividendas esse, si efficaci curae animarum neque adiumento auxiliarium prospici possit.

Nunc adhuc brevissime ad art. 27 § 2, scil. pag. 21, linn. 2-3: Hoc loco proponitur, ut provinciae ecclesiasticae in regiones componantur. Si autem dioeceses iuxta principia supra indicata circumscribantur, nulla ratio adesse videtur, ut novus ordo in ius constitutionale Ecclesiae inducatur, praesertim cum per conferentias episcoporum omnibus necessitatibus forte obvenientibus sufficienter provideri queat. Ideo verba « provinciae vero in regiones ecclesiasticas componantur », deleantur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] institui. [3] deest. [4] deest. [5] deest.

[*Subsignaverunt etiam*] Matthias Wehr, ep. Trevirensis; Carl Schmidt, ep. tit. Thasensis, aux. Trevirensis.

8

EXC.MUS P. D. IOSEPH URTASUN
Archiepiscopus Avenionensis

Venerabiles Patres,

Concilium favere intendit renovationi pastorali. Opportune videtur perpendere modo efficaci novam divisionem aliquarum dioecesium. Debet enim Ecclesia vitam sequi, et non tamquam musaeum apparere, ut ait Papa Ioannes XXIII, fel. rec., in allocutione die ultimae Nativitatis ad em.mos cardinales directa.

Certe, in pluribus nationibus exsistunt non paucae dioeceses nimis parvae extensionis. Si optima est familiaris habitudo pastoris cum cooperatoribus et cum populo, attamen in talibus dioecesibus adsunt etiam problemata quasi insolubilia, v. g. impossibilitas habendi media necessaria ad apostolatum in mundo hodierno, insufficiens ministerium pro episcopo et sacerdotibus, inutilis exsistentia curiae et capituli cathedralis dum presbyteri desunt in aliis dioecesibus et in orbe terrarum.

Nota quae invenitur in finem pag. 22 indicat difficultates et praesertim historicas. Revera solvi possunt, post congruentem praeparationem. Ut exemplum afferam: Dioecesis Avenionensis constat sex antiquis dioecesibus. Habet sex cathedrales in diversis civitatibus, sed unum tantum adest Capitulum, etsi purpura insignitum, adest solum una curia et unus archiepiscopus, qui facile contactum habet cum sacerdotibus et cum fidelibus. Melius est non revolutiones exspectare, quae martyres faciunt. Melior et suavior solutio illa est, quae tempore opportuno sacrificium obtinet ex parte praesulum et ex parte cleri, non obstante eius amore erga dioecesim in qua natus est.

Regiones naturales coordinare necesse est, ratione habita mutuarum relationum hodie et in posterum inter eas exsistentium, necnon laborum et connexionum in ordine culturali vel administrativo, tam pro iuvenibus quam pro adultis. Hoc autem accuratum studium requirit. In qualibet natione adsunt experti et etiam organismi qui tales inquisitiones sociologico-religiosas peragere possunt.

Insuper oportet dioecesim instructam esse omnibus institutis adaptatis, ut sunt scholae, opera caritatis, communitates religiosae. Necesse est etiam ut clerus recte distributus sit.

Proinde commissio in n. 32 praevisa, de qua iam locutus est exc.mus D. Renard, talem competentiam habere debet, ut sine mora huiusmodi

distributioni consulat, una cum S. Sede, et aequam partitionem determinet virium apostolicarum.

His praemissis, hoc proponerem, *et concludo* [1]:

1. Ut in n. 26 inseratur praecisius principium quod in nota 1, pag. 22, habetur, et de hoc mentio explicita fiat in n. 27.

2. Secundo, ut in qualibet regione post Concilium instituatur commissio de qua in n. 32 agitur. Eius erit non solum divisionem congruentem dioecesium determinare, sed etiam meliorem distributionem cleri procurare. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

9

EXC.MUS P. D. DOMINICUS ROMUALDUS BASILIUS ATHAIDE
Archiepiscopus Agraensis

Patres dilectissimi,

In cap. IV schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine,* sub sectione 31 haec verba leguntur: « Curandum est ut dioeceses personales pro diversitate rituum erigantur ubi plures sint fideles diversi ritus, quibus sufficienter consulere possibile non sit per sacerdotem aut paroeciam eiusdem ritus ».

Nomine plurimorum episcoporum Indiae, tam septemtrionalis quam meridionalis, hac de re sermonem faciam.

Statum quaestionis ...[1] propono. Hae enim sunt conditiones in India:

1. India est terra missionis, ubi, si excipias statum seu provinciam Kerala (quae etiam Malabar vocatur), paucissimi catholici inveniuntur inter centenas millionum non-christianorum.

2. Totum territorium Indiae positum est sub iurisdictione Ecclesiae Latinae, quamvis in parte meridionali, i. e. in Kerala, vigent etiam ritus orientales.

3. His ultimis annis, duo facta nova emerserunt, et quidem:

a) per immigrationem, ob rationes oeconomicas, sat multi catholici ritus orientalis ex Kerala in regiones centrales et septemtrionales Indiae pervenerunt;

b) ipsae Ecclesiae ritus orientalis in Kerala, passim spiritu missionario imbutae, vocationibus sacerdotalibus et religiosis abundant.

4. Hucusque omnes fideles ritus orientalis qui uti missionarii extra

Keralam laborare volebant, sub iurisdictione Ordinarii ritus latini et in ipso ritu latino ministerium exercere debebant. Agnoscimus hanc conditionem et modum agendi non fuisse omnino satisfactorium orientalibus.

His de rationibus, aliqua solutio concreta elaborata est ...[2], quae, ut speramus et optamus, initium universalioris solutionis esse poterit.

Solutio haec est. Principium generale sequens ponitur: « Unum territorium, unus Ordinarius ». Quaevis ergo sit pluralitas rituum in territorio, unica tamen maneat iurisdictio. In territorio igitur missionariis orientalibus concredito episcopus seu Ordinarius orientalis habet iurisdictionem super omnes fideles, etiam ritus latini; et vice versa in territorio alicui Ordinario ritus latini concredito, omnes catholici, etiam orientales, subsunt huic Ordinario latino. Nemo habet iurisdictionem personalem extra territorium.

Exercitium utriusque ritus debet esse omnino liberum. Episcopi seu Ordinarii est providere necessitatibus spiritualibus fidelium utriusque ritus per idoneos sacerdotes.

Videatis quaenam sint emolumenta talis solutionis:

1. Evitantur magnae difficultates quae, ut omnes agnoscunt, inhaerent systemati duplicis iurisdictionis in uno et eodem territorio. Ecclesia Indiae in hac re, proh dolor, experientias valde tristes habet.

2. Energiae Ecclesiae quae omnino conservandae sunt pro urgenti evangelizatione Indiae, non inutiliter dissipantur.

3. Aequalitas ritus orientalis cum latino revera agnoscitur.

4. Unitas et catholicitas Ecclesiae vere demonstrantur.

Anno praeterito *territorium quoddam Indiae centralis*[3] quod suberat iurisdictioni latinae, ablatum est ab illa iurisdictione et concreditum est exclusive novo Ordinario ritus orientalis. Praesto est apud secretarium generalem Concilii documentum, a S. Sede approbatum, in quo totum negotium clare et complete describitur.

Ipse Summus Pontifex nos episcopos rogat ut, deliberatione propria, solutiones pro problematibus Ecclesiae inveniamus. Hucusque, in hoc casu concreto, solutio modo explicata in praxim deducta est, approbante summa auctoritate Ecclesiae. Non videtur cur eadem solutio non proderit aliis territoriis tum Indiae tum *forsan*[4] aliarum nationum. Patet in hac brevi expositione non omnia particularia problematis exponi posse; tamen essentialia dicta sunt. Speramus, mutua et amicali collaboratione, solutionem problemati in tota sua complexitate sumpto inventurum iri.

Fatemur tempore praeterito ritus orientales non semper *aequali aestimatione quoad laborem evangelicum*[5] habitos esse. Speramus vero ut, quae retro sunt obliviscentes, *omnes*[6] unanimi conatu opus immensum aggre-

diamur, nempe *bonum nuntium*[7] Christi ad innumeros milliones Indiae praedicandi. *Hoc optime eveniet si tenetur principium: Unus tantum Ordinarius in unaquaque dioecesi.*[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] breviter. [2] pro quodam territorio Indiae Centralis. [3] hic modus agendi in praxi deductus est. Territorium. [4] deest. [5] aequa aestimatione. [6] deest. [7] Evangelium. [8] deest.

[*Subscripserunt etiam*] Hermannus Westermann, ep. Sambalpur.; Franc. Simons, ep. Indorensis; C. Dubbelman, ep. Jabalpurensis; C. De Vito, bish. Lucknow; Ambrose, ep. Pondicherry et Cuddalore; John Burke, Simla; George Breen C.S.C., PA Haflong (India); J. Mark Gopu, arch. Hyderabad; L. D'Mello, bish. Ajmer-Jaipur; F. X. Muthappa, ep. Coimbaturensis; R. A. Sundaram, ep. Tanjorensis; J. P. Leonard, arch. Maduraiensis; Eugene D'Souza, arch. Bhopal; Alexander Edezath, bish. Cochin; Aldo M. Patroni, bish. Calicut; Andrew D'Souza, bish. Poona; Eric Benjamin, bish. Darjeeling; L. T. Picachy, Jamshedpur; Alb. V. D'Souza, arch. Calcutta; Stanislaus Tigga, Raigarh-Ambikapur; Baptist Mudartha, aux. Jhansi; Edwin Pinto, bish. Ahmedabad; Thomas Fernando, ep. Tuticorin; P. Kerketta, arch. Ranchi; J. Rosario, bish. Amravati; R. D'Mello, bish. Mangalore; Arulswamy Daniel; F. X. Fenech; L. Tigga, bish. Dumka; Jerome M. Fernandez, ep. Quilon; Michael Arattukulam; Fortunato da Veiga Coutinho; L. M. Selvanaden, ep. Salem; L. G. Pereira, aux. Bombay; Thomas Roch Agniswami, bish. Kottar; Simon Lourduswamy, aux. Bangalore; A. Fernandes, coad. Delhiensis; Raymond Allahabad; Ludovicus La Ravoire Morrow, Krishnagar.

Animadversiones additae:

In vastissimis dioecesibus Indiae centralis et septemtrionalis (Madhya Pradesh, Madhya Bharat, Uttar Pradesh, Delhi, ...) plures extant districtus quorum numerus totalis non christianorum 150 milliones multum excedit, et quibus « bonum nuntium » Christi nondum annuntiatum est. Episcopi harum dioecesium non habent sacerdotes nec alios adiutores, nec media ut partes illas suae Ecclesiae evangelizare possint, et certi sunt se ea, nisi fulgenti miraculo adiuventur, per multa decennia habere non posse.

Opus tamen evangelium populis harum regionum praedicandi urgentissimum est, praesertim nunc temporis.

Post longum studium una tantum invenitur solutio practica. Cedatur magna pars Indiae centralis et septemtrionalis clero ritus Syro-Malabarici ut populos illarum partium ad Christum adducant. Similiter invitentur Ecclesiae ritus latini ex India meridionali ut omni ope adiuvent Ordinarios Indiae centralis et septemtrionalis, praeprimis mittendo sacerdotes et seminaristas, spiritu missionali imbutos, qui Ordinarios et clerum ritus latini vigorose iuvent ad fidem spargendam.

Etenim, in India meridionali, praesertim in Kerala, floret Ecclesia et permultae habentur vocationes, in primis in ritu Syro-Malabarico. Plures adhuc haberentur vocationes si iuvenes illius ritus qui extra regionem suam missionarii esse cupiunt non deberent saltem praxim sui ritus deserere ut in dioecesibus ritus latini laborare possint. Solutionis partialis initium magni momenti haberetur si quam primum partes dioecesium in India centrali et septemtrionali (occidentali) ritui Syro-Malabarico committi possent. Et hanc solutionem quidam episcopi Indiae centra-

lis (praesertim ex Madhya Pradesh) desiderant S. Sedi proponere, et expresse petere ut pars eorum dioecesis huic ritui concredatur.

Cognoscunt quidem difficultates, omnibus notas, ex permixtione rituum. Sed quaestio rituum, secundum eos, non potest obstare conversioni Indiae ad Ecclesiam. Oportet ut Ordinarii ritus latini et ritus orientalis conveniant de modo vivendi ne opus evangelizandi populos Indiae pessumdetur.

Parum refert utrum Ecclesiae locales fundentur a pastoribus ritus orientalis an a pastoribus ritus latini; parum refert utrum conversi ad fidem sint ritus orientalis an ritus latini. Omnes Christi sumus, omnes discipuli eius, omnes filii Ecclesiae catholicae. Ad gloriam Dei poterunt pastores ritus Syro-Malabarici fundare in India centrali et septemtrionali Ecclesias florescentes sui ritus.

At ut praecaveantur difficultates, omnibus notae, ex permixtione rituum et praesertim ex pluralitate iurisdictionum in uno eodemque territorio, episcopi quidam qui vellent cedere partem suae dioeceseos clero ritus Syro-Malabarici, rogant ut conveniatur de sequentibus conditionibus, quas S. Sedi submittere intendunt:

I. *Quoad iurisdictionem.*

1. In novis Ordinariatibus, solus Ordinarius ritus Syro-Malabarici iurisdictionem in territorio habebit in sacerdotes et fideles tam latinos quam orientales.

2. Ordinarius Syro-Malabaricus nullam habebit iurisdictionem in fideles sui ritus qui forte in dioecesibus ritus latini degent, his exceptis casibus in quibus Ordinarius ritus latini in subiectos sibi sacerdotes et fideles in alia dioecesi ritus latini degentes iurisdictionem habet.

3. Quodsi Ordinarii ritus latini et ritus Syro-Malabarici conveniunt de necessitate vel magna utilitate pro Ecclesia ut Ordinarius unius ritus in parte dioeceseos alterius iurisdictionem habeat, S. Sedi proponendum est ut pars illa a dioecesi latini vel orientalis ritus, prout casus fert, subtrahatur et Ordinario alterius ritus committatur, ita ut in India centrali et septemtrionali numquam habeantur duo vel plures Ordinarii diversi ritus qui in eodem territorio iurisdictione polleant.

II. *Quoad aggregationem fidelium ritui.*

1. In novis Ordinariatibus, neophytae, sive ex infidelitate, sive ex ecclesiis christianis acatholicis ad Ecclesiam catholicam conversi ritui Syro-Malabarico aggregentur.

2. Nisi speciale indultum obtineatur a S. Sede, catholici ritus latini nonnisi ad normam sacrorum canonum ad ritus Syro-Malabaricum admitti possunt. Commendatur autem ut a S. Sede petatur indultum generale ut omnes catholici latini ritus recenter conversi qui in novis Ordinariatibus degunt libere ad ritum Syro-Malabaricum transire possint.

3. Proles patris ritus latini quae in infantia baptizatur, etiam a sacerdote ritus Syro-Malabarici, ritui aggregabitur quem pater pro ea elegerit.

4. Quantum fieri poterit curet Ordinarius ut catholicorum ritus latini curam habeat vel sacerdos ritus latini vel sacerdos ritus orientalis, qui privilegio biritualismi gaudeat, sub unica tamen iurisdictione Ordinarii ritus Syro-Malabarici.

III. Donec provincia vel provinciae ritus Syro-Malabarici erigi non poterunt, praestabit ut Ordinarii huius ritus suffraganei sint alicuius provinciae Ecclesiasticae ritus latini.

10

EXC.MUS P. D. ANTONIUS GREGORIUS VUCCINO
Archiepiscopus tit. Aprensis

Venerabiles Fratres, Auditores et Observatores dilectissimi,

Laudanda est cura membrorum commissionis de episcopis, propter arduum opus quod perfecerunt. Attamen liceat mihi confiteri tam in capite de quo tractamus quam in aliis de quibus iam disceptatum est, deficere principium formale conceptus regiminis. Ecclesia enim est Corpus Christi; in Christo autem duo in persona Verbi coniunguntur elementa, divinum scil. et humanum, e quibus divinum infinite superat humanum. Ita et in Ecclesia, quae Corpus Christi est, seu ut aiunt Patres « Christus est », principium formale est aliquid divinum, i. e. Spiritus Christi, Capitis Ecclesiae, et aliquid humanum, i. e. forma socialis Ecclesiae, qua Corpus Christi visibile efficitur quia aedificatur super fundamentum apostolorum et prophetarum.

Unde in regimine Ecclesiae, principium formale et praecipuum habetur in verbis apostoli: « *Ipse Christus est Caput Corporis Ecclesiae, cum primogenitus omnis creaturae sit necnon primogenitus mortuorum* ».[1]

« Quia vero, ut ait fel. rec. Pius XII, Christus tam sublimem occupat locum, iure meritoque ipse solummodo est, qui Ecclesiam regit atque gubernat, proptereaque hac quoque de causa capiti adsimilari debet. Siquidem quemadmodum caput, *prosequitur Pius XII, ut Ambrosii verbis utamur,*[2] est arx regalis corporis, ab eodemque utpote potioribus dotibus praedito omnia membra, quibus superponitur ut consulat, natura ipsa diriguntur, ita divinus Redemptor universae ...[3].

Moderator: Exc.me Pater, velis loqui de dioecesium circumscriptione.

Orator: Veniam peto, quia adhuc tractatur de principio regiminis Ecclesiarum.

Ac, quandoquidem hominum coetum regere nihil aliud est nisi utili providentia idoneis opibus rectisque rationibus ad assignatum finem perducere, facile cernere est Servatorem nostrum, qui bonorum pastorum forma et exemplar exsistit, haec omnia mirando prorsus exercere modo. Ipse enim triplicem potestatem apostolis eorumque successoribus impertiit, docendi nempe, regendi ad sanctitudinemque ducendi homines, quam quidem potestatem peculiaribus praeceptis, iuribus, officiisque praefinitam, primariam legem statuit totius Ecclesiae ...[4].

Quo quidem interno moderamine non modo ipse *ut pastor et epi-*

scopus animarum nostrarum singularum curam habet,[5] sed et universae quoque prospicit Ecclesiae, sive quando eius rectores ad munia cuiusque fideliter fructuoseque obeunda illuminat atque roborat ...[6].

Unde in Ecclesia tota ratio regiminis ad Christum ut Caput Corporis Ecclesiae pertinet. Non est tamen reputandum eius regimen modo non conspicuo vel extraordinario tantum absolvi, cum contra adspectabili...[7]

Moderator: Velisne ad applicationem principiorum venire?

Orator: Venio, em.me. Veniam!

Non est tamen reputandum eius regimen modo non conspicuo vel extraordinario tantum absolvi, cum contra adspectabili quoque ordinariaque ratione Divinus Redemptor per suum in terris Vicarium Corpus suum mysticum gubernet. Siquidem, ut sapientissimus erat, constitutum a se sociale Ecclesiae corpus nequaquam sine conspicuo capite relinquere poterat. Neque ad rem eiusmodi infitiandam asseverari potest per statutum in Ecclesia iurisdictionis primatum, mysticum eiusmodi Corpus gemino instructum fuisse capite. Est enim Petrus, vi primatus, nonnisi Christi vicarius atque adeo unum tantum primarium habetur huius Corporis Caput, nempe Christus ...[8].

Audiatur iterum [9] Pius XII: « Quae autem Nos heic de universali Ecclesia diximus, id de peculiaribus etiam asseverari debet christianorum communitatibus, cum orientalibus tum latinis, ex quibus una constat ac componitur catholica Ecclesia; quandoquidem et ipsae a Christo Iesu proprii uniuscuiusque episcopi voce potestateque reguntur. Quamobrem sacrorum antistites non solum eminentiora universalis Ecclesiae membra habendi sunt, sed ad propriam cuiusque dioecesim quod spectat, utpote veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos Christi nomine pascunt ac regunt, id tamen dum faciunt non plane sui iuris sunt, sed sub debita Romani Pontificis auctoritate positi ».

Patet ex dictis, *quod* [10] Pastores Ecclesiarum unum Pastorem *efformant* [11] cum Christo Summo Pastore *et episcopo animarum nostrarum.*[12] *Sed quaeri potest: quo principio efficitur haec coniunctio Capitis Corporis cum parte membrorum Domini prima, scil. episcopo? Responsum apostoli habemus: « Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei ». Huic autem Christi Spiritui ...*[13]

Moderator: Pater, velis tradere alia in scriptis, quia non devenis ad applicationem.

Orator: Gratias.

In textu scripto tradito: [1] In hoc capite sicut in praecedentibus capitibus huius schematis deficit aliquod principium universale doctrinale ad efficiendam

unitatem eius. Agitur hic de regimine in Ecclesia. Sed quaeritur « regimen » quid in Ecclesia? Paulus declarat quod « Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei » (*Act.* 20, 28). Sed episcopus habet a Christo potestatem regere gregem sibi commissum. Ista autem potestas descendit a Christo ad episcopum per Spiritum Sanctum. A capite Corporis Ecclesiae transit potestas ad episcopum. [2] deest. [3] christianorum reipublicae clavum tenet eiusque gubernacula moderatur. [4] Sed directo et iam per se divinus servator noster conditam a se societatem moderatur ac dirigit. Ipse vero regnat in mentibus animisque hominum et ad beneplacitum suum vel rebelles inflectit ac compellit voluntates. [5] deest. [6] sive quando in gravioribus praesertim adiunctis viros ac mulieres, sanctitatis fulgore nitentes, e gremio Ecclesiae Matris excitat ut ceteris christifidelibus exempla sint ad mystici sui Corporis incrementum. [7] deest. [8] Unum solummodo caput constituere Christum eiusque vicarium, asserit Bonifatius VIII per apostolicas litteras *Unam Sanctam.* [9] Ait. [10] deest. [11] efficere. [12] deest. [13] Sed quo principio ipso Summo Pastori coniunguntur? « Spiritus Sanctus, ait Pius XII, tanquam non adspectabili principio id quoque tribuendum est ut omnes Corporis partes tam inter se quam excelso capite suo coniunguntur, totus in capite cum sit, totus in corpore, totus in singulis membris, quibus pro diversis eorum muneribus atque officiis, diversis rationibus praesens est atque adsistit. Ille est qui licet per se in omnibus membris habetur, in iisdem divinitus agat, in inferioribus tamen etiam per superiorum ministerium operatur ». Principium ergo formale omnis in Ecclesia muneris et auctoritatis hac ratione potest definiri: « Christus, pastor aeternus per Spiritum suum unctione divinae caritatis ministros suos ungit ut ad homines illos mittat, sicuti dispensatores ministeriorum Dei. Ideoque in Ecclesia munus pastorale est ministerium caritatis secundum illud apostoli: « Filioli mei, quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis » (*Gal.* 4, 19). Unde propono humiliter ut in capite seu in paragrapho speciali verbum fiat de principio formali auctoritatis in Ecclesia ut evitetur confusio auctoritatem inter civilem et ecclesiasticam, quae differunt inter se sicut caelum et terra.

11

EXC.MUS P. D. MARCELLUS GONZALEZ MARTIN
Episcopus Asturicensis

Venerabiles Patres,

Cum schema nostrum acceptatum fuit tamquam basis ad examen instituendum de regimine dioecesium, implicite affirmavimus posse addi ad schema ea quae necessaria viderentur, etsi forsan de eis sileret.

Mihi videtur adesse quaestionem *cuiusdam* [1] momenti quae praeteriri non potest, *in aspectu in quo habet relationem cum schemate,*[2] illam nempe de administratione et usu bonorum in vita oeconomica dioecesium.

In hoc capite agitur de erigendis novis dioecesibus, et de aliis sup-

primendis; de necessitate, e parte episcopi — *sunt verba capitis*[3] — « attendendi innumeris sui gregis difficultatibus et sustentandi omnia officia et instituta quae ad rectum regimen necessaria usu comprobantur »...[4].

Sunt verba pulchre pastoralia et opportunissima in hoc capite iuridico.

Similes conceptus apparebant in posteriori capite de paroeciis, nunc ammandato ad aliam provinciam.

Uno verbo, asseritur, *in hoc capite,*[5] principium de autonomia necessaria in constitutione, exsistentia, et vita practica pastorali uniuscuiusque dioecesis, ad hoc ut modo sufficienter digno finem suum adimplere valeat.

Iam vero, difficultas, immo et crux, terribilis crux pro episcopis surgit cum curare debent, *in his novis dioecesibus,*[6] de templis construendis, seminariis, scholis, sacellis, aliisque operibus ad salutem animarum necessariis.

Sed accidit ut dum intra eamdem civitatem aliquae paroeciae carent omnibus mediis ...[7] elementalioribus, etiam ad pueros in doctrina christiana edocendos, aliae e contra gaudent mediis oeconomicis abundantissimis, thesauris v. g. accumulatis pietate et devotione fidelium, donationibus frequentibus, fundationibus pingues fructus reddentibus.

Idipsum accidit intra eamdem dioecesim, inter alias et alias zonas.

Idipsum accidit intra eamdem regionem et nationem, inter alias aliasque partes territorii. Hic omnia facilia sunt propter abundantiam qua gaudent; illic, omnia sunt difficilia propter carentiam quam patiuntur.

Hoc autem est scandalosum pro fidelibus, est contradictorium cum iis quae praedicamus ceteris de communicatione bonorum, pugnat cum idea de functione sociali proprietatis quam tam strenue defendimus, impedit quominus multa opera bona in ordine apostolico fiant.

Epocha nostra testis est de singulari progressu associationum diversarum quae fiunt in ordine oeconomico, inter organisma plurima, nationes, gubernia, etc., ad culturam fovendam et maiora commoda adipiscenda pro omnibus hominibus in ambitu fere universali.

Nos vero permanemus in conceptu rigidissimo proprietatis privatae in multis quaestionibus quae afficiunt bonum animarum intra dioeceses nostras. Cur *ita,*[8] venerabiles Patres conciliares?

Neque idea collegialitatis inter dioeceses, *quae saltem sub aspectu pastorali ab omnibus admittitur,*[9] neque mandatum caritatis et responsabilitas apostolatus intra eamdem dioecesim favent huic modo agendi.

Immo solemus dicere totam Ecclesiam esse hodie in statu missionis, et certum est. Ergo propter rationem missionariam quae erga omnes

populos applicationem habet, deberemus corde ampliori et conceptibus distinctis ab iis qui hucusque viguerunt, administrare bona et donationes quas accepimus in favorem dioecesium et paroeciarum quae surgunt in diversis terris ad vitam christianam fovendam, praesertim in illis continentibus in quibus magis necessarium est.

De his quaestionibus valde extraneum est quod non introducatur in hoc schemate aliquod principium, non *dico* [10] regulationes practicae, *aliquod principium,*[11] utpote quod maximum momentum habet: sanus et pastoralis conceptus de rebus oeconomicis in regimine dioecesium.

Neque in schemate *de cura animarum* quidquam dicitur, quod etiam locum aptum praeberet. ...[12] Utique apparet quaestio ista tractata in schemate de clericis, *sed* [13] simul ac cum agitur de retributione eorum digna, de regimine beneficiali abolendo, de taxis quae eis imponi possent, etc., hoc est cum agitur de oeconomia particulari, ut ita dicam, clericorum in Ecclesia. Hoc est parum logicum et necessario minuit vim principiorum quae statui possunt et debent de aspectu sociali proprietatis et bonorum quae in Ecclesia, non inter clericos, dantur; *et hoc magnam relationem habet cum regimine dioecesium.*[14]

Proinde, conclusio: Reverenter peto a membris commissionis de regimine dioecesium ut in hoc schemate *principia aliqua* [15] statuant, postea evolvenda a commissione postconciliari, de sociali distributione et applicatione bonorum in Ecclesia. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] maximi. [2] deest. [3] deest. [4] (n. 26, par. 1). [5] deest. [6] deest. [7] etiam. [8] hoc. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] Attamen. [13] deest. [14] deest. [15] principium.

12

Exc.mus P. D. ROBERTUS MASSIMILIANI

Episcopus Civitatis Castellanae, Hortanus et Gallesinus

Venerabiles Patres,

Loquar de dioecesibus parvis.

1. In cap. IV, ...[1] pag. 20, linn. 8 ss., dicitur: « Cavendum est ne, ob nimiam territorii parvitatem ac propterea ob consequentem sacerdotum paucitatem opumve penuriam etc. ». Mihi videtur illud « propterea » et sequentia esse tollenda, quia non semper parvae dioeceses habent paucos sacerdotes pro suis necessitatibus et paucas opes. Omnes cognoscimus parvas dioeceses cum multis sacerdotibus, relate ad necessitates

dioecesis, et e contrario magnas dioeceses quae indigent sacerdotibus ...[2]. Res pendet a multis circumstantiis, et non solum a parvitate vel magnitudine ...[3].

2. Sicut de sacerdotibus et de opibus, idem dicatur de officiis et institutis quae necessaria sunt ad rectum regimen. Exclusis dioecesibus vere *nimis parvis,* multae sunt dioeceses parvae quae optime reguntur. Habent sua officia et sua instituta, suas associationes et omnia bene disposita, quae non raro desunt in magnis dioecesibus. Si accurato studio subiiciantur e. g. summae pecuniarum quae offeruntur missionibus quotannis, fere semper videbimus parvas dioeceses primis in locis esse in computatione *percentualium* (uti dicunt) pro unoquoque capite. Idem evenit pro inscriptis in Associationibus et aliis multis.

3. Historice constat primis saeculis multo plures episcopos fuisse quam nunc, dum fideles erant pauciores et istae communitates persecutiones superaverunt. Etiam postea, cum multae tempestates Ecclesiam et ecclesias particulares quassabant, fides remansit ubi aderant multi episcopi. *Ego*[4] ipse audivi meis auribus Pium XI s. m. dicentem: Protestantismus nequivit radices ponere in Italia quia aderant multi episcopi.

4. Horum omnium ratio vera est quia episcopus non est primo et primario caput officiorum et institutorum sed pastor ovium. Ipse debet cognoscere oves, eas visitare, pascere verbo, exemplo et sacramentis. Ipse *per se,* dicit saepe schema *de cura animarum,* debet praedicare ovibus et eas instruere. Quomodo haec fieri possunt in magnis dioecesibus ubi fideles vix aut ne vix quidem vident et audiunt proprium pastorem singulis quinquenniis? Maius ergo est damnum quod evenit ex magnitudine dioecesis, quam ex parvitate. S. Augustinus et S. Alphonsus de Ligorio fuerunt episcopi parvarum dioecesium, quas pascebant assidue per seipsos ...[5].

5. In re ista praeterea magna prudentia est agendum ob fere insuperabiles difficultates quae fiunt a clero et populo, qui apertas rebelliones ineunt. Nostris difficillimis temporibus, ne addantur aliae difficultates: afflicto ne addatur afflictio.

Alia difficultas provenit ex eo quod saepe non potest praevideri futurus progressus alicuius civitatis vel territorii, multae causae uti moderna industrializatio, novae modernae viae tum ferreae tum autostradales (uti dicunt), *turismus,* et cetera multa, paucis annis movent turmas fidelium ex una in alteram partem, novas civitates efformant, alias evacuant. Peto ergo ut addantur in pag. 20, lin. 23, ad verba « ad peculiaria adiuncta geographica, socialia, oeconomica », haec verba: « non solum hodierna sed quae possint in futurum rationabiliter praevideri », vel alia similia.

Secus posset evenire quod nova dioecesis fundetur vel alia supprimatur et post decem annos, rursus illae debent supprimi vel erigi ...[6].

6. Caveamus in re tanti momenti ne res fiant imprudenter: divisiones civiles quibus appellat schema in pag. 20, lin. 24, non semper sunt optimae, aliquando sunt pessimae. Nec nimis insistendum videtur in decore quo gaudere debet episcopus, cui indecorum videtur vivere in aliquo pago. Nam episcopi, uti sacramenta, sunt propter homines, *et non vice versa.*[7] Multis difficultatibus parvarum dioecesium, uti tribunal vel seminarium potest obviam iri per tribunalia et seminaria interdioecesana, regionalia, uti fit in Italia et alibi ...[8].

7. Liceat etiam petere a Concilio ut dioecesium suppressarum, cum agitur de vere parvis, servetur nomen et dentur aliqua privilegia cathedralibus ...[9].

8. Denique liceat petere ut id quod dicitur n. 27 § 2, pag. 21, linn. 4 ss., de dioecesibus immediate subiectis S. Sedi, alicui metropolitae aggregandis, non valeat pro dioecesibus Provinciae Romanae, quarum metropolita est Summus Pontifex.

Episcopi huius Provinciae participant Synodis Romanis inde a saeculis IV et V et etiam hodie habent ius seu privilegium, cum obligatione ...[10], participandi Consistoriis in quibus disceptatur de Canonizatione Sanctorum.

Peto, ergo, quod verbis lin. 8 pag. 21 « sunt subiiciendae ad normam iuris communis » addatur: « exceptis Dioecesibus Provinciae Romanae »...[11] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] n. 26. [2] sicut etiam phoenomenon contrarium. [3] Peto ergo ut tollantur illa verba quae semper veritati non respondent. [4] deest. [5] Nonne ipsi sunt perfecta figura episcoporum et eorum exemplar? [6] quae antea fundatae vel suppressae fuerant. [7] deest. [8] etiam associationes catholicae multum adiuventur per associationes regionales et nationales. [9] Mens ergo mea, quam humillime vobis propono, est ut singulis in casibus videatur de omnibus circumstantiis, quam cautissime procedatur et etiam ad historiam multarum urbium catholicarum respiciatur. Quantum ad me spectat, nunquam fiet ut manibus meis iuguler sponsam dilectam quam dedit mihi Deus. [10] tamen. [11] Sinite ut hoc privilegio adhuc gaudeamus: si Roma est *communis patria* omnium hominum, tanto maiori titulo est pro nobis qui tam prope Romam sumus et fidem iam a primis temporibus ab ista communi patria accepimus.

13

Exc.mus P. D. RADULFUS ZAMBRANO CAMADER
Episcopus Facatativensis

Venerabiles Patres,

N. 28 schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* tamquam per transennam vetustissimae institutionis in regimine dioecesano mentionem facit, nempe capitulum cathedrale, quod tamen tanta renovatione seu « aggiornamento » opus habet. Sed nequidem in alio loco schematis, quod de regimine dioecesium perpauca tractat, capitula cathedralia, antiqui presbyterii testimonium, apparent. Et ideo instituta sunt ut sollemniorem cultum Deo in Ecclesia exhibeant, verum etiam, ad normam sacrorum canonum, tamquam episcopi senatus et consilium eum adiuvent, ac sede vacante, eius vices suppleant in dioecesis regimine ...[1].

Non desunt, et quidem merito, qui extinctionem capitulorum magnopere exoptant. Difficultates autem quae non raro in administratione dioecesana inter capitulum cathedrale et episcopum cum detrimento fidelium occurrunt, aeque ponderandae sunt, cum de beneficiis agatur excogitandis ad merita retribuenda sacerdotum in cura animarum ex infirma valetudine vel aliis de causis non amplius efficacium, sed qui in cultu liturgico cathedralium et basilicarum debito cum honore ...[2] ministerio optime fungi adhuc possunt.

Missio pastoralis episcopi in regimine dioecesis, agilitatem et sollertiam, prudentiam et virtutem exigunt simul ac eius cotidianam in mundo praesentiam. Itaque beneficia vitalicia impropria videntur in alto gubernio dioecesano, cum sacerdotes qui primo excellentes consultores fuerant, ingravescentibus *eorum* [3] diebus, minus apti ad tantum officium evadunt, e. g. in administratione oeconomica, quae in iure vigente a capitulis cathedralibus etiam ad validitatem actus saepius dependet.

Iis praesuppositis, suggerere valeam ut lin. 12 deleatur in n. 28, et loco proprio in schemate nostro sequentia principia statuantur:

1. Capitula canonicorum sunt collegia clericorum ad cultum sollemniorem Deo in insignioribus ecclesiis, ubi id commode fieri possit, exhibendum.

2. In negotiis administrationis ecclesiasticae consilium seu senatus episcopi est coetus consultorum dioecesanorum, qui de capitulis vel de reliquo presbyterio ab episcopo libere ad normam iuris eliguntur.

3. Dioeceses, ubi capitula non exsistunt, liberae sunt ab ulla obligatione illa instituendi.

4. Sede vacante, coetus consultorum eligat vicarium, qui gubernium dioecesis assumat secundum normas a Concilio et a iure communi praevisas, et salvo semper peculiari iure ecclesiarum orientalium.

5 et ultimum. A commissione ad C.I.C. recognoscendum, canones apparentur ut administratio bonorum ecclesiarum cathedralium, episcopo et non capitulo relinquatur, et pariter provideatur iuri episcopi quando ecclesia cathedralis simul paroecialis sit. Immo norma statuatur ut capituli bona, salva honesta canonicorum sustentatione, sive collegialium sive cathedralium, ad fines cultus divini et apostolatus sub regimine episcopi convertantur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (cf. c. 391). [2] cultuali. [3] deest.

14

Exc.mus P. D. FERDINANDUS ROMO GUTIERREZ
Episcopus Torreonensis

Venerabiles Patres et Fratres,

Placet dispositio tota argumenti cap. IV in schemate *de episcopis et dioecesium regimine,* ex qua multa bona optamus pro Ecclesiae administratione et sic dicta ...[1] vitalizatione.

Sed audeo adhuc subiicere considerationi vestrae, aliqua quae spectant ad *criteria* pro erectione novarum dioecesium, et quae credimus vota plurimorum Patrum *interpretari.*[2]

1. Criteria *enim* [3] exposita ...[4] non apparent sufficienter clara *nec* [5] debitam praestare attentionem ad mutationes penitus totales rythmi vitae hominum huius temporis. Hodie:

a) Organizationes operum fabrilium et similium plane *occupant* [6] vitam totalem operariorum extra domum ...[7].

b) Maxima centra culturalia exigunt continuam commorationem alumnorum die ac nocte extra familiam.

c) Necessitas laboris et officiorum in locis distantioribus et necessaria et continua *commoratio* [8] cum hominibus ex *omnibus locis, sed eiusmodi forsan mentis et cordis,*[9] fere impossibilem reddit influxum dioecesanum in ipsorum mentes et corda.

d) Commercium, recreationes, munera et relationes familiares simul cum maxima facilitate mediorum translationis, novam figuram hominis delineant quae longe abest ab attendenda et aestimanda ratione *finium* [10] propriae dioeceseos.

Longe, ergo, aliae rationes habendae sunt pro erectione et delimitatione dioecesium actualium.[11] *Ex quibus duas tantum* [12] proponere audeo:

1. Ut in erectione novarum dioecesium, magis quam ad naturales divisiones (limites civiles, montes, flumina, etc.). attentio fiat ad communitatem vitae et necessitudinum inter homines, ad unitatem occupationum et problematum in regione, ad identitatem individuorum qui in tota regione vitam degunt, sustinent et regunt, et ad unitatem iam exsistentem in religiosis rebus.

2. Item credimus procurandum esse ut clare appareat criterium pro divisione vel dismembratione dioecesium non esse solummodo *modum* [13] exonerandi episcopum a parte fortasse difficiliori et ingratiori territorii, sed necessitatem veram procurandi maiorem et accuratiorem attentionem pro fidelibus in illis locis.

3. Ad quam attentionem efficacius obtinendam videtur summe urgere ut divisio dioecesium fiat modo tali, ut in ea exsequenda observentur normae fundamentales iustitiae distributivae et socialis, tum quoad bona *temporalia* [14] et spiritualia, tum etiam quoad distributionem sacerdotum qui in nova dioecesi servitium pastorale praestare debeant.

4. Ac proinde ne umquam, quantum possibile sit, nova dioecesis erigatur *si in ea vel pro ea* numerus saltem minimus sacerdotum exemplarium et *electorum* [15] habeatur pro muneribus necessariis in administratione pastorali saltem minima dioeceseos (v. g. pro paroeciis *principalibus*,[16] curia ...[17], seminario incipiendo, ...[18] educatione religiosa et apostolatu laicorum promovendis, etc.). Quae si non sint, timendum est ne dioecesis nova nascatur vel mortua vel saltem diuturnae morti destinata ...[19].

5. *Credimus in tali casu optabiliorem esse subiectionem provisoriam S. Congregationi de Propaganda Fide,*[20] quae cura et providentia sua ...[21] ad illa procuranda saltem ad tempus provideret.

Et haec humiliter subiecta maneant vestrae considerationi ...[22]. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] eiusdem. [2] interpretantur. [3] deest. [4] in schemate. [5] et videntur non. [6] absorbunt. [7] suam. [8] conviventia. [9] undequaque parte, sed eandem mentem et cor habentibus. [10] limitum. [11] Quod significat: novam vitam hominum *extra domum propriam*, suadere titulum residentiae non posse iam iuste dignosci ex loco ubi lectum habetur permanens, sed longe alias rationes habendas esse in hodierna erectione et delimitatione dioecesium. [12] Inter alias has reverenter. [13] voluntatem. [14] materialia. [15] selectorum. [16] deest. [17] dioecesana. [18] attentione religiosarum. [19] Credimus ipsam S. Congregationem Consistorialem cui competit de his rebus curare, posse auctoritate vel salutari influxu ante dioeceses a Deo be-

nedictas, haec praevidere et providere, ut nova et vera communitas dioecesana et nascatur et vivat praesens et actuosa in Ecclesia. [20] Quod si autem illa media necessaria providere excederet competentiam huius Congregationis Sacrae, optabilior esset subiectio saltem provisoria S. Congregationi de Propaganda Fide. [21] ex similitudine cum regionibus missionum. [22] ut vos conclusiones hauriatis.

15

EXC.MUS P. D. ALEXANDER SCANDAR

Episcopus Lycopolitanus

Venerabiles Patres,

Quasdam animadversiones exponam circa cap. IV et quidem de n. 31 ubi agitur de dioecesibus personalibus ratione ritus.

Haec quaestio, ni fallor, maximi momenti est praesertim in regionibus et civitatibus ubi sunt varii ritus, e. g. in Aegypto ubi septem principales ritus orientales repraesentantur non sine incommodo et ut ita dicam scandalo.

Unusquisque enim ritus suas ecclesias habet, clerum, usus proprios, dum fideles pauci sunt. Et ideo Ecclesia catholica in nostra regione videtur, praesertim a non christianis et etiam a christianis non catholicis, ut divisa, sine cohaesione.

Differentia magis apparet in kalendariis, in ieiuniis, in abstinentiis; quod quidam improbant, alii approbant cum maximo scandalo acatholicorum.

Exsistentia plurium dioecesium in unico territorio pro tam paucis fidelibus in tribus vel quattuor civitatibus magis nocet quam fovet actioni pastorali. Numerus fidelium catholicorum qui ritum localem et autochtonum Alexandrinum non sequuntur quotannis diminuitur variis ex rationibus, i. e. difficultates xenophobiae, etc., etc., et proinde censeo necessariam esse quamdam unificationem.

Mentem meam claris verbis expono et explico: In unoquoque territorio, e. g. in Aegypto, Syria vel Libano, habeatur tantummodo unica iurisdictio pro omnibus catholicis cuiuscumque ritus, cui omnes hierarchae subiiciuntur et ut patriarcha alexandrinus v. g., gaudeat plena iurisdictione in toto territorio sui patriarchatus et in omnes hierarchas qui intra limites patriarchatus adlaborant.

Episcopi diversi ritus, si necessarium est episcopos habere, *et hoc hodie non censeo,*[1] vicarii patriarchales erint pro cura animarum propriorum fidelium sub auctoritate patriarchae sedis exercenda.

Hoc modo labor pastoralis maiori cum fructu exercetur in unione cum capite locali.

Hoc modo servabitur etiam antiqua traditio ecclesiastica praesertim in oriente inde a primis saeculis vigens, secundum quam in uno loco non habetur nisi unus episcopus (cf. S. Ignatium Antiochenum et S. Cyprianum). Hinc patriarcha vel metropolita territorii habebit tot vicarios quot sunt ritus diversi in illo loco. Ipsi consilium patriarchale efformant.

Hic sermo est tantummodo de iurisdictione exercenda pro regimine dioecesis sed quaestiones merae liturgicae et spirituales integrae maneant sub vigilantia patriarchae vel metropolitae illius ritus.

Persuasum mihi est, hic modus agendi melius unitatem catholicam in varietate illustrat et ipsi christiani non catholici non *solum* [2] mirantur de hac organizatione, sed magis aestimant in catholica Ecclesia unitatem et collaborationem. Sic vires non dissipantur, associationes variae simul cooperant ad bonum commune totius regionis et in conformitate erimus cum n. 28.

Concludo: Expungatur a textu n. 31 ne multiplicentur sine necessitate dioeceses personales et ne habeantur plures episcopi in eodem territorio. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

16

Exc.mus P. D. ANTONIUS KHORAICHE
Archiepiscopus Sidoniensis Maronitarum

Venerabiles Patres,

Art. 31, cap. IV, de erectione dioecesium personalium ratione ritus, ut principium sumptus, certe placet: exprimit enim laudabilem intentionem Concilii servandi ritus in Ecclesia ubique terrarum.

Attamen accurata illius intellectio et practica applicatio, aliquas ponunt solvendas quaestiones, quas, humiliter, iudicio Patrum vellem subiicere.

1. Agitur in articulo de dioecesi personali erigenda in dioecesi territoriali iam erecta, quod supponit aliqua territoria iam esse ritui determinato propria. Si nunc ad statum vigentem inspicimus, invenimus ritum latinum possidere, per totum orbem, dioeceses territoriales, dum orientales ritus, ne in oriente quidem, possunt dici possidere proprium territorium, nam in uno eodemque territorio superponuntur plures iurisdictiones, non tantum orientales sed etiam et latina, quae omnes aequo

iure territoriales se considerant. Unde recta applicatio principii postulat delimitationem territorialem inter varios ritus.

2. Ordo hierarchicus in Ecclesia secumfert dependentiam episcopi a superiore auctoritate. Porro, in casu orientalium, episcopus cui committitur personalis dioecesis, et qui exinde est extra territorium proprii ritus, a quanam superiore auctoritate pendet? An ab Ordinario loci, qui certe est alieni ritus? Sed tunc finis intentus in articulo non obtinetur, *et aliquando dioecesis personalis extenditur ad plures dioeceses territoriales.*[1] An immediate a S. Sede? Sed tunc, licet mutatis mutandis, idem inconveniens adest nempe dismembratio fidelium eiusdem ritus. Manet ergo ut pendeat ab auctoritate superiore proprii ritus, nempe a patriarcha, et tunc certe obtinetur finis articuli, sed quia res non est per se evidens, ideo expresse declaranda.

Ex his quaestionibus patet adesse verum et grave problema circa coordinationem iurisdictionum in Ecclesia, quod per transennam, ut fit in articulo, solvi non potest. Nam modo procedendi in articulo proposito, non solvitur difficultas, sed via aperitur novis difficultatibus. Et ideo salva dispositione in articulo tradita et ut plenum effectum obtineat, videtur quaestio amplius pertractanda ut ad sequentes conclusiones deveniatur:

1. In unoquoque territorio, unica sit territorialis iurisdictio.

2. In unoquoque territorio sint tot iurisdictiones personales quot ritus diversi, sufficientem numerum fidelium habentes.

3. Omnis iurisdictio episcopalis pendeat a superiore auctoritate proprii ritus, et pro orientalibus a patriarcha.

4. Ad rectam applicationem horum principiorum recognoscantur territoria unicuique ritui propria.

Attamen si propter humanam fragilitatem, propositum hoc certe vere reformativum, oppugnaretur difficultatibus practicis, Concilium posset saltem principium affirmare, ut sit norma, in futuro data occasione sequenda, et pro praesenti, ad minus proclamare aequalitatem rituum ita ut agnoscantur, orientalibus in occidente, dioeceses eiusdem *ritus*[2] ac occidentalibus in oriente. Dixi. Et gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] iuris.

Moderator: Cum non sint alii oratores circa cap. IV,* audiatur nunc per modum conclusionis em.mus D. card. Marella, praeses commissionis.

---

* In congregatione generali sexagesima nona circa cap. IV schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* adhuc locutus est P. D. Sebastianus Valloppilly (cf. p. 409).

17

Em.mus P. D. PAULUS card. MARELLA

Venerabiles Patres,

Commissio conciliaris de episcopis et dioeceseon regimine multas gratias agit universis Patribus conciliaribus pro animadversionibus, sive voce factis in hac aula conciliari, sive scripto exhibitis, super schemate decreti *de episcopis et dioeceseon regimine.*

De omnibus iis votis et emendationibus quae sapienter ac prudenter a Patribus prolatae sunt, commissio debitam habebit rationem in recognoscendo schemate, praesertim cum statuenda erunt principia generalia, quae pro universa catholica Ecclesia valere debent, quaeque publicum rei christianae bonum respiciant necesse est. Gratias.

Moderator: Congregatio generalis erit feria II, hora 9, proxima, et sermo erit de oecumenismo et discussio instituetur de schemate in genere.

Em.mus P. D. Eugenius card. Tisserant: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAPP. III-IV SCHEMATIS

DE EPISCOPIS AC DE DIOECESIUM REGIMINE

I

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. III SCHEMATIS DE EPISCOPIS AC DE DIOECESIUM REGIMINE *

1

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Pag. 14, linn. 26 s.: « statutis... probandis »: nonne sufficeret « recognoscendi »? (cf. pag. 14, lin. 23).

Pag. 15, lin. 1: fortasse melius « Apostolica Sede consentiente »: item, pag. 18, nota 6.

Ad notam n. 6: nonne illa, quae dicuntur ibi de pluribus conferentiis in eadem natione constituendis utiliter in textu inseri possent?

Pag. 15, lin. 9: numquid inter episcopos titulares, de quibus hic sermo est, comprehenduntur etiam episcopi *auxiliares*? Si ita est, potest dici: « Episcopi mere titulares, in natione degentes, sive auxiliares sive non... ».

Pag. 16, lin. 9: « De suis agendi rationibus: expressio nimis condensata; proponitur: « de sua agendi ratione eiusque motivis ».

2

EM.MUS P. D. RADULFUS CARD. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

N. 20, pag. 15, post lin. 22, addatur: « Praeses uniuscuiusque episcoporum conferentiae sit episcopus ad hoc munus electus absoluta maioritate suffragiorum membrorum pleno iure ipsius coetus, quae suffragia semper secreto ferri debent. Munus praesidis ad tempus, legibus particularibus determinandum, exerceatur ».

Ratio huius emendationis vel additionis est vitare quod munus praesidis sit alicui sedi episcopali, archiepiscopali vel etiam primatiali annexum. Evidenter, ut ex se patet, Summus Pontifex, peculiaribus adiunctis id suadentibus, aliter semper providere potest.

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta est.

Cui accedunt 39 Patres: Alfredo Viola, ob. de Salto (Uruguay); Jorge Manrique, ob. de Oruro (Bolivia); Armando Gutiérrez, ob. de Pionia, aux. de La Paz (Bolivia); Buenaventura Juáregui, ob. de Zipaquirá (Colombia); Emilio Tagle, arz.-ob. de Valparaíso (Chile); Alberto Rencoret Donoso, arz. de Puerto Montt (Chile); Eusebio Septimio Mari, vic. apost. de Ríohacha (Colombia); Juan Díaz Plata, o. p. prel. null. de Bertrania (Colombia); Alejandro Durán, ob. de Ancud (Chile); Guillermo Hartl, ob. tit. de Stratonicea, vic. apost. Araucanía (Chile); Baltasar Alvarez, ob. de Pereira (Colombia); Francisco Gillmore, ob. tit. de Auzia, vic. Castrense (Chile); Manuel Larraín, ob. de Talca (Chile); Miguel Angel Builes, ob. de S. Rosa (Colombia); Cándido Rada, ob. de Guaranda (Ecuador); Francisco Valenzuela, ob. de Antofagasta (Chile); Roberto Cáceres, ob. de Melo (Uruguay); Alejandro Menchaca, ob. tit. de Pinara (Chile); Miguel Antonio Medina, ob. tit. de Cefa, aux. de Medellín (Colombia); Jorge A. Giraldo, ob. de Pasto (Colombia); Enrique Alvear Urrutia, ob. aux. de Talca (Chile); Antonio María Aguirre, ob. de S. Isidro (Argentina); Marcelo Mendiharat, ob. tit. de Zerta, coad. de Salto (Uruguay); Teodoro Eugenín, ob. tit. de Gerisso (Chile); Antonio Quarracino, ob. de 9 de Julio (Argentina); Juan Francisco Fresno, ob. de Copiapó (Chile); José Manuel Santos, ob. de Valdivia (Chile); Alfonso Uribe Jaramillo, ob. tit. de Aureliopoli, aux. de Cartago (Col.); José Joaquín Flórez, ob. de Duitama (Colombia); Bernardo Arango, ob. de Barrancabermeja (Colombia); Pedro José Rivera Mejía, ob. de Socorro y San Gil (Colombia); Sergio Méndez Arceo, ob. de Cuernavaca (Méjico); Rafael Sarmiento Peralta, ob. de Ocaña (Colombia); Angel Ocampo Berrío, ob. de Tunja (Colombia); Raúl Zambrano Camader, ob. de Facativá (Colombia); Vladimiro Borić, ob. de Punta Arenas (Chile); Bernardino Piñera, ob. de Temuco (Chile); Augusto Salinas, ob. de Linares (Chile); Maximiano Valdés, ob. de Osorno (Chile); Eladio Vicuña, ob. de Chillán (Chile).

3

Exc.mus P. D. ADALBERTUS ALMEIDA MERINO

Episcopus Zacatecensis

En propositio mea: conferentia episcopalis potest et debet habere vim iuridicam obligandi in aliquibus casibus et quidem paucissimis, propter commune Ecclesiae, approbante Summo Pontifice.

A. *Potest...* Quia aliqui Patres dubitare videntur de ipsa possibilitate facultatis, haec profero: Conferentia habebit vim iuridicam

1. *Ex approbatione Summi Pontificis* quae semper requiritur in his casibus et hoc propter eius supremam potestatem in universa Ecclesia. Nemo dubitat Concilia plenaria et provincialia habere potestatem iuridicam intra suum ambitum approbante Summo Pontifice. Unde, a pari, in conferentiis episcopalibus.

2. *Ex collegialitate iuridica* si definitive approbetur a Concilio, ut solido fundamento innixi speramus. Post approbationem definitivam Concilii, collegialitas vere iuridica et quidem ex iure divino, erit *certa* et suam lucem effundet supra ipsum Concilium Oecumenicum quod est maximus actus collegialitatis vere iuridicae, et super plenaria et provincialia Concilia et tandem super conferentias episcopales iuridice agentes, utique *semper* approbante Summo Pontifice.

3. De cetero, V. P., iam eam *admisimus aliquo modo* in re liturgica ubi de vernacula lingua agitur, et quidem cum formula « actis recognitis a Summo Pontifice ».

4. Praeterea, *mirum* esset admittere collegialitatem iuridicam et ex iure divino et *nullibi exerceri posse*; age vero, si exercetur in Concilio Oecumenico, omnino admitti potest hoc exercitium in Conciliis plenariis et provincialibus, necnon in conferentiis quia agitur semper cum Summo Pontifice.

B. *Debet...* 1. Propter bonum commune Ecclesiae vel nationis. Et hoc videtur per se clarum. Cogitetis, V. P., de ultima littera pastorali conferentiae italicae, utique, absque dubio opportunissima, necessaria et urgentissima propter circumstantias quas bene nostis... Quid accidisset si pars notabilis episcoporum suam adhaesionem non praebuisset et hoc publice cognosceretur? Quis potest damnum pro Ecclesia et pro natione ipsa, immo vero et scandalum commensurare?

2. Puncta illa praecipua quae in schemate indicantur desumpta sunt ex amara experientia.

3. Conferentiae illae magnae quae faciliter perveniunt ad unanimem consensum, habebunt praeterea meritum oboedientiae in paucissimis, et quidem propter bonum commune, et libertatem omnimodam in omnibus aliis rebus. De cetero, hoc etiam accidit in nostra conferentia ubi libentissime sumus concordes quando agitur de opere caritatis vel pietatis... Sed aliud est in rebus gravissimis ubi timetur, v. g.: persecutio generalis vel clausura omnium scholarum catholicarum ex una parte; et ex altera, violatur ius naturale vel ius divinum Ecclesiae et Ecclesia, ut videtur, tacere *non debet.* Quis non videt omnino requiri in istis casibus, plenus, fortissimus et immediatus actus totius hierarchiae nationis?... Immo, vero, actus paucorum esset valde imprudens?

C. Agitur de paucissimis punctis sive a iure communi, sive a Summo Pontifice, sive a conferentiis designatis et communi consensu habitis ut maximi momenti.

D. A Summo Pontifice approbata: haec nobis praebet magnam tranquillitatem ex una parte; ex altera, vero, parte, conferentia ipsa suam responsabilitatem assumit et magnum auxilium praebebit Summo Pontifici in rebus gravissimis.

Nec dicas: Hoc est contra monarchiam gubernii dioecesani. Nam quaero... Sunt etiam contra talem monarchiam Concilia plenaria et provincialia...? Ergo nec conferentiae in illis paucissimis casibus.

Conclusio: Conferentia episcopalis *potest* et *debet* habere vim iuridicam obligandi in aliquibus casibus et quidem ex natura sua paucissimis, propter bonum commune Ecclesiae, approbante Summo Pontifice.

4

EXC.MUS P. D. CUSTODIUS ALVIM PEREIRA

Archiepiscopus de Lourenço Marques

1. Ad n. 19, pag. 15, § 1, post verbum « coadiutores » addatur « et auxiliares » et ratio est quia etiam auxiliares habent iurisdictionem (cf. n. 15, pag. 11).

2. Secunda paragraphus huius numeri *omitti potest*. Si adsunt alii episcopi titulares qui *non sint* coadiutores vel auxiliares, aut sunt senes aut alia de causa extra gubernium Ecclesiae sunt positi. Non eis interest cooptari in conferentiam.

3. Ad n. 24, pag. 16. Nullum *valorem iuridicum* tribuatur conferentiis, nisi « singulis casibus » a S. Sede statuatur.

5

EXC.MUS P. D. ANGELUS BARBISOTTI

Episcopus tit. Cauniensis, vic. ap. Esmeraldensis

Adhaereo iis omnibus quae tam bene et eloquenter dicta sunt a pluribus em.mis et exc.mis Patribus, speciatim a cardd. McIntyre, Meyer, Ruffini, Frings, Spellman etc. de excellentia et opportunitate conferentiarum episcopalium sive nationalium, sive internationalium. Item eorumdem Patrum voto assentio in neganda opportunitate concedendi vim iuridicam deliberationibus conferentiarum, non tantum internationalium, sed et nationalium. Saepe saepius quod bonum, vel etiam necessarium potest esse pro una parte territorii, inutile, vel nocivum est in alia. Quod praesertim accidit quando de eadem conferentia participant ordinarii locorum missionum, et episcopi dioecesium iam constitutarum.

2. Ad conferentias nationales velim vocentur non tantum episcopi residentiales, ut dicitur in schema, sed et alii ordinarii locorum, etsi charactere episcopali carentes, et omnes episcopi titulares, utique cum voto deliberativo. Immo, salvo meliori iudicio, mihi videtur opportunum ut etiam Ordinarii personarum qui ad concilium vocantur, conferentiae episcopali inviten-tur. Saepe accidit ut ii in contactum sint cum personis culturae, artis, etc. docentibus, e. g. in suis scholis et universitatibus, qui raro in contactum episcopi sunt: ideoque eorum opinio valde utilis esse potest. Hoc mihi videtur statuendum ut principium generale; singulis conferentiis relinquentes cetera minoris momenti.

6

EXC.MUS P. D. ALOISIUS BETTAZZI
Episcopus tit. Thagastensis, aux. Bononiensis

Sapientioribus consentiens, solemnitatem aulae vel per speciem sic dictae « polemicae » non conturbandam opinantibus, interventionem hanc vobis legere non valui; mihi autem, minimo Patrum, atque — qua titularis — tamquam abortivo, liceat adhuc officium absolvere, quod puto, veritatem defendendi atque clariorem reddendi, non paucis Patribus, sive ex Italia sive ex aliis nationibus, mecum substantialiter consentientibus necnon ex me petentibus ut communem mentem scriptis saltem promam.

Venerabiles Patres, credo in Sacrosanctum Concilium Oecumenicum. Si quid hic sumus, et quidem iure divino, cogitetis ex quonam fundamento Scripturarum hoc simus: textus ex quibus nostram colligimus potestatem non loquuntur de sessionibus Concilii, loquuntur de apostolis simul sumptis in bonum totius Ecclesiae: omnes apostoli — sub Petro quidem — pro tota Ecclesia.

Successive — nisi temporis, saltem naturae — factum est ut bonum animarum ferret ad coniunctionem uniuscuiusque episcopi cum singula dioecesi: fuit quasi peculiaris restrictio seu specificatio missionis universalis ad coetum peculiarem; quae specificatio determinari potuit a potestate suprema, sive a Romano Pontifice, sive a collegio cum capite.

Iam ab initio factum est ut episcopi singularum provinciarum sentirent se non esse « monadas clausas », neque, historia teste, suam potestatem sic absolutam esse ut nullo alio limite, nisi a Romano Pontifice, limitaretur. Undenam Conciliis provincialibus facultas interveniendi auctoritative, facultas ipsa suspendendi episcopos, nisi ex eo quod persuasum fuerit episcopos esse quidem pastores in sua dioecesi, sed esse quoque membra corporis episcopalis et ex hac parte per ipsum provinciale Concilium limitari?

Cogitetis de munere et de missione Conciliorum provincialium inde a primis saeculis Ecclesiae, inde a Concilio Nicaeno, statuente episcoporum provinciae munus esse novum episcopum consecrandi. Nonne in Conciliis provincialibus negotia Ecclesiae per plura saecula acta sunt? Ipsaque Ecclesiae defensio contra haereses, ipsaque postridentina Ecclesiae reformatio per Concilia provincialia perfecta est (cf. v. g. activitatem S. Caroli Borromaei).

Nihil ergo vetat quod nostris quoque temporibus suprema potestas — Romanus Pontifex aut Concilium cum ipso — determinet conferentias episcopales esse medium aptum exprimendi hanc potestatem collegialem pro singulis, v. g., nationibus. Fundamentum potestatis pro singulis conferentiis erit ipsa missio universalis episcopis data, quae a suprema potestate iure positivo singulis episcoporum coetibus determinaretur.

Venerabiles Patres, credo in Sacrosanctum Concilium Oecumenicum: hac de causa credo Concilium ipsum posse et debere in dies clariorem reddere

suam ipsius potestatem, potestatemque episcoporum sive singulatim sumptorum sive in coetibus collectorum. Hoc videtur munus nobis a Spiritu Sancto impositum, a nobis cum amore in actum deducendum.

Hac de causa valde miror — omnesque laudati episcopi mecum valde mirati sunt — quod ulterius votum illud diei 30 octobris impugnandum veniat. Utique non est definitio, sed est tam clara, tam aperta orientatio Concilii ut illud impugnare iniuriosum appareat. Iniuriosum quidem pro ipso Summo Pontifice qui nobis per moderatores a Se electos loquitur: saltem suspicandum sit, in re tanti momenti, moderatores votum non requisisse, textumque non praebuisse inconsulto ipso Summo Pontifice. Liceatque mihi addere illud esse iniuriosum pro Sacrosancto Concilio necnon pro Patribus illud constituentibus, quasi ipsi ignari votum dederint rebus non satis cognitis. Nonne variae suffragationes pro quinque quaestionibus sufficienter documentant Patres apprime recognovisse valorem textuum, ita ut septuaginta Patribus quibus prima quaestio placuit, altera non placuerit, ducentis quibus altera placuit, tertia vero non placuerit, et ita porro?

Quod si haec omnia vera non sint, sinatis mihi recolere Concilium illud in mea regione — Arimini dico — transactis saeculis peractum; in quo Patres, artificiose deprehensi, suspectae formulae nomen dederunt: « ingemuit totus orbis — ut Hieronymus testatur — et Arianum se esse miratus est »!

Quid in casu?

Non est meum iudicare quomodo solutio detur: praesertim cum satis apertum sit commissionibus votum non placuisse. Sed tunc quomodo poterunt commissiones textum aptare ut Concilio placeat? Ordo Concilii non praevidet casum oppositionis inter commissiones et ipsum Concilium: fortasse, solvendum Concilium?!...

Sed liceat mihi, venerabiles Patres, quaerere cur tam gravis oppositio in nostra quaestione facta sit. Timetne quis nostris decisionibus primatum Summi Pontificis in dubium verti? Sed nemo, absolute nemo est inter nos qui de minuenda summa Romani Pontificis potestate vel in minimis cogitet: hoc pluries dictum est, sed, ut videtur, hoc nondum creditur. Sed tunc cur iterum ad Synodum Pistoriensem appellatur? Quae Synodus valde clare excludit possibilitatem limitandi episcoporum potestatem ex parte potestatis supremae, et hac de causa reprobatae sunt eius sententiae: nullo modo assumere possumus bullam *Auctorem fidei* ut quaestionem nostram dirimamus de potestate episcopi nativa aut delegata. Tantum quaedam analogiae inveniri possunt: quae tamen, sive ex textu, sive ex contextu, omnino diversae resultant.

Cur ergo conferentiae impugnantur? Fortasse ex practicis perplexitatibus.

Attamen quaeso, ne misceantur quaestiones: altera est quaestio dogmatica, de amplitudine missionis episcopalis, necnon de iure episcoporum in conferentiis, altera quaestio practica de modo conferentiarum condendarum: mihi non videtur Concilio dignum urgere Patres ut sententiam dogmaticam mutent

eis proponendo periculum consequentiarum, seu limitationum in iure personali. Non est utilitas personalis quae Patres inducere possit ut sententiam theologicam mutent.

Ceterum optime quaestiones practicae solvi possint: quis ex nobis contradicet si conferentiae, in quibus suprema Concilii potestas — cum et sub Romano Pontifice — agnoverit missionem apostolicam, valorem iuridicum in suis decisionibus non habeant nisi tertia ex quatuor episcoporum partibus, sive quarta ex quinque decreverit? Et hoc salvo semper supremo iure Romani Pontificis.

Sacrosanctum Concilium hoc etiam posset decernere, sua vota, ut ita dicam, articulans: quod ubi conferentiae nondum structuram sat claram invenerint, obligationem tantum moralem inducant, minime impediendo quod ubi iam vim iuridicam polleant — vel ubi illam brevi acquisiturae sint — illa gaudere valeant, plenius apostolicam missionem participantes.

Venerabiles Patres, ipsum bonum animarum hoc exigit, et haec est ratio ut Concilium, in dies res dogmaticas profundius investigans, in dies etiam plenam Episcopatus nostri naturam clarescere faciat.

Expectationes mundi ne parvipendamus, qui a nobis non tantum signum et vim unitatis exquirit, et quidem organicae, sed sinceri et, ut ita dicam, « desinteressati » laboris ut sollicitationes Spiritus assequi valeamus.

Humillime, in quantum potui, dixi.

7

Exc.mus P. D. ROBERTUS BÉZAC

Episcopus Aturensis et Aquae Augustae

Liceat mihi de n. 19 cap. III, de nationali conferentia, pag. 15, duas breves animadversiones proponere.

Prima animadversio. Conferentia nationalis de qua agitur est ens iuridicum novum in Ecclesia. In lege canonica enim numerantur concilia plenaria, provincialia, immo coetus metropolitani episcoporum. Non invenitur conferentia illa nationalis. Conveniunt de facto in aliquibus nationibus episcopi et quidem regulariter, ut memoravit em.mus card. Frings. Sed hi conventus aliquid habent opportunitatis et particularismi, non figuram institutionis Ecclesiae universalis. Cum ergo conferentia sit, ut ita dicam, filia nostri Concilii Vaticani II, illam peculiari diligentia curare debemus.

De cetero, quoad futurum, conferentia illa magnum momentum in vita pastorali uniuscuiusque nationis assumptura videtur. Sit, ut exemplum, pars non parva quae ei tribuatur in applicatione decretorum de re liturgica.

Ergo valde interest principia theologica necnon iuridica certa statuere ex quibus determinentur quinam membra eius futuri sunt et quisnam praeses et quaenam eorum iura.

Sane ordo caritatis est ordo supremus et communio mentis et operatio-

nis regula aurea pro episcopis. Sed episcopi cum simus, homines sumus. Si non adest conferentiae nationali aliqua saltem iuridica structura, timeo ne efficacia eius graviter minuatur.

1. *De admissione membrorum.* Affirmandum est omnes qui charactere episcopali ornantur membra esse, de iure, huius conferentiae territorii in quo domicilium habeant. Id eis competit ex potentia Ordinis, nempe episcopalis, quem receperunt. Hoc enim consentaneum est cum iis quae iam in hac aula pluries dicta sunt de sacramentalitate episcopatus, immo de collegialitate in qua, forsan, saltem ut est iure divino, non potest dici directe fundari conferentia, sed cuius est certe efficax exercitium.

Iis addendi sunt Ordinarii locorum qui, quamvis charactere episcopali careant, a iure canonico episcopis residentialibus assimilantur, scil. abbas nullius, praefectus apostolicus, etiam, ut mihi videtur, vicarius capitularis, exceptis vicariis generalibus qui de facto in textu nostro excluduntur.

Haud ignoro hanc assimilationem secumferre aliquam difficultatem, quin dicam contradictionem, cum praecise criterium adhibitum sit ipsa potentia Ordinis. Sed similis difficultas adest quoad praesentiam eorumdem membrorum in Concilio oecumenico et, ut puto, non inventa est usque modo solutio. Ergo dicam: si adsunt in Concilio, possunt adesse in conferentia. Qui potest plus potest et minus.

2. *De votatione membrorum.* In determinando autem quibus ex eis suffragium deliberativum aut tantum consultativum concedendum erit, uti debemus, meo iudicio, principio iurisdictionis, saltem lato sensu.

A. Suffragio deliberativo frui debent omnes episcopi residentiales, ratione Ordinis episcopalis et ratione iurisdictionis territorialis stricte dictae.

B. Etiam episcopi non residentiales qui aliqua iurisdictione fruuntur, ut ita dicam, subsidiari, v. g. coadiutores, qui nominatim in textu nostro indicantur, et auxiliares, de quibus exc.mus McDevitt tam egregie locutus est. Et etiam episcopi qui responsabilitate speciali onerantur vi alicuius officii ecclesiastici, sensu canonico huius termini, utpote rector universitatis, assistens generalis actionis catholicae, episcopus castrensis, etc. ... qui in statibus particularibus conferentiae enumerari possent.

C. Ii Ordinarii locorum qui charactere episcopali carentes, vi iurisdictionis episcopis residentialibus assimilantur ex can. 198.

D. Suffragio autem consultativo tantum frui debent omnes alii episcopi titulares, qui, de facto, iurisdictione non pollent.

Secunda animadversio. In capite nostro nihil dicitur de praeside conferentiae nationalis determinando et hoc quidem mirum est cum hic praeses magnum influxum in laboribus episcoporum coadunatorum sit habiturus.

Praeses autem videtur eligendus esse ab omnibus in conferentia praesentibus et quidem voto secreto, secundum normas quae electionem canonicam regunt.

Et hoc quidem generatim nisi pro conferentia particulari adiuncta aliter suadeant.

Votum meum ergo est: 1. ut n. 19 secundum distinctiones propositas recognoscatur; 2. ut textui nostro paragraphus addatur qua determinetur quomodo praeses conferentiae constituatur vel potius eligatur.

8

Exc.mus P. D. VINCENTIUS BRIZGYS
Episcopus tit. Bosanensis, aux. Kaunensis

Liceat de conferentiis episcoporum sequentes ideas exprimere:

1. Ecclesia est una et non tot Ecclesiae, quot dioeceses. Ergo non est rectum loqui sine ulla restrictione de Ordinarii monarchia in propria dioecesi. Etiam communes necessitates pastorales vetant Ordinarios regere suam dioecesim sine ullo respectu ad alias.

2. Omnes episcopi sumus episcopi universalis et unius eiusdemque Ecclesiae: unus sic alter vero sic. Unus Ordinarius in dioecesi et alter sine dioecesi servit eidem Ecclesiae non minus valido modo, quam illi regentes dioeceses.

3. In unaquaque regione dantur et possunt dari negotia etiam directe conspicientia salutem animarum, pericula non unius vel alterius dioecesis propria, sed communia integrae nationi vel etiam regioni. Negotia propria alicuius unius dioecesis nostris temporibus sunt pauca et solummodo secundarii valoris.

Dantur necessitudines et pericula tam gravia, ut sua natura obligant omnes episcopos talis vel talis nationis vel regionis ad uniformem status rei aestimationem et actionem. In certis casibus defectus uniformitatis inter episcopos posset esse malus in se.

Ergo Ordinariorum monarchica auctoritas et authonomia sumenda est cum grano salis.

4. Evitanda tamen est formula seu terminologia, per quam episcopi eiusdem nationis vel regionis deberent formare aliquod cooperativum, in quo omnes membri manerent ligati opinione seu iudicio maioris partis membrorum.

Propono igitur:

1. Conferentiae *omnium* episcoporum cuiusque nationis sunt obligatoriae unoquoque anno. Sine conferentiis vix possibile est in multis quaestionibus creare unam mentem et unum omnium agendi modum.

2. Omittantur omnia, quae in schemate dicitur de obligatione decisionum acceptarum absolutae maioris partis vel 2/3 episcoporum. In rebus clarae necessitatis, utilitatis, opportunitatis non est difficile unanimem omnium consensum obtinere. Hoc iam a multis annis probant conferentiae episcoporum variarum nationum. Quod vero non accipitur nisi a maiori parte vel 2/3 episcoporum, valde dubitandum est de illius necessitate, utilitate vel opportunitate.

Propterea, quae continentur sub n. 24 (pag. 16) delenda esse censeo, praeter ea quae sub littera *a*) continentur.

Si illae maiori parti episcoporum videtur imponenda esse et aliae parti episcoporum, qui diverse sapiunt, ipsi recurrant ad Sanctam Sedem et non episcopus pro suis iuribus contra aliter opinantes. Iudicio Sanctae Sedis omnes libenter assentient.

3. Conferentias regionales diversarum nationum simul puto esse in multis casibus omnino necessarias. Sunt enim plura et temporis cursu pluriora evadunt negotia, pericula, mala communia saltem vicinis nationibus, qui in una et ab una natione nec solvi possunt nec superari; qui indigent unanimi actione totius regionis vel saltem vicinarum nationum.

9

Exc.mus P. D. ISMAEL MARIUS CASTELLANO
Archiepiscopus Senensis

Cap. III « De nationali episcoporum coetu seu conferentia » mihi placet, sed iuxta modum tantum.

Conferentiae episcopales nationales ignorantur a Codice Iuris Canonici; in aliquibus nationibus a pluribus annis exsistunt, in aliis, v. g. in Italia nuper constitutae sunt, in aliis adhuc desiderantur. Ergo hic agitur de *vera novitate* introducenda aut canonizanda in organizatione et regimine et vita totius Ecclesiae; ideo caute procedendum ne principia iuris divini laedantur et structura plus quam necessario gravis introducatur.

In primis dolendum est quod nihil dicatur de *conferentiis regionalibus*, quae et ipsae magnum habent momentum et aliqua indigent disciplina, ut efficacius adlaborent ad bonum Ecclesiae consequendum et cum conferentia nationali apte coordinentur. Quae coordinatio omnino necessaria est, quia conferentiae nationales nunc exsistentes a solis cardinalibus et archiepiscopis metropolitis constituuntur.

Praeterea nihil statuitur *quoad religiosos*, quorum collaboratio ad bonum commune obtinendum omnino necessaria videtur et a Concilio nostro enixe commendatur. Revera in conciliis plenariis et provincialibus, sicut patet ex cann. 282 et 286, religiosi aliquem locum habent; ideo opportunum videtur aliquid simile statuere pro conferentiis regionalibus et nationalibus: v. g. quod semel in anno superiores maiores religiosi conferentiis episcopalibus participent ad res communes cum ipsis episcopis pertractandas.

Adhuc, et haec est quaestio maximi momenti, iuxta n. 24 in pag. 16, decisionibus conferentiae episcopalis datur vis obligandi episcopos etiam dissentientes et ita instituitur verum *organum iurisdictionale* supra episcopos et infra Summum Pontificem. Nec dicatur: vim obligatoriam dari tantum decisionibus latis in casibus hic taxative enumeratis; quia formula quae invenitur sub littera *d*) talis est amplitudinis, quod omnibus decisionibus applicari

possit. Dicitur enim decisiones vim obligatoriam obtinere posse quandocumque agitur de re gravi, et certissime nemo inter nos vult conferentias adire nisi ad res graves pertractandas.

Ergo ex isto novo organo iurisdictionis potestas gubernandi propriam dioecesim, quae ad *singulos* episcopos pertinet, valde minuitur; libertas episcoporum valde ligatur non a Summo Pontifice, sed ab aliis episcopis; ipsa episcopalis responsabilitas aliquomodo alienatur seu transfertur a singulis in conferentiam. Aliis verbis conferentiae, non episcopi singuli, regerent dioeceses et episcopi essent in suis dioecesibus vicarii conferentiarum earumque exsecutores; conferentiae essent non solum signum collegialitatis, sed instrumentum iuridicum et iurisdictionale sicut Concilium Oecumenicum et Concilia plenaria et provincialia.

Magna ergo prudentia procedendum est et, meo humili iudicio, nihil innovare in hac re, seu relinquere conferentias sicut nunc se habent, scil.:

1. Episcopi, in conferentia, *simul,* suam potestatem exercent et singuli recipere possunt vel non quae etiam maiori parti placeant.

2. In casibus particularibus, a S. Sede vel a Concilio Oecumenico statutis, maior pars conferentiae ius habent praesentandi seu proponendi aliquid S. Sedi et post approbationem Summi Pontificis, qui est Pastor omnium pastorum et omnium fidelium, decisiones vim suam obligandi accipiunt.

Denique, quae sub littera *c*) in n. 24 dicuntur mihi non placent, quia valde periculosum est assignare episcopis in conferentia coadunatis ius et officium tractandi cum gubernio civili de sic dictis « rebus mixtis ». Omnes scimus quid accidere potest praesertim cum gubernia civilia infensa sunt Ecclesiae; et praeterea praxis traditionalis Ecclesiae est *reservari S. Sedi* concordata iniri et alia huiusmodi cum guberniis civilibus. Episcopi aliquid agere valent, sed de mandato S. Sedis. Haec causa maior ergo maneat reservata S. Sedi.

Conclusio. Iuxta modos supra indicatos cap. III opportune reformetur.

10

Exc.mus P. D. ANDREAS M. CHARUE
Episcopus Namurcensis

Loquor in nomine episcoporum Belgii.

Mihi in intentione est quasdam considerationes evolvere, quae forsan conferre possent ad theologicum fundamentum conferentiarum episcoporum illustrandum atque ad earum relationem, si quae est, cum collegialitate episcoporum determinandam.

Ex colloquiis quae inter nos, in hac Sacra Synodo, habuimus, plura maximi momenti e fontibus iam elucescunt, v. g. inter alia, ad rem nostram quod attinet, quae sequuntur; 1. omnino servanda est authentica doctrina Vaticani I circa praerogativas Summi Pontificis, sed insimul oportet ut

in congrua aequilibritate, ut aiunt, determinentur munus et potestas episcoporum, qui sunt et ipsi, ut nuper dicebat Summus Pontifex feliciter regnans, apostolorum successores; 2. omnibus episcopis conferuntur, et quidem in ipsa consecratione episcopali, munus atque cum munere collata potestas sanctificandi, docendi et regendi in Ecclesia Christi; 3. tamen, exercitium, episcopalis potestatis legitimum non est, immo in pluribus efficax esse non potest nisi in communione cum collegio episcoporum catholicorum, maxime autem cum eius capite, successore Petri; 4. in nostris disceptationibus patet quantum importet duplex exercitium distinguere illius officii episcopis commissi, alterum quod ipsam universalem Ecclesiam respicit, alterum spectans ad Ecclesiam particularem, cui praeficitur episcopus sic dictus residentialis.

Atqui, quaestio de conferentiis episcoporum nos hodie magis ac magis sollicitat quia praecise, praesertim inde ab encyclicis Pii XI, Pii XII et Ioannis XXIII, sollicitudo omnium Ecclesiarum urget nos, quia motus collegialitatis speciatim relate ad illam universalitatem nostrae missionis maxime attenditur. Attamen, mihi videtur conferentias episcoporum, uti de eis hodie fit sermo, de se et primario spectare ad exercitium potestatis in Ecclesiis particularibus, in quibus gregis seu dioecesis cura a suprema auctoritate, hodie saltem a Romano Pontifice, alicui episcopo ut proprio pastori commendatur. Mentem meam explico.

Iam a primis saeculis pastores praeoccupati sunt de relationibus inter suas vicinas Ecclesias, speciatim de optanda uniformitate in earum legislatione atque de coordinatione maiorique efficacia apostolici laboris. Unde videmus episcopos cito convenire in synodis, quae postea concilia provincialia vocatae sunt; cito etiam apparent concilia regionalia et nationalia, in quibus pastores suam propriam docendi et regendi potestatem coniunctim seu collective exercent in maioribus Ecclesiarum causis. Ille mos ita iam saec. IV invaluerat ut Patres Concilii Nicaeni, a. 325, duo concilia provincialia quoquo anno celebranda omnibus episcopis imponerent.

Atqui videtur, omnibus perpensis, conferentias episcoporum de quibus cogitatur hodie figuram seu formam novam constituere illius perantiqui exercitii collectivi potestatis episcopalis in favorem alicuius regionis. Congregati in unum, episcopi nostri deliberant et consentiunt feliciter utique in sollicitudine quam habent et habere debent circa universalem Ecclesiam, in sensu ergo, ut aiunt, collegialitatis, sed hoc tamen non est essentiale in nativo conferentiarum conceptu. A. v., non videtur necessarium ut introducatur in iure nova institutio, quae se substitueret particulari regimini pastorum in eorum propriis dioecesibus. Sufficit ut modo novo ac nostris diebus adaptato exerceatur coniunctim propria potestas episcoporum regionis. Formaliter ergo, episcopi interveniunt in casu non ut membra collegii episcoporum, quod ad Ecclesiam sub ductu Summi Pontificis respicit, sed revera ut pastores proprii suarum Ecclesiarum. Remanet evidenter quod Auctoritas suprema, cuius est exercitium potestatis episcoporum moderari, decidere potest ut sub certis conditionibus et in certis circumstantiis talis aut talis regionis, decisiones

conferentiarum vim vere iuridicam in omnibus dioecesibus habeant. In principio tamen optandum est ut illi casus sint omnino exceptiones. Potius remaneant conferentiae in plano pastoralis sollicitudinis et S. Synodus votum in hoc sensu exprimere posset.

Concludo. Sermo caute fiat de collegialitate quando loquimur de conferentiis episcoporum. Attente distinguamus inter spiritum quo movemur et iuridicam institutionem ipsam. Prospectus enim iuridicus conferentiarum non est, saltem primario, prospectus universalis Ecclesiae, sed utique prospectus dioecesanus vel interdioecesanus. Puto hanc observationem utilem esse ut confusio quae mentem quorumdam occupare videtur facilius dispellatur. Breviter, conferentiae multum conferre possunt ad exercitium sollicitudinis omnium Ecclesiarum, sed ex natura sua remanent exercitium propriae potestatis quam quisque episcopus habet in sua dioecesi.

Remanet difficultas! Non intelligo differentiam quae in schemate intercedit inter coadiutores et auxiliares, cum omnes eamdem episcopalem consecrationem receperint et cum utrique non concredatur grex proprius. De cetero autem tum auxiliares tum coadiutores, dum consecrantur, ad servitium determinati dioecesis destinantur et illud servitium exinde gratia episcopali gaudet. Nonne recognosci deberet eorum conditio ita ut realitati theologicae melius adaequentur canonicae determinationes?

11

EXC.MUS P. D. THOMAS COORAY
Archiepiscopus Columbensis in Ceylon

1. Collegialitas episcoporum iure divino habetur tantum in *toto* corpore episcopali una cum Romano Pontifice. Eius exercitium profertur tantum vel in Concilio Oecumenico vel cum Romanus Pontifex episcoporum sententiam alio modo petit.

2. Conferentiae autem episcopales nullo modo ab ista collegialitate pendent, et idcirco sunt tantum originis ecclesiastici, et ideo iure divino nullam vim habent.

3. Romanus autem Pontifex suprema sua auctoritate regiminis potest iura illis conferentiis concedere.

4. Valde opportunum est ob modernas evolutiones sociales et politicas, ut quaedam iura illis concedantur prout fit sub n. 24 (pag. 16). Praesertim quod habetur sub n. 24 *c*) est maximi momenti in nationibus sub regimine vel influxu communistico. Nam si quocumque modo deest unio et solidaritas inter episcopos vel uniformitas in eorum modo agendi, statim fautores communismi conantur mediis insidiosissimis dissensiones inter ipsos tum creare tum augere, quosdam etiam beneficiis alliciendo, et in fine schismata creare. Ita, ni fallor, factum est in Sinis, et ita de facto fit, experientia loquor, in nationibus ubi influxus communisticus praevalet.

5. Ratio enim boni communis totius nationis debet praevalere super iura ecclesiae particularis.

6. Decernere utrum bonum commune in periculo versatur an non, relinquendum est ipsi conferentiae episcopali, saltem si recursus ad Sanctam Sedem impossibilis vel difficilis evadat.

12

EXC.MUS P. D. IOSEPH CORDEIRO

Archiepiscopus Karachiensis

Nomine episcoporum de Pakistan qui subsignaverunt, sequentes observationes circa cap. III decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine* scripto tantum trado.

Conferentiae episcoporum vim iuridicam non debent habere propter pericula metuenda. Si haec pericula existunt in regionibus ubi condiciones sunt homogeneae eo magis timenda sunt ubi condiciones in ipsa regione sunt omnino diversae. Moralis unanimitas inter episcopos eiusdem conferentiae magis fovet uniformitatem in actione, et fraternam caritatem quam iuridica impositio. Ideo: par. 22 et 23 deleantur.

Quoad par. 24, n. 1, pro verbis « et pro duas saltem ex tribus partibus » substituantur « quatuor saltem ex quinque partibus ».

Quoad par. 24, 1 *a*) deleantur verba « iure communi », et pro verbis « Apostolicae Sedis » substituantur « Romani Pontificis ».

Deleantur *b*) *c*) *d*) ex eadem paragrapho n. 1.

Quoad par. 25, etiamsi relationes inter varias conferentias utiles sint, attamen rationes contrariae speciatim politicae, videntur esse maioris momenti, et ideo non videtur necessarium aut opportunum formare conferentias internationales.

13

EXC.MUS P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI

Episcopus Sessuanus

Cum iam scripto aliquid tradiderim secretariae generali de argumento in cap. III breviter loquar.

1. Probanda immo necessaria reputanda est universalis constitutio in Ecclesia conferentiarum episcoporum; nam hoc modo magis fovetur mutua collaboratio ad animarum salutem, exhortationes vero et dispositiones fidelibus datae maiorem habent auctoritatem quamvis extrinsecam.

2. Membra conferentiarum sint omnes episcopi in natione vel regione commorantes; ergo non tantum episcopi residentiales et coadiutores — prouti statuitur in n. 19, § 1, sed etiam auxiliares interesse debent. Probanda est § 2 de episcopis titularibus, si in posterum talis institutio manere opportunum videbitur.

3. Ad episcoporum potestatem integre servandam, in statutis condendis pro conferentiis, humili nostro iudicio, hae normae statuendae essent:

a) Sive praeses sive consilium permanens (si eligendum sit, iuxta ea quae habentur in n. 20, § 1), libera et secreta suffragatione omnium episcoporum nominentur ad triennium, et non aliunde eorum nominatio imponatur.

b) Auctoritas conferentiarum sit tantum moraliter vinculans, non vero iuridice singulos episcopos cogens. Ideo probanda non facile videntur quae in n. 24, § 1, dicuntur. Verum est quod asseritur obligationem imponendam esse tantum in paucis casibus iam determinatis. Attamen cum principium iuridicum admissum fuerit, via ad alios casus adiungendos facilius patebit. Auctoritatem fere omnes sibi ex consecratione episcopali derivantem vindicare volunt a nimia ingerentia Curiae Romanae, dum postea aliud organum limitationis probare volunt, quod neque a suprema potestate descenderet, sed ab ipsis episcopis aliis episcopis imponeretur in gubernio propriae cuique dioecesi.

Ceterum quando agitur de rebus gravioribus ipsi episcopi, absque impositione, conscientiose sentient necessariam uniformitatem in regione vel natione servandam esse.

Quando vero contrarius agendi modus rationabiliter timetur, tunc Concilium Plenarium legitime convocetur ut res iuridice decernantur.

c) Si vero agatur de rebus urgentioribus et Concilium Plenarium facile haberi nequeat neque unanimitas praevideatur in conferentiis, propositiones a maioritate probatae Sedi Apostolicae cito mittantur ut ipsa, si validas rationes iudicaverit, obligatorio modo decisiones conferentiae episcopalis ab omnibus exsequendas decernat. Quapropter ad uniformitatem et unitatem in agendis habendam nullo modo requiritur ut iuridica potestas conferentiis episcoporum tribuatur, sed sufficit, ut dictum est, conclusiones per suffragia secreta probatas Apostolicae Sedi deferre, obligationem ab eadem expetendo.

Hoc agendi modo non multiplicantur entia iuridica, et etiam in praxi melius manifestabitur devota recognitio primatus Romani Pontificis. Nec praetermittendum grave inconveniens quod exsurgere posset a potestate iuridica conferentiarum. Si enim aliqua conferentia aliquid decernat quod a quibusdam episcopis eiusdem conferentiae aptum ad animarum bonum non iudicetur atque isti episcopi recursum ad S. Sedem interponant quid faciendum esset si S. Sedes rationem horum episcoporum, quibus decisio conferentiae non placet, validas iudicaret? Nonne poneretur Apostolica Sedes in gravi morali difficultate cum deberet rescindere dispositiones datas a maiore parte episcoporum alicuius regionis? Attendatur enim quod conferentiae episcoporum infallibiles non sunt, ideo nec adsistentia specialis Spiritus Sancti expectari potest, sicut e contra habetur in Concilio Oecumenico.

Verum est leges non posse praevidere omnes casus, sed difficultates quae facile oriri censentur, vitandae sunt in ipsius legis formulatione.

4. Si vero maior pars nostri venerabilis Concilii aliter iudicandum censet, humiliter rogo ut saltem statuatur non sufficere ad obligationem inducendam duas ex tribus partibus votorum seu suffragiorum, sed quatuor ex quinque partibus requiri.

Item statuatur ut recursus episcopi ad S. Sedem (exclusive pro ipso) sit in suspensivo et non in devolutivo tantum, ut proponitur in n. 24, § 2.

5. Demum in statutis conferentiarum clare ponatur norma qua nec commissio permanens, nec ipsa praesidentia cum suo consilio, possit loqui nomine omnium episcoporum eiusdem conferentiae absque consensu eorum in scriptis dato vel per secretam suffragationem rite manifestato. Secus enim oligarchia haberetur.

6. In n. 25. Magni fiat illa propositio de relationibus inter varias conferentias episcopales; at, post illam, nova paragraphus adiungatur his vel similibus verbis exarata: Item conferentiae episcoporum crebras relationes curent habere cum Apostolica Sede, acta, cognitionis causa, ad illam submittendo, ut unitas in Ecclesia magnopere ubique et semper firmior evadat.

7. Adhaereo et probo ea omnia quae de episcopatu in Ecclesiis orientalibus hic tractando, dicta sunt ab exc.mis Amadouni Garabed et Gherard Coderre.

14

Exc.mus P. D. ALFREDUS COUDERC
Episcopus Vivariensis

Quaedam animadversiones suggestae occasione discussionum circa conferentias episcopales (cap. III schematis *de episcopis,* nn. 23, 24).

Quae discussiones non stabilierunt consensum partium adversarum, et non sustulerunt omnem confusionem in mentibus auditorum. Principalis difficultas stat in quaestione valoris iuridici decisionum conferentiae. Teneo humiliter praesentare meam opinionem et eam submittere commissioni.

1 consideratio: Conferentiae episcopales non possunt comparari aliis coetibus humanis. Earum obligationis valor non pendet a sola voluntate consentanea participantium, sed etiam a fundamento radicali missionis Ecclesiae et auctoritatis harum conferentiarum, quae veniunt a Christo et transcendunt omnem voluntatem hominum.

Quae auctoritas non est totaliter nec monarchica nec democratica; sed est sui generis et imperata a constitutione interna divina Ecclesiae.

2 consideratio: Si statuitur valorem obligationis iuridicum inhaerere decisionibus conferentiarum episcoporum, minuetur auctoritas episcoporum in dioecesibus suis; quod advertat et ex quo poterit oriri periculum dissensionis inter conferentiae membra. Unde periculum pro unitate. Maioritas in favorem erroris non creat legitimitatem erroris.

3 consideratio: Conferentiae episcopales sunt non solum valde utiles sed necessariae ad unitatem ministerii pastoralis in tempore actuali et in natio-

nibus modernis. Sed ad stabiliendos effectus salutares harum conferentiarum, sufficit consentire decisiones habere valorem mere moralem et non iuridicum, et considerare decisiones ut simplicia vota et non obligationes rigidas. Item videtur salvari auctoritatem et libertatem episcoporum, characterem Ecclesiae constitutionis et utilitatem conferentiarum ad pastoralem exercendam cum relativa unitate in eadem regione. Experientia conferentiarum huius naturae, iam pluries factarum in Gallia cum omnibus episcopis, satisfactionem generalem dedit.

Ex alia parte, semper remanebit possibilitas recursus ad decisionem Summi Pontificis in casibus gravibus et difficilioribus.

Dictum fuit in ultima discussione huius quaestionis collegialitatem non posse considerari ut fundamentum conferentiarum episcopalium. In quo fundatur talis affirmatio mere gratuita? Collegialitas est fundamentum conciliorum sive oecumenicorum sive nationalium sive provincialium. Cur non posset esse fundamentum conferentiarum eorundem graduum?

15

Exc.mus P. D. ALOISIUS GONZAGA DA CUNHA MARELIM

Episcopus Caxiensis in Maragnano

Pag. 14, n. 18. Corrigatur: « Praeter concilia plenaria et provincialia, quae opportuno tempore legitime celebrari possunt, stabiliter in unaquaque natione constituatur etc. ». Ratio est: constitutio conferentiarum episcopalium, quae singulis vel alternis annis celebrantur, conciliorum provincialium necessitatem magis remotam reddunt.

Pag. 16, n. 22. Post verba « ad effectum deducantur » addatur: « Nisi rationabiles causas habeat aliter agendi ». Ratio est: conferentia nationalis, nisi in casibus stricte determinatis, regulas tantum directivas tradit.

N. 23. Supprimatur. Ratio eadem est.

N. 24. Supprimantur numeri *b*) et *d*). Ratio est quia obligatio iuridica conferentiae nationalis ad casus stricte necessarios coarctari debet, ne paulatim augeatur novus codex decretorum ita ut fere evanescat uniuscuiusque episcopi ius in regimine suae dioecesis.

Post § 2, addatur: § 3. « Conferentia episcopalis nationalis necnon concilium plenarium sunt competens auctoritas ecclesiastica territorialis ad rem liturgicam moderandam, ad normas schematis *de sacra Liturgia* ». Ratio est: si haec competentia extendatur ad omnes episcoporum coetus, breviter confusio erit, magnas difficultates generans tum sacerdotibus tum fidelibus qui de loco in locum se conferunt, ut saepe accidit intra territorium eiusdem nationis. Si nunc, quando Apostolica Sedes est unica auctoritas competens ordinandi Liturgiam, aliqui leges liturgicas iam proprio arbitrio spernunt vel modificant, quid tunc dicendum erit?

16

Exc.mus P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER

Episcopus Camposinus

Cum de constituendis conferentiis episcoporum ut organis permanentibus in regimine Ecclesiae diversarum nationum agit Concilium, caute, ut mihi videtur, procedere debet.

Primo quidem, ne oblivioni detur constitutio monarchica Ecclesiae etiam in singulis dioecesibus, ubi episcopus gaudet potestate personali, cui omnia quae in dioecesi fiunt ita subiiciantur oportet, ut de illis personali responsabilitate, respondeat episcopus coram Deo et Romano Pontifice. Audiatur S. Augustinus: « appellent contra me mille concilia, navigent quo voluerint, stent ubi potuerint: sic me Deus adiuvet ut ubi ego episcopus sum, illi presbyteri esse non possint » (Serm. 356). Potestas enim episcopi in propria dioecesi nonnisi Romano Pontifici subiicitur.

Non videtur, ergo, rectum conferentiis episcoporum veram iurisdictionem in episcopos tribuere. In pluribus, enim, episcopi non agerent potestate sua propria personali, sed ut vicarius conferentiae episcopalis suae nationis, seu melius ut executor decretorum conferentiae episcopalis. Nec paritas urgenda est quae a conditione episcopi coram conciliis sive provincialibus sive nationalibus desumitur. Revera, concilia provincialia vel nationalia non sunt organa permanentia regiminis Ecclesiae, sed statutis temporibus congregantur, ut omnes episcopi in solidum de his iudicent quae ad bonum commune spirituale provinciae vel regionis necessaria sunt. Praeterea, normae a conciliis sive provincialibus sive nationalibus latae nullam vim iuridicam habent priusquam a S. Sede approbentur, et hoc praecise ut salvetur structura monarchica dioecesis sub primatu solius Romani Pontificis. Organum autem aliquod permanens quod continuo concilii nationalis vices agat videtur corpus quoddam extraneum structurae Ecclesiae, prout a traditione constat.

Considerationes modo factae valent in primis si conferentiis vis iuridica in episcopos tribuitur; sed etiam, nisi caute procedatur, si decisionibus conferentiae nonnisi vis moralis conceditur. Dico nisi caute procedatur; cautelae autem statui debent, meo humili iudicio, in determinandis modo agendi et ambitu obiecti conferentiarum. Animadversiones in particulari secretariatui scripto tradam.

Alia, praeterea, inconvenientia praecavenda sunt, cum de conferentiis creandis agitur. Non enim ut res omnino absurda respuendum est periculum ne conferentiae possint interdum impedire liberum atque integrum exercitium iuris quod habet Sancta Sedes regendi directe et immediate omnes et singulos episcopos ac fideles. Hucusque medium ordinarium quo S. Sedes episcopos diversarum nationum adit sunt Nuntii vel Delegati Apostolici. Creatis autem conferentiis episcoporum, quae modo a Nuntiis vel Delegatis Apostolicis peraguntur, breviter conferentiis transferentur. Iamvero, Nuntii

et Delegati Apostolici a fidelibus quasi praesentia ipsius Romani Pontificis in propria natione considerantur, quod certo certius de conferentiis non verificabitur. Conferentiae potius ut tertium quoddam statuitur ab episcopis et a S. Sede distinctum. Inde pedetentim conferentia episcoporum uniuscuiusque nationis habebitur ut ipsius nationis suprema auctoritas Ecclesiae. His positis, potestne sine dubitatione affirmari nullum inde adesse periculum constitutionis alicuius Ecclesiae nationalis? Ratio dubitandi fortior fit cum consideratur quod facile audaciores — qui non ubicumque S. Sedi dociliores sunt — dominium in conferentiis arripere possunt.

Huic considerationi alia accedit, ex parte scil. relationis conferentiae episcoporum cum gubernio civili nationis. Possibile enim semper est nimium obsequium conferentiae erga potestatem civilem, quae, ceteroquin, sagaciter omnibus utetur occasionibus ut, mediante conferentia, facilius populo suas imponat partes, quae non semper meliores sunt, immo interdum morali catholicae contrariae. Hoc periculum magis timendum est ubi Ecclesia ingemit sub iugo regiminis tyrannici a iure naturali et maxime a iure divino positivo omnino alieni. Omnes norunt quomodo talia gubernia cupiant sese immiscere rebus religiosis. Huiusmodi autem indebita invasio difficilior est cum singuli episcopi ita directe Sanctae Sedi subsunt ut nullum adsit medium corpus.

Concilium ergo haec pericula attente consideret, atque media proponat quae ea omnino removeat.

Ad schema quod attinet haec observare liceat:

1. Statuatur conferentias solum tractare posse de quaestionibus vere nationalibus, seu quae directe relationem ad totam nationem dicant.

2. N. 19, in par. 3, aliquid de suffragatione in conferentiis habet. At nihil dicit de modo illa obtinendi, nec de numero suffragiorum necessario ut decisiones conferentiae approbentur. Sancta Synodus, ut futura incommoda vitet invasionesque in potestatem episcoporum, quaedam de hac re stabilire deberet. Indico quae mihi videntur necessaria: *a*) omnia in conferentiae conventibus acta, scripto constent, nempe de quibus actum sit, quaenam fuerint argumenta diversarum opinionum, quaenam scrutinia peracta, seu de quibus peractum sit scrutinium, quinam illius exitus, quaenam conclusiones approbatae; *b*) decisiones ne fiant nisi duabus saltem e tribus partibus omnium nationis praesulum suffragentur. Si enim statuitur, dico, statuuntur sufficientes duae partes tantum adstantium, periculum adest ut omnibus imponatur, saltem moraliter, quod nonnisi minori parti praesulum placuit. Cogita nationem ita magnam ut difficile sit omnes eius praesules coadunare; si, v. g. episcopatus nationis complectitur bis centum episcopos, et nonnisi centum et quadraginta coadunantur.

3. Cum nulla induci debet obligatio iuridica, numerus 24 supprimatur. Quodsi autem n. 24 a Concilio videatur retinendus, tunc humiliter has propono emendationes: *a*) quoad suffragia necessaria, exigatur, dico, exigantur duae e tribus partibus omnium nationum praesulum; *b*) casus obligationem

iuridicam inducentes in concreto determinentur; minime vero locutionibus ita vagis ut fere ad omnes casus applicari possint. Sic, v. g. quae in littera *c*) leguntur, facile applicari possunt ad patrocinium gubernio civili in re oeconomica politica vel sociali praestandum, quod interdum scandalum fidelibus esse posset; *c*) in littera *a*) supprimantur verba « sive iure communi sive ». Ratio est quod non videtur conveniens ut conferentiae episcoporum habitualem iurisdictionem in episcopos habeant, propter rationes in initio istarum animadversionum propositas; *d*) littera *b*) supprimatur, cum iam sufficienter cautum sit etiam pro istis casibus in littera *d*); *e*) in littera *d*) supprimatur verbum « adstantium » et post verbum « praesulum » addatur: « nationum ».

Ultimo, modo generali commendet Sancta Synodus ne conventus conferentiarum fiant nisi vera impellente necessitate. Aliter, episcopi frequentius quam ut par esset, a regimine propriarum dioeceseon avocarentur, tum ad studium eorum quae in conventibus conferentiae agerentur; tum ad itinera suscipienda ut conventibus adessent.

17

Exc.mus P. D. ALOISIUS DE COURRÈGES D'USTOU

Episcopus Montis Albani

Pag. 6, n. 3, lin. 14: (Principium reservationis). Integro manente iure quod pertinet ad Romanum Pontificem pro sua plenae et supremae iurisdictionis potestate sibi reservandi, pro suo prudenti iudicio et pro variis temporum circumstantiis sic dictas *causas maiores* (can. 220 C.I.C.), cum reservatio est limitatio auctoritatis inferioris praelati (in sensu can. 110 C.I.C.), ad normam axiomatis iuris: odia sunt restringenda, nulla fiat reservatio, nisi exigatur vel a bono ipsius communitatis huius praelati auctoritati commissae (v. g. dioeceseos), vel a bono communitatis superioris (v. g. territorii sub cura alicuius Conferentiae episcopalis commissi, vel patriarchatus), aut universalis Ecclesiae.

Et ideo ne condantur leges generales in Ecclesia, nisi a bono Ecclesiae exigantur (idem dicendum, servatis servandis, de legibus ferendis a Conciliis plenariis, provincialibus, vel conferentiis episcopalibus), et in eis fiat Ordinariis facultas dispensandi in casibus particularibus, nisi agatur de rebus maximi momenti in quibus uniformitas disciplinae servanda sit vel in toto territorio pro quo lex lata sit, vel in universa Ecclesia.

Codex Iuris Canonici secundum hoc principium reformetur.

Pag. 7, n. 5, post lin. 27 addatur: « (Consistorium Apostolicum). Antiquum et venerabile Consistorium Apostolicum, cum figura circumstantiis in orbe hodie vigentibus accommodata, partem habeat in gubernio Ecclesiae universalis.

Sub Romani Pontificis praesidentia, haec institutio constat patriarchis apostolicis et aliquibus episcopis omnes conferentias territoriales episcopales

repraesentantibus, ita tamen, ut, ad maiorem efficientiam, membrorum numerus centum non superet.

Unicuique conferentiae assignetur numerus certus delegatorum pro ratione multitudinis catholicorum in territorio eius responsabilitati commisso degentium, computatis etiam cum iusta proportione incolis non-catholicis. Episcopi eligantur a Romano Pontifice inter candidatos ab ipsa conferentia praesentatos in elencho tribus nominibus constante pro unaquaque sede assignata.

Membra pro quinque annis designarentur, quinta parte singulis annis denuo eligendis.

Semel vel bis in anno Consistorium in sessione Romanus Pontifex convocet.

In Consistorio Romanus Pontifex cum patriarchis et episcopis tractet res magni momenti pertinentes ad missionem apostolis eorumque successoribus a Christo commissam praedicandi Evangelium et aedificandi Ecclesiam in universo orbe terrarum et apud omnes populos, sub tamen his legibus necessariis ad supremam et plenam potestatem iurisdictionis Romani Pontificis servandam:

Solus Romanus Pontifex (per se vel per legatum) Consistorium convocat eique praeest, res in eo tractandas ordinemque servandum constituit ac designat — membris tamen facultate concessa propositis a R. Pontifice quaestionibus alias addere, ab ipso tamen antea probatas — sessionem Consistorii dimittit. Decisiones Consistorii vim definitivam obligandi non habent nisi a Romano Pontifice fuerint confirmatae et eius iussu promulgatae (cf. per analogiam, cann. 222, 226, 227 C.I.C.).

Valde optandum est ut Consistorium partem habeat in electione Romani Pontificis ad manifestandam universalitatem missionis Capitis visibilis Ecclesiae in toto orbe diffusae ».

Pag. 15, n. 19, linn. 5 ss.: (De iis quibus conferentiae interesse competit). In cooptatione membrorum haec principia videntur in luce ponenda:

A) In membris ratio habeatur potestatis Ordinis, scil. episcopalis. Omnes qui consecratione episcopali aucti sunt ad collegium episcopale pertinent partemque habent in communi eius missione universam orbem evangelizandi sub auctoritate Petri successoris. Cum autem conferentiae episcopales recensentur inter media per quae missio apostolica et pastoralis exercetur, omnes episcopi a legislatore ecclesiastico in eis admittantur.

B) In membris ratio etiam habeatur potestatis iurisdictionis. Etenim ad dictas conferentias pertinet decisiones promovere, etsi vi iuridica destitutas, necessarias vel utiles ad unitatem regiminis in universa conferentiae circumscriptione servandam. Quare in eis cooptentur omnes qui territorialem iurisdictionem ordinariam in foro externo gaudent intra finem conferentiae assignatos (i. e. Ordinarii locorum, vicariis generalibus exceptis), etsi charactere episcopali careant.

C) Attamen cum officia et responsabilitas non sunt eadem natura apud

omnes qui ad eumdem ordinem episcopalem pertinent, prout acceperunt vel non missionem stricte canonicam ad certum territorium regendum, in decisionum conferentiae constitutione omnes eamdem partem non habeant:

a) Ordinarii locorum cuiusque ritus (vicariis generalibus exceptis), episcopi coadiutores, auxiliares et etiam mere titulares, qui officium responsabilitatem ferens pastoralem in statutis conferentiae determinandum acceperunt, v. g. rector universitatis vel secretarius generalis actionis catholicae charactere episcopali insignitus, etc., de iure ad territorialem conferentiam pertineant cum suffragio deliberativo;

b) Alii episcopi mere titulares, in territorio domicilium habentes, ad conferentiam vocentur, cum suffragio mere consultivo.

[*Subscripserunt etiam*] Alfredus Couderc, ep. Vivariensis; Antonius Caillot, ep. coad. Evreux; Ioannes Mouisset, ep. Nicensis.

18

Exc.mus P. D. ALBERTUS DEVOTO

Episcopus Goyanensis

Ut conferentiae episcopales suum proprium finem melius assequantur, mihi videtur cap. III huius schematis *de episcopis* sequenti modo redigendum esse:

(*Prooemium*). Ut fas est videri, valde convenit potestatem collegialem episcoporum, non tantum ambitu universali, sed etiam aliquo modo locali manifestari. Quod quidem in decursu temporis ope Conciliorum plenariorum et provincialium factum fuit. Sed nostris temporibus alia forma inventa est, scil. conferentiae episcoporum, quae ad bonum singularum regionum promovendum multum iuvare possunt. Quapropter Sacrosancta Synodus harum conferentiarum summa saltem iuridica lineamenta in iis quae sequuntur statuere intendit.

(*Principium fundamentale*). Unusquisque episcopus semper remanet proprius, ordinarius atque immediatus pastor in dioecesi sibi commissa. Pro bono tamen communi, decisiones normativae a conferentia episcopali prolatae, nisi graves obstent rationes, ab unoquoque episcopo debita reverentia accipiantur. Decisiones autem quae vim deliberativam habent ad effectum deducantur, salvo iure ad Apostolicam Sedem recurrendi, at in devolutivo tantum.

(*De conferentiae constitutione*). 1. Praeter concilia plenaria necnon provincialia quae opportuno tempore celebrari debent, territoriales episcoporum conferentiae constituantur et ab Apostolica Sede recognoscantur.

2. Ubi peculiaria adiuncta id postulent, episcopi eiusdem nationis, Apostolica Sede probante, plures conferentias regionales constituere poterunt; episcopi autem plurium nationum, praeter nationales sive regionales conferentias, aut etiam earum loco, unam internationalem conferentiam statuere poterunt.

3. Singulae conferentiae, peculiaribus statutis, ab ipsa conferentia conficiendis et a Sede Apostolica probandis, regi debent.

(*De conferentiae moderamine*). 1. Omnes Ordinarii locorum, cuiusque ritus, vicariis generalibus exceptis, necnon et episcopi coadiutores et auxiliares, de iure et cum suffragio deliberativo, ad territorialem episcoporum conferentiam pertinent.

2. *Praeses* conferentiae episcopalis *eligatur ad tempus,* et non sit ipse primas nationis.

3. Si accidat, ut plures conferentiae regionales in eadem natione exstent, praesides conferentiarum consilium nationale coordinationis constituent, cuius munus erit efficere ut opus quod bonum totius nationis amplectitur, secundum collaborationem veram intimamque perficiantur.

4. In unaquaque conferentia, constituantur: *a*) consilium permanens ex aliquibus Praesulibus *a conferentia electis* constans; *b*) commissiones episcopales quae peculiaribus negotiis praeficiantur; *c*) secretariatum generalem in servitium totius conferentiae.

5. Conferentiae episcopales, in rebus tractandis et agendis, *multum aestimare ac frequenter uti debent consilio et ope virorum peritorum,* sive ad clerum sive ad laicatum pertinentium.

(*De conferentiae competentia*). 1. Conferentiae decisiones, per *tres ex quatuor partibus* suffragiorum prolatae, et ab Apostolica Sede recognitae, vim deliberativam habent, quando agatur: *a*) De peculiaribus rebus, quae sive iure communi, sive speciali Apostolicae Sedis mandato, episcoporum conferentiae pertractandae ac resolvendae commissae fuerint; *b*) de declarationibus maioris momenti publice faciendis, nomine episcoporum conferentiae; *c*) de rebus cum gubernio civili tractandis, quae totum territorium attingant.

2. Suffragatio semper fiat *per scriptum et modo secreto.*

19

EXC.MUS P. D. IOANNES DOOLEY
Archiepiscopus tit. Macrensis in Rhodope

Sequens animadversio, quae ad cap. III schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* refertur, indolis est practicae et fere pragmaticae — in bono sensu huius ultimi verbi —. Quae dicuntur serio perpendenda videntur cum quaestio agitur de statutis conferentiarum episcopalium condendis.

Mihi videtur quod in hodiernis circumstantiis plura beneficia indubitanter Ecclesiae provenient, si a nostro Concilio Oecumenico statuatur ut approbatio Sanctae Sedis omnino necessaria sit priusquam decisiones graviores quae a conferentiis episcopalibus proferuntur vim suam exerceant.

Nostris temporibus plures nationes catholicae ad Ecclesiam, quae a S. P. Pio XII, f. m. « Ecclesia silentii » vocabatur, pertinent, et, proh dolor! haud impossibile est quod eadem dolenda conditio pro aliis nationibus actualis

in futuro evadatur. Sub huiusmodi regimine, clerici omnes, et in modo speciali episcopi, indesinenter gravi et continuae oppressioni subiecti sunt, eo fine ut variae concessiones, religioni maxime nocivae, a pastoribus Ecclesiae in favorem civilis potestatis fiant.

Concessiones illae quae desiderantur, immo quae fere extorquentur, quasi semper in id tendunt ut Ecclesia in conditionem verae servitudinis reducatur. Experientia tristissima docet oppressionem quae in hunc finem applicatur severissimam esse posse.

In talibus circumstantiis episcopi alicuius nationis quo sese, antequam id quod requiratur concedi possit, approbatione et consensu Sanctae Sedis indigere vere affirmant, in conditione valde favorabiliori inveniuntur quam illi qui ut capaces ad rem a seipsis sine interventu Sanctae Sedis concedendam cognoscuntur. Necessitas, si exsistit, rem deferendi ad Sanctam Sedem bene a persecutoribus nota erit, et systema practicum et validum ad concessiones odiosas et iniuriosas evitandas providebit, quin tamen necesse sit ut episcopi oppressoribus suis directe recusent. Directa enim recusatio, quae administratoribus civilibus huiusmodi regiminis fieret, tamquam graviter offensiva semper reputaretur et ad repressionem adhuc intensiorem faciendam certissime incitaret.

Ex alia parte, Sancta Sedes, plenam notitiam circumstantiarum omnium in casu, necnon longam experientiam in casibus similibus habens, bene cognoscet quid, omnibus mature et graviter perpensis, consulendum et agendum sit.

Itaque, meo humili iudicio conferentiae episcopales cautae, immo cautissimae, esse debent in quaerendo ut sibi facultas res maioris momenti decernendi sine interventu Sanctae Sedis tribuatur.

(Quod modo de conferentiis episcopalibus dictum est, aequo iure ad singulos episcopos in dioecesibus suis applicari debet. Cf. cap. II).

Verum quidem est quod non in omnibus casibus haec appellatio seu invocatio ad superiorem Sanctae Sedis auctoritatem certe securitatem permanentem praebere valebit. Sed quoad unitatem Ecclesiae et quoad defensionem ipsorum episcoporum validum et practicum praesidium esse potest.

Humiliter velim adiicere quod utilitas practica huiusmodi systematis defensivi contra potestatem civilem, Ecclesiae maxime hostilem, a meipso per quinque annos experta est.

20

Exc.mus P. D. EUGENIUS D'SOUZA
Archiepiscopus Bhopalensis

Ut missionarius, nomine 15 episcoporum e missionibus, verba facio de utilitate conferentiarum episcopalium in territoriis missionum.

Saepius iam dictum est nos ab immortalis memoriae Papa Ioanne convocatos esse ut Ecclesiam hodiernis necessitatibus adaptemus. Nullibi magis

quam in missionibus urgentiam huius adaptationis videmus. Liturgia ritus Romani, v. g., quamvis pulchra sit et profunda, in regionibus prorsus diversae culturae extranea est et remanebit. Quis eam maiori competentia adaptare potest quam conferentia episcopalis, cum adiutorio peritorum ipsius regionis.

Persapienter in schemate *de Liturgia* huic rei provisum est. Tantummodo rem in memoriam revoco ut illustrationem principii generalioris.

Conferentiae episcopales non tantum aliquam formam collaborandi intra ius hodie vigens assecurare debent. Multo latius perspectivae patent. Ut eorum utilitatem penitus perspiciamus, non sufficit ut oculo administratoris res consideremus. Visione ampliore, paulisper prophetica indigemus.

Conferentiae episcopales novas formas quaerere debent Evangelium Christi et sacramentum fundamentale quod est Ecclesia, in omni populo et cultura incarnandi. Si loquimur de « circumstantiis particularibus » non satis dicimus. Non tantum differunt quaedam « *circum*-stantiae », velutsi realitas centralis, essentialis ubique esset identica. Adsunt quandoque complexus rerum penitus originales. Licet ubique terrarum technica occidentalis sparsa est, nonne toto caelo differunt v. g. India, Status Uniti Americae, Congo, Polonia et Ecuador? Ut Christus revera incarnetur, non sufficit ubique formulas stereotypicas applicare. Necesse est labor imprimis studii et cogitationis, deinde constans applicatio ut normae quae utiles videntur unanimi conatu in praxim deducantur. Quis hoc facere potest nisi conferentia episcopalis?

Quae cum ita sint, venerabiles Fratres, nemo non videt conferentias statuto iuridico egere. Si coetus mere consultativi sunt, qui non gaudent vera potestate legislativa, in vanum laboraverunt qui aedificant eas. Speramus fore ut in Codicis revisione statuatur, in variis punctis maioris momenti Ecclesiam non debere iure uniformi regi, sed conferentiis mandatum dari ut prudenter provideant. Clarum est etiam episcopos singulos, in illis punctis, decisioni democratice sumptae stare debere. Omne enim regnum in seipso divisum desolabitur. Si episcopi ex individualismo conferentiam paralyzant aut ad merum " debating-club " reducunt, non aliud remedium remanebit ac ut iterum e Roma secundum ius uniforme regantur, et ita mox redibimus ad statum quo ante Concilium.

Ut autem episcopi libenter cooperentur et decisionibus obsecundent, oportet ut vere democratice et collegialiter procedatur. De qua re pauca proponam.

Constat multos episcopos potestati legislativae conferentiarum obstare, sive quia timent ne sub aliqua tyrannide, sive maioritatis, sive praesidis cadant, aut ne tota res burocratia evadat, aut etiam ne brevi, eo quod semper iidem homines moderamen habeant, stagnatio inducatur.

Legitimae prorsus hae sollicitudines sunt, ideoque Concilium normas quasdam statuere debet ut supradictis deviationibus praecaveatur. Relinquatur cuique conferentiae ut in particularibus statuta sua componat, sed essentialia sarta tectaque maneant.

Ideoque decernatur ab hac Synodo:

1. Praesidem, consilium et commissiones, secreto suffragio et ad tempus definitum, non ultra quinque annos, a conferentia eligi debere, servato iure patriarcharum rituum orientalium.

2. Omnia suffragia secreta esse debere.

3. Decisionem per tres e quatuor partibus votorum sumi debere. Si quae autem per duas e tribus partibus probata sit, per triennium, si natura rei sinit, ad experimentum commendari, quo tempore elapso res denuo tractanda est.

Duo puncta maioris momenti addere velim.

Primo de conferentia provinciali aut regionali. Bene n. 18 rememorat concilium provinciale decimo saltem quoque anno habendum. Sed nonne hoc ius edictum est cum itinera difficiliora erant? Episcopi meae provinciae, immo totius huius partis Indiae, bis in anno conveniunt. Cur tantum una e viginti reunionibus statutum iuridicum habere posset? Cum dico « meae regionis » quaeso ne obliviscamini Indiam quadringentos sexaginta milliones habitantium habere, et provinciam cuius metropolitanus sum, ter superficiem Italiae. Intelligitis cur in nationibus immensis et parum homogeneis conferentiae infranationales cum pleno iuridico statuto opportunae sint.

Alteram in textu gravem lacunam video.

Per conferentias, omnium cooperationem fovere volumus. Atqui magna pars cleri, immo portio semper crescens, e religiosis constat. Hi semper pro magna parte, et quandoque pro maiore, ferunt pondus diei et aestus. Sicut in Concilio Oecumenico praepositi generales maiorum ordinum et congregationum vocem deliberativam habent, sic oportet ut pleni iuris membra conferentiae episcopalis sint, aut membra permanentis consilii superiorum maiorum aut, si numerus episcoporum exiguus est, saltem eorum praeses.

Spero, venerabiles Fratres, meis propositis, me positivam contributionem incepto cuidam summi momenti attulisse.

21

Exc.mus P. D. GEORGIUS PATRICIUS DWYER

Episcopus Loidensis

De conferentiis episcopalibus licet mihi aliqua dicere quae ex experientia nostra in Anglia plusquam centenaria et ex experientia mea personali in commissione praeparatoria iam a fere tribus annis profluit. Loquor nomine totius hierarchiae Angliae et Cambriae.

Oportet ut conferentia sit conferentia et ut non sit Synodus. Synodus, corpus revera legislativum, multam et sedulam praeparationem indiget. Igitur raro fit. E contrario valor conferentiae eo magis crescit quo magis informalis est et quo magis abstineat a legibus proprie dictis ferendis. Finis conferentiae debet esse mentem communem episcoporum explorare et fo-

vere. Exinde exsurget communis modus operandi, respectu tamen habito ad illas dioeceses ubi circumstantiae suadent modificationes a communi modo operandi. Multo melius sic proceditur, quantum fieri potest, quam decisiones minoritati imponendo.

Ideo quantum fieri potest debet schema abstinere a determinandis nimis praecise vel plene statutis quae omnibus conferentiis applicandae essent. Bene providet schema in n. 18, par. secunda, ut unaquaeque conferentia statuta propria habeat, nam non omnes hierarchiae in eadem conditione sunt nec easdem necessitates etc. habent. Haec dico quia iam aliqui Patres emendationes in scriptis proposuere petendo ut pressius statuta definiantur. Sat longe de hoc in commissione praeparatoria disceptatum est. Sententia tandem praevaluit ut locus relinqueretur statuta condendi varia pro variis hierarchiis. (De facto, per transennam dico, in Anglia numquam statuta habuimus sed tantum consuetudines, quae satis bene nobis inservierunt per plus quam centum annos in nostris reunionibus bis in anno celebratis). Consentio etiam omnino cum iis qui volunt ut statuta iam a S. Sede approbata non mutentur sine necessitate. Dicerem etiam quod non videtur necessarium ut nn. 20-21, pag. 15, in schemate appareant. Videat unaquaeque conferentia cum statuta componantur.

Pag. 16 « de conferentiae decisionibus ». Omnes in hoc convenire possumus quod optandum esset ut numquam necessarium esset sententiam maioris partis in minore imponere et ideo quod sufficeret obligatio moralis. Sane obligatio moralis sufficit pro maiore parte rerum de quibus in conferentiis tractatur. In commissione praeparatoria igitur semper suffragium dedi pro obligatione morali tantum. Sed in decursu huius Concilii circumstantiae mutatae sunt. Concilium Oecumenicum plura tradidit decidenda et decernenda a conferentiis episcoporum quae antea a Congregationibus Romanis solebant decidi. Unde mihi videtur quod non possumus nunc evitare quominus aliquae saltem decisiones conferentiarum vi iuridica muniantur. Si nos episcopi volumus maiorem independentiam in decisiones proprias faciendo tunc parati esse debemus et responsabilitatem assumere decisa in actu deducendi etiamsi aliquibus collegis nostris non placeat. Aliter unitas regiminis et cultus laederetur. In re liturgia, e. g., non potest tolerari ut unaquaeque dioecesis sibi fingat liturgiam propriam.

Propterea necessaria sunt quae schema habet in numero vigesima quarta sub littera *a*). Tantum adderem post « speciali Apostolicae Sedis mandato », verba « sive a Concilio Oecumenico ». Quae sub littera *c*) etiam videntur necessaria: nam quando agitur de negotiis cum Gubernio et praesertim, credo, cum Gubernio persecutore, ante omnia opus est ut nulla divisio appareat inter episcopos etiamsi aliqui sacrificium cogantur facere opinionum personalium. Ne obliviscamur dicti illius « divide et impera ». De littera *b*). Valde dubito: explicatio datur in notula 8, pag. 18 ad calcem et 19. Lecta illa notula mihi videtur ut in casibus tam extraordinariis non tantum maioritas duarum ex tribus partibus requiri debere sed unanimitas. Immo dubito utrum

tales declarationes debent episcopi unquam facere sed potius S. Sedes. Littera *b*) ergo melius omittitur rem relinquendo iudicio hierarchiae quando quaestio oritur.

Idem dicerem de littera *d*). Nam nimis vaga est quam ut iuridicam obligationem imponat.

Si liceat ergo rursus ad experientiam nostram in Anglia referre dico quod multa in praxi et ex consuetudine clariora fiunt quae in statutis scriptis poni non possunt.

(Pro eadem ratione, et hic nomine proprio loquor, non video ullam necessitatem cur hae conferentiae fundentur in aliquo principio abstracto de collegialitate episcoporum. Aliqui oratores conquesti sunt quod schema videtur inspiratum esse ab « aliquo spiritu practico ». Fateor me potius gaudere quod aliquid in hoc sacrosancto Oecumenico Concilio fundatur in spiritu practico, cum tanta videntur fundata esse in nubibus caeli. Tandem aliquando episcopi possunt convenire ad loquendum de rebus quae eis competunt sine necessitate invocandi principia alta theologica vel metaphysica. Hoc tantum dico — ne sit collegialitas in ore si monarchia adhuc maneat in corde!).

Unum verbum dicere vellem (et erit ultimum) de n. 25 — hic rursus nomine hierarchiae Angliae et Cambriae loquor — de relationibus inter conferentias episcopales diversarum nationum. Valde urget necessitas tales relationes stabiliendi. Sunt aliquae decisiones in re morali praesertim quae nisi fiunt communi consilio et una voce ab hierarchiis vicinis confusionem creabunt in mentibus fidelium cum magno damno animarum. Pro mea parte spero ut decreta et decisiones in hac materia semper nobis a dicasteriis romanis communicentur et quod a nobis grato animo recipiantur, cum respectu mutuo et debita consideratione ex utraque parte. Ita ut episcopi meminerint dicasteria romana instrumentum esse Summi Pontificis, humanum utique et non semper perfectum attamen necessarium Summo Pontifici ad Ecclesiam dirigendam: ex altera parte meminerint dicasteria quod episcopi sunt rectores ecclesiarum eorum. Fateor, mea experientia, raro tantum de hoc conqueri debuimus. Quaestio non est de profundis principiis theologicis: agitur de comitate, de affabilitate, de humanitate, de respectu mutuo, de comprehensione dignitatis episcopalis ex una parte et ex altera de honore debito iis qui immediate in dicasteriis auxiliares Summi Pontificis sunt.

Sed interea antequam Roma loquatur hierarchiae debent consulere inter se. Sperandum est ut dum hic Romae sumus, opportunitas arripiatur tales relationes inaugurandi.

Verbo: schema si nondum perfectum est, tamen bonum fundamentum ponit et quatenus fieri potest respectum habet ad iura singulorum episcoporum. Omitti possunt nn. 20-21. Omittantur etiam in n. 24 quae sub litteris *b*) et *d*).

N. 24 *a*) addantur verba « sive a Concilio Oecumenico ».

22

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS ENRIQUE Y TARANCÓN

Episcopus Celsonensis

Cap. III in quo novum institutum — conferentiae nempe episcopales — instituendum proponitur, magni momenti est; iam enim in hac aula recognita clare fuit summa efficacia harum conferentiarum et meo saltem iudicio doctrinam theologicam *de episcopis* in schemate *de Ecclesia* traditam quodammodo complet. Structura ergo iuridica et pastoralis ipsarum magno zelo procuranda est.

Textus schematis, etiamsi in genere placeat, nec rationem vere theologicam earum conferentiarum proponit — sunt rationes tantum convenientiae, attentis circumstantiis sociologicis nostrorum temporum, quae in prooemio praesentantur — nec eius structuram iuridicam diserte statuit, nec, denique, earum coordinationem immo et subordinationem Sanctae Sedi praecise proponit. Ideoque aliqua mutanda videntur:

1. Historia teste certum est episcoporum conferentias ortas esse ex necessitate pro episcopis tum inter se conferendi circa actionem pastoralem, tum proprias vires uniendi ad maximum bonum promovendum et ad malum vitandum. Ideoque conferentiae, praesertim nationales, organa de facto constituunt, quae necessitatibus sociologicis nostrorum temporum respondere valent, cum dependentia inter diversas dioeceses in ordine pastorali hodie negari non possit.

Nunc vero, cum in Concilio Oecumenico de ipsis tractandum sit, haec consideratio minime sufficiens videtur. Necessarium erit quaerere utrum in doctrina theologica dentur principia, quae conferentiarum existentiam et quidem stabilem in Ecclesia cohonestare valeant. De quo tamen nihil in schemate dicitur.

Certum est nihilominus, Patres conciliares clare affirmasse omnes et singulos episcopos urgeri sollicitudine omnium ecclesiarum — quidquid de natura collegialitatis definitive statuatur —. Quomodo vero haec sollicitudo vere efficax sit quin episcopi diversarum dioeceseon conveniant ad unitatem persequendam vix intelligitur. Etiam, ex eadem ratione, quoties singuli episcopi sollicitudinem habent de bono spirituali fidelium extra propriam ecclesiam particularem existentium, in hac providentia generali ad ubique aedificandam Ecclesiam Dei vere participant ideoque suum officium episcopale exercent.

Cum vero sollicitudo generalis episcoporum cum et sub Romano Pontifice necessario exercenda sit clare patet conferentias episcopales auctoritati Summi Pontificis subesse, non tantum ex quadam necessitate disciplinari, sed essentialiter, ex ipso principio theologico in schemate *de Ecclesia* proposito. Haec ergo in prooemio constare debent una cum rationibus propositis.

2. Normae a Concilio tradendae doctrinam iuridicam fundamentalem

praebere debent, ita ut diversis conferentiarum speciebus facile applicentur. Ergo de conferentiis episcopalibus simpliciter loquendum est, non exclusive de conferentia nationali. Hoc verbum « *nationali* » supprimatur in titulo.

3. Circa primam partem capitis *de conferentiae constitutione,* haec sunt notanda:

a) Conferentiae episcoporum ea natura iuridica frui debent, quae postulatur a fine, propter quem natae sunt. Quare conferentiae corporationem iuris publici in Ecclesia constituere debent, iurium et obligationum capacem cum proprius finis publicam Ecclesiae utilitatem attingat.

b) Videntur ergo innecessaria Concilia plenaria et provincialia quia conferentiae possunt leges ferre, cum casus fuerit, et ad modum Concilii tunc agerent. Supprimantur ergo quatuor lineae primae par. 18.

4. Circa partem II *de conferentiae moderamine* haec notanda:

a) Par. 19: Conferentiis episcopalibus interesse competit omnibus et singulis episcopis in territorio conferentiae degentibus, etiam titularibus, nam per consecrationem episcopalem omnes etiam titulares in sollicitudinem omnium Ecclesiarum sunt vocati.

Curandum autem est ut si ob rationabiles et graves causas, ab Apostolica Sede probatas, quidam a conferentia absentes sint, efficaciter repraesentari teneantur ut eorum opiniones et vota conferentia cognoscat et admittat. Quam formam repraesentationis absentium, statuta ordinare debent.

b) Quae in par. 20 et 21 dicuntur non sunt propria decreti conciliaris. Ius canonicum vel Statuta Conferentiae iam providebunt. Ergo supprimantur.

5. Circa partem III *de conferentiae decisionibus,* haec notanda:

Principium generale in par. 22 propositum non placet; nam decisionum conferentiae vis iuridica pendet tum ex subiecta materia et modo quo pertractetur tum ex voluntate ipsius conferentiae necnon ex dispositionibus Sanctae Sedis.

Iam vero conferentiarum activitas ad haec tria capita reduci potest; vel ad mutuam inter episcopos consultationem et coordinationem pastoralem; vel ad legem fidelibus intimandam; vel denique ad doctrinam sollemniter omnibus proponendam. Et compertum est, abstractione facta a quacumque approbatione Summi Pontificis, in forma specifica, diversam esse obligationem harum decisionum in triplici praedicto casu. Ergo statuendum est:

a) Consultationes in re pastorali forte erunt, saepe saepius, consilia, commendationes, suasiones, etc. a conferentiis episcopis factae, quae, ut evidens est, nullam obligationem proprie dictam episcopis gignent, sed potius convenientiam aut aequitatem audient.

b) Res autem aliter se haberet si veri nominis decisiones constituerent nam in isto casu etiamsi episcopi iuridice non obligentur cum obligatio iuridica semper respondeat « iusto positivo seu legali » a lege humana statuto, tamen daretur vera obligatio moralis seu in conscientia, ratione fidelitatis ob promissionem implicitam in conditione membri existentem et ob pactum

implicitum in ipsa conferentiae adunatione, nam finis conferentiae praecise est communis actio episcoporum.

c) In secundo vero casu, nempe, si conferentia leges ferat, leges datae omnes et singulos obligant, nisi dispensatio a Sancta Sede obtineatur. In casu, conferentia ageret tamquam verum organum collegiale legislativum et auctoritate ipsius conferentiae propria leges promulgarentur. Tunc revera conferentia ad modum Concilii particularis — plenarii vel provincialis — ageret.

d) Si agitur vero de sollemni declaratione magisteriali, doctrina a conferentia proposita peculiari sollemnitate gauderet.

Par. 25 placet.

6. Ut suos fines episcoporum conferentiae efficaciter attingere valeant, non tantum servitia quaedam technica, omnibus episcopis communiter utilia, habere debebunt, sed etiam necessarium erit aliquo in casu ut entia vere iuridica existant sub iurisdictione atque sollicitudine collegiali episcoporum.

Ex alia parte, conferentiae nullatenus ignorare possunt alia organa, ab Apostolica Sede condita, cum charactere supradioecesano, nationali seu internationali, ad maius animarum bonum certe promovendum: e. g. uniones vel foederationes religiosorum et religiosarum, immo et laicorum. Iam vero omnibus compertum est talium institutionum cum episcopis, in conferentia coadunatis, coordinationem maxime iuvare ad bonum animarum.

Particulares sane normae de hac re potius futuro Codici Iuris Canonici reformato relinquendum videtur. Attamen principium alte proclamandum est.

7. Ut maiori efficacia conferentia procedat atque ut unitati Ecclesiae melius provideatur in decreto haec duo debent explicite constare:

a) Conferentiae episcopales auctoritatem episcopi propriam in ecclesia particulari non possunt minuere, sed potius debent roborare.

b) Vigilantia Sanctae Sedis est omnino necessaria. Praeter approbationem Statutorum, de qua iam in schemate agitur, Sancta Sedes notitiam de omnibus quae in conferentiis pertractantur habere debet.

Immo necessarium est ut a Concilio statuatur conferentias nulla posse collegialiter promulgare aut decisionem fidelibus intimare, absque praevia Apostolicae Sedis approbatione.

Hoc novum institutum recte statutum, maximam efficacitatem actioni pastorali episcoporum praestabit.

23

EXC.MUS P. D. IOSEPH FADY

Episcopus Lilongwensis

Excusez-moi si j'écris en français, parce que *a*) ça va plus vite; *b*) nous n'avons ici à l'hôtel ni peritus ni latiniste, ni même un dictionnaire latin.

Historique de ces conférences dans le Nyasaland (Afr. orient.):

a) *Dans le passé* nous vivions plutôt en « isolés » pour plusieurs raisons: 1. territoires immenses, coupés les uns des autres par des " no-man's land "; 2. moyens de communications pauvres.

b) *Dans le présent* cela devient la mode de multiplier les conférences à l'échelon des circonscriptions métropolitaines, territoriales et internationales pour différentes raisons, entre autres, à part celles mentionnées dans le schéma, les suivantes: 1. moyens de communications plus faciles; 2. territoires divisés en de multiples diocèses; 3. nouveaux problèmes en face des peuples devenus indépendants.

Jadis on se réunit pour étudier surtout les problèmes scolaires avec les pouvoirs coloniaux — surtout après la 2e guerre mondiale —. *Aujourd'hui* nous avons à traiter avec de nouveaux gouvernements. Notre position missionnaire ressemble à celle des premiers pioniers de l'Evangile qui avaient à traiter avec les Chefs indigènes, alors susceptibles de leur autorité.

Allons-nous créer des « petites Curies Romaines »? Nous n'avons ni le personnel suffisant et expert, ni les moyens financiers.

La meilleure formule semble devoir être celle préconisée par le card. Frings ou le card. Wyszyński. Que ces conférences sans devenir des organismes trop bureaucratiques, se tiennent en vue de fortifier l'union, la charité, promouvoir l'apostolat.

Pour ces conférences il faut, me semble-t-il, commencer par le diocèse d'abord. Réunir le clergé chaque fois que des problèmes, de pastorale surtout, se posent (nous sommes avant tout pasteurs d'âmes), puis faire des réunions avec les diocèses limitrophes ayant des problèmes similaires, ensuite seulement penser aux conférences sur un échelon plus étendu. Il est encore trop tôt de parler de Pan-African Conference.

Festina lente. Media aurea via.

24

Exc.mus P. D. ANGELUS FERNANDES

Archiepiscopus tit. Neopatrensis, coad. c.i.s. Delhiensis

Cum his diebus in coetu hierarchiae Indiae, cui circiter sexaginta episcopi intererant, de conferentiis episcopalibus actum sit, vestri interest scire quid illi de hac re sentiant. Sequentia puncta, nullo explicite obstante, ab eis probata sunt.

Opinantur statuta in particularibus ab unaquaque conferentia esse condenda, sed quaedam particularia, pro omnibus communia, a Concilio sanciri debere, nempe:

1. Quoad membra: omnes Ordinarii locorum exceptis vicariis generalibus, sed etiam omnes episcopi in territorio degentes.

Omnes consentiunt omnes dioeceses (aut praefecturas, praelaturas nullius, etc.) saltem unum suffragium habere debere, ita ut impedito ordinario vicarius generalis cum voto deliberativo eum repraesentet.

Quidam opinantur omnes episcopos vocem deliberativam habere.

2. Quoad praesidem: eligi debet ad tempus, secreto suffragio. Num omnia membra consilii permanentis ad tempus eligi debeant non constat.

3. Quoad modum exprimendi suffragium: in scriptis et secreto pro electionibus et decisionibus maioris momenti.

4. Quoad obligationem decisionum: In genere habere debent characterem tantum consultativum et nonnisi aliquam obligationem moralem inducere, non vero iuridicam.

In specie tamen, ut sit expressio concreta « decentralizationis » in Ecclesia, et ut Curia Romana assuefiat in quibusdam saltem punctis maioris momenti non cum singulis episcopis tractare, sed cum collectivitate episcoporum — unio enim plurium iura eorum magis in tuto ponit —, videtur servandus n. 24 *a*), scil. ut in solis taxative sumptis casibus quo ius commune, quod post concilium erit mutandum, vel Apostolica Sedes, decisionem conferentiae episcopali relinquit. Sed per quatuor e quinque partibus votorum decisio sumi debet.

5. Ideoque videtur prorsus expungendus n. 23 de ratione in scriptis reddenda.

6. Attamen in schemate pressius est inculcandum episcopis ut de bono communi in natione solliciti, ab omni individualismo refugiant.

7. Constitui debet consilium mixtum quod aliquot episcopos et membra consilii permanentis superiorum maiorum religiosorum complectitur.

8. Quoad usum peritorum. Suadendum est ut in commissionibus sacerdotes, immo et laici cooptentur pro sua de rebus specialibus competentia.

9. Quoad conferentias regionales: in nationibus maioris extensionis, posse veri nominis conferentias constitui pro illis partibus quae aut lingua, aut similitudine situationum quandam unitatem ab aliis differentem constituunt.

25

Exc.mus P. D. EMMANUEL FERNANDEZ-CONDE
Episcopus Cordubensis

Nostro quidem tempore cuncta unitatem quaerunt. Populi non solum sensu nationali, sed etiam sensu arctiore mutuum fulcimen et praesidium perquirunt. Quae huius rei ratio? Communes necessitates quae etiam communia problemata generant, ideoque solutio omnibus accommodata quaerenda.

Ecclesia, societas humana simul et divina hanc legem fugere non potest. Et tam ordinis interni causa quam ob relationes cum guberniis civilibus, vel propter eius situm in hoc mundo Ecclesiae opus est etiam ut has quaestiones attingat. Quare? Causa ita gravis est, ut mirationes et sollicitudines fidelium suscitet, cum videant idem diverso modo effici in hac dioecesi et in vicina. Ex quo auctoritatis deminutio procedit ordinario loci, qui hoc urget quod fideles diverse exsequi vident.

Hac de causa necessitas conferentiarum episcopalium gliscit in dies, ma-

xime quia facile convenire possunt episcopi, quin necessariae sint formulae nec dilationes temporis, quae in Conciliis plenariis et provincialibus fieri debent.

De conferentiae natura. Prima quaestio perscrutanda et solvenda — cuius schema nec meminiscit quidem — est conferentiarum natura, cum ex ea earum intimatio et obligatio dimanet, de qua in art. III huius capitis agitur.

Suntne principii collegialitatis accommodatio? Sit nobis concessum quod virtualiter est sententia maioris partis huius coetus.

Theologis qui collegialitatem propugnant non eadem mens. Alii simpliciter censent collegii episcopalis sollicitudinem omnium Ecclesiarum etiam ad conferentias attinere, cum sit proprie huius sollicitudinis parti cuidam notatione dignae. Quaestio est de principio et consequentia..

Alii vero existimant hanc collegii sollicitudinem non Ecclesia universali qua tali restringi debere, sed principio collegialitatis alia quoque inferiora complecti oportere.

Sed ad concreta veniamus. Omni antiquitate Concilia plenaria et provincialia sunt habita, quae significatio erant communionis Ecclesiarum. Leges cuiusdam Concilii in alias regiones mittebantur et vicissim et mutuo ita recipiebantur ut leges haberentur in pluribus locis. En origo collectionum canonicarum.

Quid? Nonne, ut quaestiones solverent et sibi mutuo opitularentur conveniebant? Tum temporum nulla erat Sanctae Sedis interventio neque de his conciliis decretum fuerat. Ex quo principio iuris coadunebantur? Nonne sentiebant necessitatem caritatis fraternae et subsidium in communiis necessitatibus? Haec quaestio difficile explicatur, si principium omnes existimare actione communi teneri non recipitur.

Si principium collegialitatis non admittitur, tenendum erit illos congregari — quod quidem et nunc fieri eodem modo potest — pactionis causa — expressae vel tacitae — qua omnes censebant se teneri ad imperium quoddam exsequendum.

Quid ante hodie prohibet, quominus conferentiae sint eiusdem naturae theologicae-iuridicae, quam habuerunt habentque his diebus Concilia plenaria vel provincialia? In mundo hodierno problemata surgunt et proponuntur summa quidem celeritate et impossibile est — quemadmodum prius dixi — ut sollemnia Concilii patiantur. Nullum his quaestionibus remedium? Ne simus fastidiosi observatores formarum sed quae nostra tempora sibi postulent perspiciamus.

Ex alia parte, subnotandum est auctoritatem conferentiarum non attingere debere eas quaestiones quae mere dioecesanae sint, quae cura episcopi sunt, sed eas quae ob suam amplitudinem, vel propter boni communis rationes, ad omnes dioeceses Nationis pertineant.

De conferentiae regimine. Postquam necessitatem creationis conferentiarum exposuimus, quaestionem capitaliorem de earum regimine disputare intendimus.

Plane schematis consentio ad n. 18, par. 2: de eiusdem statutis, quae cuilibet nationi sunt accommodanda. Sanctae Sedis approbatio potest defectus possibiles corrigere, in primordiis maxime, tum ex excessu auctoritatis tum defectu efficientiae ad bonum omnium commune.

Ex quibus conferentia efformanda? Placet quidquid in n. 19, par. 1 legitur, sed par. 2 eiusdem numeri non placet. Postquam locutum est de sacramentalitate episcopatus et de collegialitate non video causam episcopos auxiliares et coadiutores secludendi. Fidelibus praeterea speciem praebemus, ut si de episcopis secundi ordinis agatur.

Cum art. II huius schematis de regimine conferentiarum disserit, punctum maioris momenti silet, quo modo consilium permanens et commissiones episcopales eligi oporteat. Quod irrite fit, necessario libertas episcoporum perit, qui e manibus paternis Romani Pontificis sub auctoritatem primatus vel consilii metropolitanorum, quibus fortasse iidem sensus bonitatis non essent, quam ob rem suffraganei et titulares meri et obsequentes acolythi eorum propositorum evaderent.

Cui malo ut subveniatur una est via: libera et secreta electio, ad praefinitum tempus, v. g. ad quinquennium, sive consilii permanentis, sive commissionum, qui ex pacto tenebuntur et convento devincientur ut omnibus membris conferentiae anno exeunte statum ipsius communicent.

Si omnes ut membra activa sese vident, omnes certo eventis certis et progressui indeficienti incumbent.

De conferentiae decisionibus. Omnis conferentiarum fructus ab uno pendet, a vi iuridica earum decisionum. Si obligationem iniungit verae solutiones quaestionum erunt; aliter ut consilia accipientur et problemata insoluta manebunt.

Ideo plane adsentio n. 24 huius capitis et rebus minoris momenti admitto etiam n. 22.

Quaestio etiam respici posset sub maioritate suffragiorum requisita rebus obligationis iuridicae, de quibus in par. 1, n. 24 agitur.

Ibi duae tertiae partes suffragiorum proponuntur, quod quidem aliquibus videri poterit, quia magna est obligationis consequentia. *Uniformitas* tamen exigi non potest; unius sufficeret oppositio ut nulla esset solutio. Cur non tres totius numeri partes sufficiat? Pondus obligationis clarius appareret.

Conclusio. Nostris quidem temporibus conferentiae magni effectus sunt ut optime Ecclesiae consulatur et multis quaestionibus, quibus nationes implicatae manent, caveatur.

Servandum tamen enixe iustum principium libertatis episcoporum, cui rei maxime prospicietur, ordinatione plene democratica conferentiarum et Sanctae Sedis interventu. Secus erunt regnum paucorum.

Nunc iam in Annuario Pontificio specimen legere fas est — non parvus est — conferentiarum numerus. Sed licet in dubium earum veram efficientiam vocare, cum tantum moralem obligationem decisionum imponant. Ad quid tunc hae conventiones?

26

Exc.mus P. D. IACOBUS FLORES MARTIN

Episcopus Barbastrensis

Congregavit nos in unum Christi amor. Ubi caritas et amor, Deus ibi est. Vere Deus nobiscum est.

Cum heri Summus Pontifex, melius nudiustertius, nos iuxta cor suum paternum habebat nobisque colloquebatur, videbatur totam Ecclesiam in nos effundere velle et nos caritate sua universali complectere, sentiens in imo corde totam Ecclesiae vitam.

Tunc melius videbam vitalitatem Ecclesiae quae sese effundit et aperit, velut flabellum in toto mundo, ut collaboratione inter nos episcopos totam Ecclesiam ut boni pastores, qui oves ubique terrarum pascunt et quaerunt ut fiat unum ovile et unus Pastor.

Ad hoc vero proponenda videntur hoc ordine res:

Primo unio inter sacerdotes in paroecia; unio inter parochos et vicarios foraneos, dein *unitas dioecesis* in episcopo cum suo clero, seu presbyterio, seu tota dioecesis.

Dein gressus debet fieri ad conferentias provinciales, quae mihi videntur facienda altero quoque mense, ut inter vicinos episcopos tractentur quae communiter debent tractari et agi, sunt enim generatim ex eadem regione et multa problemata communiter tractari et agi possunt et debent; dein ad nationales, sed pro omnibus episcopis non pro solis archiepiscopis aut cardinalibus.

Qua vero auctoritate? Ego semper inclinabar ad auctoritatem, ad vinculum aliquod iuridicum, sed amantissimus card. Frings posuit verbum caritatis et zeli, et exemplo eius praefero ut non nimis iuridica vincula, sed amoris vivificentur decreta, vel determinationes. Attamen in hoc concordo etiam cum exc.mo Ancel multum amore insistendum ut res componantur eo modo quo vera organizatio virium et laborum possit fieri; non certo iure divino, sed iure caritatis, non ut obligatio nova ex collegialitate iuridica, sed ex ovium amore et Iesu Christi. Ut appareat etiam coram omnibus hominibus nos in Christo unum esse et non quaerere vel nationis vel proprii personalis amoris triumphum, sed Ecclesiae et animarum.

Ad n. 13. Adderem verbum de procuranda omni sollicitudine relatio inter conferentias nationales. Sunt enim multa quae hodie collocutiones internationales episcoporum exigunt. Modus mihi optimus videtur:

1. Ut communicationes mittantur de decisis in conferentiis nationalibus.
2. Ut sit aliquis episcopus qui ex unaquaque natione sit in connexione cum diversis commissionibus alterius nationis.
3. Ut in pluribus rebus collatis consiliis procedatur melius et aptius: e. g. in iuvandis fratribus Americae Latinae. Nos videmus Romanum Pontificem eos tamquam filios blanditos habere ac praedilectos, eosque hac et

multis aliis causis corde vere fraterno et amore pleno amplectimur, et ideo iam misimus in Americam plures centenas sacerdotum his ultimis decem annis et parati sumus in eos effundere nostram caritatem. Egomet qui in mea parva dioecesi 45.000 animarum fere omnes sacerdotes habui martyres, etiam episcopus meus antecessor, et quae per montes diffusa est, volo habere singulis annis decem sacerdotes, quattuor pro dioecesi et sex pro fratribus... sed forte melius faceremus omnia, si in Consilio sic dicto CELAM omnes vires, vocationes, expensas oeconomicas, pro seminariis etc. distribuerentur. Forte posset optime servire splendidam organizationem ab exc.mo Fulton Sheen propositam pro re missionaria...

Necessarium deinde videtur haec tractatio et collocutio cum aliis episcopis pro migratione operariorum, pro eorum situatione in re syndicali, in salariis, in domiciliis habendis, in re familiari, religiosa, sociali... Quoties ipsi se sentiunt sine cura, sine amore, aliquando perinde ac si ipsi non essent humano amore digni, quia non sunt de illa natione... Proh dolor, oecumenismum non habemus. Et habemus gravia problemata in Hollandia, in Belgio, in Germania, in Australia... Nec possumus solummodo considerare nos habere Fabiolam in trono, sed potius operarios in labore et aerumna, extra patrios lares, orbati ab uxore et filiis, non semel in angustiis animi et corporis...

Agitur etiam de phaenomeno turismi, de modo vestiendi et in Ecclesiam ingrediendi... aliqua collocutio, aliqua norma uniformis et saltem ne alios condemnemus quin sciamus causas agendi diversas esse posse datis circumstantiis peculiaribus.

Ita facile perveniemus ad amorem perfectum et ut in mundo possit dici: *videte quomodo se amant et in medio eorum est Christus Deus.*

27

Exc.mus P. D. ALOISIUS FRANCO CASCÓN
Episcopus Nivariensis

Liceat mihi breviter innuere duas quaestiones ad novam structuram cap. III schematis decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine.* Necessarium est, mea quidem sententia, has emendationes inducere, quibus caput subtilius laboratum hoc aspectu atque perfectius erit.

Prima quaestio est de aspectu oecumenico huius capitis; altera vero de ordinatione conferentiarum nationalium.

Prima quaestio. In ordinatione huius capitis, ut in quolibet schemate, negligendum non est principium et fundamentum Concilii: oecumenismum. Hoc nostrum Concilium oecumenicum est. Ideo omnes quaestiones oecumenice agere debet; quaestiones dico quae subiectae iacent Concilii deliberationibus.

Quod iudicium in hoc schematis capite plane negligitur. Sed de quaestione maximi momenti res est, de forma videlicet regiminis dioecesium, et in hac

constitutione de una tantum parte Ecclesiae loquitur, latinae, quin animadvertatur ad regimen Ecclesiae orientalis.

Quidni hic colloquitur etiam de Ecclesiae orientalis moderatione? Nihil quidem obstat singulare esse schema de rebus orientalibus. Perpolitius res expressa appareret, et Ecclesia omni suo ambitu regiminis se praeberetur, si coniunctim et eadem expositione de suo regimine disseretur. Secus species fertur in gremio catholicismi duarum Ecclesiarum, qui aspectus viribus opibusque arceri debet.

Quam ob rem uno capitulo exarari propono, sub duobus articulis, regimen episcoporum in universa Ecclesia. Ita enuntiari possent:

Primum: de Ecclesia orientali, sub patriarcharum regimine. In hoc articulo ordinatio et functio regiminis patriarchalis exponi debet.

Secundum: de Ecclesia latina, sub conferentiarum regimine, ubi novus conceptus regiminis episcopalis ordinetur.

Ita in uno eodemque capite cohaerentia et unione, quam sibi quaestio de regimine Ecclesiae et episcoporum postulat, pertractaretur; integre res absolveretur; solutio vere oecumenica consequeretur.

Altera quaestio. Conferentiarum episcoporum forma. Probat et admittit schema Concilia provincialia; novit et adnuit Concilia plenaria; et novas inducit conferentias nationales episcoporum, quae coniungi possunt conferentiis aliarum nationum et terrarum, et ita conferentiae internationales constitui.

Non moror in examine omnis ordinationis a schemate propositae ad earum constitutionem; multis namque disceptationibus huic rei opus esset. Ei consentiendo, hoc hortor, ut articulus addatur in quo explicetur unio harum conferentiarum sive nationalium sive internationalium cum curia Romani Pontificis et cum episcoporum collegio. Inter curiam Romani Pontificis et collegium episcoporum nexus vel commissio esse debet, qui Romanum Pontificem iuvent et consulant simulque contactum cum collegio episcoporum servent. Simul pertinere debent ad curiam Romani Pontificis et ad episcoporum conferentias.

Coniunctio conferentiarum cum curia Romani Pontificis una cum collegio episcoporum, huius commissionis ope, magnis fructibus esset tum episcopis, tum clero atque populo fidelium in ordine disciplinae, magisterii, regiminis et iuris, quos nunc exponere intempestivum esset.

28

EXC.MUS P. D. ALEXANDER GONÇALVES DO AMARAL
Archiepiscopus Uberabensis

Maxima quidem et qua par est reverentia, tres habeo proponendas emendationes in schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* cap. III.

Prima haec est: contradictiones mihi videntur esse aliquas in duabus paragraphis n. 24, pag. 16.

Nam in § 1, linn. 11-15, sic legitur: « Decisiones nationalis episcoporum conferentiae, dummodo legitime et per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum prolatae sint necnon ab Apostolica Sede recognitae fuerint, singulos episcopos etiam iuridice obligant in his, qui sequuntur, dumtaxat casibus ».

Atqui, si decisiones recognitae fuerint ab Apostolica Sede, earum vis iuridica non a conferentia nationali, sed a recognitione Apostolicae Sedis ortum habet et ita tales decisiones obligant singulos episcopos etiam iuridice in omnibus et non « in his, qui sequuntur *dumtaxat* casibus ».

Vim haberent iuridicam, non quatenus decisiones conferentiae nationalis sint, sed quia recognitae ab Apostolica Sede. Et sic evanescit figura iuridica conferentiae nationalis. Nec requiritur, hoc in casu, ut sint prolatae « per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum ».

Sub littera *a*), sic declaratur: « quando agitur de peculiaribus rebus quae sive iure communi sive speciali Apostolicae Sedis mandato nationali episcoporum pertractandae ac resolvendae commissae fuerint ».

Atqui, si « sive iure communi, sive speciali Apostolicae Sedis mandato... pertractandae ac resolvendae commissae fuerint », adhuc vis iuridica orta est talibus decisionibus, sive ex iure communi, sive ex Apostolicae Sedis mandato, et non a conferentia nationali, cuius configuratio iuridica iterum evanescit.

Insuper, sub litteris *b*) et *d*), « quando agatur de declarationibus maioris momenti », vel « quando gravitas rei exigat communem omnium episcoporum agendi rationem », etc., sicut patet, tempus non est obtinendi recognitionem ab Apostolica Sede, sicut firmum manet in par. prima.

Denuo, si decisiones ab Apostolica Sede recognoscuntur, quomodo conciliari hoc cum par. secunda, sic enuntiata: « Contra decisiones de quibus supra datur recursus ad Apostolicam Sedem, at in devolutivo tantum »?

Recursus, quamvis in devolutivo tantum, ad Apostolicam Sedem, contra decisiones ab ipsa Apostolica Sede iam recognitas?

Existimo melius esse ut supprimatur aut saltem alia formulatione componatur id quod venit sub n. 24.

Idem puto, ob similem rationem, de nn. 22 et 23, qui ab illo 24 pendent. Maneat conferentia nationalis in suo vero loco et gradu, i. e., sit tantum organum consultivum, in servitium et directionem moralem, non autem iuridicam, episcoporum.

Inter Sanctam Sedem et episcopos, nulla nova interponatur entitas iuridica, totaliter absona a Codice Iuris Canonici et a potestate episcoporum, iam rite et recte stabilita.

Proponere insuper volo, maxima reverentia, secundam emendationem, quae sic se habere potest: sub titulo « De relationibus inter conferentias episcopales diversarum nationum » in n. 25, pag. 17, linn. 1-3, mihi videtur necessarium aliquid adiungere.

Hoc in capite nihil declaratur de relationibus inter dioeceses, provinciae ecclesiasticae, seu archidioeceses, et conferentiam nationalem.

Atqui, dioeceses et provinciae ecclesiasticae suam propriam et bene configuratam habent constitutionem iuridicam et quidem theologicam, quae conferentiis nationalibus praecedunt, sive chronologice, sive essentiali sua structura.

Oportet ergo ne eis superponantur, etiam iuridice, conferentiae nationales, quae nec ab eis se elongari poterunt.

Hac ratione motus, propono ut initium pag. 17 sic sonet:

IV. De relationibus inter conferentias episcopales et dioeceses et provincias ecclesiasticas et inter conferentias episcopales diversarum nationum.

25. (Relationes inter conferentias episcopales et dioeceses et provincias ecclesiasticas et inter conferentias episcopales diversarum nationum). Foveantur relationes inter conferentias episcopales et dioeceses et provincias ecclesiasticas in eadem natione, ut plenam harmoniam servari videatur in actione pastorali coniuncta. Foveantur etiam relationes inter conferentias episcopales diversarum nationum ad maius bonum tuendum ac promovendum, in universalitate actionis apostolicae, ut « in omnibus honorificetur Deus per Iesum Christum » (*1 Pt.* 4, 11) et animae salvationem invenire facilius possint.

Praebeo nunc et ultimo tertiam emendationem, quae est sequens.

In pag. 14, sub n. 17, linn. 1-4 haec fiat immutatio: « (Prooemium). Unusquisque episcopus, sub Romani Pontificis auctoritate, est proprius ordinarius atque immediatus pastor in dioecesi sibi commissa et sic remaneat, quamvis tamen expediat ut omnes », etc.

Nam episcopus iam pacifice habet suam theologicam et iuridicam essentiam et haec sua structura proculdubio iure pollet praecedentiae erga quamcumque conferentiam nationalem. Consequenter, forma concessiva et subiunctiva magis convenit conferentiae nationali, quam episcopo.

Etenim conferentia nationalis usquemodo nullam habet structuram iuridicam et theologicam et firmatur tantum in caritate et mutualitate actionis apostolicae episcoporum.

Episcopi faciunt et constituunt conferentiam nationalem et haec, ex natura sua, nequit episcopos iuridice obligare nec eis concedere ut sint proprii, ordinarii atque immediati pastores.

29

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Exoptatur institutio alicuius organi praevidentiae socialis in favorem cleri.

Audivimus in aula: « honores non dant panem, sed dant famem ». Et haec fuit responsio quaedam durissima, ut ita dicam, proponentibus renuntiationem, quia defectum caritatis denuntiavit inter nos.

Iterum atque iterum cap. II n. 16 examinavi et ad hanc conclusionem

deveni: « ne verba verba tantum maneant (pag. 11, n. 16, § 2, linn. 1-2) conferentias nationales instituant institutum quoddam praevidentiae socialis pro clero (episcopis et sacerdotibus), ut congruens illi provideatur sustentatio, quando casus ferat ».

Cum in multis nationibus iam habeamus conferentias religiosorum quaeque, ex voto Apostolicae Sedis, essent multiplicandae in omnibus nationibus, bonum mihi videtur ut, hoc in capite, numerus addatur in quo rationes inter conferentias episcoporum et religiosorum exponantur!

Ad n. 19, § 2. Meo nomine, sed de consensu, ut censeo, fere omnium episcoporum, contra quae statuuntur in n. 19, peto ut deleatur § 2 ubi vox activa denegatur episcopis auxiliaribus in conferentiis nationalibus.

Iam dixi me esse contra hanc institutionem, sed si servantur auxiliares in Ecclesia, debito honore ditentur! En rationes:

1. Vi ordinationis et ipsi sunt, sicut ceteri episcopi, successores apostolorum.

2. Etsi non omnia quae de collegio episcoporum dicta fuere accipiam, quaestionem propono: si auxiliares, utpote incorporati in corpore episcoporum, deberent (non possent!) Ecclesiam universam regere, cur ipsis denegatur participatio in gubernio Ecclesiae particularis?...

3. Dignitas episcopalis ipsorum auxiliarium episcoporum non satis in tuto ponitur (cf. sch., cap. II, in prooemio), quia ipsis praeferendi sunt plerique Ordinarii episcopali charactere carentes, inter quos et ego!

4. Ob maiorem ipsorum auxiliarium mobilitatem, saepe saepius, ipsis et non residentialibus, committitur infensissimus labor in conferentiis.

30

Exc.mus P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

N. 17. Rationes theologicae ponantur: *a*) ut unitas Ecclesiae magis splendeat; *b*) ut character episcopi tamquam membrum collegii in omnium Ecclesiarum sollicitudine clare demonstretur; *c*) ut figura episcopi magis universalis appareat prout postulat munus membri collegii.

Praeter « statisque temporibus » oporteret addere: etiam cum adiuncta hoc postulent. Clarum est non deesse occasiones in quibus opportunus esset hic conventus, v. g. cum a Gubernio quodam proponitur lex contra catholicam fidem.

N. 18. Post par. 2, credo conveniens esse inserere quod continetur in nota 6. Quin immo practicum hoc dicerem.

N. 19. Quoad eos qui partem habent (in conferentiis de quibus loquitur hic numerus et nota 6) credo conveniens esse ipsos amplificare et includere alios sacerdotes, cum voto mere consultivo, si hoc opportunum iudicaretur a participantibus iure. Invenientur casus, praesertim in regionibus missionum

recentibus, in quibus fere omnes episcopi sint peregrini, quibus optimum esset cognoscere modum cogitandi sacerdotum regionis et ipsorum dispositionem.

Forsan etiam oporteret episcopos auxiliares membra de iure esse, maiori ratione, quatenus hi possunt ingredi commissiones (n. 20, 2).

Quoad par. 3 huius numeri forsitan possint applicari quae in n. 5 dicuntur. Obliviturі non sumus non paucas dioeceses inter se plurimum abesse, relate ad Romam, ubi videtur adimplenda esse quae in n. 5.

Nn. 20 et 21. Nihil animadvertendum.

N. 22. Qualis est valor notae 7? Prout dicitur in pag. 3 schematis, « non efficiunt... ». Ex alia parte, ad quid haec nota si episcopus, absque illa tamquam concessione, facultatem habet leges ferendi in sua dioecesi? Num adest aliqua ratio specialis in hoc casu? Nescio.

N. 23. Etiam coadiutor? Etiam auxiliaris in suo territorio vel materia?

N. 24. Ad *a*). Quae sunt res peculiares quae agendae et solvendae sunt in conferentiis nationalibus? Nescio. In Codice nihil dicitur de his conferentiis; forsitan ex locis supra dictis in nota 1 responsum habeatur.

Ad *b*) Non parum adiuvat in his nota 8.

Num. 25. Redactio est nimis vaga, generalis et inoperans.

Desideratur aliquid magis concretum et efficax, ne in folio permaneat intentio.

31

Exc.mus P. D. ANDREAS HAMVAS
Episcopus Csanadiensis

Maximo mihi honori est in hoc sollemnissimo conventu legislativo Ecclesiae universalis quaedam verba facere de schemate nuper agitato. Patientia tamen vestra abuti minime volo. Ideo votum quinque episcoporum Hungariae ad schema *de episcopis et de dioecesis regimine* fusius elaboratum in scriptura secretariatui generali Sacri Concilii ipsemet tradidi.

De conferentiis episcopalibus tamen brevissime loqui vobis necessarium puto quia haec institutio iuridica in Hungaria longo usu iam probata est.

1. Conferentiae episcoporum in Hungaria praeses est primas Regni, cuius dignitas cum archiepiscopato Strigoniensi est coniuncta. Eo deficiente, vel impedito archiepiscopus vel episcopus senior munere praesidis fungitur.

Decisiones per maioritatem absolutam suffragiorum feruntur, quae ab omnibus membris qua *normae directivae* observantur. In casibus extraordinariis nonnunquam decisiones *vim stricte obligatoriam habent*. Conferentia episcoporum in negotiis, quae totum regnum spectant, supremam exercet potestatem (e. g. Actio Catholica, Facultas Theologica, Seminarium Centrale etc. ...). Regulariter bis in anno habet sessionem ordinariam: vere nempe et autumno. Pro necessitate pluries sessiones extraordinarias habet. De singulis sessionibus protocollum exaratur et a duobus membris ratihabitum, typis quoque imprimitur.

2. Quoad schema sequentia notare sufficiat; venia mihi detur, si aliquid ex inadvertentia repetam.

Ad pag. 14, lin. 26, loco « ... regi debet... » melius esset vocabulum « regitur ».

Ad pag. 15, lin. 2, sequentia verba « ... aut etiam earum loco... » delenda esse putamus, quia conferentia internationalis nunquam reddit superfluam conferentiam episcoporum unius nationis.

Ad pag. 15, lin. 5, melius esset « membra » conferentiae sic determinare: « ... membra ordinaria conferentiae nationalis episcoporum sunt archiepiscopi, episcopi residentiales, porro coadiutores aliique locorum Ordinarii exceptis vicariis generalibus nisi ipsi *sede impedita* regimen dioeceseos susceperint. Hi omnes suffragio gaudent deliberativo. Membra extraordinaria sunt episcopi titulares (auxiliares) qui de casu ad casum per maiorem suffragiorum partem Ordinariorum convocari possunt ad conferentiam cum suffragio deliberativo, si locorum circumstantiae speciales id suadeant ».

Ad pag. 15, lin. 13, inserenda essent: « ... ii qui legitime impediti conferentiae personaliter interesse nequeunt, procuratorem mittere debent qui voto tantum gaudent consultivo ».

Ad pag. 15, lin. 21, inserendum est: « ... quaelibet conferentia episcoporum duabus saltem vicibus per annum convocari debet ».

Ad pag. 15, lin. 23, haec sunt notanda: hic textus sic sonat: « ... consilium permanens ex aliquibus *praesulibus* constans ... ». Cum, hucusque tantum in textu schematis de episcopis et Ordinariis fuit sermo, et vox « praesul » nunc prima vice occurrit, dilucidandum foret utrum haec vox Ordinarium quoque in se contineat, vel tantum episcopum? Melius foret si consilium permanens episcopis tantum constaret cum ceterorum Ordinariorum conditio praecaria est.

Ad pag. 15, lin. 30. Ex hoc textu non liquet utrum secretarius generalis conferentiae ex gremio esse debeat, vel ab extra quoque eligi valeat?

Ad pag. 16. Quod *decisiones* conferentiae attinet nobis minus placent ea quae in principio generali dicuntur. Ibi enim fit distinctio inter decisiones « iuridice » obligantes et iuridice « non » obligantes. De ultimis sic decrevit: « decisiones prolatae ab episcopis... debita reverentia ab unoquoque episcopo accipiantur et ad effectum deducantur... ». Postea vero inculcatur ut episcopus contra decisiones conferentiae agere intendens vel volens, antea debet de hac re praesidentem scripto certiorem reddere. Hac in re quaedam contradictio videtur. Si enim quaedam decisio iuridice obligatoria non est, cur debeat contrafaciens de hac re alicui rationem reddere? Melius forsan esset si tota pars introductoria sequenti modo, vel aliter transscriberetur: v. g. hoc modo: « Decisiones conferentiae episcoporum per secreta suffragia proferuntur, quae fieri possunt sive directivae, sive praeceptivae ».

Decisiones *directivae* per maiorem suffragiorum partem feruntur; vehementer optandum est, ut hae quoque ad unitatem fovendam et ad bonum

fidelium in eadem natione promovendum ab unoquoque episcopo in effectum deducantur, nisi postea in casu particulari ob graves rationes supervenientes aliquis aliter agere censuerit.

Decisiones *praeceptivae,* seu stricte iuridicae per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum proferri debent quae ante promulgationem a Sede Apostolica recognoscantur ».

3. Maximi momenti est ut relatio amicalis foveatur inter conferentias episcoporum diversarum nationum. Saepe saepius praedicamus in Ecclesia legem caritatis super omnia praevalere et « Ecclesiam iuris » (Rechtskirche) « Ecclesiam caritatis » (Liebeskirche) eandem esse Ecclesiam. Ex visibilitate et indole sociali Ecclesiae necessario sequitur eius character iuridicus sed totum ordinem iuridicum ipsa debet vivificare caritas Christi.

32

Exc.mus P. D. MAXIMUS HERMANIUK
Archiepiscopus Vinnipegensis Ucrainorum

I. Caput hoc in genere multum mihi placet, quia confidenter et audaciter respondere intendit necessitatibus hodiernis actuosae praesentiae Ecclesiae Christi in mundo.

II. Attamen, caput hoc laborat quibusdam defectibus et difficultatibus, quae, nisi corrigantur, laborem conferentiarum nationalium episcoporum possunt reddere incompletum et minus efficacem. Et ita:

1. In capite hoc nihil dicitur de conferentiis episcopalibus *variorum rituum,* tam nationalibus quam internationalibus, praetereundo hoc modo unum ex fundamentalibus aspectibus oecumenismi hodierni. Revera, quisnam non videat utilitatem et saepe saepius veram necessitatem pro episcopis alicuius ritus, praepositis pro dioecesibus eiusdem ritus in variis nationibus, statis temporibus in unum coetum seu conferentiam confluere ad rem universam proprii ritus, in suis dioecesibus in variis nationibus, collatis consiliis, fructuosius et efficacius promovendam atque ordinandam, et in primis unitatem ritus perfectius servandam?

Ad clariorem illustrationem problematis, liceat mihi, cum venia vestra, venerabiles Patres, afferre casum status hodierni ritus byzantino-ucraini, ad quem habeo honorem pertinere.

Praeter Ucrainam, ubi, proh dolor! Ecclesia Christi ritus ucraini adhuc in vinculis martyrium patitur, existunt hodie eparchiae vel exarchatus apostolici pro fidelibus ritus ucraini in: Canada, Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Brasilia, Argentina, Australia, Gallia, Germania et in Magna Brittania. Clare patet, ut episcopi praepositi dioecesibus et exarchatibus apostolicis pro fidelibus ritus ucraini in illis nationibus pertineant ad conferentias episcopatus nationales illarum nationum. Hoc postulatur a bono communi Ecclesiae Christi omnium rituum in territorio harum nationum.

Sed simul bonum commune Ecclesiae Christi ritus byzantino-ucraini postulat, ut omnes episcopi, pastores fidelium istius ritus in variis nationibus, possint, statis temporibus, simul convenire et tam de bono communi istius ritus quam de bono generali omnium suarum dioecesium, collatis consiliis, videre et statuere.

Evidenter, quod dixi de ritu ucraino, valet de unoquoque alio ritu Ecclesiae Christi in similibus conditionibus.

Quapropter, post verba « huius decreti normis aptari debebunt », in pag. 15, lin. 4, addere proponerem novam paragraphum, nempe par. 4, his verbis: Idem dicendum est de conferentiis episcoporum nationalibus et internationalibus *variorum rituum Ecclesiae,* ubi peculiaria adiuncta hoc postulant.

2. Praeter hoc silentium de conferentiis episcopalibus nationalibus et internationalibus variorum rituum, ubi particularia adiuncta hoc postulant, quasdam habeo difficultates quoad n. 24, in pag. 16, ubi agitur de quibusdam decisionibus conferentiarum nationalium etiam iuridice singulos episcopos obligantibus.

a) Prima mea difficultas refertur ad expressiones « per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum » in n. 24, linn. 13-14, et « duae saltem ex tribus partibus praesulum cum voto deliberativo *adstantium* » in eodem numero, linn. 26-27. In primo casu nihil dicitur de *praesentia* suffragia ferentium, quae suffragia in hoc casu possent dari e. g. in scriptis.

In secundo casu, econtra, expresse loquitur de *praesentia* praesulum votantium, quo excluduntur ergo practice suffragia scriptim data. Claritatis et certitudinis causa expressiones illae duae deberent formulari identico modo, sine verbo *praesentium,* meo humili iudicio. Ratio est, quia aliquando posset evadere difficile, vel etiam impossibile, pro quibusdam ex iis quibus interesse competit conferentiae, *personaliter* adesse conferentiae, vel *suum delegatum* ibi mittere, dum vere facile possint votum suum scriptim conferentiae transmittere.

b) Secunda mea difficultas refertur ad enumerationem 4 casuum in hoc n. 24, nempe *a*), *b*), *c*) et *d*), in quibus decisiones conferentiarum etiam iuridice possunt obligare singulos episcopos. Difficultas mea provenit ex eo, quod principium sub *d*) est tam generale, prudentia et moderatione plenum, pro auctoritate reali conferentiarum nationalium tam necessarium, ut meo humili iudicio accipi possit ut norma generalis agendi harum conferentiarum, ubi forsitan casus enumerati sub litteris: *a*), *b*) etc. possint enumerari ut quaedam exempla.

Ratio est, quia in omni casu, etiam in casu, ubi res aliqua submittitur conferentiae episcopali iure communi vel speciali Apostolicae Sedis mandato, ad episcopos pertinet, et ad duas saltem ex tribus partibus quidem eorum, *iudicare an iuridice sese obligare intendant, an non.* Propterea melius esset enuntiare in hac quaestione unum principium generale, sat clarum et sufficienter universale, quam inutiliter multiplicare casus particulares.

33

EXC.MUS P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, prael. null. Cluniensis

Votum. Refundatur et reformetur totum cap. III, ita ut media vel remedia quae proponuntur, nullo modo excedant vel transcendant finem qui in eodem cap. III intenditur.

Asserta enim cap. III, iuxta textum schematis, latius patent quam praemissa, i. e., quam fines qui in prooemio (n. 17) indicantur et quam optata episcoporum manifestata in votis pro apparando Concilio Vaticano II.

Fines quos cap. III respicit sunt (cf. prooemium, n. 17, pag. 14): *a*) perfectio mutua et mutuum auxilium ab episcopis habendum per collatas experientias et consilia; *b*) quaedam uniformitas regiminis dioecesani in unaquaque natione vel regione ob disciplinae et animarum bonum; *c*) maior auctoritas episcoporum apud populum christianum, et apud gubernia civilia.

Media ad hos fines assequendos, iuxta textum schematis, erunt *coetus seu conferentiae nationales et internationales episcoporum,* novis et specialibus facultatibus praeditae.

Iam vero haec media, quae in schemate proponuntur, non tantum illos fines longe excedunt, sed etiam nova inducunt pericula, et quidem gravissima, tum pro Supremo Pontificatu, tum pro sacra episcoporum potestate exercenda, tum pro Conciliis plenariis et provincialibus, quorum utilitatem et usum in discrimen ponerent.

Totum ergo cap. III ita oportet refundi et reformari, ut nihil decernat quod fines proprios excedat et nullo modo labefactare videatur instituta quae sunt fundamentum disciplinae ecclesiasticae.

Sed de his singulatim aliquid dicendum erit.

I. Doctrina schematis, in cap. III proposita, *videtur adversari supremae ac plenae potestati Romani Pontificis, quam obscurat et in discrimen adducit.*

a) Quoad *conferentias nationales* episcoporum. Schema proponit institutionem conferentiarum nationalium episcoporum cum potestate iuridica et vi, ut ita dicam, democratica seu in numero suffragiorum reposita.

Sed nullo modo licet *testimonium historiae* in oblivionem mittere, ex qua satis constat multa mala Ecclesiae obvenisse e talibus episcoporum coetibus nationalibus, qui non raro Romanis Pontificibus eiusque supremae potestati obstiterunt. Coetus illi principium aliquod divisionis et discriminis in Ecclesia, suapte natura, fovere videntur (cf. n. 18, pag. 14).

Verba quae in cap. III usurpantur, *impositionem* et obligationem potius quam votum aut consilium significant: « Conferentia *constituatur...* », « statutis *conficiendis...* et ab Apostolica Sede *probandis* ». Haec verba intelligi possunt *sensu imperativo* tum pro episcopis tum pro Summo Pontifice.

Item quando agnoscitur facultas, quae Sanctae Sedi competit, approbandi decreta conferentiarum nationalium, verbum usurpat « *recognoscere* », quod

non idem sonat ac « *approbare* », vel non satis aperte subiectionem, quam conferentia Sanctae Sedi debet, agnoscit et affirmat.

b) Quoad *conferentia internationalis episcoporum,* quae propriis statutis regatur, similiter dicendum est. Hoc institutum, *ex propria rerum humanarum natura,* eo facile deveniret, ut supremae potestati Apostolicae Sedis obsisteret, eamque subplantare videretur. Praeterea, nonne Summus Pontifex quodammodo videretur alligatus et subiectus suffragio democratico? Nonne Ecclesia videretur cedere hodiernis institutis politicis, abdicata propria et divina constitutione iuridica?

II. *Auctoritas et potestas,* quae *ex divina institutione episcopis competunt,* quamvis n. 17, pag. 14 firmari et roborari dicantur, re vera minuuntur et alligantur. Etenim:

a) *Novum institutum iuridicum creatur,* quod *medium* intercedit inter potestatem episcopalem et supremam auctoritatem Romani Pontificis: conferentia nationalis episcoporum.

b) Conferentiae nationali datur *potestas iuridica,* immo et talis potestas quae exercetur collegialiter per maiorum suffragiorum partem. Attamen haec via certe adversatur potestati episcoporum. Sic, e. g., inter 75 episcopos, fieri potest ut 24 *legitime* compellantur ad agendum contra propriam mentem et voluntatem, idque ob eam tantum causam, quod alii collegae aliter sentiant. Quomodo sarta tectaque servatur aequa potestas huius tertiae partis episcoporum? Quid si conferentia decernat iuxta vota partis relative tantum maioris?

Sic fieret ut *episcopi* iam non exercerent suam sacram potestatem sub una auctoritate Romani Pontificis, sed etiam *sub auctoritate conferentiarum.* Quod plane novum et onerosum, immo absurdum esset.

c) Praeterea, quandonam coetus illi nationales experientiam, sapientiam et instrumenta in unum colligent ad munus exercendum, quibus abundat *Curia Romana?*

Praeter quam desiderare vel promittere quis possit, ratio, prudentia et sensus communis huic novitati adversantur et favent partes Romani Pontificis et Curiae Romanae, praesertim nunc, cum a Summo Pontifice audivimus eamdem perficiendam et complendam esse.

III. *Concilia plenaria et provincialia,* instituta antiquissima, quae potissimum influxum in vita ecclesiastica habuerunt per totum historiae decursum, quid prodessent post conferentias, quae proponuntur, institutas?

Oportet non excogitare figmenta, sed realia considerare et perficere. Per hanc novam viam eo Ecclesia deveniret, ut concilia omnia aboleret tamquam inutilia, cum conferentiae nationales et internationales res ecclesiasticas gererent. Sic Ecclesia contemneret instituta veneranda, a sanctis Patribus vel ab ipsis apostolis recepta, et in eorum locum aliquid reponeret plane novum, incertum et valde periculosum.

Solutio: *Oportet ut Concilium decernat ut conferentiae nationales episcoporum* constituantur et procedant, *iuxta normas quas experientia* et effi-

cacitas hucusque feliciter commendat, ut in ipsis, absque periculo novitatis, ea efficacius in dies obtineantur, quae ab omnibus desiderantur; scil.: necessitudo et perfectio mutua regiminis dioecesani per collatas experientias et consilia; uniformitas quaedam regiminis in unaquaque natione, prout postulat disciplina et bonum animarum; maior auctoritas episcoporum apud plebem et apud gubernia. *Quae omnia obtineri possunt absque periculis* de quibus supra dictum est.

a) *Auctoritas et potestas suprema Romani Pontificis* sarta tectaque servatur, cum omnia quae conferentiis proponuntur et decreta quae ab ipsis fuerint sancita, subicienda sint approbationi seu « nihil obstat » Sanctae Sedi. Summus Pontifex habetur centrum et fundamentum unitatis Ecclesiae, eiusque disciplinae.

b) *Potestas episcoporum* ideo servatur, quia conferentiae nullum vinculum iuridicum eis imponant.

c) *Utilitas conciliorum* omnium intacta permanet.

Solvuntur obiectiones.

1. Arguere quis posset quod, *si decreta conferentiae episcopalis careant vi iuridica,* nunquam illa desiderata unitas disciplinae in rebus maioris momenti obtinebitur in una eademque natione, nec vitabitur admiratio plebis, nec potestas episcoporum firma stabit coram populo et auctoritati civili.

Respondeo quod, si quidam episcopi in re magni momenti aliis non concordent atque unitati nationali officiant, tunc proprium erit Apostolicae Sedis munus litem dirimere, interposita sua suprema potestate. Sic episcopi non consentientes vel renitentes obligarentur, non per suffragium vel numerum aequalium, sed per legitimam supremam auctoritatem.

Ne quid nimis. Remedium quod obtineri possit per viam tutam et notissimam, non quaeratur per novos et periculosos calles.

2. Quomodo autem intelligitur quod nunc, quando itinera sunt facillima, et conventiones gentium ita multiplicantur, *concilia plenaria et provincialia, ita insueta et rara habeantur?*

Ratio in eo reponenda est, mea quidem sententia, quod nimis difficilis evasit eorum celebratio. Et difficultas est duplex:

Ex una parte *ritus Conciliorum* nimis complexi sunt, ita ut coetum defatigant et nimis protrahunt.

Ex altera parte, *recognitio et approbatio decretorum,* de quibus agit can. 291, 1, ita etiam differtur, ut aliquando per plures annos exspectata sit. Unde episcopi in suspicionem venerunt eorum celebratio non desiderari a S. Congregatione Concilii. Sic decreta minus apte et opportune temporibus applicantur. Sic evenit pro ultimo Concilio Toletano in Hispania.

Si ritus Conciliorum in simpliciorem formam reducuntur et S. Congregatio Concilii moras diligenter devitat (eiusque munus relate ad haec decreta clare definiatur), sperandum est Concilia de novo florere et Ecclesiae magnopere proficere.

Sublata ergo omni periculosa novitate, nonne multo magis prodest *per-*

ficere et renovare illa instituta quae a maioribus tradita sunt? Cur non permanent *conferentiae* episcopales illis tantum facultatibus ornatae et cum finibus hucusque notis, iuxta ea quae experientia commendat? Cur nova instituta inducenda sunt, quorum pericula videmus et efficacitatem ignoramus?

Ecclesia non quaerit revolutionem, sed evolutionem. Non venit ut destrueret, sed ut perficeret. Non satagit innovare, sed renovare. Non nova, sed noviter! Oportet integrum et tutum servare divinum depositum, et illud constanter aptare variis cuiuscumque temporis necessitatibus. Si fugimus Scyllam, non veniamus Charibdim. Quaeramus viam tutam, per quam Ecclesia feliciter navigare possit, inter scopulos quibus circumdatur.

34

EXC.MUS P. D. CAROLUS M. HIMMER
Episcopus Tornacensis

1. Quoad titulum: melius adaptetur scribendo: « De episcoporum conferentiis » vel « De episcoporum coetibus ».

2. Speciatim quoad par. III (schema nn. 22-23):

A. Opportune schema distinguit inter commendationes et decisiones iuridice constringentes.

a) Etenim auctoritati pastorali episcopi in propria dioecesi nequit substitui potestas collegialis conferentiae episcoporum sive provinciae sive nationis. Hoc contradiceret propriae et immediatae potestati quam iure divino episcopus detinet pro suo territorio. Unde quoad suam dioecesim unumquemque episcopum oportet libertatem servare erga decisiones conferentiae quae iuridice loquendo sunt tantum commendationes (schema nn. 22-23).

b) Exceptionaliter quaedam decisiones iuridice imponi poterunt singulis episcopis scilicet illae quae duas saltem ex tribus partibus suffragiorum obtinuerint necnon Apostolicae Sedis recognitionem. Haec ergo dispositio de qua in schemate (n. 24) intelligenda est restrictive et taxative « in his dumtaxat casibus » et prudenter quatuor casus adnumerantur. Videtur tamen quod ad maiorem claritatem et distinctionem hi casus seu melius categoriae utiliter ad duo reducerentur.

1. Hae quaestiones quae iure communi vel mandato speciali Sanctae Sedis examini conferentiae commissae fuerint (sub *a*);

2. Hae quaestiones quarum momentum exigit adoptionem positionis communis secundum vota duarum saltem partium ex tribus praesulum cum voto deliberativo adstantium (sub *d*).

Sic meo iudicio « *b* » et « *c* » possent supprimi quia ad « *d* » reducerentur.

B. Carentia sat gravis huius paragraphi et (quodam modo totius cap. III).

Si constitutio atque statutum conferentiae ab ipso schemate (schema nn. 18-21) satis bene delineantur, eius competentiae extensio non satis de-

terminatur: schema circa hanc competentiam nihil continet praeter referentiam ad Instructionem *Quo firmius* Leonis XIII anno 1898 editam quae tantum exemplorum seriem praebet.

Haec carentia eo gravior apparet quod si ex una parte par. III de conferentiae decisionibus tractans statuit relationes inter conferentiam et unumquemque episcoporum participantium, *schema omnino tacet circa valorem et auctoritatem conferentiae erga congregationes religiosas atque institutiones* cuius status privilegiatus iure communi statuitur.

Quomodo tunc hae personae morales non recusarent auctoritatem sive competentiam conferentiae circa talem vel talem quaestionem? Cogitemus ad omnia illa quae organizationem scholarum, iuventutis et populi educationem, opera diversa et laicorum consociationes, directoria liturgica, relationes cum auctoritate civili et alia huiusmodi.

Quaedam particularia. Pag. 16, lin. 8: deleatur « antea ». Pag. 16, linn. 13 et 14: ubi legitur « dummodo legitime et per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum... » hic addatur « scrutinio scripto et secreto prolatae ». Pag. 16, linn. 21-24: supprimantur « *b*) » et « *c*) ».

35

Exc.mus P. D. DIONYSIUS EUGENIUS HURLEY
Archiepiscopus Durbanianus

Iam durante hac disceptatione multoties monita audivimus ne conferentiarum episcopalium decisiones vi iuridica dotentur. Cum profunda aestimatione expositiones audivi de modo quo magnae conferentiae iam a multis annis bene operatae sint quin potestas iuridica earum decisionibus insit. Immo, ut membrum hierarchiae quae maximam liberalitatem conferentiae episcoporum Germaniae tam feliciter experta est, liceat mihi publice in hac aula conciliari altissimas gratiarum actiones proferre, tum toti conferentiae, tum specialiter eius dilectissimo praesidi, em.mo card. Ioseph Frings.

In nostra conferentia Africae Meridionalis, eodem principio (vim iuridicam negante) semper usi sumus et quidem cum felici exitu, ut experientia testatur. Qua in re debitores sumus exc.mo D. Martino Lucas, qui cum esset Delegatus Apostolicus, praecipue conferentiae nostrae fundamenta iecit. Meminisse igitur iucundum est nos praxim collegialitatis a Petri legato primum didicisse.

Haec quod ad praeteritum spectant; et libenter concedo potestatem iuridicam in praeterito conferentiis minime necessariam fuisse. Quid autem de futuro? Si res iuridice decidendae conferentiis tradantur — ut v. g. res liturgicae — sine dubio iuridice ab ipsis decidendae erunt. Nobis non erit rem eludere. Hoc sane est pretium illius « decentralizationis » quam fere omnes optamus. Si potestatem iuridicam a conferentiis episcopalibus penitus excludere velimus, « decentralizationem » respuimus, et nos fatemur incapaces collegialem responsabilitatem assumendi. Pudet autem talia fateri in mundo

hodierno qui magis magisque ad unitatem tendit, ubi nationes videmus ad iura sua particularia deponenda paratas ut maiori faveant internationali collaborationi eamque promoveant.

Praeterea, si conferentia episcopalis potestate iuridica caret, pro causis particularibus necessaria erit delegatio specialis a Sancta Sede, ex quo, decursu temporis, fieri poterit quod facultates quinquennales non tantum singulis episcopis concedantur, sed etiam conferentiis episcoporum.

Venerabiles Patres, non amplius « sub secreto » deliberamus. Omnia et singula quae in aula audimus, praedicantur super tecta; quod, ut aestimo, bonum est. Unde nosmetipsos interrogemus: quomodo sonant verba nostra in auribus mundi universi? Sonantne ut verba hominum suarum rerum cupidorum, qui ex una parte iura sibi vindicant participandi in regimine universalis Ecclesiae, sed ex altera parte, in regimine suarum dioecesium, nullam prorsus limitationem vel limitationis speciem sibi imponere volunt, nec in renuntiatione muneris ob provectiorem aetatem, nec in decisione fratrum nostrorum in episcopatu accipienda?

Dictum est fore ut fideles coarctatione monarchicae potestatis episcopi turbentur. Cui experientia, mea saltem, contradicit. Cum enim leges earumque applicationes ab una in alteram dioecesim differunt, tunc fideles desperantes conclamant: « num unquam fieri possit ut vos, episcopi, inter vos consentiatis? ».

36

Exc.mus P. D. CLEMENS IOSEPH CAROLUS ISNARD
Episcopus Neo-Friburgensis

Supprimatur n. 23 (pag. 16, linn. 6-10). *Ratio*: concilia provincialia ac plenaria, quae n. 18 memorantur et inculcantur, certe maioris sunt dignitatis quam conferentia episcoporum nationalis. Attamen, iuxta disciplinam vigentem Codicis Iuris Canonici, in singulis casibus et gravi de causa episcopus ab eorum praeceptis dispensare valet, quin antea vel postea de singulis dispensationibus concessis nullum certiorem facere debeat. E contra, iuxta n. 23, episcopus « in casu aliquo particulari ob graves rationes contra decisiones conferentiae in sua dioecesi agere intendens » *antea* certiorem debet facere conferentiam de suis agendi rationibus.

Nemo est qui non videat nimis coarctari episcopi auctoritatem, quod est contra generalem totius decreti tendentiam, et insuper contra ea quae expresse asseruntur tum in introductione (« sicque eorum iurisdictionis potestas asseratur, roboretur ac vindicetur » pag. 5, linn. 10-11) cum in cap. I (« Quapropter facultates hucusque ipsis recognitae amplificentur » pag. 6, linn. 21-22).

Oportet omnino ut conferentiarum nationalium decisiones non pluris habeantur quam « leges particulares », a quibus episcopi possint in singulis casibus et ob graves rationes in suis dioecesibus legitime dispensare, sine onere recurrendi vel certiorem faciendi.

37

EXC.MUS P. D. IOANNES PATRICIUS KAVANAGH

Episcopus Dunedinensis

N. 17, linn. 14-15: omittantur verba « ipsaque episcoporum auctoritas apud civilia gubernia vel acatholicos viros augeatur ».

Haec verba fere nihil textui addunt, ex altera parte autem in auribus acatholicorum praesertim officialium Status, sunt male sonantia.

38

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS LA RAVOIRE MORROW

Episcopus Krishnagarensis

Liceat mihi brevissime aliquid addere circa conferentias episcopales.

In constitutione *de sacra Liturgia,* de qua diu et multum disputavimus et recenter suffragia fecimus, habetur art. 22, qui in par. secunda statuit: « Ex potestate a iure concessa, *rei liturgicae moderatio* inter limites statutos pertinet quoque ad competentes territoriales episcoporum coetus legitime constitutos ».

In specie, art. 36, par. tertia dicit quod ad illos coetus seu conferentias pertinet *statuere* de usu linguae vernaculae in liturgia.

Haec decentralizatio potestatis Sanctae Sedis in re liturgica, salutata est a plurimis tanquam promissio novae vitae liturgicae et initium novae aetatis in historia liturgiae.

Iamvero multi Patres qui in hac aula his diebus locuti sunt, videntur velle denegare conferentiis episcoporum *omnem* auctoritatem iuridicam.

Si Sacrum Concilium horum sententiam approbaret, nemo est qui non videat illos pretiosos articulos modo citatos suo fundamento privari et omni vi destitui.

Et sic post Concilium omnia erunt sicut erat in principio.

[*Subscripserunt etiam*] J. Fr. de Nevares, ep. Neuquenianus; M. E. Magliano, ep. Rivogallaecensis; Hector E. Santos, arch. Tegucigalpensis; S. Ferrando, vesc. Shillong; Ladislaus Paz, ob. Corumbà; J. Borgatti, v. di Viedma (Arg.); Swamidoss Pillai David; Michael Raspanti, ep. Moronensis (Arg.); José Pintado, ep. (tit.) Phobenus.

39

EXC.MUS P. D. ANTONIUS LÓPEZ AVIÑA

Archiepiscopus Durangensis

Circa cap. III de conferentia nationali episcoporum. N. 17 (Prooemium). In toto prooemio aliqua elementa inveniuntur quibus describitur quid sit vel nomine veniat conferentiae episcopalis. Tamen mihi videtur ad completam

notionem habendam, ut addatur lin. 8 parte finali, verbum defendere vel tueri. Ratio. Omnes enim episcopi gravi obligatione tenemur in nostro territorio immo in tota Ecclesia, non solum rem catholicam promovere et ordinare sed etiam defendere praesertim iis in regionibus ubi fides periclitatur.

Proinde possumus ita conferentiae episcopalis dare descriptionem: coetus episcoporum qui tempore opportuno conveniunt ad rem catholicam in universo suo territorio, collatis consiliis, fructuosius et efficacius, promovendam, ordinandam atque defendendam.

De conferentiae constitutione. N. 18, par. 2. Nova personalitas iuridica conferentiarum episcopalium exigit ut suae constitutionis lineamenta generalia clare statuantur sive a Concilio vel ab ipso Romano Pontifice. Rationes. Quoad generalia lineamenta ut saltem generali procedendi modo in dioecesium regimine habeatur; quoad particularia statuta ratione particularium circumstantiarum ac necessitatum dioecesium, ab ipsa conferentia conficienda sed a S. Sede probanda sunt.

40

EXC.MUS P. D. FREDERICUS MELENDRO
Archiepiscopus Nganchimensis

Pag. 14, art. 18, lin. 20. Pro « quae opportuno tempore legitime celebrari possunt » forte melius dicatur: « *quae saltem vicesimo quoque anno celebrari debent...*

Pag. 14, art. 18, linn. 25-27. § 2 ita, si placet, mutetur: « Omnes nationales episcoporum conferentiae iisdem generalibus statutis, ab Apostolica Sede approbatis, regantur.

Unaquaeque vero nationalis conferentia conficiat quae censeat peculiaria statuta addenda, ab Apostolica Sede probanda ».

Hanc regulam esse servandam postulare videtur Ecclesiae catholicae regimen, quae, quantum fieri valet, iisdem legibus quascumque nationales Ecclesias regit.

Pag. 15, art. 19, lin. 6: « vicariis generalibus exceptis »: haec verba non necessaria videntur.

Pag. 15, art. 19, lin. 9: post verbum « etiam » forte melius « *quicumque alii* episcopi... ».

41

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS MINERVA
Episcopus Lyciensis

1. Conferentiae episcopales nationales non ita extollantur ut Conciliis plenariis noceant quae vi propria nativa privari videntur si conferentiis auctoritatem iuridicam tribuamus. Omnino compertum est Concilia plenaria ab antiquissimis temporibus in Ecclesia viguisse, ipsis modo patenti collegialitas

episcoporum exprimi sub Romano Pontifice, cum per ipsius legatum praesidentem celebrentur, atque maiore praeparatione et collatis consiliis ditentur.

2. Si statim acceptetur quod in schemate habetur in hoc capite, n. 24 de vi iuridica qua fulciri deberent saltem quaedam decisiones conferentiarum nationalium, facile oriri possent incommoda, inter quae praecipuum videtur restrictio auctoritatis episcopi dioecesani, qui tamen non amplius directe a Sancta Sede, sed ab hoc organo intermedio videretur in sui potestatis exercitio limitari.

3. Si omnino vitari non poterit in determinationibus Concilii ut detur vis iuridica aliquibus in casibus, tunc hi casus omnino *restringi debent tantum* ad ea quae in eodem n. 24, sub littera *a*) continentur, in quantum interventio praevia S. Sedis iam dubia de excessibus qui evenire possent aufert. Tali tamen in casu — nisi aliud S. Sedes statuat — maioritas suffragiorum obtineri debet quae respondet quattuor ex quinis partibus (ai quattro quinti) episcoporum praesentium.

4. In his conferentiis nationalibus *de iure* omnes omnino partem habere debent episcopi, etsi magno numero sint sicut in Italia. Ipsorum autem praesentia atque prolatio rationum etc. omnino requiritur in casu in n. 3 supra a me exposito, ne accidat ut decreta ferantur quae non fuerint ab ipsis cogniti et approbati: quod singulos tangit, a singulis probari debet.

42

Exc.mus P. D. DRAGUTIN NEŽIĆ

Episcopus Parentinus et Polensis

In *conferentiis episcopalibus* unius nationis seu terrae, partem sumere debent *omnes* episcopi qui intra fines istius nationis seu terrae ministerium episcopale exercent, etiam si diversi ritus et diversae seu aliae nationis sunt, quia de communi bono Ecclesiae promovendo ac defendendo agitur. Episcopis diversi ritus vel diversae nationis in eadem terra — si adsint — licitum sit, praeterquam in *conferentia generali* omnium episcoporum terrae, intra se convenire ad pertractandas quaestiones sui ritus, sed isti conventus separati ne vocentur *conferentiae* episcopales sed *conventus* episcoporum talis ritus.

Pag. 15, ad n. 21, lin. 30. Institutio secretariatus generalis commendetur, non imponatur.

Pag. 16, n. 24 sub *c*). Sicut propositio sonat, videtur episcopis demandatum esse, ut etiam Concordata vel Modos vivendi cum gubernio conficiant, quae autem reservata sunt et maneant unicae Sanctae Sedi. Dicatur ergo saltem: « ... quando agatur de *aliqua re particulari* cum Gubernio tractanda... ». Commissio mixta in Polonia pro rebus cum Gubernio tractandis exorta est in momento « vis maioris » et dum relationes cum Sancta Sede episcopis Poloniae impossibiles fuerant.

43

EXC.MUS P. D. IOSEPH NKONGOLO
Episcopus Lueboensis

Nomine conferentiae episcoporum ex Congo (Leopoldville) quasdam animadversiones cupio facere et iudicio Patrum subiicere circa cap. III decreti de episcopis et de dioecesium regimine.

1. Quoad n. 18. In paragrapho prima huius numeri, adhuc proponuntur Concilia plenaria et provincialia celebranda. Immo, obligationis can. 283 codicis iuris canonici ampliatur cum textus noster exigit celebrationem concilii provincialis « decimo saltem quoque anno ». Atqui, si, ex una parte, determinato tempore, episcopi alicuius nationis regulariter ad maiores causas pastorales pertractandas conveniunt, et si, ex altera parte, in diversis partibus nationis existunt conferentiae regionales, non videmus cur remaneat et existentia et obligatio concilii plenarii et provincialis celebrandi. Nam, conferentia episcoporum, nationalis et regionalis, etsi illa ultima non eisdem gaudet iuribus quam nationalis, conciliorum plenariorum et provincialium locum tenent. Ergo proponimus ut quae statuuntur de conciliis celebrandis ex textu deleantur, vel saltem ut quae dicuntur de conciliis plenariis etiam valeant pro conciliis provincialibus: nempe « quae opportuno tempore legitime celebrari *possunt* ».

2. *De iis quibus conferentiae interesse competit,* agitur in n. 19. Inter membra conferentiae adnumerantur Ordinarii locorum et episcopi coadiutores. Non videmus cur episcopi auxiliares conferentiae non interessent cum sint, per consecrationem episcopalem membra collegii episcoporum et in regione quadam habeant partem in munere pastorali. Ergo debent etiam episcopi auxiliares ad conferentiam episcoporum alicuius nationis pertinere. Quaestio de suffragio deliberativo aut mere consultivo eis attribuendo relinquatur cuiusque conferentiae statutis.

Ita, eodem statu eisdem iuribusque gaudebunt quibus fruuntur episcopi mere titulares de quibus, etsi non habent in regione munus pastorale, paragraphus secunda huius numeri tamen dicit quod « possunt cooptari in nationalem conferentiam, in eoque suffragio deliberativo aut consultivo tantum frui ».

Paragraphus tertia n. 19 nobis non placet.

Nam, conferentia episcoporum instituitur quia res maximi momenti pertractandae sunt quae, ex natura sua, excedunt fines singulorum dioecesium et competentiam singulorum episcoporum. Quin etiam, de eius decisionibus pendet quandocumque bonum spiritualem et actionem pastoralem in tota natione.

Pro his rationibus, nobis videtur quod omnino requiritur praesentia et participatio omnium episcoporum qui sunt praepositi Ecclesiarum particularium, praesertim cum, postea, possunt omnes iuridice obligari. Hoc nobis vi-

detur esse exigentia tum spiritus vere collegialis, tum respectus characteris sacramentalis uniuscuiusque episcopi, eiusque potestatis. Ergo, secundum mentem nostram, melius erit si haec paragraphus deleatur.

Sed inter eos qui conferentiae intersunt, aliqua mentio, forsan, facienda esset de repraesentatoribus coetuum superiorum maiorum religiosorum. Etenim, in nostris regionibus, forsan plus quam in aliis, religiosis commissa sunt opera pastoralia. Si sincere volumus quod sic dicta « pastorale d'ensemble », coordinatio virium apostolicarum et collaboratio in apostolatu non remanent « litteram mortuam », maxime exoptandum est ut coetus superiorum religiosorum delegent quosdam legatos in episcoporum conferentiam. Proponimus ergo textui nostro adiicere aliam paragraphum tertiam quae praevidet quod ex peculiaribus statutis delegatos coetuum superiorum religiosorum possunt in episcoporum conferentiam cooptari, in eoque suffragio consultivo frui.

3. In n. 24 determinantur causae in quibus conferentiae decisiones iuridice obligent singulos episcopos, sub duabus condicionibus: primo, quod decisiones prolatae sint per duas ex tribus partibus suffragiorum; secundo, quod fuerint ab Apostolica Sede recognitae.

At, non videmus cur, pro casibus sub *b*) et *c*) designatis, requiratur recognitio ab Apostolica Sede.

Nam, in *b*) agitur de declarationibus maioris momenti faciendis. Hae declarationes sunt simpliciter exercitium magisterii ordinarii quod singuli episcopi exercent propria auctoritate et potestate, cum sint doctores fidei.

Quoad materiam sub *c*): « de rebus cum Gubernio civili tractandis », difficile saepe esset recognitionem ab Apostolica Sede expectare.

Ex alia parte, usque nunc, haec recognitio, in his rebus, non requisita erat.

Ergo in his duobus casibus, apparet quaedam « centralizatio » quam Sacrosanctum Concilium potius cupit alleviare.

Proponimus quod specialem paragraphum conficitur ex *b*) et *c*), quae ita enuntiari potuerit: « Quando agitur de declarationibus maioris momenti publice faciendis nomine nationalis episcoporum conferentiae, vel de rebus cum Gubernio civili tractandis quae totam attingant nationem, requiritur ut declarationes vel res tractandae cum Gubernio duas saltem ex tribus partibus suffragiorum obtinuerint ».

44

Exc.mus P. D. RENATUS PAILLOUX

Episcopus Arcis Rosebery

Nota. Pluribus abhinc hebdomadibus aliquas animadversiones de hoc subiecto ad secretariatum generalem iam remisi. Nunc vero alias animadversiones hac de quaestione mittere velim.

Animadversiones generales.

a) Instauratio episcopalium conferentiarum cum principio episcoporum collegialitatis confundi nequit. Etenim episcopales conferentiae, stricto sensu,

ad regimen Ecclesiarum particularium pertinet in eo quod episcopos, qui in una eademque regione laborant, adiuvare satagunt. Etenim, per eas melior aestimatio obtinetur eorum problematum quae saepe diversis dioecesibus huius regionis communia sunt, et sic maior uniformitas inter dioeceses eiusdem regionis in pastorali ministerio instaurando reapse attingitur. Sed, revera, earum conferentiarum propositum in eo consistit quod nullo modo propriam sollicitudinem, vel, ut ita dicam, responsabilitatem et initiativam singulorum episcoporum destruere intendunt, sed potius fovere satagunt.

b) Salvo hoc principio, episcopales conferentiae magni momenti sunt, et ad bonum generale unius regionis, et ultimo totius Ecclesiae, magna incrementa afferre possunt.

Ad titulum capitis. a) Verbum « conferentia » melius placet quam « coetus », et, cum iam in usu quasi generali adhibeatur, retinendum esse sentio.

b) Meo iudicio, parvum periculum adest ut nomen « nationalis » in peiorem sensum capiatur, sed, si tale periculum reapse in unaquaque regione adesset, ut dicitur in emendatione 151, nomen « territorialis » in ea regione substitui posset.

c) Emendationi 150 personaliter non assentio. Meo enim iudicio, maxime interest ut terminus « nationalis », vel saltem « territorialis » retineatur, quia nationalis (seu territorialis) episcoporum conferentia fundamentalis monas (vulgo: Basic Unit) est, et quidem radix omnium relationum quae inter episcopos et dioeceses uniuscuiusque regionis vigere possunt, et quidem debent.

Nemo enim est qui non videat quod pastoralis cooperatio inter episcopos pessimum, et quidem mortale, detrimentum caperet, si, ab initio, aliae largiores conferentiae huic fundamentali nationali vel territoriali conferentiae auctoritative praemitterentur, cum nihil ex cacumine imponi possit et omnis organismus ex imis ad cacumen crescere debeat. Experientia enim constat quod arbor ex parvo semine crescit et sine semine nulla est arbor, sicut domus constructio non a tecto sed a fundamento incipit et vigor totius Ecclesiae a vigore particularium dioecesium initium sumit.

Si hoc fundamentale principium a memoria forsitan excideret, et largiores conferentiae ab alto impositae omnia dirigere contenderent, non dubitandum est quod illae fundamentales nomades, scil. nationales, vel territoriales, episcoporum conferentiae, stimulo ad propriam actuositatem privarentur et mox inactivae, et quasi mortuae, evaderent. Regnum Dei, quod est Ecclesia, non hoc modo instauratur.

Insuper, humana indole constat quomodo singulis hominibus vel organismis sua ipsa localia problemata commendent, et ideo cur in parvis et localibus conventibus res prius tractandae sint oportet si aliquis fructus expectandus sit.

Ad art. I, pp. 14-15, scil. « *de conferentiae constitutione* ». *a*) Mihi videtur munus Oecumenici Concilii non esse de singulis punctis statuere, quae ad « technicam » conferentiarum constitutionem magis pertinent. Hoc enim

opus speciali commissioni competere videtur, et forsan melius esset si haec quaestio ad commissionem de Codice restaurando simpliciter remitteretur.

b) Attamen, meo humili iudicio, magni pretii forsitan esset, si singulis conferentiis — localibus circumstantiis rite perpensis —, licentia daretur modum seligendi suum praesidem designandi.

c) In n. 18, par. 3, episcopi plurium nationum permittuntur, praeter nationales conferentias, *aut etiam earum loco,* unam internationalem conferentiam constituere.

Meo iudicio — et quidem propter rationes quae supra iam allatae sunt — perniciosum contingere posset, si una internationalis conferentia locum nationalium conferentiarum sibi soli vindicaret, et sic actuositatem destrueret quae ad eas nationales conferentias proprio modo pertinet.

Longe sit a me ut recusem utilitatem largioris cooperationis, quae inter episcopos diversarum nationum, mediante quodam supra-nationali organismo, efformari potest. Sed, mea saltem sententia, illa optanda superioris gradus cooperatio inter episcopos plurium nationum formam assumere debet, non tam conferentiae proprie dictae, quam alicuius collegii (vulgo: « Board », vel « Bureau ») ad Investigationem (vulgo: « Research ») perficiendam.

Tale collegium aliquibus peritis consistere posset, qui, problematibus omnibus illis nationibus communibus rite investigatis (per se vel per alios), solutiones ab unaquaque nationali conferentia disputandas proponerent, et postea, responsionibus ab omnibus conferentiis tempore accepto remissis, aliquam uniformitatem actionis suadere possent. Hoc enim modo, opus scientificae investigationis, quod tam frequenter ab Ecclesiae campo abest, melius perficeretur et maior cooperatio inter varias nationales conferentias paulatim crearetur.

Ad n. 20, pag. 15, par. 2, scil. « *commissiones episcopales* ». Optandum esse sentio ut episcoporum commissionibus, de quibus par. 2 agitur, addantur, quantum fieri potest, etiam aliqua comitia (vulgo: Committees), v. g.: 1. comitium superiorum regularium clericalium congregationum; 2. comitium superiorum regularium congregationum fratrum religiosorum; 3. comitium consociationum religiosarum mulierum; 4. et etiam comitium consultativum laicorum.

Haec praxis, in aliquibus regionibus, ad modum experimenti nunc instauratur, et, si prospere procedit, perutilem cooperationem inter omnes categorias ex quibus totus populus Dei constat introducere poterit.

45

Exc.mus P. D. GEORGIUS LEO PELLETIER
Episcopus Trifluvianensis

Humillime sequentia propono. Sicut adsunt duo tantum problemata in hoc cap. III, de quibus sufficienter repetitiones habuimus, credo utiliter duas votationes a Patribus nunc haberi.

1. Utrum conferentiae episcopales potestatem iuridicam habere deberent?

2. Utrum maioritas requisita in ipsis sit saltem 4/5?

N. B. Scimus bene quod si conferentiae episcopales potestatem tantum moralem secum ferunt, maioritas est minimi momenti. Hoc autem valde importat si potestas eorum est iuridica.

46

Exc.mus P. D. EMMANUEL A IESU PEREIRA

Episcopus tit. Praenetiensis, aux. Conimbricensis

Ad n. 19 (de iis quibus conferentiae interesse competit) nempe: « omnes Ordinarii locorum cuiuscumque ritus, vicariis generalibus exceptis, necnon et episcopi coadiutores, de iure et cum suffragio deliberativo ad nationalem episcoporum conferentiam pertinent », has observationes facio:

Cur idem ius non concedendum episcopis auxiliaribus, qui sunt revera eiusdem collegii episcopalis ac ceteri episcopi et in iis et similibus practice collocantur in quadam, ut ita dicam quin cuivis offendere velim, segregatione raciali, quae christifidelibus minime placet. Si sunt episcopi cur ut tales non habentur? Praeterea in ipso nostro schemate mihi videtur inveniri quaedam contradictio, scil.: in n. 19 negatur auxiliaribus facultas ut conferentiis intersint; sed in n. 20, § 2, dicitur: « quilibet episcopus sive residentialis sive titularis poterit cooptari in commissiones episcopales, quae peculiaribus negotiis praeficiantur et res in conventu primario tractandas parent ».

Haec segregatio videtur corrigenda, nam absona est, scil.: aliquando, occasione Exercitiorum Spiritualium episcopatus, quorum participes sunt omnes episcopi sive residentiales sive coadiutores sive auxiliares, fit partim in fine conferentia nationalis episcoporum per unum aut per aliquot dies. Ibidem agitur de rebus quae utilia et necessaria sunt bono communi totius nationis, in qua etiam auxiliares tantum laborant pro bono animarum, quas maxime expedit ut auxiliares etiam cognoscant. Si fiat, ut in nostro schemate statuitur, auxiliares, qui aliquando ibidem manere debent ut post conferentiam episcoporum nationalem in eodem curru automobili in dioecesim una cum episcopo residentiali redeatur, nequeunt interesse conferentiae. Ideoque coguntur adesse extra per unum aut plures dies, cum miratione laicorum ibidem commorantium et contemptu dignitatis episcopalis auxiliarium. Haec miranda dictu dedecent in Ecclesia Dei proindeque corrigantur.

Auxiliares, si de secreto servando agatur, secreti capaces sunt. Etiam illis cognoscendae sunt per conferentiam episcopalem nationalem res maximi momenti pro tota natione.

Amoveatur a schemate haec segregatio et auxiliaribus ius concedatur interesse conferentiis episcopalibus et cum voto deliberativo ut ceteri episcopi.

Si Summi Pontifices Ioannes XXIII et Paulus VI benigne auxiliaribus concesserunt Oecumenico Concilio Vaticano II interesse et cum voto deliberativo, cur a conferentiis nationalibus amoventur?

47

EXC.MUS P. D. ANDREAS PERRAUDIN
Archiepiscopus Kabgayensis

Nomine conferentiae episcoporum de Rwanda et Burundi aliquod verbum facere vellem de « relationibus inter conferentias episcopales diversarum nationum », uti scribitur in cap. III, par. 4 huius schematis.

Toto corde et grato animo assentimus verbis heri in hac aula ab exc.mo D. Riobé factis relate ad hanc quartam paragraphum cap. III.

Sed insuper haec sequentia addere volumus:

In nostro schemate perpauca dicuntur de « relationibus inter conferentias episcopales diversarum nationum », quamquam haec quaestio nobis maximi momenti videtur in nostro concilio quod pastorale esse vult.

Doctrina dogmatica de collegialitate episcopatus enucleari debuerat, et hoc iam saepe factum est in hac sancta aula. Collegialitas autem nequit esse mera doctrina ut aiunt theoretica, sed in praxim deduci debet ad renovandam Ecclesiam et ad dandam novam ac vehementissimam vim in evangelizatione mundi.

Fructus maximus doctrinae collegialitatis iam acquisitus in hoc Sancto Concilio Oecumenico certo certius est conscientia nostra responsabilitatis communis erga totam Ecclesiam et mundum universum. Hic fructus pretiosus speciali modo magnum est gaudium et ingens spes nobis episcopis Ecclesiarum pauperrimarum. Responsabilitas autem nostra communis, ne transeat sicut nubes sterilis, debet devenire ad actum.

Et haec est ratio propter quam proponimus inserere in textu schematis de relationibus inter conferentias episcopales modos aliquos quibus haec solidaritas multos ac optimos fructus afferre realiter et quam primum possit. Tempus enim urget.

1. Proponimus inserere in textu ipso ea quae dicuntur in notula 10, pag. 19 de communicationibus et cooperatione conferentiarum in rebus pastoralibus.

2. Proponimus quod exprimatur in textu obligatio moralis conferentiarum se mutuo auxilio praestandi quoad operarios apostolicos et quoad media materialia.

Si etenim vere et realiter responsabilitatem communem habemus erga totam Ecclesiam et universum mundum, evidens est quod conferentiae regionum prosperarum adiuvare debent conferentias regionum pauperum, et hoc clare exprimi debet in schemate nostro.

Venerabiles Fratres, nos in Africa laborantes angustia premimur quia

periculum maximum adest ne gratia Dei in vacuum detur. Iam Spiritus Sanctus potenter operatur in nostris regionibus et multitudines magnae in Ecclesiam nostram ingredi cupiunt. Debemusne claudere ianuas huius Ecclesiae ad quam Christus Dominus omnes vocat, quia sacerdotes, religiosi ac religiosae necnon et pecuniae desunt? Possumusne dicere: iam satis! Maneant pagani in tenebris suis quia media ad eos in Ecclesiam Christi accipiendos desunt? Venerabiles Fratres, verba haec dicere non possumus quia pastores animarum sumus et discipuli Christi qui venit ut mundus salvus fiat et vult ut omnes homines ad agnitionem veritatis deveniant. Numquid conferentia episcopalis, ubi adest unus sacerdos pro octingentis personis, non possit adiuvare conferentiae ubi unus tantum sacerdos habetur pro decem vel viginti milia hominum? Si religiosae in universo mundo dispersae sunt milies mille cur conferentiae episcopales Ecclesiarum pauperum careant religiosis in tantis parochiis suis?

Idem dicere debemus de mediis materialibus. Nonne interest collegialitatis episcoporum quod in dioecesibus pauperibus missa celebrari debeat sub die cum ingenti concursu populi quia ecclesiae construi nequeunt, quod catechumeni, qui saepe magnum iter faciunt, instrui non possunt quia denarii ad construendas scholas et ad catechistis stipendium dandum desunt? quod sacerdotes fideles necnon et alias incolas visitare nequeant quia carent mediis locomotionis? quod permulti pueri instrui non possint ex eadem pecuniae carentia?

Venerabiles Fratres, haec est realitas quam vivimus in nostris regionibus. Opera pontificalia missionaria nobis generose subsidia praestant. Attamen haec auxilia omnino insufficientia sunt ad sustinenda opera existentia.

Non desunt opera catholicorum et quidem varia, valida et efficacia quorum finis pertinet ad rem mere socialem.

Faxit Deus ut haec adiumenta fidelium nostrorum, insuper et alia, etiam dirigantur ad procuranda media materialia absolute necessaria ad evangelizationem. Regiones Ecclesiarum pauperum non tantum indigent nosocomiis, cooperativis, extensione agraria aut aliis huius generis, sed etiam et maxime vero cibo mentis et cordis qui est doctrina Evangelii qui sunt sacramenta Ecclesiae et praesertim sacrum Sacrificium Christi quae omnia a sacerdotibus imprimis et etiam a religiosis et catechistis dantur in aedificiis sacris et in scholis puerorum et catechumenorum.

Venerabiles Fratres, hae cogitationes nostrae et sollicitudines, vestrae caritati et benevolentiae humiliter sed instantissime submittimus, rogantes ut in hoc n. 4 cap. III claro modo inseratur obligatio moralis suavis quidem sed efficax conferentiarum episcopalium se mutuo adiuvandi in rebus pastoralibus, in distributione operariorum apostolicorum necnon et mediorum materialium.

48

EXC.MUS P. D. ROBERTUS POBOŽNY

Episcopus tit. Neilenus, adm. ap. Rosnaviensis

Votum hoc non est in aula legendum. Non ideo quidem, quia scriptor eius est ex regione Ecclesiae, quae tacens dicitur, nec ob alium humanum respectum, sed tantum ideo, quia iam multum dictum est de hoc capite. Sic etiam et de quaestione, utrum iam in titulo nationalis dicatur conferentia seu coetus episcoporum, quam quaestionem aspicit praesens votum.

Cap. III, inscribitur: De nationali episcoporum coetu seu conferentia etc. Liceat proponere emendationem in titulo ipso hoc modo: De coetu vel conferentia episcoporum (alicuius status), etc. Atque consequenter in omnibus locis huius capitis loco verbi « natio » verbum « Status » ac pro verbo « nationalis » verbum « regnicolaris » substituatur a sacrosancta Synodo et sic etiam in ceteris partibus totius schematis iuxta contextum. Causae sunt sequentes.

Primum argumentum analogiae desumitur e C.I.C., ut territorium et non natio in textu huius capitis sit radix denominationis. In can. 126, territorium cuiuslibet dioecesis mandat Ecclesia dividi in distinctas partes territoriales et vetat paroecias constitui pro diversitate nationis fidelium in eadem civitate vel terra degentium. Ne sit ergo secundum nationes conferentia episcoporum nominanda. Non nationalitas, sed territorialitas praebeat fundamentum pro nominatione, inscriptione conferentiae episcoporum. Sic ergo conferentia episcoporum Galliae, Germaniae, Bavariae, Poloniae, Lusitaniae etc.

Desideratur colorem nationalitatis delendum esse in inscriptione conferentiae episcoporum. Sicut et provincialis conferentia episcoporum nullam facit mentionem nationalitatis.

Quod ut ita fiat, ipsa Sancta Sedes exemplum nobis suppeditat.

De mandato Suae Sanctitatis et eius nomine editur Annuarium Pontificium. Nunc inspiciatur Annuarium Pontificium ex anno 1963. In pag. 796-802 signantur relationes de conferentiis episcoporum ex anno 1962. Et huius consignationis titulus est: « Conferenze Episcopali », et nihil aliud. Quivis nostrum bene intelligit agi hic de conferentiis episcoporum in statibus, ergo in territoriis, quin nationalitas memoraretur.

Agitur hic de registratione 45 conferentiarum episcoporum ex a. D. 1962. Enumeratio incipit alphabetico ordine statuum et nullibi nationum, ab Africa, usque ad Venezuelam. Ex his omnibus casibus tantum semel, una vice memoratur nationalitas in hoc titulo: Conferencia National dos Bispos do Brazil. Sed et in hac inscriptione status nominatur. In his omnibus casibus ergo Sancta Sedes statum, territorium nominat, cuius episcopi a. 1962, conferentiam habuerunt. Sic dat Sancta Sedes exemplum ad rectam denominationem conferentiae episcoporum.

Pro emendatione tituli secundum propositionem sunt etiam Romani Pontifices in suis epistolis ad episcopos alicuius status et meo scitu nunquam alicuius nationis.

In schemate decreti *de episcopis et de dioecesium regimine* pag. 17, in adnotatione 1, legitur: « Institutum conferentiarum nationalium episcoporum non commemoratur neque in C.I.C. neque in C.I.C.O. ». Quod est verum. Sed error est dicere: « Pluries Romani Pontifices nationales episcoporum coetus approbaverunt et amplissimis verbis laudaverunt, eorum annuam celebrationem commendantes ». V. g. allegat schema epistolas Romanorum Pontificum, sed sic: Pius IX, Ep. *Maxime quidem,* ad episcopos Bavariae a. 1864; Leo XIII, epistolis suis a. 1891 ad Austriae episcopos, eodem anno ad episcopos Lusitaniae, 1902 ad episcopos Peruviae, a. 1894 ad episcopos Brasiliae, a. 1894 ad episcopos Peruviae; S. Pius X, a. 1905 ad episcopos Lusitaniae, a. 1905 ad episcopos Peruviae et Latinae Americae, a. 1911 ad episcopos Bavariae; Benedictus XV, a. 1919 ad episcopos Foederatarum Americae Septemtrionalis Civitatum; Pius XI, a. 1923 ad episcopos Australiae, a. 1923 ad episcopos Lusitaniae, laudant conferentias non nationales, sed dictorum statuum in territorio viventes et conferentiam tenentes. Et passim in epistulis ad episcopos non diversarum nationum, sed statuum in unum convenientes hoc faciunt. Ad episcopos diversorum statuum scribunt Romani Pontifices, et non ad nationes. Romanorum Pontificum haec agendi ratio signat nobis viam rectam in casu, ne deviemus.

Quae argumentatio gravem sequelam habet, non tantum pro hoc capite schematis, sed et pro toto ipso schemate. Verba: « natio », « nationalis » non pertinent huc, et non tantum in inscriptionem cap. III, sed neque in totum hoc schema. Loco verbi: « natio » iuxta allata exempla Romanorum Pontificum et Apostolicae Sedis recte adhibendum est verbum: status; loco verbi: nationalis aliud verbum valde aptum: regnicolaris, quod verbum similibus in casibus, relationibus in lingua latina in usum vertebatur et hodie quoque vertitur.

Et Romani Pontifices et Sancta Apostolica Sedes non nationales episcoporum conferentias noverant, sed conferentias episcoporum singulorum statuum. Novitas est sic nominare conferentiam episcoporum status; est novitas secundum denominationem, quia — uti vidimus — conferentiae episcoporum in diversis statibus nationum exstiterant. Nunc iuridicam curam, sed et pastoralem de his conferentiis episcoporum in singulis statibus benigno aspicit vultu sacrosancta Synodus Oecumenica Vaticana II de iisque coordinandis tractat. Quod intentum gaudentes salutamus omnes nos parvarum catholicarum nationum filii, qui amamus nostros fratres magnarum nationum. Sed humiles, fidentes rogamus istas magnas nationes catholicas, ut vestigia Romanorum Pontificum et S. Apostolicae Sedis prementes satagant coordinare has conferentias episcoporum non iuxta nationalitates, sed respiciant territorium statuum, ubi episcopi congregantur ad promovendam et defendendam vitam christianam suorum fidelium in salutem animarum.

Hinc concluditur in omni fiducia: inscriptio cap. III sit emendata et sic sonet: De episcoporum coetu seu conferentia in... etc. et in toto capite necnon in toto schemate loco verbi « natio » utatur Sacrosancta Synodus verbo « status » et loco verbi « nationalis » verbo « regnicolaris » in ipso textu toto.

49

Exc.mus P. D. IOSEPH PONT Y GOL

Episcopus Segobricensis-Castellionensis

1. *De adiectivo « nationalis » quo conferentia episcoporum in schemate insignitur.* Humiliter nobis videtur vitanda semper et omnino vox « natio » eiusque adiectivum « nationalis » in hac nostra re. Proinde adhaeremus opinioni exc.mi ep. Chilaivensis (Ceylon) et rev.mi abbatis Beuronensis, die 14 novembris in aula expressae ac rationibus ab eis allatis. Liceat nobis addere aliam, scil.: conferentiae episcoporum nequeunt in nostro schemate vocari « nationales » eo quod, ipso testante, dantur etiam et internationales, quae sunt diversae speciei. Adiectivum ergo adhibendum habeat oportet sensum genericum, ut in singulis casibus subsumptis valeant conferentiae specificari.

Opinamur etiam ipsas non posse vocari « regionales » (et in hoc liceat nobis recedere ab opinione praelaudati Patris ex Ceylon), utpote quod vocabulum non est genericum sed specificum; hodie, praeterea, « regio » dici solet de magna et determinata parte geographica alicuius continentis.

Recte possent nominari « territoriales ». Est vocabulum omnino genericum quo utitur iam schema *de sacra Liturgia*. In hoc casu, singulae conferentiae iam constitutae nominandae essent e nomine territorii, cui ipsae praeficiuntur, e. g.: conferentia episcopalis Germaniae, Americae Centralis, etc., nullo alio adiectivo interposito.

Dematur proinde vocabulum « nationalis » ex titulo schematis et textu, quoties occurrat, et substituatur, si placet, vocabulo « territorialis ».

2. *De territorio conferentiis assignando.* Ad complenda ea quae schema habet, n. 18, par. 3, ac ut patenter eluceat territorium uniuscuiusque conferentiae non debere semper convenire cum territorio ditionis politicae, humiliter petimus ut introducatur in textu schematis, tamquam nova par. 4 n. 18, integra pars altera notae 6, pag. 18, quae incipit verbis « Quin immo... » super convenientia constituendi, ubi utile censeretur, plures conferentias episcopales in eadem ditione politica.

[*Subscripserunt etiam*] Raimundus, ep. Vicensis; Narciso Jubany, aux. Barcelona.

50

EXC.MUS P. D. CAROLUS QUINTERO ARCE
Episcopus Vallipolitanus

Tria mihi videntur notanda:

1. Circa prooemium n. 17. Addenda est ratio vere fundamentalis cur necessitas conferentiarum nationalium aut regionalium appareat: nostris diebus in qualibet natione surgunt problemata quae vere excedunt limites dioecesis ideoque excedunt ipsam competentiam episcoporum singillatim sumptorum (puta ordinatio vere efficax scholarum) et ad solutionem illorum problematum requiritur omnino coetus episcoporum.

Haec, meo iudicio, videtur fundamentum conferentiarum regionalium: « ordinatio aequa apostolatus moderni ».

2. Circa nn. 22 et 24: de conferentiae decisionibus. Salvo meliore iudicio, decisiones conferentiarum nationalium *non* debent esse iuridice obligatoriae; nisi ipse Summus Pontifex hoc decreverit.

Rationes: 1) Si potestate legislativa ornetur conferentia episcopalis inutiles evaderent concilia plenaria et concilia provincialia; quae vero schema in n. 18 adhuc retinet.

2) Praevidentur facile abusus si conferentia legislativam potestatem obtineat.

3) Etiam in una ipsa natione circumstantiae diversarum dioecesium sunt diversae: quae uni vel pluribus convenit, aliae dioecesi non conveniunt.

3. *Novum appendix.* Novum appendix conficiatur in quo officia episcoporum in conferentia definiantur. (De re catholica in universum).

51

EXC.MUS P. D. IULIUS ROSALES
Archiepiscopus Caebuanus

Attentis hodiernis adiunctis necessitatibusque quae intra limites dioecesium circumscribi nequeunt, immo et consideratis ipsis unitatis et communis caritatis exigentiis, optanda quidem est agnitio iuridica conferentiae episcopalis.

Anteactis viginti annis iam habebatur in Insulis Philippinis conferentia episcopalis. Novum Pontificale Collegium Philippinum Romae; multae magni momenti quaestiones feliciter solutae; epistolae pastorales fere annuales episcoporum in natione nostra, ut pauca tantum dicam, quae omnia sunt fructus conferentiae nostrae episcopalis, sat eloquenter quae supra diximus comprobant.

Ex dicta experientia, velim nunc sequentes proponere emendationes huic cap. III. Nempe:

1. Ponatur etiam in prooemio tamquam fundamentum conferentiarum episcopalium constitutionis exigentiae unitatis et solidaritatis inter episcopos non tantum alicuius nationis sed et aliarum saltem vicinarum nationum. Eloquenter enim iam sermo factus est a multis Patribus de collegialitate episcoporum, et dictae exigentiae nobis nunc opportunitatem praebent illam praxi demonstrare.

2. Ob easdem exigentias, melius forsan videtur quod par. 3, n. 18, hoc modo exaretur: « Ubi peculiaria adiuncta id postulent, caritas et solidaritas in Ecclesia Dei perclare quidem eluceant constitutione conferentiae inter nationes, Apostolica Sede probante, praeter conferentias earundem nationum aut etiam earum loco. Statuta istius conferentiae, quantum fieri possit, huius decreti normis aptari debebunt ».

3. Par. 2, n. 19, sic mutetur: « Ex peculiaribus statutis, episcopi residentiales e propriis dioecesibus extorres et in natione commorantes, sive etiam episcopi mere titulares in natione degentes, possunt in conferentiam episcopalem cooptari, in eoque suffragio deliberativo frui ».

Ratio est casus, v. g. episcopi residentialis qui qualibet ex causa politica a propria dioecesi expulsetur, et refugium petat in alia natione. Item, dedecet quod episcopus titularis voto tantum consultivo gaudeat in conferentia quae ipsum cooptat.

4. Par. 1, n. 20, sic dicatur: « Consilium permanens, ex praeside et aliquibus praesulis constans et ad determinatum tempus designatis... » et cetera ut in textu.

Haec enim emendatio videtur quaestionem ab aliquibus Patribus allatam solvere circa lacunam quoad praesidem et quoad temporis determinationem circa compositionem physicam consilii.

5. In commissionibus episcopalibus conferentiae, cooptari etiam debent quidam saltem superiores religiosorum in natione degentes, tamquam consultores. Et ratio huius evidens est. Eorum enim subditi in diversis ministeriis adlaborant, sive in paroeciis, sive in collegiis pro educanda iuventute, sive aliis modis; et eorum experientia validum auxilium episcopis conferre potest.

6. In n. 24, post par. primam, addatur alia quae sic sonet: « In casibus supradictis in litteris *b*), *c*) et *d*), urgente necessitate sufficiet recognitio Legati Romani Pontificis, quin recurratur ad Sanctam Sedem, ut decisiones conferentiae episcopalis, legitime et per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum prolatae, singulos episcopos etiam iuridice obligent, salvo tamen praescripto paragraphi immediate sequentis istius n. 24 ».

[*Subscripserunt etiam*] M. del Rosario, Juan Nilmar, Arnulfo Arcilla, Teodulfo S. Domingo, Aloisius del Rosario, Artemio Casas, Emilio Cinense, A. Olalia, Clovis Thibault, Antonio Frondosa, Mariano Gavida, W. Brasseur.

52

EXC.MUS P. D. CAROLUS EDUARDUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

Ad cap. III (praeter ea generalia iam dicta). Omnes episcopi, sive residentiales, sive coadiutores, sive auxiliares, sive titulares aequale ius et votum deliberativum in conferentia episcopali nationali habent. Ex quo fonte hoc ius cuiquam illorum negari potest? Si ad Concilium Oecumenicum ius habent, quanto magis ad meram conferentiam episcopalem (animadversio ad n. 19).

Ad n. 23, et praesertim 24. Peccat contra constitutionem divinam Ecclesiae! Episcopi uni soli unico Romano Pontifici, Petri successori, subsunt. Universale regimen Ecclesiae cogit quidem omnes; non autem alia, qualiscumque sit, congregatio ecclesiastica; nec ipsum concilium plenarium, sicut clarissime exponit theologia dogmatica. Ergo nullo modo, nisi per impositionem Sanctae Sedis, episcopus aliquis obligari quit ad adimplendas resolutiones conferentiarum.

Competentia conferentiae est: normas statuere, non decreta, aperta vel velata, dare. Quibus normis, quas episcopi inter se *libere* statuere, unusquisque *libere* se adstringit, non coacte. Si non vult, de eius conscientia est. Si casus ferat, Sancta Sedes intercedet.

Advertentia. Magnum periculum imminet ex parte aliquorum, qui conferentiam episcopalem supra episcopos ponere satagant. Esset quiddam novissimum in Ecclesia! Scandalum gignet. Auctoritatem episcoporum, quam vindicatam et tutam S. Sedes servare vult, subvertet.

Dicunt fautores illius ideae sic obtentum iri decentralizationem a Romana Curia. Quis est qui non videt sic aliam centralizationem inde obventuram? Consilium permanens conferentiarum auctoritatem supra episcopos usurpabunt. Est humanum; nec mirum! Aequalis super aequalem semper vim suam transcendet. Res deinde in manibus Nuntiorum finiet. Qui in res dioecesium se tunc directe immiscere debebunt; in propriam directionem conferentiarum et consiliorum agent. Consequentia necessaria!

Finis finalis erit species Febronianismi. Et nos omnes tandem genuflexi super undis oceani pertransibimus, manibus levatis ad Dominum nostrum Papam, ut nos liberet a dictaturis, — sicut accidit aliquando, cum episcopi febroniani ipsi contra suos archiepiscopos ad Summum Pontificem recurrerint.

53

EXC.MUS P. D. HERMANNUS SCHAEUFELE
Archiepiscopus Friburgensis

Pag. 14: Titulus mutetur sic: De episcoporum conferentia. Ratio: dantur et aliae conferentiae; verbum « coetus » nimis generale est.

N. 17, lin. 4: post « nationis » addatur « et regionis ». Linn. 4-5: verba « in unum coetum vel conferentiam confluant » deleantur. Lin. 7: loco « ordinandam » dicatur « coordinandam ».

N. 18, lin. 22: post verba « in unaquaque natione » addantur haec verba: « vel in aliqua regione sive intra sive extra fines nationis, ubi necessitas vel utilitas id exigunt »...

N. 19 § 1, lin. 8: addatur: « Ordinarius loci legitime impeditus vicarium suum generalem vel suum episcopum auxiliarem deputare potest qui suo nomine conferentiae intersit cum suffragio deliberativo ».

N. 20: loco « consilium etc. » dicatur: « organa conferentiae ». § 1 sic sonet: praeses, cuius est episcopos convocare et conferentiae praeesse. § 2 uti antea § 1, tamen his additis: post verbum « permanens » addatur: « in quantum opus est ». Post verbum « quod » (lin. 24) addatur « una cum praeside ». § 3 uti antea § 2.

N. 21: loco « constituatur » ponatur « constitui potest ».

N. 24: quae dicuntur sub *b*) et *c*) omittantur; sensu continentur in iis quae sub *d*) dicuntur.

N. 24, lin. 26: ita mutentur: loco « duae saltem ex tribus partibus praesulum » ponantur haec verba: « quatuor saltem ex quinque partibus praesulum ». Ratio est: sic fere unanimitas datur.

54

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS SPANEDDA
Episcopus Bosanensis

I. Non placet in titulo huius capitis quod conferentiae vocentur « nationales ». Ratio est duplex: *a*) sensus vocis « nationis » non univocus est, cum referri possit tum ad politicam organizationem quae est Status tum ad communitatem sanguinis alicuius gentis, cuius cives in pluribus Statibus versantur, ut fit in quibusdam minoritatibus; *b*) non solum « nationales » dari possunt conferentiae, sed esse possunt etiam internationales et regionales. Praeferendus ergo videtur titulus « De conferentiis episcopalibus » simpliciter.

II. In prooemio exponendae sunt rationes quibus institutum conferentiarum nititur quae rationales doctrinales et pastorales sunt. In exponendis vero rationibus ordinis pastoralis, quae satis in schemate innuuntur, incipiendum esse videtur ab ipso facto exsistentiae plurium conferentiarum, quarum praeclari fructus per se iam argumentum validissimum apparent utilitatis, immo cuiusdam relativae necessitatis huius instituti.

Quod rationes doctrinales attinet, valde placet ut breviter et concinne exponatur conceptus communionis in veritate et caritate, qua ecclesiae particulares una cum suo episcopo inter se uniuntur et testimonium reddunt tum unitati tum simul varietati Corporis Christi mystici. In hac commu-

nione videtur ponendum fundamentum theologicum conferentiarum seu coetuum episcopalium.

Non autem placet quod consideretur ut principium theologicum huius instituti illa collegialitas episcopalis de qua disceptatum est circa schema constitutionis *de Ecclesia,* velut si ex illo principio collegialitatis deducendum esset institutum conferentiarum. Quidquid enim sentiatur de illa collegialitate, verum est eam esse rem omnino aliam sive quoad extensionem sive quoad originem. Collegialitas enim episcopalis demonstrari non posset nisi in relatione ad voluntatem Christi instituentis Ecclesiam; coetus vero episcopales de quibus in hoc capite fit sermo, nonnisi ex iure ecclesiastico originem ducerent. Illa insuper collegialitas episcopalis refertur ad totum episcopatum et ad Ecclesiam universam, atque hucusque saltem quoad iurisdictionem locum habuit in Conciliis oecumenicis tantummodo; haec vero respiceret directe solum partialem coetum episcoporum et aliquarum ecclesiarum particularium coadunationem. Quae distinctio maximi momenti esse videtur etiam pro definienda natura potestatis conferentiarum. Si enim illis potestas iuridice obligans tribueretur, non esset sane potestas oriens ex ipsius collegii neque particularis neque universalis; non collegii universalis, cuius nulla demonstratur iurisdictio actualis in singulas ecclesias particulares; non collegii particularis conferentiarum, qua talis, cuius singula membra in sua propria ecclesia seu dioecesi, non vero in alienis, exercere possunt iurisdictionem. Esset ergo unice auctoritas iuridica delegata a Summo Pontifice, Capite Ecclesiae, cui soli competit ex iure divino potestas suprema, plena et immediata tum in universam Ecclesiam, tum in ecclesias particulares.

III. Meo humili iudicio conferentiis episcopalibus non est stabiliter tribuenda potestas iuridice obligans qualis in schemate proponitur, idque ex sequentibus rationibus.

1. Periculum est ne vis centrifuga ducens ad talem decentralizationem plus aequo prematur, ita ut ex una parte nimis extenuetur exercitium primatus Apostolicae Sedis, qui iuris divini est, in favorem instituti iuris humani, et ex alia nimiae oriantur distinctiones in disciplina et in liturgia, quae minus favent unitati Ecclesiae. Pulchra quidem est Ecclesia circumdata varietate; sed nimia varietas quae oriretur ex multiplicatis conferentiis iuridica potestate pollentibus, obscuraret unitatem, quae maximum habet momentum theologicum et apologeticum.

2. Decentralizatio quaedam quae in votis est, potiusquam per novum institutum conferentiae quod non pertinet ad constitutionem essentialem Ecclesiae, fiat in favorem singulorum episcoporum, quibus vi consecrationis sacramentalis et missionis canonicae competit iure divino potestas pascendi gregem sibi commissum.

3. Institutum conferentiae potestate iuridica donatum esset quid intermedium inter episcopos residentiales et Summum Pontificem et produceret novum organum centralizationis, nimis obstringendo auctoritatem episcoporum residentialium, quod non leves difficultates induceret. Inter alia, incon-

venientia illa possent renovari, quae olim habita sunt cum metropolitae iurisdictione pollebant circa causas episcoporum suffraganeorum. Obliviscendum non est reservationem plurium negotiorum Curiae Romanae originem duxisse ex appellationibus episcoporum ad Sedem Apostolicam adversus decisiones metropolitarum. Cavendum igitur est ne organo quod erat metropolita sufficiatur novum organum oligarchicum, quod potestatem sacram episcoporum residentialium minueret.

4. Alia ratio non spernenda quae militat adversus institutum conferentiae iuridica potestate donatum in ambitu singularum nationum est periculum nationalizationis potestatis episcopalis, quod haberetur si fines talis potestatis spiritualis identificarentur cum finibus potestatis politicae. Nationalismus politicus secum trahere posset aliquem nationalismum religiosum et cum illo commisceri. Istius perniciosae commixtionis exempla in Ecclesia temporibus praeteritis non defuerunt; neque hodie pericula huius generis disparuerunt. Idem magis patet in ecclesiis acatholicis. Opinor hac ratione Codicem Iuris Canonici ignorare institutum concilii nationalis. Nec obliviscendum est Summum Pontificem Pium IX anno 1849 prohibuisse quominus concilia nationalia Galliae et Germaniae celebrarentur.

His rationibus, meo humili iudicio concludendum est: Conferentiae episcopales maneant ut organa pastoralia consultationis et mutui adiutorii inter episcopos alicuius regionis. Ut experientia demonstrat, si talia maneant, multos salutiferos fructus producere poterunt. Communione ergo caritatis fraternae regantur, non iugum iuridicae obligationis imponant. Concilia potius provincialia et plenaria rite celebrentur ad iuridicas decisiones ferendas.

Si autem necessitas aliqua imprescindibilis exigat in aliquo casu extraordinario ut ipsa conferentia possit decisiones statuere vim iuridicam habentes, tunc provideri poterit modo extraordinario. Quo in casu tamen necesse est ut habeatur unanimitas moralis episcoporum, de qua constare debebit maioritate non minus quam quattuor partibus ex quinque suffragiorum, addita insuper approbatione Apostolicae Sedis.

55

Exc.mus P. D. ANTONIUS TEDDE
Episcopus Uxellensis et Terralbensis

Fas mihi sit aliquas animadversiones in cap. III de nationali episcoporum coetu seu conferentia humillime proponere.

Maximi momenti res est et quidem: 1. sive negotia pastoralia, 2. sive iuridicas obligationes (de quibus in hoc capite agitur); has autem *a*) quoad supremam auctoritatem et iurisdictionem Summi Pontificis; *b*) et quoad iurisdictionem singulorum episcoporum in sua dioecesi consideremus.

1. Quod ad negotia pastoralia attinet, omnibus patet perutiles esse conferentias nationales — in quibus experientia singulorum episcoporum in

bonum collegiale redundat et prudentia ac consilium plurimorum singulis subsidio ac solamini veniunt — in communione caritatis ac unitatis Ecclesiae Christi — ad maiorem Dei gloriam et salutem animarum.

2. Quod autem ad iuridicas obligationes attinet, cap. III, ut iacet, profundae mihi videtur anxietatis fons.

a) Ius iuridice obligandi nationalibus episcoporum conferentiis concedendo, Concilium Oecumenicum Vaticanum II videretur, enim, quasi supremam auctoritatem et iurisdictionem Summi Pontificis quodammodo minuere, cum ius omnes et singulos episcopos obligandi — « pascendi agnos et oves Christi » — in universa Ecclesia Petro eiusque successoribus demandatum sit.

Quod ius supremum et universale, Petro eiusque successoribus a Christo concessum, est fulcrum ac praesidium unitatis Ecclesiae catholicae.

Caveamus ne, speciosiori « organizationis » generi indulgentes, unitatem Ecclesiae catholicae laedamus.

Caveamus *ne minimum quidem ostiolum* — quod Deus avertat — etsi candido animo moti, « nationalismo » aperiamus, et vinculum caritatis et oboedientiae inter episcopos et Summum Pontificem — Christi Vicarium — extenuemus.

Historia, seu Passio Sanctae Matris Ecclesiae, recens et recentior — quam caritas oecumenica, his in circumstantiis, apertis verbis commemorare vetat — nobis magistra est et ad vigilem prudentiam nos invitat. Caveamus ne supremam auctoritatem Summi Pontificis laedamus. Non licet.

b) Quod autem attinet ad singulos episcopos, mirum esset si auctoritate conferentiae nationalis eorum libera auctoritas ac dignitas in regimine dioecesium sibi commissarum coarctaretur, cum per plurimos dies milia et milia verba — flumina verborum — et saepius supra modum vehementiora — prolata sint ad auctoritatem episcoporum adversus curiam romanam — cuius ipse Summus Pontifex est caput — vindicandam.

Contra « centralizationem romanam, i. e. contra centralizationem curiae romanae » — si textum cap. III, ut iacet, vigili animo consideremus — vi iuris omnes episcopos huius vel alterius nationis obligandi conferentiis nationalibus concessi instaurarentur plures « decentralizationes centralizantes » — sit venia verbis — in singulis nationibus, i. e., veluti curiae nationales, quasi autonomia, — quam, his in adiunctis, periculosam censeo —, praeditae. Quod Spiritus Sanctus avertat.

Conferentiae episcoporum nationalis, meo humili iudicio, est: 1. studia promovere — aliquibus vel pluribus episcopis officio demandato — de gravibus vel gravioribus rebus pastoralibus, de rebus socialibus, de catechesi promovenda, de moribus corrigendis et ita passim; 2. conclusiones studiorum, de quibus supra, omnium episcoporum — ad ipsam conferentiam pertinentium — pastorali sollicitudini proponere; 3. remedia inquirere et proponere; 4. graviores et maioris momenti res Summo Pontifici subiicere; 5. *colloquium, igitur, inter conferentias episcopales et Sanctam Sedem sedulum instituere*

ita ut singuli episcopi cuiuscumque nationis aperte persuasum habeant se in communione cum Petri Sede esse cum conferentiae nationalis decisiones accipiunt et ad effectum deducunt.

Et haec est ratio pastoralis obligationis, cui singuli episcopi hac in re libenter haereant. Nec angor erit ultra.

His reverenti animo praemissis, aliquas emendationes humillime proponere audeo.

1. In pag. 14, n. 17, lin. 7 periodus sic compleatur: « ... atque ordinandam, Sanctae Sedis institutis in rebus tractandis prae oculis habitis ».

2. In eadem pag. 14, n. 17 post lin. 15 haec adiungantur: « Sarta tecta tamen manet libera iurisdictio singulorum episcoporum in sua dioecesi sub suprema Summi Pontificis auctoritate ».

3. In pag. 15 post lin. 20 haec vel similia verba adiungantur: « Nationalis episcoporum conferentia de rebus actis Sanctae Sedi relationem mittet atque de gravioribus rebus decisiones auctoritati Summi Pontificis subicientur ».

4. In pag. 16, n. 22, post lin. 5 haec verba adiungantur: « Episcopi decisionibus non consentientes, si rei momentum id ferat, de sua agendi ratione S. Sedem certiorem facient ».

5. In eadem pag. 16, n. 23 expungatur (rationes supra attuli).

6. In eadem pag. 16, n. 24, in parvo titulo et in lin. 15: *omittantur verba « etiam iuridice... »* (rationes supra attuli).

7. In pag. 16, n. 24: casus de quibus agitur ad litteras *a*) et *c*) reducantur. Litterae *b*) et *d*) omittantur.

Sinceritati meae velint indulgere. Gratias. *Laus Deo et Mariae!*

56

EXC.MUS P. D. ERNESTUS L. UNTERKOEFLER

Episcopus tit. Latopolitanus, aux. Richmondiensis

In genere cap. III huius schematis laudandum est, sed in specie emendandum est. In exponendo emendationes meas liceat mihi loqui circa art. 24, nempe « Quandonam decisiones etiam iuridice obligent singulos episcopos ».

Principia fundamentalia sequentia in animadversionibus meis regunt:

1. Episcopi residentiales ex divina institutione peculiaribus Ecclesiis praeficiuntur;

2. Conferentia episcoporum in regione iurisdictione ex institutione ecclesiastica gaudet;

3. Notandum est in rebus legislationis iuxta Codicem Iuris Canonici statuta et decreta Concilii plenarii et provincialis promulgata vere ligare totam regionem neque discretioni singulorum episcoporum relictum esse, utrum talia statuta in propria dioecesi promulgare velint necne;

4. Vere dispositiones canonicae ex parte conferentiae episcoporum pro tota regione fieri possunt efficaciter tantum, si tales dispositiones omnes episcopos ligent.

Videtur mihi quod in art. 24 periculum gravissimum minuendi auctoritatem atque iurisdictionem episcoporum locorum adsit. In verbis huius articuli episcopus loci voluntatem eius decisionibus conferentiae episcoporum in rebus nominandis taxative in casibus quattuor submittere debet, dummodo legitime et per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum prolatae sint necnon ab Apostolica Sede recognitae fuerint.

Verba « iuridice obligant » et « dumtaxat » in linn. 15-16 in casibus duobus, tantummodo uti debet nempe primo — quando agatur de peculiaribus rebus sive iure communi sive speciali Apostolicae Sedis mandato nationali episcoporum conferentiae pertractandae ac resolvendae commissae fuerint.

Secundo — quando agatur de decretis ac declarationibus huius Synodi, e. g., in schemate *de Liturgia,* n. 36.

Emendationes meae sunt. Deleantur verba in linn. 21-28, in pag. 16. In loco *b*) verba « quando agatur de decretis ac declarationibus huius Synodi » addantur.

Melius est ut inter decisiones conferentiae quae agebatur de rebus sive iure communi sive speciali mandato Apostolicae Sedis includuntur etiam res huius Synodi quia materia ad Ecclesiam universam pertinet.

Debemus avertere controversias possibiles inter conferentiam et episcopos singulos; et etiam libertas Ordinarii locorum in regendo dioeceseos praeservare oportet.

Propono rationes theologicas ac canonicas: prima ratio — ex divina institutione episcopi singuli Ecclesiis particularibus singulis praeficiuntur. A tempore apostolorum singulis Ecclesiis particularibus praeerant episcopi singuli (e. g., Ecclesiae Romae, Alexandriae, Antiochiae, Hierosolymae, Caesareae, Cretae, Cappadociae etc.) habebunt episcopos monarchicos. Revera hoc factum historicum nonnisi ex divina institutione explicari potest.

Secunda ratio. In temporibus antiquis ab episcopis, synodis et conciliis particularibus leges promulgatae sunt. Evolutio haec est Concilii plenarii et provincialis, non conferentiae episcoporum. Conferentia episcoporum auctoritate legislativa caret. Iamvero in nullis modis decisiones conferentiae episcoporum tamquam leges pro regione aequiparent. In circumstantiis quando necesse ut *vis obligatoria* decisionibus multis extenderetur, melius in Concilio plenario fieri potest.

Ratio canonica: in can. 329, n. 1 Codicis Iuris Canonici statuitur: « Episcopi sunt apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur quae cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis ».

Etiam in can. 335, n. 1, statuitur: « Ius ipsis (i. e. episcopis) et officium est gubernandi dioecesim tum in spiritualibus tum in temporalibus cum pote-

state legislativa, iudiciaria, coactiva ad normam sacrorum canonum exercenda ».

In conclusione quaeritur: Quandonam decisiones etiam iuridice obligent singulos episcopos? Responsum meum. Solummodo in duobus supradictis casibus.

57

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS CLEMENS VAN HOECK

Episcopus tit. Cissitanus, abb. null. Pietersburgensis

Pag. 16, n. 23: in quibusdam conferentiis iam existentibus statutum est omnes decisiones, approbatas a duabus ex tribus partibus, vim obtinere in omnibus dioecesibus, nisi tamen episcopus putat pro suo territorio rationes graves adesse, quae hanc applicationem dissuadent. Quod etiam valet si ipse episcopus illas decisiones pro bono generali approbavit.

In n. 23 supponuntur rationes graves, particulares alicui dioecesi, et episcopo imponitur obligatio exponendi has rationes ipsi conferentiae, per praesidem. Episcopus ergo debet conferentiae reddere rationem regiminis suae dioecesis; quod evidenter contradicit et repugnat principio autonomiae regiminis episcopalis, in toto schemate *de Ecclesia* propugnato.

Propono ergo ut haec obligatio a n. 23 expurgetur et ut textus ita emendetur: « In casu particulari episcopus potest contra decisiones conferentiae agere in sua dioecesi, non sine gravi causa tamen, de qua ipsius est iudicare ».

58

EXC.MUS P. D. VILLELMUS M. VAN ZUYLEN

Episcopus Leodiensis

a) Fundamentum theologicum praebeatur tum Conciliorum provincialium et nationalium, tum conferentiarum episcoporum nationalium.

Per se unusquisque episcopus in ecclesia particulari seu dioecesi sibi commissa singulariter seu singillatim exercet potestatem divinitus sibi collatam, potestatem scil. sanctificandi, docendi et regendi. Attamen, quod ad certas causas maioris momenti aut in quibus uniformis disciplina requiritur latius quoad territorium, episcopi omnes qui praesunt dioecesibus alicuius provinciae, regionis aut nationis, quoad huius populum, coniunctim seu collective exercent hanc eandem potestatem episcopalem divinitus sibi traditam, ordinariam et immediatam, sub auctoritate Apostolicae Sedis, cuius est eorundem decisiones recognoscere, ne contrariae sint bono communi Ecclesiae universalis.

Iam a saeculis hanc suam propriam episcopalem potestatem collective exercuerunt episcopi in Conciliis provincialibus atque nationalibus. Hodie, cum frequentius occurrat necessitas habendi uniformem in variis eiusdem

nationis dioecesibus disciplinam, expedit ut, praeter Concilia provincialia, quae decimo saltem quoque anno celebrari debent, et Concilia nationalia quae opportuno tempore celebrari possunt, ordinentur conferentiae episcoporum nationales, in quibus etiam, quod ad certas causas, coniunctim seu collective potestatem suam episcopalem propriam exercent episcopi eiusdem nationis omnes, sub auctoritate quidem Apostolicae Sedis.

b) In n. 18, § 3 praevideantur non tantum episcoporum conferentiae nationales, et *supranationales* (terminus praeferendus termino « internationales »), sed etiam *infranationales*. Mutandus ergo est textus, ita ut sonet: « Ubi peculiaria adiuncta id postulent, poterunt episcopi, Sede Apostolica probante, praeter nationales conferentias, aut etiam eius loco, supranationalem conferentiam, vel e contra infranationalem conferentiam constituere, cuius statuta, quantum fieri potest, huius decreti normis aptari debebunt ».

c) Ad n. 19. De membris conferentiarum. Una ex parte episcopi residentiales soli, quippe quibus solis commissa sit cura ideoque et potestas regendi populum dioecesis sibi commissi, sicuti generalius potestatem suam singillatim exercent, ita etiam, quod ad certas causas, collective eandem exercent. Attamen, cum omnes episcopi habeant sollicitudinem omnium ecclesiarum cumque dici possit episcopos qui speciali quodam titulo cum quadam dioecesi coniunguntur, v. g. ut coadiutores et auxiliares, pro hac dioecesi modo peculiari habere hanc sollicitudinem, episcopi coadiutores et auxiliares vocandi sunt ad conferentias, in quibus tamen per se non gaudent suffragio deliberativo, quippe quod per se reservandum videatur episcopis residentialibus, quibus solis cura dioecesium, quam sive singulariter sive collective exercent, commissa est.

Praeterea, cum inaequalia sint officia episcoporum omnium, non debet praevideri quod ob certas graves causas, ab Apostolica Sede recognoscendas, non omnes episcopi nationis, sed eiusdem quidam tantum vocandi sunt. Omnes episcopi residentiales aequo iure augent; itaque omnes ad conferentias sunt vocandi, et qui impediti sunt possunt vota seu desideria sua conferentiae praesidi in scriptis innotescere.

Textus igitur mutetur oportet: ita e. g.:

§ 1. Omnes Ordinarii locorum, vicariis generalibus exceptis, de iure et cum suffragio deliberativo ad nationalem episcoporum conferentiam pertinent. Quare omnes ad eandem vocandi sunt. Qui vero eidem interesse non valent, in scriptis vota seu desideria sua conferentiae praesidi patefacere possunt.

§ 2. Episcopi coadiutores et auxiliares dioecesium nationis ad conferentiam episcoporum nationalem convocentur; attamen, in eadem gaudent suffragio tantum consultivo, nisi, episcopo residentiali absente, eius locum teneat episcopus coadiutor aut auxiliaris...

d) In n. 24 clarius distingui debent casus in quibus conferentiae decisiones vim habent iuridicam. In casibus sub litteris *a*) et *d*) praevisis, hae decisiones possunt habere vim legis ecclesiasticae, quae episcopos et fideles obligat;

in casibus sub litteris *b*) et *c*) indicatis, nulla habetur potestas legislativa conferentiae. Cum agatur de duplici potestatis specie, aptius distinguendi sunt una ex parte casus *a*) et *d*) et altera ex parte casus *b*) et *c*).

Animadversiones praesentantur nomine meo, necnon nomine exc.mi D. Daem, ep. Antverpiensis, Schoenmakers, aux. Mechliniensis, De Kezel, aux. Gandavensis.

59

EXC.MUS P. D. VALENTINUS WÓJCIK

Episcopus tit. Barensis in Hellesponto, aux. Sandomiriensis

In cap. III, pag. 14, n. 18, linn. 21-22, tollatur propositio « decimo saltem quoque anno ad normam iuris celebranda ». Temporibus modernis immediata receptio legum universalium per iura dioecesana crescere videtur.

Tollatur significatio « episcopus titularis » et « mere titularis » sicut legimus in pag. 15 n. 19 paragrapho 2. « Titularis » est iste, qui habet proprium titulum i. e. beneficium, collatum ei a legitima potestate quasi in possessionem. Sufficere debeat nominatio « episcopus », ratione ordinationis, « episcopus auxiliaris vel coadiutor », ratione ordinationis et officii, et « episcopus ordinarius vel residentialis », ratione ordinationis et beneficii. Stricte loquendo iste ultimus est solummodo « titularis ».

In pag. 16, n. 24, addatur littera *e*) « Quando res omnes dioeceses immediate tangit et hoc constet ex duabus saltem partibus suffragiorum secrete datorum ».

60

CONFERENTIA EPISCOPORUM HELVETIAE

N. 20, 2 post verba « commissiones episcopales quae » addatur: « *vel, ob parvum numerum episcoporum, episcopus speciatim delegatus, qui...* ».

N. 24 deleantur quae dicta sunt sub littera *d*), quia textus nimis generalis est. Etenim vocabulum « gravitas rei » fere omni casui applicari potest. Ad tuendam uniuscuiusque episcopi auctoritatem dicatur: « *d*) *quando agatur de coordinatione nationali in moderatoribus designandis et in eorum activitate promovenda pro rebus de quibus in schematibus de apostolatu laicorum, et de instrumentis communicationis socialis* ».

61

CONFERENTIA EPISCOPORUM HUNGARIAE

1. Plures Patres conciliares proposuerunt schema *de episcopis et de regimine dioeceseos* cum schemate *de Ecclesia* conciliandum esse. Re quidem vera. Etsi hoc Sacrum Concilium a Ioanne Papa XXIII. f. m. haud sine instinctu Spiritus Sanctus convocatum a nonnullis persaepe *pastorale* nuncu-

petur, principia quidem fundamentalia magis magisque elucidare debet. Sicut enim « theoria sine praxi: currus sine axi », « ita praxis sine theoria caeca via ». Novae enim viae apostolatus sine principiis bene antea determinatis stabiliter vix praeparari possunt. Ergo, omnia quae hoc Sacro Concilio decernuntur, aliquo modo ad schema *de Ecclesia* referri debent. A. v. hoc moderno tempore aliquo modo *constitutio Ecclesiae* (Verfassung) temporum indigentiis magis magisque elucidari et explicari debet. Post immane bellum ubique terrarum *novas videmus oriri constitutiones* et in diversis civitatibus monarchia fere ubique locum dedit constitutioni magis democraticae. Iure enim divino positivo nulla determinata forma regiminis praescribitur in civitatibus. Sed aliter in Ecclesia quae est institutio positiva divina. In fontibus revelationis *constitutio eius fundamentalis* et ideo *immutabilis* sine dubio inveniri potest (v. g. primatus et episcopatus, distinctio inter clericum et laicum, etc.). Ulteriores determinationes autem constitutionis iure mere positivo fiebant, sicuti historia luculenter testatur (v. g. patriarchae, metropolitae, cardinales, etc.). Huiusmodi officia et beneficia tempore oriebantur et mutatis temporibus cessare possunt, etsi per saecula quaedam eorum immutabilia censebantur: « Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur » (R. J. in V. 1).

2. In qualibet constitutione maximi momenti est distributio potestatum et determinatio subditorum iurium.

In Ecclesia antiqua naturaliter singulae Ecclesiae particulares suam propriam habebant disciplinam sicuti ex collectionibus diversis iuris luculenter apparet (Collectiones Latinae, Collectiones Graecae, Ecclesiae Galliae, Hispaniae, Hiberniae etc. ...).

Iura primatus (etsi ab initio extiterint in fontibus) vehementer inculcantur in Coll. Pseudo-Isidorianis, praesertim vero in Collectionibus qui ante Gregorium VII oriebantur et in primis in ipsis Collectionibus Gregorianis. Sic dictae ecclesiae particulares principibus saecularibus enim penitus subiiciebantur, ex quo immensa mala Ecclesiae consecuta sunt. Ideo reformatores libertatem Ecclesiae ita recuperare studebant, ut potestatem primatus magis magisque in effectum deducebant et eius momentum extollebant. V. g. card. Deusdedit in sua celeberrima Collectione 1083-1086 sic loquitur: « Ego auctoritate ipsius scil. Romanae Ecclesiae privilegium, quo omni christiano orbi praeeminet, ignorantibus patefacere cupiens ex variis SS. Patrum et christianorum Principum auctoritatibus potioribus quibusque in unum congestis praesens defloravi opusculum. Cum igitur Romana Ecclesia per B. Petrum supremam habeat potestatem, absque Romani Pontificis sententia nec concilia celebrari, nec episcopos damnari et omnia negotia maiora ad eiusdem iudicium debere deferri ».

Constitutio Ecclesiae duabus columnis sustinetur: primatu enim et episcopatu. Relationem inter primatum et episcopatum exacte definire determinareque S. Concilium Vaticanum I contra errores tunc vigentes sibi proposuit. In organismo Ecclesiae — si Ecclesia organismo humano comparari

possit — hoc S. Concilio iura tantum *capitis,* seu melius *iura primatus* legibus determinabantur. Ob bellum illius temporis Vaticanum I, die 22 octobris 1870 sine die dilatatum, *iura corporis* seu episcopatus, presbyteratus et laicorum definire non valuit. Ergo, inde sequitur ut Patres conciliares in hoc S. Concilio Vaticano II, iura corporis, seu episcopatus magis determinare cupiant et plerique eadem ex principio collegialitatis deducant. Quidquid sit de hoc principio, liceat nobis quaedam proferre de *cooperatione* episcoporum *in regenda* universali Ecclesia.

3. Episcopi rite electi et consecrati saltem aeque principaliter non solum ad determinatum territorium regendum, sed etiam ad universalem Ecclesiam regendam duce Summo Pontifice quandam obtinent potestatem tamquam apostolorum successores. Nunc autem quaeritur, quomodo episcopi hac in re Summo Pontifici in regenda Ecclesia universali auxilio venire possint? Diversi modi cooperationis fieri possunt:

a) *Collegium cardinalium.* Iuxta can. 230: « Cardinales Senatum Romani Pontificis constituunt eidemque in regenda Ecclesia praecipui consiliarii et adiutores assistunt ». Ante erectionem Congregationum permanentium (saec. XVI), cardinales maxima gaudebant potestate in Ecclesia regenda et res disputatas praesente Papa saepe suffragio decidebant. Erectis tamen Congregationibus (in quibus revera plures cardinales collegialiter in ferendis decisionibus vocem habent) ipsum collegium cardinalium, tamquam collegium praeter electionem Summi Pontificis honorariis consistoriis non consideratis, vix habet potestatem in universali Ecclesia regenda. Quid sit faciendum?

Omnes Ecclesiae particulares (seu civitates) habeant suum *repraesentantem* in collegium cardinalium; seu in distributione sedium cardinalium non traditio vel consuetudo tantum, sed magis constitutio iuridica prae oculis habeatur. Sunt enim de facto plures nationes, quae de iure, vel de facto non habent membrum in supremo coetu gubernativo Ecclesiae. Liceat afferre exemplum iuris internationalis. In *UNO,* seu in Organismo Statuum Unitorum quilibet Status, etsi tenuissimus, legitimum habet repraesentantem, seu delegatum. Non esset forsan possibilis vel conveniens — mutatis mutandis — hanc analogiam considerationi Patrum Conciliarium subiicere?

b) *Coetus episcoporum consultativus.* Ad adiuvandum Romanum Pontificem collegium episcoporum ita quoque succurrere posset, ut omnes mundi episcopi in conferentiis episcoporum alicuius civitatis coadunati delegatum mitterent *in consilium centrale episcoporum,* v. g. post 10 episcopos unum delegatum etc. Quod datis temporibus a Summo Pontifice determinatis Romae conveniret quodque permanentem secretariatum ibidem haberet. Hoc consilium cc. 200-300 membris constaret, cui S. Pontifex negotia maiora quae sibi placuerint, examinanda subiiceret.

c) *Procurator permanens Ecclesiae particularis.* In civitatibus, ubi relatio diplomatica viget, nuntius apostolicus, vel internuntius residet, qui una ex parte amicitiam fovet Ecclesiam inter Statum, altera vero ex parte inspectionem quandam exercet super Ecclesiam particularem.

Viceversa, episcopi universalis Ecclesiae ita concurrere possent ad adiuvandum Romanum Pontificem in suo arduo munere perficiendo, ut sicuti singuli provinciae religiosae faciunt, Romae haberent suum permanentem *procuratorem* episcopali dignitate constitutum, qui, tamquam procurator et repraesentans illius Ecclesiae particularis, in omnibus negotiis, quae respectivum regnum spectant, interrogandus esset ante decisionem. Verum est nunc quoque in Curia Romana existere referentes pro diversis Ecclesiis particularibus, illi autem munus suum magni momenti, sine experientia in circumstantiis specialibus, adimplere difficulter possunt.

4. Agendum est nunc de *extensione potestatis episcopalis.*

His temporibus turbulentis extremo nationalismo devicto, singulae nationes ad maiores unitates coalescunt, ut semetipsos adiuvarent. V. g. Status Foederati, Europa vel Africa unita, et aliquando mundus uniendus. Spatio et tempore quasi superatis omnes sentimus eiusdem uniusque mundi nos esse concives. Si ergo ius civile et status tendunt ad unitatem, non esset progressivum, immo regressivum, si Ecclesia iam longe universalis (Weltkirche) in diversas Ecclesias quasi nationales divideretur, quod maximum periculum esset libertatis amittendae; qui enim a Sancta Sede libertatem suam salvare volunt, alterius societatis inciderent in servitutem. Caute ergo loquendum est de sic dicta « emancipatione » vel « liberatione » episcoporum a « dominatione » Curiae Romanae iuxta illud adagium: « Incidit in Scyllam, qui vult evitare Charybdim ». Attamen ni fallimur iuxta humilem nostram opinionem iura episcoporum aliqua revisione indigent.

In can. 329 dicitur: « Episcopi sunt apostolorum successores... cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis ». Recte igitur exoptant episcopi, ut revera *apostolorum successores* considerentur, quibus non sit necesse recurrere ad Sanctam Sedem in negotiis minoris momenti, sicuti v. g. in impedimentis matrimonialibus et aliis casibus, de quibus etiam facultates in schemate propositae recte cavent. Hucusque episcopi haud raro executores censebantur vel considerabantur potestatis centralis. Reductio et abbreviatio potestatis episcopalis ex ea reactione oriebatur, quam adversarii potestatis primatus Summi Pontificis (Gallicanismus, Febronianismus, Iosephinismus etc.) quasi extorquebant. Contra hos utique iusta et legitima fuit corroboratio potestatis primatus, nam haec libertatem Ecclesiae fovebat et muniebat adversus potestatem civilem et gubernia diversa.

Nunc autem quando communicatio inter diversas Civitates facillima evasit, et episcopatus unius Civitatis episcopatui alterius Civitatis auxilium et morale et materiale praestare valet, haec consideratio opportunitatem amisit. Reservationes ergo, v. g. quoad beneficia et officia (c. 1435) tollenda essent, eo vel magis, quia beneficia illa hoc moderno tempore instituta iam quasi antiquata fere utique censentur.

5. *De moderatione potestatis episcopalis* pauca dicenda sunt. Naturale est quilibet suam potestatem extendere conatur et episcopi in hoc S. Consilio praesentes suam quoque augere volunt potestatem. Sed cum moderamine

et caute procedendum est in hac quaestione delicata! Si enim in potestate primatus Summi Pontificis quaedam *decentralizatio* vel moderno vocabulo usus « democratismus » quidam a nonnullis requiritur, id dicendum putamus quoad potestatem episcopalem quoque.

Haec quoque nova constitutione circumscribenda est, et in potestate episcopali exercenda influxus quoque *presbyteri* eiusque iuvamen et servitium admitti debet. In Codice Capitulum dicitur (c. 391, § 1): « Senatus et consilium » episcopi, cuius est sede vacante vicarium capitularem eligere. Sed, sicuti collegium cardinalium praeter electionem Summi Pontificis, ad merum honorificum institutum est redactum, ita collegium canonicorum, praeter electionem vicarii capitularis, ad nihilum fere reducebatur, nisi sollemniorem cultum Dei excipias. In modernis civitatibus beneficia capitularia prorsus cessabant, ideoque de diversis distributionibus choralibus (quae modernis auribus sunt quasi offensivae) quae hucusque tam magni habebantur, in nova legislatione haud mentio fiat. Cum horae quoque canonicae in communi vix, vel rarissime tantum persolvuntur, totum institutum iuridicum canonicorum temporibus modernibus accommodari debet. Sit capitulum revera iuvamen et senatus ipsius episcopi, ideo « democratismus » quidem temperatus in regimine quoque dioeceseos valde exoptandus est. Vix existit episcopus, qui solus omnia negotia sibi incumbentia optime absolvere valeat. Debet ergo in diversis negotiis adhibere consilium capituli, v. g. in rebus personalibus, in materialibus rebus administrandis etc. Hic quoque aliquo modo constitutio religiosorum nobis exemplo servire potest, ubi superior generalis et provincialis consilio utitur fratrum. Si enim episcopus in regenda dioecesi aliorum utatur consilio, non tantum eius decisio magis deliberata ponderataque fiet, sed responsabilitas quoque dividitur et odium cum aliis.

6. *De episcoporum coadiutoribus et auxiliaribus.*

a) *Coadiutor.* Recta est nova definitio in schemate i. e. « coadiutoris » et « auxiliaris ». In futuro coadiutor semper cum iure *successionis* datur et quidem potestate ordinaria vicarii generalis quae extendi quidem potest, sed minui nunquam.

In constitutione autem — sicut nobis videtur — maximae adesse possunt difficultates, tunc praesertim, si *coadiuto nolenti et invito imponitur* coadiutor a S. Sede. Tunc enim perpetuae erunt difficultates, rixae, zelotypiae et invidia inter coadiutum et coadiutorem, praeterea dividitur clerus et populus. Alii coadiutum, alii coadiutorem sequentur, et sic unitas revera regiminis nolens volens in periculo ponetur. Hoc periculum adhuc augetur si praeter coadiutorem alius quoque vicarius generalis eligitur, qui duobus revera dominis eodem tempore oboedire et referre tenetur. Regimen biceps infelicissimum evenire solet. Ergo maxime optandum est, ut coadiutor tantum rarissime et praevio consilio coadiuti constituatur ne salus animarum detrimentum patiatur.

b) *Auxiliaris.* Facultates auxiliaris in schemate sunt valde indeterminatae. Melius esset, si S. Sedes in constitutione auxiliaris iura et officia eius-

dem adamussim circumscriberet, quia ab episcopo coadiuto saepe saepius in aetate provecta constituto et infirmo (sicuti experientia constat) vel minimae ipsi facultates concederentur. Quilibet enim homo senex tenaciter adhaeret potestati neque alicui aliquid tradere vult. Ergo, ad bonum animarum ipsa S. Sedes debet succurrere coadiuto et imprimis coadiutori et per consequens saluti animarum eo quod iura coadiutoris omnia circumscribit.

Ad pag. 10, lin. 37, post verba: « ... explere valeat... » addenda censeo: Expedit, ut eundem suum vicarium generalem constituat (ad unitatem nempe regiminis salvandam).

Ad pag. 9, lin. 22, « ... auxiliaris vero datur episcopo... » adderem: *residentiali* (sine iure successionis).

Ad pag. 11, lin. 10, « ... nihil magni momenti agat nisi eo consulto et probante... ». Haec expressio « magni momenti » elucubratione indiget, nam a multis alio et alio modo intelligitur. Erunt episcopi pro quibus simplex benedictio, vel missa pontificalis etc. res magni momenti censentur; sunt et auxiliares qui sine episcopi residentialis licentia fere nihil agere possunt.

Ad pag. 11, lin. 17, « ... Sede per mortem aut renuntiationem aut translationem vacante... » loco huius melius esset: « ... sede vacante, vel impedita... ».

7. *De nationali episcoporum coetu seu conferentia.* Maximi momenti est in schemate erectio seu constitutio conferentiae episcoporum, quibus unitas regiminis in eadem civitate et auctoritas Ecclesiae revera corroborantur. Etsi unusquisque episcopus in propria dioecesi obtineat potestatem legiferam, iudicialem et coarctivam, tamen in eodem regno diversae et saepe contrariae dispositiones singulorum episcoporum periculosae forent. Eo vel magis conferentiae episcopales in systema iuridicum Ecclesiae introducendae sunt, quia concilia sive provincialia, sive plenaria — nisi regionem orientalem excipias — sensim sine sensu in desuetudinem abibunt. In codice c. 356 praescribitur ut decimo saltem quoque anno dioecesana synodus celebretur. Sed haec norma etsi praeceptiva, fere nullibi observatur. Etiam in hac alma dioecesi Romana, primam synodum dioecesanam Ioannes XXIII f. m. anno 1960 convocavit. Sed fere similis est casus in dioecesibus aliis Ecclesiae universalis. Non est melius etiam in conciliis provincialibus celebrandis, quae hucusque vicesimo quoque anno celebranda erant (c. 283). Concilia vero plenaria plurium provinciarum ecclesiasticarum (c. 281) rarissima in tota Ecclesia coacta sunt.

Ius debet vitam Ecclesiae regere; si iam non regit, vel vita iam limites a iure praescriptas praetergrediatur, novae iuridicae normae condendae sunt. Loco ergo conciliorum provincialium plenariorumque hoc moderno tempore *conferentiae episcopales,* tamquam instituta vere iuridica constituendae sunt.

In Hungaria, in qua fides catholica millenaria est, iam inde a 100 annis conferentiae episcoporum in usu sunt et maxima gaudent auctoritate. Praeses est illius primas regni; eo vero absente, vel legitime impedito archiepiscopus, vel episcopus senior munere praesidis fungitur. Decisiones vero per maioritatem absolutam suffragiorum feruntur quae deinde ab omnibus episcopis

quam *normae directivae* observantur. In casibus extraordinariis, nonnumquam decisiones vim obligatoriam habebant. Ceterum conferentia episcoporum in re scholari catholica Ecclesia supremam exercebat potestatem. Ipsa constituit et nominavit professores etc. Ad eiusdem competentiam spectabant etiam negotia quae totum regnum concernebant (e. g. Actio Catholica, Facultas theologica, etc.). Regulariter bis in anno sessionem ordinariam habebat: vere nempe et autumno. Pro necessitate pluries sessiones extraordinarias. De singulis sessionibus protocollum exaratum est et a duobus membris ratihabitum typis quoque impressum est.

Quoad schema sequentia notare sufficiat. Ad pag. 14, lin. 26, « ... regi debet... ». In loco melius esset: « regitur... ».

Ad pag. 15, lin. 2, « ... aut etiam earum loco... » delendum esse putamus, quia conferentia internationalis numquam reddit superfluam conferentiam episcoporum unius nationis

Ad pag. 15, lin. 5, melius esset « membra » sic determinare: « Membra ordinaria conferentiae nationalis episcoporum sunt: archiepiscopi residentiales, episcopi coadiutores, aliique locorum ordinarii, exceptis vicariis generalibus, nisi ipsi sede impedita regimen dioeceseos susceperint. Hi omnes suffragio deliberativo gaudent ». « Membra extraordinaria sunt: episcopi titulares (auxiliares), qui de casu ad casum, per maiorem suffragiorum partem, convocari possunt ad conferentiam cum suffragio deliberativo ».

Ad pag. 15, lin. 13, inserenda essent: « Ii qui legitime impediti conferentiae personaliter interesse nequeunt, procuratorem mittere debent ut absentem episcopum de rebus decretis personaliter certiorem reddere valeat. Hi autem procuratores voto tantum gaudent consultivo ».

Ad pag. 15, lin. 21, inserenda esset: « Quaelibet conferentia episcoporum duabus saltem vicibus per annum convocari debet ».

Ad pag. 15, lin. 23, hic habetur: « ... consilium permanens ex aliquibus *praesulibus* constans... ». Cum hucusque tantum de episcopis et Ordinariis fuit sermo et vox « praesul » hic prima vice occurrit, dilucidandum foret utrum haec vox Ordinarium quoque in se contineat, vel tantum episcopum? Melius foret si consilium permanens tantum episcopis constaret cum ceterorum Ordinariorum status transiens est. Hoc confirmatur quoque in § 2 secundum quam in commissiones episcopales tantum episcopi (non vero ceteri Ordinarii) cooptari possunt.

Ad pag. 15, lin. 30, ex textu non liquet, utrum secretarius generalis conferentiae ex gremio esse debet aut ab extra eligi valeat?

Quod *decisiones conferentiae* attinet, nobis minus placent ea, quae de pag. 16 in principio generali dicuntur. Ibi distinctio fit inter decisiones iuridice obligantes et iuridice non obligantes. In hoc altero casu autem sic decrevit: « ... decisiones prolatae ab episcopis... debita reverentia ab unoquoque episcopo accipiantur et ad effectum deducantur... ». Postea in linn. 6-7 inculcatur, ut episcopus contra decisiones conferentiae agere volens antea debet scripto de hac re praesidentem certiorem reddere. Iuridice hic contra-

dictio adesse videtur. Si enim decisio quaedam non est iuridice obligatoria, cur debeat contra faciens de hac re alicui rationem reddere; melius esset ergo, si tota pars introductoria transcriberetur hoc vel alio modo, prout sequitur.

Propositio. Decisiones conferentiae episcoporum per secreta suffragia proferuntur quae fieri possunt directivae vel praeceptivae; nempe: Decisiones *directivae* per maiorem suffragiorum partem feruntur: vehementer optandum est ut hae quoque ad unitatem fovendam et ad bonum fidelium in eadem natione promovendam ab unoquoque episcopo in effectum deducantur, nisi postea in casu particulari ob graves rationes supervenientes aliquis aliter agere censuerit. In hoc casu extraordinario rationes scripto praesidi conferentiae notificandae sunt. Decisiones *praeceptivae,* seu stricte iuridicae per duas saltem ex tribus partibus suffragiorum proferri debent, quae ante promulgationem a Sede Apostolica recognoscuntur.

De *relatione* inter conferentias episcopales *diversarum nationum* quaedam dicenda adhuc remanent. Maximi est momenti, ut Ecclesiae particulares singularum nationum inter se mutuas et amicas relationes habeant. Saepe saepius praedicamus in Ecclesia legem caritatis super omnia praevalere et Ecclesiam « iuris » (Rechtskirche) Ecclesiamque « caritatis » (Liebeskirche) eandem esse Ecclesiam. Ex visibilitate et indole sociali Ecclesiae necessario sequitur eius character iuridicus, sed totum ordinem iuridicum ipsa caritas debet vivificare. Sicuti Benedictus XV f. m. occasione novi Codicis editi ad patriarcham Venetiarum et suffraganeos revera dixerit: Legislatricem caritatis Ecclesiam venuste vos admodum verissimeque in communi vestra epistola nuncupatis... Cum enim ab Eo nutriatur ac foveatur, qui caritas est quique seipsum pro hominibus dedit redemptionem ea ex caritate vivat necesse est et caritatem spiret non ex legibus tantum atque institutis, sed ex universa sua doctrina agendique ratione » (*A.A.S.,* 9, 1917, 169).

Haec caritas in Ecclesia nunquam extingui debet immo eandem augere et fovere omnibus viribus tenemur. Valde utile esset, si non tantum eiusdem nationis episcopi sed diversarum nationum episcopi datis temporibus in unum convenirent et magis divites egentibus spirituale et materiale iuvamen praestare curarent. Filii saeculi hac in re etiam exemplo nobis esse possunt. Saepe saepius videmus membra et delegatos factionum diversarum in diversis nationibus convenire ubi ab invicem multa addiscunt. Etiam nos Sanctae Ecclesiae episcopi fraternitatem, caritatem solidaritatemque et mutuum levamen a saecularibus addiscere satagamus.

8. *De dioecesium circumscriptione.* Utile esset valde, si Concilium Sacrum praescriberet ut in unaquaque Ecclesia particulari constituatur intra tempus determinandum commissio episcoporum a conferentia episcoporum electa cuius est chartam geographicam actualis status facere et propositionem praesentare de dioecesibus noviter et rationabiliter circumscribendis. Curandum est ut ad bonum animarum immensae dioeceses quamprimum dividantur parvissimaeque uniantur, ut iurisdictio episcoporum in salutem animarum fructuosius exerceri valeat. In Hungaria nonnullae dioeceses sunt per-

magnae ita ut earum dismembratio quamprimum facienda foret. In Hungaria unica existit dioecesis ritus byzantini (cum Exarchatu) cuius tamen fideles in tota civitate dispersi inveniuntur. Ad ritum ipsum byzantinum conservandum valde necessarium foret ut iurisdictio episcopi ritus byzantini ad totum territorium regni Hungariae extendatur.

9. *N. B.*: *Terminologia* in schematibus non est sibi constans. In titulo habetur: « Sacrosanctum Oecumenicum Concilium ». In textu vero saepius occurrunt: « S. Synodus », vel « Sacrosancta Synodus » etc. In recenti Ecclesiae historia Tridentinum tantum nuncupatur « Synodus ». In terminologia vero Codicis « synodus » tantummodo pro concilio dioecesano exclusive reservatur. Ideo melius esset si in schematibus semper eadem vox, nempe: « Sacrosanctum Concilium » (et non Synodus!) adhiberetur.

62

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI MELCHITAE

N. 17, pag. 14, linn. 1-2. Supprimer de nouveau l'incise: « Sub Romani Pontificis auctoritate ». Raison donnée plus haut.

N. 18, pag. 14-15. Refaire entièrement ce numéro, en tenant compte de la situation propre à l'Eglise en Orient. Le schéma ne tient pas compte du fait qu'il y a en Orient des Patriarches, qui ont une vraie juridiction sur les évêques de leur patriarcat. Aussi le schéma réserve-t-il indistinctement la constitution des Conférences, ainsi que l'approbation de leurs Statuts et de leurs décisions au Saint-Siège Romain. Si ce texte est destiné à toute l'Eglise, et non seulement à l'Eglise latine, il convient de tenir compte des remarques suivantes concernant les conférences épiscopales en Orient:

a) Les Patriarches doivent être de droit les Présidents des Conférences épiscopales. On ne peut concevoir, en Orient, une Conférence épiscopale qui ne soit pas présidée, non seulement honorifiquement, mais aussi effectivement, par le ou les Patriarches, chacun sur son territoire et selon les règles de préséance reconnues entre eux.

b) C'est le ou les Patriarches qui doivent prendre l'initiative de fonder une conférence épiscopale et en approuver les statuts et les décisions.

Dans les Eglises orientales qui n'ont pas de patriarcat, c'est le Métropolite ou l'Archevêque du rite. En l'absence de toute autorité supra-épiscopale du rite, c'est le Saint-Siège qui exerce ces pouvoirs.

63

CONFERENTIA EPISCOPORUM DE RWANDA ET DE BURUNDI

Plene adhaereo his quae dicta sunt ab exc.mo D. Perraudin, relate ad n. IV cap. III huius schematis: « de relationibus inter conferentias episcopales diversarum nationum ».

Sed liceat mihi, nomine conferentiae episcoporum de Ruwanda et de Burundi, aliquid amplius dicere de his relationibus, et speciali modo de mutuo adiutorio praestando.

Hoc mutuum adiutorium erit fructus certe suavissimus doctrinae collegialitatis et institutionis conferentiarum episcopalium. Erit autem fructus realis et tangibilis, tantummodo si hoc mutuum auxilium conferentiarum, efficaci modo organizatur. Sine structuris idoneis, opus efficax et perdurans existere non potest.

Haec organizatio nobis necessaria videtur, tum pro conferentiis prosperis quam pro conferentiis pauperibus.

1. Haec organizatio mutui adiutorii, necessaria est pro conferentiis prosperis, nam:

Saepe saepius audivimus ab aliquibus episcopis conferentiarum prosperarum, quod fere per hebdomadam visitabantur a multis mendicantibus charactere episcopali ornatis; quod iam viginti vel triginta episcopi pulsaverunt ianuas suas, et quod nesciebant cui dare oportebat nec quomodo.

Interdum episcopi conferentiarum prosperarum adiuvant episcopos conferentiarum pauperum, aliquando sine criteriis obiectivis. Adiuvant amicum, adiuvant secundum praeferentias personales, sed nesciunt necessitates obiectivas omnium ecclesiarum pauperum.

Inter conferentias prosperas non satis existit coordinatio. Actualiter plurimi episcopi possent dare pecuniam, in adiutorio unius eiusdemque operis, et nescirent an opus realizatur, an iam realizatum sit, aut an amplius pecuniis indiget.

Alia ratio est, quod conferentiae prosperae, saepe operam navant in limitibus Ecclesiarum particularium suarum, abstractione facta Ecclesiarum pauperum. Si conferentiae et episcopi responsabilitatem habent totius Ecclesiae, non iam amplius possunt uti personis suis apostolicis, aut mediis suis materialibus, respectu suorum tantum necessitatum, quia fieri potest quod hae necessitates particulares ideoque relativae, postponi debeant necessitatibus maioribus Ecclesiarum pauperum.

Sacerdotes non deberent adhiberi, in muneribus quae a laicis recte assumi possunt, dum certae conferentiae carent sacerdotibus qui exerceant officium proprie sacerdotale: ut administratio et distributio sacramentorum et praedicatio evangelica.

Aliud exemplum est in rebus materialibus. Convenitne construere eccle-

sias tam magnificas, dum pars tantum earum pretii sufficeret ad construendum plurimas Ecclesias in regionibus pauperibus?

Huiusmodi exempla perplurima sunt et interdum pro scandalo habentur, in his temporibus ubi tam saepe loquitur de ecclesia pauperum.

2. Haec organizatio mutui adiutorii etiam necessaria est conferentiis pauperibus ipsis, ut sciant ubi et quomodo adiuvari possint, et ut earum necessitates harmonice inserantur in necessitatibus Ecclesiae universae.

Reverendissimi Patres, haec organizatio mutui adiutorii conferentiarum, cum necessaria sit, etiam in practicam deduci debet. Hoc diversis modis fieri posset, quorum unum proponere volumus.

Consilium internationale mutui adiutorii conferentiarum institui deberet. Hoc consilium esset organum, potestate decisionis praeditum, in quo omnes conferentiae repraesentationem haberent, tam conferentiae prosperae vel dantes quam conferentiae pauperes vel rogantes.

Hoc consilium haberet secretariatum permanentem ad elaborandum " Planning " internationale evangelizationis implantationisque Ecclesiae, secundum criteria obiectiva. Hae criteria obiectiva, non essent tantum statistica sed etiam dynamica, in ordine possibilitatum evangelizationis in determinatis regionibus, sequendo flatum Spiritus Sancti.

Aliud organum esset exsecutivum, et distribueret mutua auxilia.

Auxiliorum oblatio et petitio emanarent e dioecesibus, e conferentiis nationalibus aut regionalibus et fortasse etiam, e confoederationibus conferentiarum continentaliter confoederatis, sub respectu mutui auxilii dandi et petendi.

Hae omnia tamen ne auferant quae privatim fieri possunt et fiunt.

Venerabiles Fratres, hae sunt propositiones nostrae, et rogamus ut suum locum inveniant in schemate nostro. Hoc votum nostrum provenit e sollicitudine et anxietate nostra, ne post concilii exitum, indigentia nostra permaneat.

64

EXC.MI PP. DD. EPISCOPI DITIONIS VENEZUELIENSIS

Tollatur a titulo et ubique in hoc capite, vox « nationalis » post « conferentia ».

Pag. 14, n. 18 § 1, linn. 19-24. Nova proponitur redactio, nempe: « (Conferentiae constitutio et statuta). § 1. Praeter Concilia plenaria, quae opportuno tempore legitime celebrari possunt, et Concilia provincialia, stabiliter in unaquaque natione, regione vel provincia constituatur et ab Apostolica Sede recognoscatur episcoporum conferentia ».

Pag. 15, n. 19, lin. 7. Dicatur: « necnon et episcopi coadiutores *et auxiliares* ».

Pag. 16, n. 23, linn. 6-10. Totus hic numerus omnino supprimendus est.

Pag. 16, n. 24. Totus hic numerus e medio tollatur.

Pag. 16, n. 24, linn. 13-14 sic mutentur: « dummodo legitime et per tres ex quatuor partibus suffragiorum in scrutinio secreto prolatae... ».

Pag. 16, n. 24, lit. *d*) linn. 25-28, deleantur.

[*Subscripserunt*] Humbertus card. Quintero, arch. Caracensis; Alejandro, San Cristobal; Crispulo Benítez Fontúrvel, ob. Barquisimeto; A. Ramírez S., ob. Maturin; Aloisius Henriquez, ep. aux. Caracas; Ioseph R. Pulido M., arch. tit. Cyrrhen.; Juan José Bernal, arz. Bolivarensis; Ioseph Alí Lebrún, ep. Valentinus in Venezuela; Ascanius F. Gonzales, ep. Macaraiensis; Chrysanthus Mata Cova, ep. Cumanensis; Ioseph Leo Rojas, ep. Truxillensis.

II

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. IV SCHEMATIS DE EPISCOPIS AC DE DIOECESIUM REGIMINE *

1

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Pag. 21, linn. 15 ss.: Notum est tales dioeceses personales maximas difficultates pro universitate regiminis v. g. in eadem civitate parere.

Si ergo earum erectio commendatur, etiam unitati provideri deberet.

2

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN

Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Omnia quae in hoc capite continentur prospiciunt meliorem ordinationem operis pastoralis Ecclesiae et salutem animarum efficacius obtinendam. Principia quae traduntur sunt omnino generalia eorumque praecipua a Ss. Romanis Congregationibus iam in usum deducta. Haec principia etiam nova sunt quatenus nunc primum proponuntur in iure.

Normae propositae ad finem optatum bene adaptatae esse videntur. Specialiter animadvertere velim optime concepta esse principia de dioecesium divisione aut dismembratione aut unione. Dantur quidem dioeceses in quibus, ob nimiam territorii amplitudinem vel nimium incolarum numerum, episcopi impares sunt singulos sacerdotes singulasque paroecias satis frequenter personaliter visitare et bene cognoscere ac moderari. Ex altera parte in quibusdam regionibus multae dantur dioeceses, quarum fines adhuc vigent ex Medio Aevo vel ex aetate antiquiori, hodie vero isti fines parum conveniunt quia ob rerum immutationes nimis restricti sunt, ita ut, ob consequentem sacerdotum paucitatem opumve penuriam, episcopi impares sint congruenter consulere sui gregis indigentiis et difficultatibus et habere sustentareque officia et instituta, quae ad rectum regimen usu comprobantur necessaria. In hoc capite optimae dantur normae ad huiusmodi dioeceses in bonum fidelium ordinandas.

Omnibus perpensis, hoc caput quoad omnia *placet*.

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt.

3

Exc.mus P. D. IOSEPH A IESU ALBA PALACIOS
Episcopus Tehuantepecensis

In nota cap. IV *de episcoporum ac dioecesium regimine* dicitur inopportunum, immo noxium videri posse dividere magnas urbes, praesertim si sint caput totíus status, et hoc quidem aliquam verisimilitudinem in se includere videtur.

Quoad has autem civitates attendi debet etiam ad hoc, quod saepissime episcopo residentiali est fere impossibile revera cognoscere et paterne suscipere et dirigere sacerdotes in dioecesi laborantes, tum religiosos tum dioecesanos, multo autem minus potest personaliter solvere gravissimas difficultates praesertim mulierum non raro exurgentes in communitatibus religiosis, quibus attendendis officio suo astringitur, sive agatur de religionibus iuris pontificii sive de institutis dioecesanis.

Similiter in eiusdem urbibus saepissime in superioribus scholis et universitatibus congregantur ad centenamilia studentes diversis facultatibus, cum magistris et officialibus et quidem studentes, quorum vis culturalis, socialis et saepe saepius etiam politica est magna, sunt e multis nationibus et regionibus oriundi, eorum efformatio in bonum vel malum totius civitatis et communitatis humanae redundat et difficillime attingi sufficienter possunt actione salutari veritatis et gratiae quarum thesauros Ecclesia a Christo commissos recepit.

Igitur, eiusdem generis amplissimae dioeceses erunt dividendae, attendendo ad bonum animarum potius quam ad alios respectus, vel aequivalenter dividentur per episcopos residentes in parte territorii civitatis; vel eiusmodi gravissima negotia, v. g. cleri, religiosorum, studentium et similium moderari debebunt per instituta specialia officia, quibus saepe solum videtur sufficienti auctoritate posse incumbere aliquis vir potestate episcopali praeditus, quamvis unitas in regimine, quae his in casibus non videretur nimis premenda, apparenter habeat minorem consistentiam, cum de facto vix possit existere.

4

Exc.mus P. D. CUSTODIUS ALVIM PEREIRA
Archiepiscopus de Lourenço Marques

1. Supprimatur n. 31, pag. 21. Ritus *debent aliquo territorio circumscribi,* alioquin intra aliquos annos creatur immensa et terribilis confusio. Qui mutat locum mutet et ritum. Nonne omnes catholici sumus? Hoc valet pro omnibus ritibus orientalibus, qui *aliquo territorio circumscribi deberent.* Amplius dicam: *si possibilis esset,* multo melius esset ad unum vel paucos *ritus reduci* omnes ritus orientales; in occidente, *e medio omnes tolli,* nam

sunt *fere aequales* et pauci (Mediolanum, Bracarensem, Toletanum et aliq. Ordinum).

2. Supprimatur etiam n. 32. Videtur « smania » commissionum, sed si adest Nuntius Apostolicus in omnibus nationibus, et si episcopi quibus interest sunt omnino consulendi, ad quid nova commissio?! Ne quid nimis.

5

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS

Episcopus tit. Bosanensis, coad. Kaunensis

Toto animo assentio em.mo Patri card. Maurice Feltin, qui proposuit dioeceses personales, ad exemplar paroeciarum personalium.

Ab anno 1951 in servitio profugum lituanorum extra Europam, nempe in Canada, America Septemtrionali, America Latina, Australia, satis cognovi necessitates non solummodo lituanorum, sed et aliorum emigrantium et profugum.

Deus solus scit, quantum solatii et utilitatis animabus ipse dedit ope meorum itinerum, ego vero multoties testis fui lacrimarum turbae, qui occasione mei adventus conveniunt in ecclesiis omnes simul, catholici et non catholici.

Uti consequentia meae missionis et itinerum omnes lituani in mundo, ubi in regione, non in uno loco, sunt 200-300, habent sacerdotes eorum linguae, excepto pro hoc momento uno loco. Hoc factum est valde magnae utilitatis spiritualis meis connationalibus.

In lituanos dispersos in mundo nullam iurisdictionem ordinariam habeo, ubique tamen ab Ordinariis locorum fraterne acceptus fui, exceptis paucissimis casibus, ubi regnat exaggerata tendentia advenas per fas et nefas in brevi temporis spatio « denationalizare ».

Ex hucusque habita experientia audeo dicere utilissimam fore pro emigrantibus, si iam non Ordinariorum talis vel talis nationalitatis institutionem, saltem visitatorum a Sancta Sede Ordinariis locorum commendatorum. Eorum missio deberet esse emigrantium spirituales necessitates cognoscere et cum Ordinariis locorum, vel directe vel per Sanctam Sedem, componere, linguae populi, ad quem, sacerdotes providere. Nuntii et Delegati Apostolici propter multas rationes non possunt huic necessitati satisfacere.

6

EXC.MUS P. D. CONSTANTINUS CAMINADA

Episcopus Ferentinus

Ad n. 28. Quamvis theoretice unio parvarum dioecesium extinctiva optima sit, practice tamen — ad minuendas difficultates — minus opportuna videtur.

Melior erit dioecesium unio cum unica sede episcopali et unica curia, sed servando in relicta ab episcopo sede Ecclesia cathedralis, capitulum et delegatum episcopalem qui facultatem habeat concedendi aliquas licentias, e. g., relate ad confessiones, ad matrimonium, etc.

7

Exc.mus P. D. IRENAEUS CHELUCCI

Episcopus Ilcinensis

Circa cap. IV de dioecesium ac provinciarum ecclesiasticarum congruenti circumscriptione mihi liceat, quaeso, in extremo limine disceptationis aliqua notare.

Fateor inter alia vota quae initio Concilii praeparationis proposui, fuit etiam illud quod in capite supra memorato tamquam principium generale n. 27 par. 1 de dioecesibus nimis magnis et de dioecesibus nimis parvis ponitur. Si bonum animarum haud dubitari potest quin expostulet ut amplitudo congrue minuatur, iam non dixerim expostulare ut nimis parvae aboleantur vel mutentur. Id necesse forsan erit in casibus peculiaribus non in omnibus indiscriminatim. Sunt enim parvae dioeceses incolarum numero sed non ambitu finium intra quos habitant incolae in pagis longe lateque disseminatis et in domibus desertis ad quas difficilis est accessus.

Neque parvae dioeceses minus inserviunt (generatim loquor) pastoralibus necessitatibus quam magnae. Experientia docet contrarium. Possum exempla afferre non pauca, sed praetermitto cum alii Patres attulerint.

Quod attinet ad hanc dioecesim, meis pastoralibus curis commissam, quamvis omni genere irritaminum tentatam, ea fidem generatim patrum integre servat, vitam morigeram excolit, Ecclesiam frequentat, actionem catholicam promovet, vocationes tum sacerdotales tum religiosas fovet. Usque ad haec ultima tempora vocationum etiam missionariarum ita magnus numerus fuit ut plures quam centum uno eodemque tempore haberentur. In his non defuere episcopi ut exc.mus Caldaioli, ep. Grossetanus, Carletti, ep. Albinganensis, Magliacani, vic. ap. in Arabia adhuc vivens.

Animadvertere denique liceat, ubi suppressiones initae sunt, retractari debuisse ad maiora damna vitanda propter populi fidelis reclamationes.

Quod si suppressio parvarum dioecesium omnino imponatur, saltem servetur titulus adiungendus titulo dioecesium quibus unientur.

Non minus quam parvarum dioecesium suppressio displicet propositum dioeceses immediate Apostolicae Sedi subiectas aggregandi provinciae ecclesiasticae. Finis enim qui intenditur melius potest obtineri obligatione episcopo facta ut frequentet Concilium provinciale. Ceterum subiectio immediata Sanctae Sedi non potest non exercere beneficum influxum ad disciplinam ecclesiasticam et vitam christianam servandam. Distantia autem ab Urbe

ita progressu technico minuta est ut ea iam nequeat considerari iusta causa dispensationis a muneribus dioecesium propriis immediate Apostolicae Sedi subiectarum.

8

Exc.mus P. D. IOANNES B. DAL PRÀ
Episcopus Interamnensis et Narniensis

Fragmenta colligo de mensa lautis epulis in aula Concilii instructa. Etenim multa atque aptissima dicta sunt, praesertim ab exc.mo Sorrentino, ep. Bovensi, super necessitate dandi dioecesibus circumscriptionem corpusque apta ad vivendum et ad efficaciter agendum nostris temporibus.

Non igitur inanibus verbis nec extenuatis argumentis propugnata est necessitas sive exiguiores dioeceses delendi aut inter se coniungendi, sive ampliores minuendi. Neque desunt qui ad historiam confugerunt ut conservationem et integritatem dioecesium etiam minimarum defenderent. Probabiliter unusquisque loquitur iis nisus quae ipse expertus est. Qui igitur magnam rexit aut regit dioecesim, parvas laudat et extollit, quippe quae facultatem pastori praebent omnes oves suas cognoscendi, dum e contra qui nimis magnam rexit aut regit, angebatur aut angitur de negata sibi tali facultate.

Facultas sit ergo mihi duo animadvertere.

1. Coniungere aeque principaliter inter se duas vel plures parvas dioeceses idem est ac ambigue plerumque operari, ita scilicet ut clerus populusque earum sollicitentur ad sperandum fore ut unio dissolvatur aliquando et in pristinum statum redeatur.

Adde quod parum boni oritur ex unione aeque principali, si singulae unitae dioeceses integrae maneant in suis structuris. Quae episcopo commoda venient si duas vel plures dioeceses pro una regat? Ergo si duae vel plures parvae dioeceses uniantur, ita uniri oportet ut novum exsurgens corpus sit vere unum et uti tale regi possit, scil. unum habeat seminarium, unam curiam dioecesanam, unum capitulum cathedrale, unum clerum, unam « organizationem ». Secus ambiguitas de qua diximus perpetuaretur et nulla ex unione utilitas oriretur.

2. Proposita Concilii quae in hoc schema exponuntur, optima quidem sunt. Etenim progressus quilibet in propositam reformationem circumscriptionis dioecesium bono animarum favet et efficacitatem actionis Ecclesiae in mundo nostrae aetatis promovet. Sed nefas est immorari. Mundus properat iuxta viam suam. Occurrentes difficultates necesse est prudenter sed fortiter constanterque aggredi, ut quam primum a Concilio proposita in actum deducantur.

Specialiter mihi videtur ulterius differri non posse solutionem problematis illarum dioecesium quarum conditio omnimode absurda est. Maiora mala sine mora sanari possunt, quin gravia impedimenta obstent. Ita, si habeantur nimis exiguae dioeceses quae tales sunt eo quod finitimae sibi conglobant

partes vitales earum corporis socialis, hae sine mora suo corpori restituantur. In hoc casu difficultates facile superari poterunt. Nam nulla deletur dioecesis, nullius minuitur autonomia seu independentia. Plerumque clerus ipse loci et populus, cum necessitudines et causae omnes, sive socialis et oeconomicae, sive civiles et administrativae, tantum habeant cum dioecesi cuius se partem sentiunt, mirantes quod absurde alio episcopo submittuntur, id exoptant.

Faxit Deus ut quae in cap. IV huius schematis statuuntur, ad calendas graecas non differantur. Mundus noster agmina sua suaque instrumenta ordinat magis magisque ampla atque robusta. Minus apte, certo, nos nostra exigua et sparsa agmina compararemus cum illo.

Historia et traditiones utique venerandae sunt; at vita suas instantes postulationes et necessitates habet, quae praeteriri non possunt. Historia et traditiones in libris optime et in monumentis servari possunt, ita ut non pereant, sed vita aut viva aut in sepulcro seu catacumbis servatur.

9

Exc.mus P. D. IOANNES B. DA MOTA E ALBUQUERQUE

Archiepiscopus Victoriensis Spiritus Sancti

Audientes nos, Christi episcopos, disputantes in hoc schemate de iuribus et facultatibus nostris, ex successione nostra apostolica, ad iura et potestatem successoris Petri — quae cum disputatio sane non solum utilis sit sed etiam necessaria — homines tamen mirari tentantur atque recordari evangelium narrantem in Cena novissima « factam esse et contentionem inter apostolos, quis eorum videretur esse maior » (*Lc.* 22, 24).

Novistis, venerabiles Patres, Domini responsionem: « Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum: et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor: et qui praecessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat » (*Lc.* 22, 25-27).

Episcopus autem « Christi personam induit », « Christusque illi est exemplum ut ipse deinceps populo sit exemplum », ut ait « Didascalia Apostolorum » (ed. Funk II, XX, 9 et II, VI).

Episcopus Christi, in Ecclesia, e munere suo, ministerium implet seu « diaconian » illius quem « pastorem et episcopum animarum nostrarum » Petrus apostolus nominavit (*1 Pt.* 2, 25), quem sacerdotem seu pontificem Novi Testamenti epistula ad Hebraeos demonstravit.

Quomodo autem Iesus ipse suum sacerdotium definivit?

Datur ab evangelio secundum Lucam responsum: postquam Spiritus Sanctus in ipsum descendit, Ioanne baptizante, et vox de caelo facta est: « Tu es Filius meus dilectus », Iesus, ut putabatur fabri filius, filius Ioseph qui per

genealogiam fuit Adam, regressus est in virtute Spiritus in Galileam et venit Nazareth, ubi erat nutritus — subditus Mariae et Ioseph ipseque faber — et intravit die sabbati in synagogam, et revolvens librum, legit: « Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem, et caecis visum, dimittere confractos in remissionem, praedicare annum Domini acceptum... ». Coepit autem dicere ad illos: « Quia hodie impleta est haec Scriptura in auribus vestris » (*Lc.* 4, 14-21).

Itaque Iesus suam messianicam consecrationem praebuit ut munus sibi datum sacerdotii prophetici, cuius essentiale ministerium signumque haud dubium est: evangelizare pauperibus, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et caecis visum, dimittere confractos in remissionem.

Mundus hodiernus, quamvis sint immensi progressus ad scientiam et artem pertinentes, pauper est. Duae partes tertiae humanitatis a physica fame cruciantur. Et omnes homines, etiam et fortasse praesertim, maxime apparati, sunt, in angore de fato eorum, pauperes et captivi et caeci et contriti corde atque confracti.

Ad nos, vicarios episcopi animarum summique prophetici sacerdotis, pertinet dare consortibus nostris inter quos nutriti sumus, propheticam responsionem non solum verbo sed, ut Magister noster Christus, exemplo, ad usum astricte transferrentes iussa quae dedit Dominus apostolis suis cum « dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia et ut languores curarent et misit illos praedicare regnum Dei et sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis... Egressi autem circuibant evangelizantes et curantes ubique » (*Lc.* 9, 1-6).

Consortes nostri non expectant nos esse « dominantes in cleris sed forma factos gregis ex animo » ad imaginem « Principis Pastorum », secundum hortationem Petri, apostolorum principis (*1 Pt.* 5, 3-4).

Homines hodierni, pauperes et caeci et confracti, expectant nos, personam Summi Sacerdotis Prophetaeque gerentes, apparere ut ipse apparuit, filios fabrorum et, per Ipsum et cum Ipso et in Ipso, Redemptionis fabros, in medio eorum, in communi et laboriosa exstructione.

Haec est condicio ut, nobis manifestis testibus, homines angore oppressi de fato eorum, aures admovent ad verbum Dei, pro cuius ministerio Christus nos potestatis suae sacerdotalis et propheticae participes fecit.

Propono igitur ut in hoc schemate de iuribus et potestate quae nobis dedit Dominus, dicatur munus nostrum esse essentialiter ministerium seu « diaconian » Summi Sacerdotis et Prophetae qui, ad effectum missionem suam adducens, ipse pauper esse voluit inter pauperes et non venire « ut ministraretur ei sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis » (*Mc.* 10, 45).

Itaque propono schema his verbis incipere: Episcopus, cum personam Christi induerit et ab illo virtutem et potestatem acceperit ut ministerium

impleret Summi Sacerdotis et Prophetae, qui unctus est missusque evangelizare pauperibus, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem et caecis visum, dimittere confractos in remissionem, debet Christum habere exemplum, ut sit ipse exemplum populo eique efficaciter salutem evangelizet, et consequenter testis esse paupertatis illius qui voluit non ministrari sed ministrare, fabri conditionem vivere, formam servi accipere usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et a Deo exaltatus et omni potestate munitus in caelo et in terra episcopumque animarum nostrarum factus, ipsius potestatis participes fecit apostolos et episcopos, successores eorum, et misit eos per decursum saeculorum evangelizare pauperibus, testes redimentis suae paupertatis.

10

Exc.mus P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

Ad n. 27 § 2, supprimantur ultima verba, scil.: « provinciae vero in regiones ecclesiasticas componantur ». *Ratio*: non sunt multiplicanda entia sine necessitate. De se provinciae iam regionales esse debent. Quodsi pluries in eadem regione, dico pluries in eadem regione constitutae sint, provideatur per conferentias regionales sine obligatione iuridica in episcopos regionis, quibus illa unitas de se utilis iam sufficienter obtinetur.

Ad n. 28 § 2, verba « nisi Apostolica Sedes vel, pro orientalibus, competens auctoritas » mutentur in haec alia: « nisi auctoritas competens ». *Ratio*: ne videatur Ecclesiam Christi ex duabus coalescere, latina nempe et orientali, quae ultima a Sancta Sede non regatur.

Ad n. 32. Supprimatur. Sufficit principium enunciare de convenientia vel utilitate immutationum finium dioecesium quarumdam. Auctoritas competens postea, prout melius ipsa viderit, providebit.

11

Exc.mus P. D. ABILIUS DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA
Episcopus Calaguritanus et Calceatensis

Laude dignum mihi certe videtur propositum « de opportuna dioecesium circumscriptione » in schemate enuntiatum (nn. 26 et 27). Probatur etiam principium generale in n. 27 contentum: « dioeceses... nec nimis magnae, nec nimis parvae sint oportet ». Praescindendo ab indeterminatione huius formulae, Concilii enim non est ad minima descendere, aliqua notanda occurrunt de « dioecesibus nimis magnis ». Et non quidem *de nimis magnis* ratione territorii, quae, si aliae difficultates non sint, sola ratione territorii facillime dividi possent, sed ratione *numeri fidelium*; adhuc autem directo et expresse de illis agendum nobis est quarum maxima pars fidelium in « macro-urbibus » commorantur.

Problema certe gravissimum est; hodie, pro aliquibus tantum dioecesibus; cras, pro pluribus, fortasse etiam pro omnibus. Dato enim ritmo migrationis externae et internae, dum agri depopulantur, urbes in dies succrescunt et non paucae, ultra quod desiderandum foret, permagnae et quandoque etiam « monstruosae » fiunt.

Quid dicendum de regimine dioecesium intra quorum limites una aut variae dentur civitates permagnae, macro-città, quae incolarum millia millium numerum attingant immo et superent? Illis etiam applicandum est principium generale de *divisione* et *dismembratione?* Sub luce principiorum theoretice arguendo, affirmative respondendum foret. Attamen nec semper possibile et, attento actuali systemate urbanizationis, saltem in Europa, in plurimis inopportunum immo et noxium abs dubio erit. Quid ergo?

Non semel in Aula hac de re sermo fit et aliquae iam propositae suggestiones, quae, ut tales, bonae practicae et laudandae sunt, incompletae tamen et insufficientes videntur solutiones.

Multum quidem iuvare poterit episcopos « residentes » creare pro diversis polygonis vel zonis illarum urbium, sensu heri explicato. At aliquid amplius desideratur in schemate dicendum, ut « contentum » cap. IV generali titulo decreti reapse respondeat.

Et en, venerabiles Patres, defectus et lacuna generalis totius schematis: inscribitur enim *de regimine dioecesium* et de facto, dolendum sane sed sincere fatendum, de regimine dioecesium in ipso fere nihil dicitur.

Quae ergo et qualis esse poterit solutio pastoralis pro permagnis illis dioecesibus urbanis in quibus dismembratio impossibilis, inopportuna et noxia forte evadat?

Non sufficit, iterum dico, creare episcopos « residentes ». Necessarium erit creare, offerre et illis dare instrumenta pastoralia opportuna pro « pastoratione » diversarum in urbe zonarum. Attamen hac de re ne ullum quidem verbum in hoc capite occurrit.

Placuit ergo mihi aliqualem solutionis partem hic indigitare. Ni fallor, solutio pastoralis magna ex parte, si non ex integro, est in creanda, fovenda et curanda vita paroeciali, quae, si semper et ubique utilis et necessaria, in illis praecise dioecesibus urbanis, « alluvione migratorio » continuo succrescentibus, maioris necessitatis et urgentiae dicenda est quam in quibuslibet aliis. Haec erit solutio proponenda et totis viribus curanda.

Qualiter et quomodo? Ad principia generalia quod attinet, in schemate totali solutio iam praevisa erat. Quae enim desunt in cap. IV, dantur in V, in quo de paroeciarum erectione earumdem congruenti circumscriptione sermo occurrit et ubi, ut videre est in prooemio, specialis fit allusio ad casum et circumstantias magnarum urbium, hinc et dioecesium, de quibus quaestio a nobis impraesentiarum movetur.

At quoniam integrum cap. V, et hoc vere mirandum est, nostra suffragatione cancellatum est et a schemate exclusum, argumentatio manca remanet et materia certe incompleta.

Liceat ergo nunc mentem Patrum, commissionis saltem, pulsare eorumque attentionem trahere ad ea quae in cap. V dicuntur, speciatim vero ad nn. 34 et 37, qui ultimus urgentioris est applicationis cum de magnis civitatibus sermo fit.

12

EXC.MUS P. D. MAXIMILIANUS DRŽEČNIK
Episcopus Mariborensis

Humiliter proponimus, ut in cap. IV schematis *de episcopis...*, n. 27, in § 3, sequentia (sublineata) *addantur*: « Dioeceses immediate Apostolicae Sedi subiectae, quae neque supprimuntur neque alii uniantur ad normam § 1, *vel, si plures unius territorii sunt, in novam provinciam ordinentur, vel* illi... ». *Ratio*: post ultima bella multae dioeceses a suis sedibus metropolitanis avulsae sunt ideoque immediate Apostolicae Sedi subiectae. Nunc nec ex rationibus politicis nec ratione diversae stirpis, linguae etc. sedibus metropolitanis iam exsistentibus subici possunt, sed pro diversitate casus noviter providendum est. Ne tali ordinationi in schemate praeiudicium statuatur, illud additamentum addi petimus.

[*Subscripsit etiam*] Ioseph Pogaćnik, adm. ap. Labacensis.

13

EXC.MUS P. D. RENATUS FOURREY
Episcopus Bellicensis

N. 30, pag. 21, linn. 21-24. In praesenti animadversione agitur de *translatione sedis episcopalis intra limites dioeceseos.*

Ratio pastoralis praevalere debet in electione loci sedi episcopali assignandi. Sedes episcopalis ponenda est in civitate aptiore et commodiore, quo facilior pateat accessus fidelibus et praesertim clero ad episcopum, et quo expeditius obligationi visitandi dioecesim episcopus satisfaciat. Ideo in electione perpendenda sunt peculiaria adiuncta, geographica, socialia, oeconomica, civilia, etc., quae intercedunt pro tali vel tali civitate. Practice aliae considerationes intervenire debent — nonnunquam politicae — et, in primis, historicae traditiones spernendae non sunt.

Hae autem adiuncta, decursu temporis, saepe saepius vertuntur, mutatis conditionibus vitae civilis, ita ut haec civitas, quae saec. IV, vel etiam XIX electa est ut sedes episcopalis (quia tunc erat caput provinciae et centrum vitae regionalis) hodie ab alia civitate supplantatur (v. g., mutatis viis communicationis) et munus sedis episcopalis iam non explet, nisi cum gravibus incommodis tam pro clero et fidelibus quam pro episcopo.

Hoc in rerum concursu, locus sedis episcopalis intra limites dioeceseos in locum aptiorem transferri debet, necessitate recti regiminis superante alias considerationes, in quantum fieri potest.

Auctoritas ad translationem competens est Sancta Sedes. Attamen, post diligentem inquisitionem peractam ab episcopo apud viros peritos in re geographica, sociali, oeconomica, demographica, etc., res committenda est ad commissionem de dioecesium mutatione in natione constitutam ad normam § 32 huius capitis. Nisi ex pacto forte inito, auctoritas civilis non est consulenda, attamen opportunum est eam de translatione certiorem fieri.

In decreto translationis ab auctoritate competenti plura sunt definienda:

1. Agiturne de translatione residentiae habitualis episcopi vel de translatione ipsius sedis episcopalis.

In utroque casu curia episcopalis, quae constat illis clericis qui « episcopo ... opem praestant in regimine totius dioecesis » (can. 363, § 1), in civitatem ubi residet episcopus transferri debet: *a*) Rationes quae militant pro translatione residentiae episcopi, etiam valent pro translatione curiae dioecesanae, mutatis mutandis; *b*) pro bona administratione, necesse est curiam dioecesanam episcopo praesto esse.

2. Si agitur de translatione ipsius sedis episcopalis:

a) Nomen dioeceseos mutari debet sive per abolitionem antiqui tituli, sive, ut melius videtur, per additionem titulo nominis civitatis quae fit nova sedes episcopalis.

b) Nova ecclesia cathedralis erigenda est in civitate ubi episcopus domicilium habet, antiqua cathedrali iuridice suppressa vel conservata.

Si remaneant plures ecclesiae cathedrales in dioecesi, obligationes episcopo impositae a can. 338, § 3 (« Ab ecclesia cathedrali ne absint... »), definiri debent, perpenso quod plerumque in civitate noviter electa ecclesia cathedralis a pluribus fidelibus frequentabitur quam in sede antiqua episcopali.

c) De translatione ipsius capituli cathedralis quaestio examinanda erit. In quantum fieri potest, si capitulum transferatur in loco ubi residet episcopus, melius implere valebit obligationes tam erga episcopum cuius est « senatus et consilium » (can. 391, § 1) quam erga dioecesim, sede plena vel vacante.

d) Quaestio translationis seminarii dioecesani perspicienda erit: attamen, cum regimen seminarii quotidianas visitationes episcopi non requirit, necessitas translationis minus urgens videtur, nisi militant aliae rationes.

14

EXC.MUS P. D. IOSEPH GAWLINA

Archiepiscopus tit. Madytensis

1. Periculosa videtur opinio nuperrime in aula prolata, nempe ut magnae dioeceses dividantur in dioeceses urbanas et rusticas. *Ratio*: dioecesis solis civibus urbanis composita solet paucas vocationes sacerdotales praebere; maior enim pars vocationum oritur e regionibus rusticis. Quapropter privatio dioeceseos vicinarum regionum rusticarum secumferret deminutionem et extenuationem numeri sacerdotum.

2. Pag. 21, lin. 25. Ratio habenda « pactorum initorum inter Sedem Apostolicam et Status » videtur nostris temporibus potius impedimentum pastorale quam adiumentum esse. Pacta enim inita, ab Ecclesia, minus autem a Statibus servantur. Praeterea pacta haec politicum potius quam pastoralem finem respiciunt. Multis in casibus parum apta instrumenta sunt ad defendendum emolumentum *Ecclesiae* temporibus nostris. Inita, praesertim in moderna fluctuatione politica, ubi nec Status nec regimina stabilia aut diuturna sunt, obligant nonnumquam Ecclesiam ad servanda concordata de facto iam praeterita, quae uni Statui quidem utilitatem politicam adferunt, pro animarum autem cura inutilia aut prorsus nociva esse possunt (sicut v. g. concordatum cum Germania, quod erectionem dioecesium in Polonia occidentali impedit).

15

EXC.MUS P. D. ISAAC GHATTAS
Episcopus Thebanus

Unicitas iurisdictionis in singulis territoriis: talis erat, ut certe meministis, argumentum quod enucleavi et proposui in opusculo iam vobis notum: *A propos du Concile œcuménique Vatican II*: première session, pp. 5-6, quodque repetii in altero opusculo eiusdem tituli pro secunda sessione: *Remarques,* pp. 13-14, ubi de novo rationes propono in favorem illius argumenti.

Ratio prima est ordinis *pastoralis*. Multiplicitas enim iurisdictionum in aliquo determinato territorio impedit, immo nocet, operi pastorali renovato et sicut hodie, in nostra civilizatione, concipi atque ordinari potest.

Ratio *oecumenica* etiam adest. Nam si debemus nos, catholici orientales, omni modo efficere ut unio denuo constituatur inter orthodoxos et catholicos, debemus insimul assicurare conditiones normalis et naturalis situationis hierarchiae non catholicae: quod sane excludit pluralitatem iurisdictionum et aequivalentiam inter iura hierarcharum orientis et illorum occidentis.

Ipsa ratio *historica* minime negligenda est: nam structura traditionalis Ecclesiae est *localis*: et multiplicitas univoca iurisdictionum quasi offendit structurae episcopalis Ecclesiae: ritus tunc occasio et causa divisionum exstat.

Ratio tandem *missionaria* omnibus facile apparet: nam omnes expectant Ecclesiam quae semper iuveniscit et quae in unitate et concordia aedificatur, non autem in divisionibus et discordiis. Quibus omnibus serio perpensis, sequentia mihi liceat vobis proponere:

1. Omnes et singuli christifideles, proprium sane ritum retinentes, in dioecesi sub unica iurisdictione constituantur. Omnes dioeceses actuales ita inter varios patriarchatus distribuendae sunt, ut determinata dioecesis pendeat a patriarchatu unius eiusdemque ritus, ratione habita maioritatis chri-

stianorum, catholicorum vel non, in illa dioecesi degentibus. Quod ultimum maximi est momenti.

2. Ritus illius maioritatis *ritus officialis* dicitur: non quidem hoc sensu quod sese imponeret omnibus et singulis christifidelibus qui — ut iam dictum est — retinent proprium ritum, sed eo sensu quod omnes ab unica pendent iurisdictione.

3. Uni episcopo *ritus officialis* successorem dabitur. Clerus aliorum rituum, qui in illa dioecesi degent, facile in alia dioecesi formabuntur, ubi eorum *ritus officialis* est.

4. In quacumque natione, conferentia episcopalis omnium episcoporum omnium rituum illius regionis regulariter convocabitur. Praesidentiam accipient respective: In Aegypto, patriarcha coptus; in Libano, patriarcha maronita; in Syria alternatim patriarchae syrus et armenus; in Palaestina, patriarcha melkita; in Irak, patriarcha chaldaeus.

5. In singulis patriarchatibus, utique, synodus patriarchalis constat solis et omnibus episcopis eiusdem ritus, quidquid sit de eorum residentia.

6. Delimitatio territoriorum, quamvis difficillima, aliquo modo solvi debet, si non placet quod nos super (n. 4) proposuimus.

Talis est, venerabiles Patres, propositio quam fidenter propono Concilio, ut terminus tandem ponatur nostris dissidiis propriis inter orientales christianos. Unanimis acceptio nostrae propositionis, uti initio iam dixi, esset in bonum *et* fidelium, *et* renovatae pastoralis, *et* sinceritatis oecumenicae, *et* valoris testimonii missionarii.

16

EXC.MUS P. D. AEMILIUS GIORGI

Episcopus Montis Politiani

1. Inter tot ac tantos oratores, qui de argumentis huius Sacri Concilii Oecumenici praeclare et copiose disseruerunt, visum est mihi — uti minus dicam — superfluum, etiam humilem vocem meam levare.

Cum tamen sermo evenit de apta circumscriptione dioecesium, et de dioecesibus minoribus forte extinguendis; et exc.mus D. Robertus Massimiliani, ep. Civitacastellanensis, perspicue ostendit dioeceses minores, si incommodis quaedam laborant, etiam commoda quaedam non spernenda praestare; et iure merito monuit ne de minoribus dioecesibus extinguendis facilius decernatur: tunc eius sententiae mihi adhaerendum censui, meamque humilem adhaesionem exc.mo secretario generali directe tradendam.

2. Revera dioeceses maiores institutae sunt ratione *necessitatis,* i. e. amplitudine spatii et multitudine incolarum, independenter a specialibus meritis locorum et populorum.

Dioeceses autem minores institutae sunt ratione *convenientiae,* idest intuitu specialium meritorum, quae summa Ecclesiae auctoritas, eo dioecesis titulo, ad honorem et incitamentum, agnoscere et coronare voluit.

3. Exstant revera dioeceses quaedam minores, quae hunc honorem expli-

cite consecutae sunt intuitu patrimonii cuiusdam singularis meritorum, tum religiosorum, tum civilium: in salute animarum, in maxime quoque arduis missionibus, promovenda; in sacra hierarchia; in ecclesiastica diplomatia; in fulgoribus sanctitatis et martyrii; in doctrina tradenda; in societate regenda; in artibus excolendis; in legibus et moribus vitae religiosae et civilis fideliter componendis: tanta denique clarorum virorum oblata foecunditate, quae magnam quoque civitatem honorare posset.

4. Inter quas dioeceses minores liceat mihi in exemplum adducere dioecesim Montispolitiani; et — nisi affectus decipiat sensum — testis sit brevis conspectus quidam historicus, cui titulus « *Centenario di gloria* » iam typis editum anno 1961, IV Centenario Anno ab eiusdem dioecesis institutione recurrente.

5. Incommoda dioecesium minorum quae denuntiantur, non videntur exclusive propria dioecesium minorum, quia generatim dioeceses maiores et minores floruerunt et defloruerunt simul; dioecesis politiana, usque ad tempora non remota — e. g. totum episcopatum exc.mi D. Ioseph Batignani — vitam habuit sub omni adspectu florentem; et ipse episcopus — sicut alii — nunquam dedignatus est totam vitam episcopalem degere (34 annos) in hac parva dioecesi, quamvis ad sedem ampliorem idoneus et etiam invitatus fuerit.

6. Sub n. 28, par. 1, cap. IV schematis *de episcopis et de dioecesium regimine,* legitur: « Si duae aut plures dioeceses uniantur unione extinctiva et ex eis constituatur unica nova dioecesis, una tantum sit curia episcopalis, una cathedralis ecclesia, unumque cathedrale capitulum ». Et logice dici etiam deberet: et unum seminarium episcopale. Sed quaenam commoda vel incommoda practice praevideri possunt?

a) *Ex unica curia episcopali*: commodum certe pro episcopo; sed multiplicantur incommoda distantiae pro omnibus dioecesibus a quibus curia removetur;

b) *Ex unica ecclesia cathedrali et unico capitulo*: commodum pariter pro episcopo, et pro cathedrali et capitulo centralibus; sed providendum erit decori cathedralium aliarum, magni forte valoris;

c) *Ex unico seminario*: commoda unici seminarii — in Italia saltem — Summis Pontificibus S. Pio X ... Pio XII — magnis quidem sacrificiis, nec certe sine ponderato consilio — non in unione dioecesium, sed in institutione seminariorum pontificiorum, iam petita sunt.

7. Certe, dioeceses minores non amplius creandae essent; sed quae iam merito ortae sunt, non facile extinguuntur; quia — praeter turbationes quae, etiam arte provocari possunt — commoda practica extinctionis minora esse possunt, quam quae cogitanda videantur.

Tandem oblivisci nequeo hunc magni Pontificis Pii XI sensum, quem mihi — episcopo Politiano electo — primo affabiliter aperire dignatus est: « Anche io avrei desiderato una diocesi piccola; ma il Signore volle darmi prima una diocesi grande — Milano —, e poi una diocesi grandissima — la Chiesa! — ».

17

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Considerato exitu suffragationis diei 12 c. m., per quem cap. V nostri schematis commissum fuit commissioni de revisione C.I.C.; considerata analogia quae viget inter cap. IV et cap. V ipsius nostri schematis, tum relate ad materiam tum ad formam et ad principium generale, propono: *committatur et cap. IV commissioni de revisione C.I.C.*

18

EXC.MUS P. D. RICHARDUS LESTER GUILLY

Episcopus Georgiopolitanus

Pag. 21, cap. IV, § 27, §3: His diebus, e. g., in regione caribbena, habetur dioecesis Kingstoniensis in Jamaica, ubi *non est nisi una dioecesis pro natione independente,* et mox aliae plures erunt quando, e. g., Guyana Britannica, et Honduras Britannica fient nationes independentes. Licet episcopi talium nationum convocari possint in conferentiam internationalem episcoporum, *politice* inconveniens esse potest ut episcopus nationis independentis fiat aut maneat suffraganeus archiepiscopi alius nationis.

19

EXC.MUS P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE

Episcopus Flaviobrigensis

In titulo possent haec addi: deque regionum ecclesiasticarum erectione.

N. 26. Prooemium magnificum dicendum est. In paragrapho tertia omnia sunt maximi momenti et si in praxim reducitur non parvam revolutionem afferet geographicam ecclesiasticam. Studium profundum omnium quae hic indicantur credo nimis derelictum esse vel simpliciter non fuisse quatenus ad dioeceses refertur et credo etiam unicum criterium quod extitit fuisse criterium circumscriptionum civilium quae fere in omnibus casibus minimam relationem cum salus animarum dicunt.

In prima paragrapho forsan auferenda essent haec verba « singulos sacerdotes ». Nimis exigitur ab episcopo si unumquemque sacerdotum debet cognoscere et visitare et quidem personaliter.

N. 27. Ad 1). Ad quae refertur hic novus ordo? Forsitan vult dicere ut nominentur auxiliares in singulis partibus dioeceseos. Oportebit haec declarare? vel cum agatur de principio generali nihil innovetur et maneat ita vagum.

Ad 2). Evenit novitas regionum ecclesiasticarum. Hi duo numeri optime declarantur in notis 1 et 2 in pag. 22.

Nn. 28, 29, 30. Nonne oporteret indicare in praxim haec omnia non reduci nisi fuerit mandatum aut venia Sanctae Sedis? Ita vitaretur episcopum displiceri quod fortasse non vitaretur si ipse facturus esset.

In n. 29. Quid significat vocabulum « Loca »? Non sufficeret vocabulum « paroeciae »?

Nn. 31-32. Nihil maioris momenti dicendum. In n. 31 possumus dicere nimis restringi rationem dioeceses fundandi. Nunc temporis dantur nationes in quibus vivunt quamplurimi emigrantes ex aliis regionibus, v. g. in Gallia et in Germania ubi degunt hodie non pauci hispani derelicti vel semiderelicti (cf. n. 36 huius schematis).

Ad commissionem, de qua in hoc numero, pertinent etiam erectio Regionum ecclesiasticarum et ea quae de dioecesibus personalibus dicuntur? Nonne oportebit haec indicare?

20

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS GERARDUS KRAMER
Episcopus Lunganensis

Ad n. 27 § 1. *Emendatio proposita*: « Dioeceses, omnibus adiunctis accurate perpensis, ita dividantur aut dismembrentur aut novo ordine disponantur, vel etiam uniantur aut supprimantur aut plures in novam dioecesium constituantur, ut limites eorum saluti animarum congruant ». *Ratio*: ut clarius appareat criterium regulae quae hic statuitur.

Ad n. 27 § 3. *Emendatio proposita*: « Dioeceses immediate Apostolicae Sedi subiectae qua tales, in quantum fieri potest, abrogantur. Quodsi neque supprimi neque alii dioecesi uniri possint ad normam § 1, illi provinciae ecclesiasticae sunt aggregandae... ». *Ratio*: si imprimis intenditur abrogatio talium dioecesium, hoc melius in forma positiva praeponitur.

Ad n. 31. *Emendatio proposita*: « Ubi plures sunt fideles diversi ritus, quibus sufficienter per sacerdotem aut paroeciam eiusdem ritus consuli non potest, nominetur vicarius generalis, vel etiam episcopus auxiliaris pro illo ritu. Quodsi etiam hoc ad salutem animarum non sufficiat, erigantur dioeceses personales pro diversitate rituum ». *Ratio*: hoc modo mihi videtur melius esse provisum pro circumstantiis variantibus. Erectio dioecesium personalium, puto, ad praeservandam unitatem gubernii, tenenda erit tamquam ultimum remedium, quamvis, si necessarium propter bonum animarum, non repudiandum.

21

EXC.MUS P. D. GEORGIUS LAYEK
Archiepiscopus Aleppensis Armenorum

Liceat mihi aliquas animadversiones scripto tradere circa n. 31 cap. IV *de episcopis ac de dioecesium regimine,* relate ad dioeceses personales ratione ritus.

1. Quaestio de dioecesibus personalibus ratione ritus, recte poni non potest nisi prae oculis habeatur ut fundamentum, auctoritas patriarchalis quae est principium unitatis ritus.

Patriarcha enim, sub auctoritate Summi Pontificis, est pater suae communitatis, et consequenter auctoritas eius extendi debet ad omnes fideles sui ritus, etiam extra territorium degentes, secundum antiquam traditionem quae nunc etiam viget apud Ecclesias orientales a Sancta Sede separatas. Ideoque ubicumque necessitas pastoralis urget, patriarchae est paroecias personales instituere in « diaspora », immo etiam approbante Sancta Sede, erigere dioeceses personales, quae necessario nexum hierarchicum servare debent cum patriarcha. Ita fideles orientales in « diaspora » degentes melius in fide catholica confirmantur et altius fovetur oecumenismus cum fratribus eiusdem ritus simul coexsistentibus.

2. Dioeceses istae, *improprie* personales dicuntur, relate tantum ad dioecesim territorialem, ubi maior pars fidelium pertinet ad ritum diversum, sed per se, etiam dioeceses istae personales necessario aliquo territorio delimitantur, in quo ecclesias et institutiones proprias habere possunt, ut finem suum assequantur. Humiliter rogo ut haec praecisatio in textu exprimatur.

3. Multiplicitas iurisdictionis episcopalis secundum ritus varios in uno eodemque territorio, nedum nociva (ut nuper audivimus ab exc.mo Scandar et ab exc.mo Khoraiche) est omnino normalis pacifica conditio Ecclesiarum orientalium in regionibus medii-orientis, inde a saeculis; immo est necessaria et valde utilis propter coexsistentiam Ecclesiarum separatarum respectivi ritus. Ita ut potius contrarium — nempe reductio multiplicis iurisdictionis ad unam — esset detrimento et scandalo: quia esset contra intentum Concilii oecumenicum et pastorale, immo et contradiceret menti et praxi Summorum Pontificum.

a) *Contra intentum Concilii oecumenicum*: etenim fideles qui privarentur auctoritate propriae hierarchiae et submitterentur auctoritati alienae, se despoliatos existimarent relate ad fratres separatos respectivi ritus, qui fere ubique fruuntur perfecta hierarchia; ideoque facile accidit ut alliciantur fideles ad transitum sensim sine sensu in Ecclesiam acatholicam eiusdem ritus. Immo ista alienatio iurisdictionis ordinariae vel privatio proprii hierarchae mirationem et scandalum gignerent apud fratres separatos, nam hoc ostenderet in Ecclesia catholica posse graviter mutilari conceptum Ecclesiae particularis vel localis, et quidem propter diversitatem ritus. Ita ianua clau-

deretur relationibus fraternis cum ipsis et evanesceret omnis conatus oecumenismi, cuius praecipuus promotor deberet esse ipse catholicus hierarcha eiusdem ritus, cuius suppressio postulatur.

b) *Contra intentum pastorale Concilii.* Nam in solutione proposita evanesceret conceptus theologicus episcopi et reduceretur munus episcopale relate ad fideles diversi ritus ad aliquid mere administrativum, ita ut episcopus nullo modo pater et pastor esse possit illius gregis quia semper alienus ab eo remanet traditione liturgica, spirituali, culturali, immo et aliquando etiam lingua (ita pro Armenis).

c) *Hoc certe contradicit modo cogitandi et agendi Sedis Apostolicae,* quae venerationem et amorem erga omnes Ecclesias orientales earumque ritus et disciplinas semper professa est et revera magnam sollicitudinem ostendit in integre conservandam traditionem orientalis etiam in minimis, a fortiori in vitanda mutilatione tam gravi Ecclesiae orientalis localis.

Cavendum est igitur ne quaestiones tam graves leviter tractentur.

[*Subscripserunt etiam*] Raphael Bayan, ep. Alexandrinus Armenorum; Nerses Tayroyan, ep. Bagdhadensis Armenorum; Mesrob Terzian, ep. tit. Comanae Armenorum.

22

EXC.MUS P. D. VLADIMIRUS MALANCZUK
Episcopus tit. Epiphaniensis in Syria

A. Si schema *de episcopis ac dioecesium...* pertinet ad universalem Ecclesiam catholicam tunc in eius cap. I, vel saltem in cap. II mentio fiat etiam de *exarchis apostolicis* qui praesunt cum potestate (munere) pastorali territorio non proprio, cf. C.I.C.O., Motu pr. *De cleri sanctitate,* can. 366 etc.

B. Idem Motu pr. can. 367 tribuit exarchis apostolicis, quamquam *episcopis titularibus,* ex iure communi *eadem iura et facultates* quae competunt *episcopis residentialibus.* Ideo

C. *In Appendice* priori eiusdem schematis, pag. 28 sub A) in ipso titulo, *loco*

1. « Facultates stabiliter et ipso iure *episcopis residentialibus* recognoscendae » dicendum est: « Facultates etc. ... *episcopis Ordinariis* etc. ... ». Etenim, exarchae apostolici quamvis ut episcopi titulares, sed pastoralem potestatem (seu iurisdictionem) habentes cum cura animarum, debent possidere iure communi, quamquam ex delegatione, *omnes facultates* quae eis necessariae sunt pro bono animarum.

2. Loco « *habeant* » ponatur « *habent* », etenim *omnes* episcopi cum cura animarum debent possidere *vi constitutionis divinae Ecclesiae* omnes facultates necessarias ad munus suum pastorale, i. e. docendi, sanctificandi atque regendi, rite implendum, utique illis facultatibus solis exceptis, quas Summus Pontifex, vi suae potestatis primatialis per sua dicasteria, vel etiam aliae instantiae inferiores, sed superiores episcopo, sibi reservaverint propter

bonum commune seu totius Ecclesiae, seu ecclesiarum particularium. In nostro schemate *tantum clarum principium* de hoc ponendum est. Erit iam *res iuris canonici* suis in locis practice determinare quasnam facultates episcopi concrete habeant. Quae facultates certe possunt pro praxi *in quodam elencho exemplativo* reassumi.

3. Si autem iste elenchus in hoc schemate retinetur, valde exoptandum est, ut inter facultates *inserantur expresse sequentes*:

a) *Saltem pro Ordinariis orientalibus* propter peculiares circumstantias et propter rationes oecumenicas: facultas *dispensandi* ex iure communi, non tantum ex concessione, *a forma canonica matrimonii in mixtis nuptiis* contrahendis, si pars acatholica nequeat suaderi ut se competenti parocho sistat, et timendum sit ne partem catholicam adigat ad adhaerendum religioni acatholicae si praescriptum de forma servanda urgeretur in casu; utique servando cautelas de catholica educatione prolis... Quae facultas *aliquando* conceditur a S. Sede tamquam extraordinaria, Ordinariis orientalibus...

b) Talis facultas multo magis inservit bono spirituali fidelium, *quia malum praecavet,* quam facultas extraordinarie concessa, *sed saepius, sanandi in radice matrimonia invalida* propter defectum formae, etc.

c) Idem saltem dicendum est propter easdem rationes de facultate *dispensandi ab impedimento mixtae religionis.* Sed de hoc in schemate de sacramento matrimonii.

4. Consequenter: mutetur etiam titulus sub B) eiusdem Appendicis, pag. 36, in: « *Facultates stabiliter et ipso iure omnibus episcopis, etiam iis* (*vel titularibus*) *absque munere pastorali recognoscendae* ».

D) Quae de exarchis apostolicis diximus, applicanda sunt vicariis et praefectis apostolicis, episcopali charactere munitis.

23

Exc.mus P. D. ANTONIUS ROSARIUS MENNONNA
Episcopus Neritonensis

N. 27. Non opportunum videtur dioeceses, utut parvas, plene supprimi, saltem in Italia hisce temporibus, ne motus populares deflagrent cum gravibus diuturnisque consectariis relate ad vitam religiosam et socialem. Magis opportunum e contra videtur duas vel plures dioeceses, quarum omnes vel aliquae parvae sint, aeque principaliter uniri. Quo in casu sedis episcopalis locus seu episcopi residentia habitualis eiusque curia in una ex pristinis sedibus sit, quae magis idonea videatur sive ob geographicum situm sive ob incolarum numerum aliasque vitae humanae rationes; singula autem capitula cathedralia in unaquaque dioecesi serventur, quarum prima dignitas cum titulo insignibusque protonotarii apostolici ius pontificalia gerendi habeat at in Ecclesia cathedrali tantum, ne in ipsa solemnioribus diebus festis haec sacra desint.

Quoad varia capituli membra statuatur, ut episcopi arbitrio curiae officiis aut parochis ut adiutores aliisque dioecesis mansionibus assignentur, sine peculiaris fixi emolumenti onere, cum beneficiis spectantibus iam fruantur.

Consilium vel quasi senatus episcopi, potiusquam ex capituli membris, efformetur ex parochis aliisque presbyteris singulis quinquenniis seligendis, cum meliores sacerdotes plerumque curae animarum destinentur.

24

EXC.MUS P. D. IOANNES MOCELLINI

Episcopus Comaclensis

In prooemio cap. IV schematis *de episcopis et de dioecesium regimine* pag. 20, linn. 8-9, rationes feruntur ad uniendas parvas dioeceses scil. paucitas sacerdotum et penuria opum.

Et ita sit.

At vestrae benevolentiae aliquas animadversiones submittere vellem: mihi enim videtur modo hic proposito resolvi non posse difficultates lamentatas. Nam ut hae quaestiones, quae vitam pastoralem arduam et saepe impossibilem efficiunt, vere dirimi possint, necesse esset dioecesim, ad quam alia pauperior unitur, vere esse divitem sive clero, sive operibus. At et si ambo sint pauperes? Quod saepe fieri potest quia — cum sint viciniores — iisdem quaestionibus laborant et exagitantur.

Unde mihi videtur *per unionem dioecesium parvarum difficultates non resolvi sed potius uniri.*

a) Non resolvitur difficultas exorta a paupertate cleri. Ipsa enim resolveretur si dioecesis ad quam alia pauper unitur esset vere abundans sacerdotibus. Sicut enim deficientia cleri non resolvitur per instaurationem diaconatus, quia — ut alia vice scripsi — diaconi instaurari possunt tantum in dioecesibus quae eos sustinere et sustentare possunt, scil. in dioecesibus divitibus (quae eis non indigent) et non in pauperibus, quae non habent quo eos possint providere; sic deficientia cleri non resolvitur nisi vere cleri abundantia in una saltem ex duabus vel pluribus habeatur.

b) Non resolvitur difficultas exorta e paupertate et ex penuria opum. Non resolvitur si omnes sunt pauperes, et non resolvitur si — sit venia meae dubitationi — si una ex eis sit ditior et alia pauperior. Ratio est quia dioecesis dives accipiet dioecesim pauperem tanquam propinquum incommodum quem sustinere debet, et dioecesis pauper tanquam tolerata et — parcite verbo — tanquam sustentata percipietur, statum suae inferioris conditionis intelligens. Et « erit error peior priore ».

Et tunc ad quid haec Sacrosancta Synodus aggredi vult rem adeo difficilem quae saepe antiquissimae et venerabili traditioni et populorum affectioni est contraria?

Sunt enim quaedam parvae civitates, quibus nullum aliud decus est

quam sedes episcopalis, et nullum aliud patrocinium contra cupiditates maiorum civitatum est quam episcopus. Si et hoc — cui maximo sunt amore adstrictae — illis aufertur, nonne clamaturae erunt se esse proditas etiam ex parte Ecclesiae?

1. Nonne facilior, saltem in parte, esset solutio nostrae quaestioni si *obligarentur* — linea subnoto verbum obligarentur — dioeceses clero abundantes ut pauperioribus dioecesibus aliquos sacerdotes offerent? si superiores Ordinum religiosorum aliquos ex suis sodalibus maiore liberalitate clero saeculari praestarent?

Sunt nempe sacerdotes qui vero catholicitatis animo a sua dioecesi exirent in auxilium dioecesibus pauperioribus et a suis episcopis retinentur; sunt religiosi qui apostolatus sedulitate libenter se voverent apostolatui exteriori et a suis superioribus in clausura cohibentur.

At — quod maxime interest — sacerdotes et religiosi vere in auxilium esse deberent; hinc vere irreprehensibiles oportet illos esse ne maiores anxietates episcopis afferant.

2. Nonne facilior — item saltem in parte — esset solutio nostrae laboriosae quaestioni si episcopi et sacerdotes qui magnis suppetunt subsidiis sive pro vita sua sive pro operibus apostolatus *obligarentur* (et hoc verbum linea subnoto) ad aliquid offerendum episcopis et sacerdotibus pauperioribus?

Omnes eiusdem Matris Ecclesiae filii sunt et bonum non esse videtur aliquos in abundantia natare et aliquos in miseria suffocari.

Cur non amplius inter nos fit quod suo tempore S. Paulus facere curabat ut scil. Ecclesiae ditiores orientis dona colligerent et ad pauperrimam Ecclesiam Ierusalem mitterent? (cf. *Act. Apost.*).

Hoc igitur est meum submissum iudicium: dividantur dioeceses nimis magnae (divide et impera = divide et pasce); uniantur, etiam, dioeceses quae uniri possunt; sed prudenter attendatur pro aliquibus aliis quae animo valde sensibili sunt tractandae. Potius illis sodalitate fraterna et spiritu catholicitatis provideatur.

Veniam peto si tanta conscribere ausus sum. Renitens feci ne videar paupertatem spernens; sed ut solum animarum salus — quae, ut in prooemio huius schematis legitur, est suprema Ecclesiae ratio — suum attingat finem. Gratias.

25

Exc.mus P. D. DRAGUTIN NEŽIĆ

Episcopus Parentinus et Polensis

Sermonem suscipio, venerabiles Patres, ut inopportunitatem divisionis completae permagnarum dioecesium quae historiam longam atque gloriosam possident, uti sunt Milano, Köln, Zagreb aliaque, ostendam, proponam autem

novam earumdem atque magis efficacem reordinationem iuxta *principium* sic dictum *foederalisticum.*

Iusta profecto est opinio quae in nimis magnis dioecesibus — tam ad numerum fidelium quam ad territorium quod attinet — non pauca obstacula obiectiva et realia perspicit, quae quasi necessario impediunt, quominus bono animarum sicut decet provideatur. Sed in mediis modisque eligendis, quibus huiuscemodi obstaculis remedium efficax suppeditari possit, schemati nostro non plene consentio. Etenim non approbo sententias eorum, qui facile ad medicinas radicaliores recurrunt et tamquam chirurgi quidam peritissimi illico cultrum adoperare praesumunt, ut dioeceses sine haesitatione in partes dissecarent.

Magnae nonnullae dioeceses, quae quidem ultra decies centena millia fidelium habent, millenaria quoque historia gloriantur, in qua insignes Praesuli et gloriosa opera et salutaria instituta celebrantur; dioeceses istae venerandas traditiones possident, dioecesanos vinculis varii generis arcte coniunctos tenent; non soli clerici, sed etiam fideles omnes adhaesionem profundam ad urbem capitalem, tamquam centrum suum spirituale et religiosum, a maioribus suis tamquam pignus sanctae haereditatis acceptam, in intimo corde sentiunt. Si bonum commune animarum huic operi circumscriptionis dioecesium praesidet, maturum iudicium completam divisionem certe dissuadet. Magna archidioecesis ordinarie habet territoria et partes quae materialiter et spiritualiter actu passivae sunt, sicut pariter habet etiam partes, quae hoc utroque, aut alterutro sensu, activae dicendae sunt. Si nunc archidioecesis simpliciter dispertita erit, admodum facile evenire poterit, ut nova quaedam ex nunc erectis dioecesibus non ad aliud nata sit nisi ut tamquam orba iam ab initio in planctu et ululatu magno sederet in cinere et cilicio. Adversarii autem laeti fructum suum carperent iuxta principium: Divide et impera!

Si autem unitas dioecesis in quibusdam rebus et quaestionibus capitalibus (seminaria theologica, possibilis commutatio cleri in certis limitibus, et alia) servata manet, inconvenientiae huiusmodi evitatae erunt. Propono igitur, ut gloriosae permagnae dioeceses, uti Milano, Köln, Zagreb, reorganizentur iuxta principium *foederalisticum,* ad instar exempli quem structura nonnullorum Statuum modernorum praebet, e. g. Status Uniti Americae Septemtrionalis (USA). Sub uno archiepiscopo, in quibusdam rebus maioris momenti ab eo dependentes, constituantur plures dioeceses regionales (aut etiam — si res ferat — personales), quarum unaquaeque suum episcopum proprium habeat, excepta una, archiepiscopo sensu pleno reservata. Conficiatur *statutum centrale,* pro omnibus dioecesibus foederatis obligatorium, in quo limites potestatis et iurium archiepiscopi accurate declarentur, simul ac limites potestatis et iurium quibus episcopi quasi-Ordinarii dioecesium foederatarum pollent. Statutum istud a Sancta Sede approbatum esse deberet: sic hi episcopi quasi-residentiales non dependerent in omnibus a benevolentia aut arbitrio actualis archiepiscopi. Episcopi titulum urbis ubi sedes novae dioecesis foederatae ponitur ordinarie portent, et dioecesibus hac ratione formatis

— sub conditionibus in statuto taxative enumerandis — ius concessum fiat, ut in futuro e foederatione exire atque dioecesim iuris pleni formare possint, utique cum approbatione expressa S. Sedis.

Simili ratione forsan possint coniungi seu uniri parvae dioeceses, quae ad vitam autonomam efficacem et spiritualiter foecundam conditiones necessarias non possident, ex variis autem rationibus non videtur opportunum, ut ad fusionem absolutam protinus et immediate procederetur. Sic in hac ordinatione seu organizatione dioecesium foederalistica, optima via gradualis et successiva pro omni dismembratione necnon fusione dioecesium haberi possit, quae eo ipso minus dolorosa esset et minus numerosa impedimenta atque obstacula ex variis partibus inveniret. In comperto autem est, hic non agi de eadem re cum metropolia seu provincia ecclesiastica, quales hucusque existebant, sed de re aliquo sensu omnino nova et sub variis aspectibus longe utiliore. Patet vero propositionem meam aliquo sensu in eadem linea esse cum iis, quae in hac aula dicta sunt ab exc.mis DD. Peralta y Ballabriga, ep. Victoriensi, et Francisco Jop, ep. tit. Dauliensi, necnon iuxta exemplum exc.mi Le Cordier, ep. in suburbio Parisiensi. De cetero, hac in re iudicem maximae auctoritatis invocare possum S.mum D. nostrum Paulum VI, qui per annos 8 maximae archidioecesi totius mundi praeerat, et sic ex experientia personali de valore practico et pastorali istius propositionis meae sententiam ferre poterit; bonus iudex potest esse etiam em.mus card. Frings, arch. Coloniensis.

Addere debeo, me admiratione non parva expletum fuisse ex iis, quae in hac aula circa « harmoniam » inter episcopum coadiutum et coadiutorem ex experientia dicta sunt: certe « rari nantes » nullatenus esse deberent ii qui in vera concordia fraterna ministerium erga Christum in portione gregis Domini sibi deputata exercent, cum in plena conscientia se *servos* et non dominos esse unus alterum libenti servitio praevenire deberet. Verba sonora et elevata de *ministerio* et *servitio* et de *sanctitate perfecta* episcoporum profecto non pro hac aula, ad exercitationem in eloquentia, reservata esse debent, pro vita autem practica et quotidiana sola lucta circa *potestates* et *iura* in vigore teneri, sed illud servitium ex caritate pro bono spirituali totius populi Dei imprimis in nobis episcopis elucere debet: si igitur duo aut plures episcopi, certo sensu inter se coniuncti, ad servitium populo Dei in una dioecesi aut in una archidioecesi foederativa deputati sunt, procul dubio ipsorum est ut primi in vita reali et quotidiana capitulum « de sanctitate in Ecclesia » pulchre et modo aedificanti scribant!

Servate ergo, venerabiles Patres, perantiquas tales et pernobiles archidioeceses in unione foederativa eaque functionali, nolite humiliare dioecesanos illos inopportunis divisionibus, cum id non ad emolumentum animarum esset sed ad detrimentum spirituale et materiale tum animarum tum Ecclesiae qua talis!

Cupio insuper, venerabiles Patres, attentionem vestram convertere ad sic dictas administraturas apostolicas, de quibus in schemate nec mentio fit.

In mente habeo partes alicuius dioecesis, quae a dioecesi atque a residentia episcopali separatae quandoque fiunt per delimitationem novam Statuum. Accidit ut huiusmodi partes territoriales, quae intra fines alterius Status ac propria dioecesis inveniuntur, etiam per plura decennia entia ecclesiastica cum positione ambigua atque precaria permaneant: vocantur administraturae apostolicae ad nutum S. Sedis et non associantur iuridice dioecesi viciniori eiusdem Status neque in autonomam dioecesim elevantur. Qui ad administraturam pertinent, tum clerici tum fideles, quodammodo secundi ordinis et habentur et sentiuntur, cum dioecesanam curiam propriam non habeantur. In quibusdam tamen casibus normalizatio in simili situatione celerius fit, et partes huiusmodi in statu administraturae non relinquuntur. Defectum paritatis in rebus componendis, uti patet, accusant praesertim populi minores, quia putant normalizationem ab illo populo maiore impeditam esse via diplomatica, etiam ecclesiastica.

Propono igitur, ut in Concilio Oecumenico norma decernatur: Annis 5 a mutatione confinii inter duos Status elapsis — et nullo respectu habito si alterutra ex partibus civilibus novum confinium iustum aut iniustum teneat — pars dioecesis quae intra fines alterius Status invenitur, dioecesi limitrophae novi Status incorporetur, si autem haec pars iustam magnitudinem attingat, in novam dioecesim autonomam (aut foederatam, uti supra) elevetur. Si autem confinium civile ex quacumque causa iterum mutatum fuerit, mutatio etiam ecclesiastica iuxta enuntiatam regulam modo automatico locum habebit. Spatium 5 annorum proposui ideo, quia merito praesupponitur confinium et relationes Statuum finitimorum post 5 annos stabilizatas esse. Hac ratione obiectiones fundamentum amittent, velut si Sancta Sedes in rebus componendis relate ad unum populum expeditior esset, relate vero ad alterum populum, forsan minorem, minus expedita atque tardior. In regula seu norma quam proposui S. Sedes bonum fundamentum agendi pro futuro haberet. De hac re, venerabiles Patres, fas non est in hoc capite tacere, quia res ista certe minoris momenti non est quam quaestio circa dismembrationem et unionem dioecesium. Sine dispositione in hac quaestione cap. IV manifeste magnam lacunam contineret!

26

EXC.MUS P. D. ANTONIUS PIROTTO

Episcopus Troianus

Par. 1 art. 27, omnibus bene perpensis, humili meo iudicio, integrari deberet hisce vel aliis verbis: « ... constituatur, ita tamen procedendo sive quoad modum sive quoad tempus, ut pastoralis utilitas nova ordinatione consequenda, exsecutionis importunitate non frustretur ».

Huius cautelae necessitatem ipse schematis textus comprobat, uti patet ex notis pag. 22 appositis. Res tamen tam magni momenti videtur ut non delitescenda sit in notis, sed potius inserenda ipsi textui et accuratius declaranda.

Experientia enim docet maximas difficultates, quibus frustratae sunt complures uniones parvarum dioecesium a S. Sede iam decretae et postea revocatae, psychologicas potius quam obiectivas fuisse. Quod ut in posterum vitetur, peropportunum erit ad unionem parvarum dioecesium non procedere antequam unio animarum tum presbyterorum tum laicorum, quantum fieri potest, obtenta sit aptis mediis utpote:

1. Educatio clericorum in unico seminario, ubi cura peculiaris habeatur instillandi formam mentis novae dioecesium ordinationi accommodatam.

2. Centralizatio Actionis Catholicae dioecesium uniendarum, ita ut collegialis activitas laicis occasionem praebeat sese ad invicem cognoscendi, existimandi ac diligendi. Quod, ut patet, fieri non potest nisi decursu temporis, alacri cura et constanti perspicacia.

Ne dicatur quod iam textu schematis haec verba continentur: « Dioeceses, quae etc. ... omnibus adiunctis accurate perpensis, dividantur aut dismembrentur etc. ». Haec enim verba non videntur sufficere ad rem. Nam

1. illa, uti iacent, solummodo ad divisionem magnarum dioecesium videntur pertinere;

2. si vero ad totam paragraphum referenda sint, ex ipsis desumitur perpendendum esse utrum unio aut divisio aliquarum dioecesium facienda sit, non autem quaenam cautelae circa modum et tempus adhibendae sint in unione parvarum dioecesium.

27

Exc.mus P. D. AEMILIUS PIZZONI

Episcopus Terracinensis, Privernensis et Setinus

Dum approbo cap. IV « de dioecesium ac provinciarum ecclesiasticarum congruenti circumscriptione », desidero aliquid in specie de n. 27 dicere, sub luce modestae meae experientiae: sum etenim episcopus trium parvarum dioecesium, inter se unitarum, quarum animae simul sumptae sunt circa 100.000, sed oriundus sum e dioecesi Utinensi, 500.000 animas habente.

1. Potiusquam de parvis dioecesibus *supprimendis* fiat sermo de parvis dioecesibus *amplificandis*. Res in idem recidit, sine dubio: attamen psychologice apud populum melius sonat.

2. *Necessitatem* huius negotii plurimae rationes commendant et urgent: *a*) ut curia, actio catholica, seminarium, adsistentia operariis etc. possint recte et fructuose officio suo fungi; *b*) ut unaquaeque dioecesis suum seminarium *completum* habeat, scil. a pueritia usque ad sacerdotium candidati efformari possint in sua dioecesi et sub oculis sui episcopi; *c*) ut « mentalitas » sacerdotum dioecesanorum amplior et magis catholica evadat; secus remanet restricta, ad instar restricti territorii suae dioecesis; *d*) ut clerus facilius permutare possit locum sui ministerii idque magna cum utilitate propria et aliorum; nonnulli sacerdotes, proh dolor, hac situatione ad ruinam trahuntur, et post ruinam nequeunt reparare culpam suam cum decore, nisi e parva dioecesi

sua egrediendo; *e*) ut media oeconomica necessaria pro honesta sustentatione cleri et pro operibus habeantur.

3. *Difficultates* huius negotii non infitior. Etenim: *a*) prima fronte videntur insuperabiles: resistentia cleri, auctoritatum civilium, christifidelium et etiam malorum christianorum (v. g. communistarum) qui ad suum finem convertent hoc negotium, seminando rebellionem et odium contra Ecclesiam. *b*) Sunt tamen superabilissimae si non habeatur nimia festinatio, si de necessitate huius negotii conscii et persuasi fiant imprimis episcopi ipsi, qui nati sunt et creverunt in parvis dioecesibus, deinde sacerdotes (id autem pedetemptim) curando ut manibus ipsi tangant, et quidem experientia propria, incommoda quae ex parvitate dioecesis proveniunt, v. g. eos vocando ad plura officia sive administrativa sive apostolica in dioecesi exercenda.

4. *Experientiam* meam personalem communico. Iam apud me exstabat unicum seminarium pro tribus dioecesibus. Simul atque creatus sum episcopus, effeci ut unitas actionis catholicae haberetur, deinde unitas Curiae (id obtinui nullum vicarium generalem nominans, quoadusque curia facta non fuit una et unica).

5. *Relate ad Italiam,* haec criteria in nova dioecesium circumscriptione mihi videntur sequenda: *a*) sit dioecesis saltem unaquaeque civitas-caput provinciae civilis; *b*) unaquaeque dioecesis habeat saltem 250/300.000 animarum; *c*) quae respiciunt confinia, uniones ad personam et alias formulas opportunas pro solutione tanti problematis, suggerentur a diversis conferentiis episcopalibus regionalibus. Deinde commissio nationalis rei studebit et proponet solutionem S. Sedi: in hac commissione esse debent etiam episcopi residentiales magnarum dioecesium.

28

Exc.mus P. D. PASCHALIS QUAREMBA
Episcopus Gallipolitanus

Pag. 20, n. 26, lin. 3 *agitur de dioecesium circumscriptione.* Quamvis ad regiminis confusionem vitandam peropportuna dioecesium circumscriptio existimanda sit, ea tamen non tam rigida esse debet, ne apostolatus fini, nempe animarum saluti impedimento sit futura.

Mihi igitur proponere liceat ut circumscriptiones dioecesanae nullum afferant impedimentum sacerdotibus ad Missam celebrandam, ad confessiones audiendas et ad concionandum sine ulla alia licentia in toto orbe terrarum, dummodo in propria dioecesi sint approbati.

Pag. 21, n. 27, par. 2, a linn. 1 ss., *agitur de circumscriptione provinciarum ecclesiasticarum.* Cum nostro tempore conferentiae episcoporum tam regionales quam nationales adsint, superflua videtur existentia provinciarum ecclesiasticarum.

Si mens Concilii Vaticani II est parvas dioeceses supprimere, conveniens est provincias ecclesiasticas supprimere.

Ad quid istae provinciae ecclesiasticae cum iurisdictio quoad singulas dioeceses iam non gaudent? Ad quid etiam eiusmodi archiepiscopatus, cum singuli episcopi magna cum facilitate Romam petere possint et cum Sancta Sede commercium habere?

Regiones tamen ecclesiasticae, mea humili sententia, ne tam parvae sint; in Italia proponerem constitutionem quatuor regionum ecclesiasticarum tantum: nempe regionem Italiae septemtrionalis, centralis, meridionalis et insularis, quibus praeesset S. R. E. cardinalis nomine Sanctae Sedis.

Pag. 21, n. 28, par. 1, linn. 9 ss., *agitur de unione dioecesium.* Sit mihi venia si proponere ausim ut in unione dioecesium singularum dioecesium capitula permaneant.

Ratio est quia in suppressione capitulorum, supprimerentur etiam beneficia capitularia, et sacerdotes privarentur sustentationis subsidiis, praesertim si de Italia agatur, ubi Gubernium supplementum congruae concedit ea tantum conditione ut capitulares adsint. Quomodo ergo sacerdotes necessaria habebunt ad vitam alendam?

Humiliter igitur mihi proponere fas sit ut episcopus beneficiis capitularibus utatur ad sacerdotes compensandos, qui alio munere non capitulari fungantur, ita ut existerent beneficia capitularia absque officiis capitularibus.

Cura vero tam spiritualis quam materialis Ecclesiae cathedralis tantum parocho eiusdem ecclesiae assignari deberet, non amplius capitulo, ut in praesenti in Codice Iuris Canonici statutum est.

29

Exc.mus P. D. CAROLUS EDUARDUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

Sunt tot repetitiones rerum quae iam dictae sunt, vel quoquo modo in aliquo schemate inveniuntur! Vide etiam animadversiones generales.

Ad n. 32. Dicendum non convenire constituere commissionem episcoporum ad immutationes circa dioeceses ac provincias ecclesiasticas inducendas. Melius est hoc relinquere, sicut fuit usque adhuc in multis nationibus, Nuntiis Apostolicis. Hi maiorem scientiam circa rem sibi comparare possunt, quam commissio quaedam episcoporum, qui topographiam regionum in ipsa suorum natione non sufficienter noscunt. Nuntius autem ad hoc specialiter attentionem applicare semper satagit. Sine dubio Nuntius, sicut semper factum est, eos episcopos quorum interest, interrogare debet eorumque sententias recipere et sollerter considerare.

30

BEAT.MUS P. D. STEPHANUS I SIDAROUS
Patriarcha Alexandrinus Coptorum

Loquor nomine coptorum patriarchatus Alexandriae catholicorum episcoporum et meo nomine.

Cap. IV de schema *de episcopis ac de dioecesium regimine,* qui tractat « de dioecesium ecclesiasticarum congruenti circumscriptione » conspectum in genere *placet,* iuxta modum. Itaque liceat mihi aliquas animadversiones circa n. 31 facere. Rationes in prooemio allatae, praesertim in linn. 13 ss. in lucem proferunt id quod sequitur: « Apostolatus necessitates expostulant ut relationes inter episcopos suffraganeos et metropolitas et cum auctoritate civitatum faciliores reddantur et apostolatus quaestiones aptiori modo pertractari atque resolvi possint ad animarum necessitatibus efficacius consulendum... negotiis peragendis spectare oportet etiam ad rituum et stirpis diversitatem... ».

Haec verba nobis permittunt ut deprehendamus pericula ac difficultates quas dioeceses personales de quibus agitur in n. 31 provocare vel adducere possunt.

Notandum, primo, quod nn. 28, 32 faciunt exceptiones quod ad orientales attinet, hisce verbis: « nisi pro orientalibus competens auctoritas aliter decreverit... », vel « salvis iuribus Ecclesiae orientalis ».

At n. 31 nullam indicat exceptionem et videtur quod est applicandum omnibus ritibus. En aliquae observationes circa hanc numerum:

1. Hodierno tempore orientales sicut occidentales ubique adsunt, et fideles diversorum rituum inter se miscentur et egent praesertim proprii ritus sacerdotum, qui eis sacramenta conferant et praesertim intelligant quid ipsi sentiant aut loquantur.

2. Aegyptus, propria coptorum patria, quae semper hospitio perlibenter accepit migratorum multitudinem qui habent nunc suos episcopos et sacerdotes. Itaque in hac regione, invenimus christianos omnium rituum et Ecclesiarum catholicarum et non-catholicarum: scil. coptos, armenos, chaldaeos, graecos, latinos, maronitas, melkitas, protestantes, syriacos.

3. Ecclesia catholica in aliqua regione constituta admittit varietatem in unitate. Rituum enim varietas, ut dicebat Leo XIII « *Ecclesiam ornat* ». Necesse est tamen ut haec varietas non noceat unitati et concordiae.

Iamvero accidit, per incommode, quod crebro non est facile conciliare utilitates communitatum singularium et bonum generale Ecclesiae Aegyptiae principalis (cf. emendationes nn. 224, 227, 229, 231).

Sunt qui obliviscuntur utilitatem huius Ecclesiae principalis quae habet maximum numerum christifidelium et quae magis magis cognoscit bonum Ecclesiae Christi, et ideo quae sola esse debet designata ad relationes officiales ducendas cum auctoritatibus civilibus et praesertim ecclesiasticis. Prae-

terea auctoritates civiles malunt tractare cum unica auctoritate quam cum pluribus inter quas aliquae sunt alienigenae.

4. Nolumus dicere diversos ritus esse tollendos. Unaquaque enim Ecclesia orientalis est verum ornamentum in Ecclesia Christi. Attamen, dioeceses personales uniuscuiusque ritus in eadem regione cum integra potestate, sunt sicut corpus quod habet plura capita; sic in Aegypto sex sunt tales Ecclesiae quin loquamur de nostra propria Ecclesia, quod est monstruosum, sunt plures status in eodem statu, et sic apparent ut parvulae partes diversorum patriarcatuum in ista regione ubi christiani sunt minoritas.

Quapropter plures praescriptiones feruntur contrariae ab unoquoque pastore, v. g. quoad confessiones audiendas et quoad communionem acatholicis conferendam, quoad matrimonia mixta et quoad leges ieiunii, etc. ... et inde oriuntur maxima confusio, indifferentismus religiosus et alia scandala.

5. Aliquando sunt paroeciae aut scholae religiosae sparsae in regionibus mere copticis, quae ignorant Ordinarium loci coptum et non eum cognoscunt nisi quando indigent suo auxilio seu protectione in solvendis difficultatibus.

Quapropter censemus *a*) ut caput ritus principalis regionis sit responsabilis et repraesentans Ecclesiam et, si necessarium, dirigat et imperet sive in Aegypto, sive in Syria, sive in Libano... in id quod attinet ad bonum commune Ecclesiae et ad coordinationem laboris pastoralis, sicut fit in regionibus Americanis et Europaeis relative ad orientales; *b*) ut fideles alii ritus ipsius regionis habeant proprium hierarcham seu episcopum auxiliarem aut vicarium generalem. Et in hoc casu iste hierarcha debet agere Ordinario loci consentiente in quaestionibus quae spectant ad territorium, v. g. quando agitur de constructione alicuius ecclesiae aut alicuius scholae.

Idque ut stabiliatur perfecta concordia et magis firmetur unitas catholica. Sed in casu conflictus, patriarchae quorum res interest modum simul statuere possunt et debent.

Conclusio. Propono ut n. 31 reddatur in hoc sensu: *a*) Dandi sunt sacerdotes pro fidelibus uniusque ritus cui ministerium pastorale exerceant sub auctoritate principalis loci Ordinarii; *b*) si postea necesse sit, dandus eis hierarcha sui ritus qui dirigat eorum actionem et sit medius inter sacerdotes sui ritus et principalem loci Ordinarium, necnon inter eos et suum patriarcham, vel Sanctam Sedem quando agitur de fidelibus ritus latini.

31

Exc.mus P. D. IOSEPH TAWIL

Archiepiscopus tit. Myrensis Melchitarum

Ad par. 31 (*Dioeceses personales ratione ritus*). Omnes communitates catholicae ritus orientalis, coniuncte vel separatim sumptae, minuta pictura sunt Ecclesiarum quas repraesentant. Praeter Ecclesiam maronitarum, omnes habent ramum orthodoxum plus minusve magnum. Omnes coniuncte sumptae,

efficiunt vix tres pro centum (3%) orthodoxorum ex quibus ortae sunt. Numerantur orthodoxi in globo circa ducenti milliones (200.000.000), de quibus *syriani* circa tres milliones (3.000.000), *armeni* quinque milliones (5.000.000), *copti* et *ethiopi* quindecim milliones (15.000.000) et *byzantini* centum octoginta milliones (180.000.000).

Sed inter ipsas communitates catholicas ritus orientalis non omnes sonant orientaliter: sunt quidem qui mere latine sonant. Certo certius Ecclesia latina authentica valde honorabilis est, sed quaedam Ecclesia latina « quoad modum » sed « latinizata » nihil praebet Ecclesiae occidentali quod iam plene non habeat; immo magnam delusionem affert eiusdem Ecclesiae ramo orthodoxo, qui proinde caret teste authentico de sua propria traditione in sinu nostri Concilii.

Iamvero audivimus in hac aula unum vel alterum ex Patribus orientalibus postulare ut iurisdictiones unificandae sint ubi iurisdictio, cum non sit territorialis, de facto est personalis, dum subsistunt plures titulares ritus diversi et eiusdem sedis in eodem loco. Ista rerum conditio heri non evenit sed a pluribus saeculis orta est. Theoria remedii quidem pulchra est sed saepe melius inimicum est boni. Ista propositio utopica nobis videtur simul ac periculosa et noxia.

1. Est *utopica.* Quomodo enim ad cohabitationem perduci poterunt, sub una eademque auctoritate, fideles ex tantis variis ritibus venientes ac per quindecim saecula vitam propriam in autonomia agentes? Si talis experientia tentaretur, nullo dubio esset fortunam tentare et infortunam metere.

2. Est *periculosa et noxia.* Omnis enim Ecclesia orientalis catholica, singillatim sumpta, entitatem incompletam constituit quae « pleroma » suum orthodoxum expectat ac immo advocat. Unaquaeque ex illis in itinere unitatis stationem indicat. Omnes simul progrediuntur quasi primum agmen exercitus qui secuturus est ac de illo separari nequit. Atqui quid putandum est de agmine primo quod exercitus iam non agnosceret cum ab eo tam alienum fieret? *Benedictus Papa XIV,* qui tam invectus est in latinizationem Ecclesiarum orientalium, saepe saepius istis commendabat ut eumdem visum servarent ac in orthodoxia, quia res considerare debemus non per oculos nostros catholicos sed per oculos orthodoxiae.

Concludo. Unificatio iurisdictionum proposita, longe abest ut remedium sit malo cui mederi intendit, peior a malo apparebit ac confusionem magis augebit.

Ritus enim, a proprio episcopo orbus, paulatim evanescet, aut saltem corrumpetur, ac denique fideles diuturnitate absumentur.

Ideo praedicta propositio minus solutionem praebet quam dissolutionem. Attamen, ut eam experiantur illae hierarchiae quae inter se consentiunt, ex nostra parte non fit dissentio.

[*Subscripserunt etiam*] Eftimios Youakim, arch. de Zahleh; Athanasios; M. Assaf; Elias Zoghby, ep. tit. Nubia; Ios. Malouf, arch. Baalbek; Basile D. Khoury, ep. Sidonensis; E. Hakkim, arch. de Akka; Philippe Nabaa, arch.

de Beyrouth; Paul Achkar, arch. Laodicea; Augustin Farah, ep. Tripolitanus; John Bassoul, arch. de Homs; N. Edelby, arch. tit. Edessenus Melch.; Athanase Hage, sup. gen. Ord. Basil.; Hilarion Capucci, sup. gen.; Saba Youakim, sup. gen. Ord. Bas. S. Salv.

32

Exc.mus P. D. MESROB TERZIAN
Episcopus tit. Comanensis in Armenia

In schemate decreti *de episcopis ac de dioecesium regimine* art. 31 dicitur: « Curandum est ut dioeceses personales pro diversitate rituum erigantur ubi plures sint fideles diversi ritus, quibus sufficienter consulere possibile non sit per sacerdotem aut paroeciam eiusdem ritus ».

Hic articulus omnino consonat disciplinae armenae. Ideoque retinendus est pro Ecclesia armena. Etenim apud armenos iuxta systema iurisdictionis territorialis viguit inde a primordiis, disciplina iurisdictionis personalis.

Si saec. IV Ecclesia armena habet episcopos potius iurisdictione territoriali gaudentes, inde ab anno 461 habet etiam episcopos iurisdictionis personalis. Catholicos armenorum ad consulendum bono animarum, novas dioeceses constituit extra limites patriarchatus proprii, in territoriis aliorum patriarchatuum, ubi perplures migrati armeni degent. Praesertim saec. X ss., cum armeni migraverint in imperio byzantino et alibi, habuerunt in eparchiis byzantinis et in dioecesibus aliorum rituum ordinarios armenos qui archiepiscopi vocati sunt ne minoris auctoritatis essent quam Ordinarii indigeni. Ita adsunt archiepiscopi armeni Hierosolymis, Antiochiae, Edessae, Caesareae, Ciliciae, Iconii, Crimeae, Leopolis in Polonia, Georgiae, Cairi in Aegypto, Aleppi in Syria.

Haec disciplina viget etiam nunc in Persia, in Mesopotamia, in Syria, in Libano, in Turquia, in Aegypto, in Graecia, in Gallia apud Armenos catholicos. Apud armenos vero Ecclesiae autocephalae in iisdem regionibus atque in Americis, in Iordania, in India, in Georgia Caucasica, in Azerbegian, in Russia.

Factum possessionis huiusmodi iurisdictionis territorialis atque personalis in hierarchia armena liquet etiam ex eo quod patriarchae armeni retinentes auctoritatem intra limites patriarchatus proprii, transferunt loca sedis patriarchalis secundum circumstantias temporum et migrationes armenorum et obtinent novas iurisdictiones territoriales et personales; ita videmus sedem patriarchalem his modis translatas in Cappadocia, in Cilicia, in Syria, in Turquia, in Libano.

Praeter has rationes historicas iurisdictionis territorialis et personalis, debent considerari etiam rationes rituales, nationales et pastorales. Existentia unici ritus proprii quo coniunguntur omnes armeni, et sensus eorum nationalis auctus ex calamitatibus patriis postulant Ordinarios eiusdem nationis, ubicumque inveniuntur numerosi coetus armenorum. Armeni enim ita sunt

suo ritu addictissimi ut nolint audire nisi liturgiam, hymnos et preces patrii ritus, qui secundum eos sunt potissima media protectionis nationalis. Propterea etiam armeni catholici, ubi desunt sacerdotes sui ritus catholici, malunt ecclesias armenas orthodoxas adire potiusquam catholicam ecclesiam alius ritus.

Itaque est summi momenti pastoralis ut armeni habeant ubicumque degunt pastores sui ritus, suae nationis. Huius prudentiae pastoralis exemplo sit S. Basilius Magnus qui sese opposuit duci byzantino, Terentio, qui volebat episcopos graecos pro aliquibus dioecesibus armenis, et ordinavit pro illis dioecesibus ritus armeni praesules armenos iurisdictione territoriali et personali gaudentes.

Ritus nationalis est medium practicum praevalentissimum apostolatus apud armenos. Atqui pro armenis custodes ritus et sensus nationalis sunt pastores armeni iurisdictionis territorialis et personalis, praeter quos armeni nequeunt agnoscere alios ordinarios diversi ritus, excepto Romano Pontifice qui est pater et pastor omnium rituum.

Haec dicta sint adversus asserta EE. DD. Scandar et Khoraiche diei 15 in sessione publica.

[*Subscripserunt etiam*] Nerses Tayroyan, arch. Babylonensis Armenorum; R. Bayan, ep. Alexandrinus Armenorum; Georgius Layek, arch. Aleppensis Armenorum.

33

Exc.mus P. D. VALENTINUS WÓJCIK

Episcopus tit. Barensis in Hellesponto, aux. Sandomiriensis

In cap. IV, pag. 20, n. 26, lin. 16, post verba « apostolatus quaestiones » adiciantur « non solum in regulari cura animarum sed etiam in cultura et scientia christiana colenda nec non in actione sociali et caritativa evolvenda ».

Lin. 21, post substantivum « distantiam » addatur « nec non ad facilitatem communicationis publicae ».

Pag. 21, in n. 30, addatur norma: « Si hoc ad tempus fieri non potest, erigatur saltem in oppido aptiori ecclesia concathedralis, ubi episcopus saepius in anno maneat, maioribus festivitatibus celebret et sacerdotibus et fidelibus suis auxilium praestet ».

34

Exc.mus P. D. MARIUS ZANCHIN

Episcopus Fidentinus

Additionem ad art. 27 schematis *de dioecesium regimine* humiliter proponere audeo.

In illo art. 27 duo considerantur casus, nempe dioecesium quae sunt « nimis magnae » et dioecesium quae sunt « nimis parvae », et in utroque

datur solutio. Mihi autem videtur tertius dari casus et quidem satis frequens, nempe dioecesis quae est simpliciter « parva, at non nimis », et quae nullo modo, attento bono animarum, supprimi potest; ipsa enim omnia media habet ad bene vivendum, sicut seminarium proprium, copiam sacerdotum, adsociationes et opera catholica, suum folium hebdomadale (il Settimanale cattolico), populum antiqua amoris traditione suo episcopo unitum etc. Omnium iudicio, huiusmodi parvae dioeceses vitam aliquando iactant ferventiorem quam magnae.

Defectus tamen parvitatis territorii non desunt: alumni seminarii pauciores sunt; selectio cleri in officiis assignandis saepe difficilis evadit; item dicatur de dirigentibus laicis pro operibus dioecesanis etc.

Haec tamen et alia inconvenientia, dum abundantius compensantur a sola praesentia episcopi, qui frequenter ubique adesse potest tanquam seminator bonus et omnium perfector, ex parte vel ex toto tolli possunt, si parvae illae dioeceses aliquantisper dilatentur per aggregationem partis territorii finitimarum dioecesium. Evidens est agi in casu de dioecesibus finitimis quae sint simpliciter « magnae », etsi non detur casus de quo art. 27, nempe dioecesium quae sunt « nimis magnae »: tunc res adhuc facilior evaderet.

Non est obliviscendum principium: « pro paupere est multum quod pro aliis generatim parum est ». Ita pro parva dioecesi e. g. sexaginta vel septuaginta millia animarum additio aliarum triginta vel quadraginta millia incolarum altissimum afferre potest beneficium ad eius vitam in omnibus faciliorem reddendam. Dum e contra pro dioecesibus finitimis, si magnae sint (non est necesse ut sint nimis magnae), amissio triginta vel quadraginta millia animarum nullum affert grave damnum, immo... illarum dioecesium gubernatio facilior forsitan evadit, cum pastor oves suas melius cognoscere atque invisere possit.

Saepe in Concilio sermo habitus est de Ecclesia pauperum: porro parvae dioeceses, quae in animarum bonum bene vivere et operari in aevum exoptant, a ditioribus finitimis dioecesibus portiunculam territorii instanter petunt, ut melius adhuc vivere et operari valeant.

Quapropter postulo ut in art. 27, principium sic compleatur, addendo in fine tertium istum casum, hisce verbis: « quae demum sint parvae, etsi non nimis, si earum fines absque gravi difficultate ampliari possint, congruenter dilatentur ».

Rogo et insto ut propositio mea acceptetur, quia conscius sum finium mutationes natura sua semper difficiles esse, sed eas summopere faciliores evadere, si in ipso Concilio, uti norma generalis, praevideantur ac statuantur.

35

CONFERENTIA EPISCOPORUM HELVETIAE

N. 27, 1 addatur: « *vel institutiones communes ad opera et incepta utilitatis communis v. g. seminaria, tribunalia ecclesiastica, prelum etc., erigantur* ».

36

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI MELCHITAE

N. 31, pag. 21, lin. 25. Après le mot « erigantur » ajouter l'incise suivante: « usquedum territorialis dioecesis alterius ritus instauretur ».

Le schéma, fort heureusement, recommande d'instituer des diocèses personnels pour les fidèles d'un autre rite, lorsque leur nombre l'exige. Il ne peut s'agir, en fait, aujourd'hui, que de diocèses personnels *de rite oriental,* car, l'Eglise latine s'étant partagée tout le globe terrestre, *tous les diocèses latins du monde sont considérés comme territoriaux.*

Même lorsque les latins n'atteignent pas les 2.000, le Saint Siège leur donne, au cœur même de l'orient, une hiérarchie de leur rite. Mais, quand les orientaux sont plus de 50.000 ou 100.000 (comme p. ex. les Melkites ou les Maronites aux Etats-Unis), ils doivent renoncer à avoir même un simple diocèse personnel. Si le Concile veut, sur ce point, faire œuvre utile, il doit recommander aux évêques de ne pas s'opposer indéfiniment à la constitution de diocèses personnels pour les orientaux, préludant à la constitution de vrais diocèses territoriaux et personnels, car, en justice, pourquoi les latins peuvent-ils avoir partout des diocèses territoriaux, même s'ils sont une infime minorité, et pas les orientaux, alors que ceux-ci sont en nombre respectable? Ce système des deux poids et deux mesures dans l'Eglise catholique doit cesser. Il faut ajouter à cela que l'opposition de certains Ordinaires d'Occident à la constitution de diocèses personnels pour les Orientaux fait que les Orientaux émigrés ne reçoivent pas les secours spirituels suffisants et que les prêtres qui les desservent manquent d'une autorité épiscopale pour les maintenir dans la fidélité à leur rite et à leur discipline. Du fait de leur union à Rome, les Orientaux catholiques de l'émigration ont ainsi les bras liés. Ils ne peuvent se développer, et voient leurs effectifs diminuer, alors que leurs frères orthodoxes, libres à cet égard, se constituent des hiérarchies, s'organisent et se développent. Cette situation injuste peut-elle durer indéfiniment?

La multiplicité des juridictions catholiques dans le Proche-Orient arabe.

Des bruits divers courent ces temps-ci au sujet d'une éventuelle unification des multiples juridictions patriarcales et épiscopales catholiques s'exerçant sur un même territoire, en Orient en général, et plus particulièrement dans le Proche-Orient arabe.

Aucun projet n'est jusqu'ici officiellement soumis au Concile. Mais l'idée est en l'air, et plusieurs tentatives ont déjà été faites pour saisir d'un tel projet l'une ou l'autre commission conciliaire préparatoire.

L'opinion publique en Orient n'est heureusement pas alertée.

Seuls quelques rares prélats orientaux, auxquels font écho quelques savants occidentaux qui ne sont généralement pas au courant de la situation réelle de l'Eglise en Orient, pensent devoir agiter à nouveau cette question. Les auteurs de cette idée sont séduits par les avantages possibles d'une telle unification et ne pensent pas à ses inconvénients réels et aux remous dangereux et incalculables qu'elle suscitera dans une région déjà trop agitée. Les occidentaux, qui leur font écho, favorisent dans ce projet d'unification un système qui cadre bien avec leur mentalité et avec l'organisation ecclésiastique à laquelle ils sont habitués.

Aussi, les Pères du Concile risquent-ils d'être saisis, à l'improviste, d'un projet en forme, présenté subitement par le truchement d'une Commission conciliaire ou par une requête signée d'autant plus d'évêques que rares sont en réalité ceux qui peuvent avoir sur ce sujet une information complète et précise.

C'est pourquoi, nous avons cru nécessaire de mettre en garde les Pères du Concile contre la possibilité de telles menées, qui représentent seulement les opinions d'un cercle très restreint, en leur fournissant les éléments d'une information brève et objective. Nous limitons délibérément notre étude au Proche-Orient arabe, et cela pour deux raisons: d'abord c'est là que le problème de la multiplicité de juridiction se pose avec le plus d'acuité; ensuite parce que, vivant dans ce milieu et en portant la responsabilité, nous sommes plus à même d'en parler avec connaissance de cause.

Un mot d'histoire. Il convient de commencer notre recherche par un bref rappel historique, car la situation actuelle ne s'explique que par un retour aux origines.

C'est malheureusement l'histoire de l'émiettement successif du christianisme dans cette région.

Les controverses doctrinales des premiers siècles ont créé dans le pays des *Eglises détachées de l'orthodoxie officielle,* qui se sont organisées hiérarchiquement en communautés séparées. Ce fut d'abord l'Eglise nestorienne; puis vint le monophysisme, qui érigea dans chaque région une Eglise nationale: Eglise copte en Egypte, Eglise syrienne en Syrie, Eglise arménienne en Arménie. Plus tard, le monothélisme suscita aussi une Eglise monothélite qui, heurement, ne se maintint pas.

En face de ces Eglises séparées de l'orthodoxie officielle, constituées entre le ve et le viie siècles, l'Eglise orthodoxe-catholique — appelée aussi, dans ces régions, Eglise Melkite —, l'Eglise des conciles, maintenait la foi orthodoxe et la communion catholique avec le reste de la chrétienté, malgré la diminution de ses effectifs.

La conquête musulmane de la première moitié du viie siècle a consacré

cette division et l'a accentuée même. A chacune de ces Eglises, l'Islam a reconnu un statut autonome, y voyant, plus que des rites ou des confessions religieuses différentes, des « nations » autonomes, mais également soumises à la « protection » du conquérant musulman.

A la faveur d'une vacance prolongée du siège patriarcal orthodoxe d'Antioche, les Maronites se sont constitués aussi en nation-Eglise autonome.

Aussi bien, le Proche-Orient arabe connut-il, durant tout le Moyen-Age, six Eglises-Nations, régies intérieurememnt par leurs chefs religieux: la nation grecque, orthodoxe ou melkite, la nation nestorienne, la nation copte, la nation syrienne, la nation arménienne et la nation maronite.

Le schisme Byzance-Rome entraîna peu à peu et comme insensiblement la nation grecque-melkite, à sa grande majorité, dans la séparation d'avec Rome. La nation maronite, par contre, noua avec Rome, depuis le temps des Croisades au moins, des liens constants.

Au sein de ces communautés-Eglises-nations, des mouvements d'union partielle avec le Siège Romain commencèrent après l'échec de la tentative d'union globale à Florence et se consolidèrent surtout au début du XVIIIe siècle. Ces mouvements d'union ont disloqué de chaque communauté primitive des groupes plus ou moins importants, auxquels Rome donna ou reconnut une hiérarchie catholique distincte. Ainsi les communautés ci-dessus énumérées, à l'exception de la communauté maronite entièrement unie, se scindèrent chacune en deux branches, l'une devenue catholique, l'autre restant ce qu'elle était (« orthodoxe », dans le sens où chacun l'entend).

Au siècle dernier, les protestants firent quelques recrues et se constituèrent en nouvelles Eglises autonomes. De leur côté, les missionnaires latins, abandonnant leur ancienne méthode qui consistait à aider seulement les Orientaux (« in auxilium Orientalium »), firent aussi des recrues et les constituèrent en nouvelle communauté-Eglise-nation latine.

Résultat de toutes ces variations: le tableau suivant des communautés chrétiennes dans le Proche-Orient arabe:

Non-catholiques	*Catholiques*
Eglise grecque-melkite orthodoxe	Eglise grecque-melkite catholique
Eglise nestorienne	Eglise chaldéenne
Eglise syrienne orthodoxe	Eglise syrienne catholique
Eglise copte orthodoxe	Eglise copte catholique
Eglise arménienne orthodoxe	Eglise arménienne catholique
	Eglise maronite
Eglise protestante	
	Eglise latine

Situation actuelle

1. La seule considération du tableau ci-dessus montre que, théoriquement du moins, il y a ou peut y avoir partout, dans le Proche-Orient arabe, 6 juridictions non-catholiques, en face de 6 juridictions catholiques orientales et 1 juridiction latine. Toutes ces juridictions s'exercent, ou peuvent s'exercer,

simultanément et sur le même territoire, mais, bien entendu, sur des fidèles distincts: juridiction multiple de caractère territorial et personnel à la fois.

2. La multiplicité des juridictions orthodoxes ne nous concerne pas. Nous ne parlerons désormais que de la multiplicité des juridictions catholiques. Partout donc, dans le Proche-Orient arabe, il y a ou peut y avoir 7 juridictions catholiques qui se compénètrent, à un titre ou à un autre.

3. Mais, la compénétration n'est pas partout égale, en ce sens que le mélange des populations se fait à des doses très variables. Si, par exemple, dans les grandes villes comme Beyrouth, Damas, Alep, Le Caire ou Alexandrie, on rencontre des fidèles de presque toutes les communautés ailleurs la population catholique est ou exclusivement d'un même rite ou, du moins, les fidèles des autres rites sont en telle minorité qu'ils peuvent être considérés comme émigrés ou étrangers. Ainsi par exemple, en Haute-Egypte on ne trouvera que des coptes; dans des régions entières du Liban, il n'y a pratiquement que des maronites; en Palestine, il n'y a pratiquement que des melkites et des latins; en Irak, les chaldéens et les syriens se partagent la population, avec une minorité d'arméniens; en Syrie, la population est davantage mêlée, mais avec prédominance melkite, etc. Le mélange est tel qu'il est difficile de dresser une carte géographique de la répartition de chacune des communautés.

4. Sur 7 communautés catholiques, les 6 communautés orientales ont chacune à leur tête une autorité patriarcale: le siège d'Alexandrie est occupé par le Patriarche melkite et par le Patriarche copte catholique; le siège d'Antioche est occupé par le Patriarche melkite, le Patriarche syrien et le Patriarche maronite; le siège de Jérusalem est occupé par le Patriarche melkite et par un patriarche latin (qui n'a pas de pouvoirs patriarcaux proprement dits); le siège de Babylone est occupé par le Patriarche chaldéen; le siège de Sis est occupé par le Patriarche arménien. Ainsi, à part la communauté latine, qui n'a pas un chef local unique, toutes les communautés orientales ont un Patriarche à leur tête.

5. En principe, si le nombre des fidèles s'y prêtait partout, il pourrait y avoir, sur chaque siège épiscopal, 6 évêques orientaux et 1 évêque latin. De fait, cela existe dans certaines grandes villes, comme Beyrouth, où il y a 6 évêques catholiques, à Alep et au Caire où il y en a 5, etc. Mais, même là où il n'y a pas tant d'évêques, il y a invariablement 7 juridictions catholiques, représentées respectivement soit par des évêques, soit par des vicaires patriarcaux ou épiscopaux, soit par de simples curés.

Avantages et inconvénients

A cette situation, unique au monde, il y a des avantages et des inconvénients.

A) *Avantages*:

1. Le premier avantage est qu'à chaque rite liturgique correspond une Eglise, une communauté distincte, une hiérarchie propre. Du point de vue liturgique et disciplinaire, c'est certainement un cadre parfait.

2. Le deuxième avantage, du moins aux yeux des catholiques, est qu'à chaque hiérarchie orthodoxe correspond partout, ou presque, une hiérarchie catholique du même rite.

3. Le troisième avantage est qu'en principe ce grand nombre d'évêques doit permettre un soin plus minutieux du troupeau du Seigneur. Beaucoup d'évêques arrivent à connaître pratiquement toutes les familles de leur diocèse.

4. Enfin, le grand avantage est surtout que, dans une situation aussi délicate du christianisme, les plis sont pris. Chaque hiérarchie a réussi, après des siècles d'efforts, à s'organiser. Cette multiplicité est ancrée dans l'âme des fidèles, dans leurs rites, dans leur histoire, dans leur sensibilité, dans leur âme, dans leur vie de tous les jours. C'est un système délicat qu'il serait difficile de remplacer sans grands bouleversements.

B) *Inconvénients*:

Mais, par contre, ce système présente de nombreux et réels inconvénients. Qu'il suffise de les énumérer brièvement:

1. Nombre considérable d'évêques catholiques sur le même siège et dans la même ville; et plusieurs patriarches occupent le même siège patriarcal.

2. Les patriarches, quel que soit leur siège, exercent pratiquement leur juridiction sur le territoire des autres sièges patriarcaux et sont tous pratiquement patriarches de tout le Proche-Orient.

3. Personne n'est individuellement unique responsable des intérêts généraux du catholicisme dans une région déterminée. Cet inconvénient est le plus important, car aucun des hiérarques n'est assez fort pour pouvoir s'occuper efficacement et à lui seul des intérêts les plus vitaux de l'Eglise: l'enseignement, l'action catholique, les œuvres de charité, la presse, la radio, la télévision, l'action sociale, les relations avec l'Etat. Chacun y travaille, mais son action est faible. Ces questions ne peuvent être prises en charge que par l'ensemble des Hiérarques catholiques d'une région déterminée, et cela est naturellement plus difficile que s'il y avait un seul responsable.

Solutions non-realistes

Devant cette situation délicate, quelques individus ou groupes catholiques ont imaginé et proposé des solutions. La chose date d'assez longtemps. Mais toutes ces solutions ont le tort d'être plus alléchantes que réelles, plus théoriques que pratiques. En plus, elles comportent des conséquences encore plus néfastes que les inconvénients qu'elles entendent éviter.

Nous ne prétendons pas les énumérer toutes, car on en invente sans cesse de nouvelles. Qu'il suffise de mentionner les plus en vogue:

1. Une solution radicale consiste à supprimer tous les rites et toutes les communautés. On est catholique, dit-on, et cela suffit. Pour la liturgie, si on ne veut pas adopter purement et simplement le rite latin, on adoptera un des rites orientaux, ou bien on composera un rite unifié nouveau (rite

arabe). Aussi bien, le droit canon est-il déjà unifié pour toutes les communautés orientales catholiques. Il ne restera plus qu'à unifier les rites liturgiques. Ces deux choses étant unifiées, il ne devrait plus y avoir qu'un seul évêque catholique par ville, qu'un seul patriarche pour tous, et qu'une seule juridiction. De cette façon le problème est résolu.

L'énoncé seul de ces fantaisies tourne la tête à quiconque possède la moindre notion de l'Orient et a la moindre responsabilité d'âmes dans cette région.

Supprimer les rites dans l'Eglise est chose impossible, car ce serait partout les troubles les plus graves. Et si c'était possible, ce serait criminel, parce que cela appauvrit l'Eglise de la plus grande partie de son patrimoine spirituel. L'uniformité, sur ce point, loin d'être un bien, est une catastrophe.

Ce serait surtout une catastrophe si la suppression des rites orientaux devait se faire en faveur du rite latin. A ce moment-là, on devra croire qu'on ne peut être catholique qu'en étant latin, que catholicisme et latinisme sont synonymes. Tout effort de réunion de tous les chrétiens dans la catholicité devrait alors être abandonné.

Quant à ne retenir qu'un des rites orientaux actuellement existants (lequel d'ailleurs?) ou à en inventer un de toutes pièces, c'est de la pure fantaisie.

De telles solutions ne peuvent être pensées que par des esprits qui ne vivent qu'un catholicisme amorphe, sans racines dans la vie, sans attaches dans le passé comme sans prise sur l'avenir.

Aussi, ne connaissons-nous pas de personnes vraiment responsables qui partagent ces vues.

2. Une autre solution entend unifier les juridictions, tout en maintenant la diversité des rites. Dans chaque diocèse, il n'y aurait qu'un seul évêque pris à tour de rôle dans chaque rite. Ainsi, à Alep par exemple, il y aurait un évêque grec-catholique; à sa mort, lui succéderait un évêque maronite, puis, à la mort de celui-ci, un évêque arménien, etc.

C'est une solution tellement utopique que nous ne pensons même pas devoir la réfuter.

3. D'autres pensent que tous les évêques d'une même ville peuvent rester, mais que l'on attribuera à l'un d'eux, à tour de rôle, l'administration effective de tous les catholiques du diocèse, quel que soit leur rite. Puis il sera remplacé par un autre collègue, et ainsi de suite.

Solution encore plus utopique.

4. D'autres ont pensé que, dans une ville épiscopale, l'un des évêques serait vraiment évêque, à juridiction territoriale, et les autres seraient des évêques à juridiction seulement personnelle. Ainsi, à Beyrouth, par exemple, l'évêque maronite serait seul évêque de Beyrouth, pour tous les catholiques de ce diocèse, quel que soit leur rite, mais il y aurait un évêque melkite pour les seuls melkites (intérêts liturgiques et communautaires), un évêque sy-

rien etc. Les relations entre l'évêque territorial et les évêques personnels seraient à déterminer.

C'est encore de l'imagination qui ne cadre pas avec le réel.

5. D'autres maintiennent aussi qu'il ne doit y avoir qu'un seul évêque proprement dit dans chaque diocèse. Cet évêque serait responsable de tous les catholiques, de quelque rite qu'ils soient. Lui-même, en tant qu'évêque, n'appartiendrait à aucun rite, ou serait, si l'on veut, de tous les rites, un peu comme le Pape, qui est de rite latin mais qui gouverne les fidèles de tous les rites. Cet évêque unique aurait des vicaires généraux, revêtus, si nécessaire, du caractère épiscopal, pour chacun des rites suffisamment représentés dans son diocèse.

Encore pure imagination.

6. D'autres veulent bien qu'il y ait plusieurs évêques dans la même ville, mais demandent du moins que certaines parties du diocèse, où il n'y a pratiquement que des fidèles d'un seul rite, soient soumises à la juridiction exclusive de l'évêque de ce rite, et que les autres évêques n'aient rien à y voir du seul fait qu'ils sont théoriquement chefs spirituels du même diocèse...

7. D'autres demandent que dans les conseils délibératifs des évêques catholiques d'une même ville, les voix ne soient pas égales entre tous les évêques, mais qu'elles soient affectées d'un exposant proportionnel au nombre des fidèles que chacun a effectivement sous sa juridiction.

8. D'autres enfin se contentent de l'unification des patriarcats. Sur chaque siège patriarcal il ne devrait y avoir qu'un seul titulaire, à juridiction territoriale bien limitée. Pour cela, on pourrait procéder, à la rigueur, à une nouvelle répartition des territoires propres à chaque siège, de manière que chaque Patriarche ait un territoire exclusif, même s'il a des évêques suffragants de rites différents.

Cette solution semble recueillir aujourd'hui plus d'attention. Elle a apparemment l'avantage de sauvegarder la pluralité des rites; elle ne touche pas à la multiplicité des juridictions épiscopales; elle fait du Patriarche, désormais unique titulaire de son siège, un chef supérieur a-rituel, n'appartenant à aucun rite ou appartenant à tous les rites, mais qui assume l'intérêt de tous les rites, c'est-à-dire de l'ensemble du catholicisme sur toute l'étendue de son patriarcat.

Dans cette perspective, on descend à quelques détails pratiques et l'on propose un partage, que l'on veut le plus équitable possible, des sièges patriarcaux, entre les différentes communautés existantes. Le siège d'Alexandrie serait attribué au Patriarche copte-catholique. Le siège d'Antioche serait partagé en deux: la partie libanaise étant attribuée au Patriarche maronite, la partie syrienne devant être encore disputée entre le Patriarche melkite (qui a les fidèles les plus nombreux) et le Patriarche syrien catholique. Le siège de Jérusalem serait enlevé aux latins et rendu aux melkites. Le siège de Babylone (d'Irak) resterait occupé par le Patriarche chaldéen. Le Patriarche

arménien occuperait le siège de Sis, mais il n'aurait pas de territoire déterminé...

Critique générale de tous ces systèmes

Nous arrêtons là notre analyse, car ces solutions supposent toutes à la base, l'idée d'unifier la juridiction, soit épiscopale soit patriarcale, dans le Proche-Orient.

Or, nous sommes convaincus que toute unification de juridiction dans cette région est 1) préjudiciable à l'intérêt supérieur du catholicisme, 2) excessivement dangereuse et 3) irréalisable de fait. Voici nos raisons, qui sont toutes d'ordre général:

A) *Ces solutions sont préjudiciables à l'intérêt supérieur du catholicisme.*

1. A part la communauté maronite, qui a atteint déjà son but en étant toute entière unie dans le catholicisme, toutes les autres communautés catholiques orientales sont encore dans le stade des unions partielles. Or, dans ce stade de leur mission, telle que le Christ et l'Eglise l'attendent d'elles, ces communautés, aspirant sans cesse à refaire leur unité au sein du catholicisme, ne doivent rien poser qui préjudicie de l'avenir de l'union, qui la rende impossible ou notablement plus difficile.

Or, une unification de la juridiction, qu'elle se fasse au plan épiscopal ou patriarcal, est une modification tellement sensible et essentielle apportée aux institutions fondamentales de chaque communauté catholique, que la communauté orthodoxe correspondante ne s'y reconnaît plus.

Notre stade actuel d'union n'est pas une formule définitive. Nous sommes en quelque sorte des organisations de transition. Quand l'union globale sera réalisée entre l'orthodoxie et le catholicisme, nous devrions réintégrer cette orthodoxie catholique et dissoudre en elle nos cadres hiérarchiques. De quel droit aurons-nous, auparavant, supprimé telle juridiction ou fondu telle autre dans un organisme a-rituel, où nos frères orthodoxes ne se reconnaîtraient pas?

Ceci vaut de la liturgie et de la discipline autant que de la juridiction: aucune transformation fondamentale de ces institutions ne doit se faire tant que l'union n'est pas réalisée. Lorsque cette union sera réalisée, l'Eglise d'alors fera les réformes qu'elle jugera utiles.

2. Nous devrons rejeter aussi toute unification de juridiction qui aboutirait à une absorption d'une Eglise par une autre. Une Eglise distincte, à l'intérieur du catholicisme, exige, sinon toujours un rite distinct, du moins une hiérarchie distincte. Toute fusion ou absorption d'une hiérarchie par une autre marque la disparition d'une Eglise. Ainsi, les Melkites ont bien 50.000 fidèles aux Etats-Unis. Ces fidèles ont bien un rite distinct, des prêtres à eux, et une discipline propre. Mais tant qu'ils n'auront pas une hiérarchie distincte, on ne pourra pas dire qu'il y a une Eglise melkite aux Etats-Unis. Et s'ils n'ont pas d'Eglise, c'est-à-dire s'ils n'ont pas de hiérarchie, les melkites aux Etats-Unis sont sans cesse menacés de disparaître.

Or, l'Eglise catholique veut sauvegarder toutes les Eglises qui la forment, en particulier les Eglises orientales qui ont la mission très importante de refaire l'unité chrétienne avec les branches orthodoxes correspondantes de leur rite. Priver l'une ou l'autre de sa hiérarchie propre, c'est préparer, à plus ou moins brève échéance, la disparition de ces Eglises. C'est nuire considérablement au catholicisme.

Le résultat dernier, non avoué, de tous ces efforts artificiels d'unification des hiérarchies sera fatalement l'absorption de toutes ces Eglises dans le latinisme, assimilé au catholicisme.

B) *Ces solutions sont excessivement dangereuses.*

L'Orient est hyper-sensible. Au siècle dernier, l'adoption du calendrier grégorien a occasionné dans l'Eglise melkite un vrai schisme, qu'elle a mis de nombreuses années à résorber, après avoir enlevé à notre Eglise bon nombre de ses enfants. La nomination directe d'un patriarche ou d'un évêque immédiatement par le Saint-Siège Romain cause des troubles graves qui empoisonnent les relations pendant de nombreuses années. Que dire alors de transformations aussi radicales que celles que l'on nous propose?

Nul prélat, connaissant l'Orient, et conscient de ses responsabilités, n'osera procéder effectivement à des transformations aussi révolutionnaires. Les difficultés et les dangers sont tels qu'il faut, pour l'amour de Dieu, cesser d'agiter ces questions. Tant que ces sujets sont traités dans un cercle restreint de théoriciens, le mal se limite à une perte de temps et à quelques agitations individuelles. Mais le jour où ces questions brûlantes sont jetées dans le public, aucun de nous ne peut répondre de ce qui peut s'en suivre.

C) *Ces solutions sont pratiquement irréalisables.*

Il faudrait les reprendre une à une. Contentons-nous des deux principales:

1. D'abord la solution qui veut un évêque unique dans chaque ville, sous quelque forme qu'on la présente. Ou bien cet évêque unique sera pris dans une communauté déterminée, la plus nombreuse par exemple, et alors les fidèles des autres communautés se sentiront lésés, mis en infériorité, soumis à une autorité d'un autre rite... Ou bien, il sera « neutre », c'est-à-dire n'appartenant à aucun rite, à aucune communauté, et ceci est impensable. Quelle est la communauté qui acceptera que son évêque soit un évêque simplement personnel et non territorial, qu'il soit un simple vicaire général auprès d'un évêque d'un autre rite, qu'il n'ait pas juridiction partout dans le diocèse ou qu'il n'ait pas voix égale dans les conseils délibératifs? Il faudrait ne pas connaître l'Orient pour penser que de telles solutions sont possibles.

2. Il en est de même de la solution qui veut unifier la juridiction patriarcale:

a) Un patriarche amorphe, n'appartenant à aucun rite, à aucune Eglise particulière, est impensable; car, par définition, le patriarche est un chef d'Eglise.

b) Il n'est pas normal que des fidèles, des clercs et des évêques dépendent d'un patriarche d'un autre rite, c'est-à-dire d'une autre Eglise particulière.

c) La distribution des sièges patriarcaux entre les différents rites relève de la pure fantaisie. C'est un fait que les divergences doctrinales, puis les mouvements d'union à Rome, ont multiplié les titulaires de chaque siège patriarcal. Nous ne voulons pas entrer ici dans des discussions interminables pour savoir lequel, par exemple, des trois titulaires actuels du siège d'Antioche est le vrai successeur de Saint Ignace d'Antioche. Les trois sont aujourd'hui également légitimes. Sur le siège d'Alexandrie, le titulaire melkite est au moins aussi authentique que le titulaire copte, et sur le siège d'Antioche chacun des trois patriarches melkite, syrien et maronite est titulaire légitime. Selon quel critère va-t-on donc réserver le siège d'Antioche à l'un d'eux seulement?

Toutes ces solutions sont irréalisables et dangereuses.

Solution réaliste: collaboration et synodalisme

La seule solution qui nous paraît réaliste est celle qui tient compte des données du réel, du possible et de l'utile.

Ne pouvant pas supprimer la multiplicité de juridiction, nous l'organisons de manière à éviter ses inconvénients autant que possible et à lui faire rendre le maximum d'avantages.

Notre programme tient en deux mots: collaboration et synodalisme:

A) *Collaboration.* Elle comporte les manifestations suivantes:

1) Créer d'abord un *esprit de collaboration* entre les différentes communautés. Apprendre à s'aider, à collaborer, à s'aimer. Il faut cultiver cet esprit dès le séminaire. Ménager le plus possible de contacts, de rencontres, de congrès, etc.

2) Eviter la dispersion des forces. Dans les petits centres, une seule église pourrait servir à deux communautés. Dans le même petit village, une seule école catholique suffit.

3) Ne pas pousser l'autonomie de juridiction jusqu'à l'extrême. Quand les fidèles d'un rite sont noyés, en très petit nombre, dans une paroisse d'un autre rite, on peut fort bien confier leur administration au curé de la paroisse, tout en les faisant visiter de temps à autre, par un prêtre de leur rite.

4) Unifier tous les domaines où l'intérêt communautaire n'est pas strictement en jeu: direction générale de l'enseignement, de l'action catholique, de la presse, de la radio, de la télévision, de l'action sociale, de la charité, des relations avec l'Etat, etc.

B) *Synodalisme.* Pour toutes les matières d'intérêt commun, il doit y avoir un responsable. Quel sera-t-il? Ce ne peut être une personne individuelle. Ce sera donc le *Synode* de tous les Hiérarques ayant juridiction sur le même territoire: *Synode patriarcal* ou *Synode épiscopal.*

Pour obtenir ce but, les Conférences patriarcales ou épiscopales ne suffisent pas, du moins dans leur constitution actuelle. Il faut un vrai synode, à la manière orientale, avec pouvoir de décision.

Ce synode doit se tenir plus ou moins fréquemment. Une ou deux fois par an pour le synode patriarcal ou le synode épiscopal national; tous les mois, par exemple, pour le synode des évêques de la même ville.

Dans l'intervalle, entre les réunions synodales, il y a toujours un comité exécutif chargé de poursuivre la réalisation des décisions.

De cette façon, à la question: « Y a-t-il, en Orient, un responsable de l'ensemble des intérêts catholiques pour tout le pays ou pour tout le diocèse? », on pourra répondre: « Oui, mais ce responsable n'est pas une personne individuelle, c'est le synode de tous ceux à qui le Seigneur a confié son Eglise dans ce coin du champ du Père ».

Nous pensons que c'est là la seule solution vraiment réaliste.

Conclusion:

1. Quoi qu'il en soit, nous pensons qu'il ne faut pas saisir le Concile œcuménique d'une pareille question. C'est un cas trop particulier au Proche-Orient. D'autre part, les Pères, dans leur ensemble, ne peuvent se faire une idée suffisamment complète et personnelle de cette question pour la trancher en connaissance de cause.

2. Il faut à tout prix éviter de causer des troubles dans le peuple en agitant cette question sans discernement.

3. Pour réaliser la collaboration dont nous avons parlé, il faut se confier aux conférences patriarcales et épiscopales sur place. Elles seules peuvent indiquer les solutions réalistes qui s'imposent.

4. Il faut travailler dès maintenant à mettre au point le réglement et les compétences des synodes patriarcaux et épiscopaux qui porteront collégialement la responsabilité du catholicisme sur place.

Nous pensons donc qu'il faut, au point de départ, accepter la forme spéciale sous laquelle se présente le problème de l'Eglise dans cette région. Chaque pays a ses propres difficultés à résoudre. Ce qui convient à un pays ne convient pas nécessairement à l'autre. Il faut trouver à chaque situation la solution qui lui convient et résoudre le problème d'après les données du réel.

Etant données toutes ces raisons que nous avons fait valoir, l'attitude ferme et claire de notre Eglise grecque-melkite catholique, en face des projets plus ou moins fantaisistes d'unification de juridiction dans le Proche-Orient arabe, est qu'on ne doit rien innover: — « Nihil innovetur » —, mais que l'on doit s'efforcer sans cesse d'améliorer la collaboration entre toutes les communautés en vue du bien général de l'Eglise.

CONGREGATIO GENERALIS LXIX
18 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXIX

18 novembris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur disceptationem circa principia generalia *de Oecumenismo,* in hac LXIX congregatione generali, em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian.

In hac congregatione generali, distribuentur haec documenta:

Imprimis, relatio super schema decreti *de Oecumenismo*; relatio quae fiet a pluribus em.mis et exc.mis Patribus, ut audire et videre poteritis in hoc fasciculo.

Simul distribuentur *Emendationes a Concilii Patribus scripto exhibitae super schema decreti de Oecumenismo.*

Caput ultimum *de Oecumenismo,* quod inscribitur « de libertate religiosa », distribuetur crastina, et, cum hac distributione, iam completum est schema *de Oecumenismo,* de quo hodie incipit disceptatio.

Prodit etiam hodie, in festo Dedicationis huius patriarchalis Basilicae S. Petri, opusculum cui titulus *La Tradizione di Pietro in Vaticano, alla luce della storia e dell'archeologia,* ubi praecipua documenta historica et archaeologica exhibentur de episcopatu Petri romano, de eiusdem martyrio, de laboribus peractis in crypta huius Basilicae, et de sepulcro B. Petri. Cum tamen apparentur etiam versiones in alias linguas, ipsius distributio fiet ineunte proxima hebdomada, ita ut unusquisque Pater possit opusculum habere lingua quam mavult, quam praefert. Sed iam hodie hoc significatur cum festum recurrat Dedicationis huius venerabilis patriarchalis Basilicae.

Nunc, attendant Patres! Hodie, praeter alias distributiones, fiet distributio fasciculi quo continentur modi a Patribus propositi circa cap. II schematis *de sacra Liturgia,* una cum relatione commissionis, de quibus suffragatio erit crastina die, pro cap. II. In hodierna congregatione vero, legetur imprimis relatio generalis em.mi card. Iacobi Lercaro, cuius textus statim ac prelo editus fuerit vobis distribuetur. Dein exc.mus D. Albertus Martin illustrabit relationem de prooemio et de cap. I, quam nunc prae manibus habetis. De his dixi feria sexta elapsa, et fiet suffragatio — ita statuerunt em.mi moderatores — per schedulas cum *placet* vel *non placet* tantum. Ut evidens est, suffragatio fiet

circa quaesitum generale, quod iam legi et invenitur in pag. 3 et repetetur antequam moderatores statuant fieri, hodie quidem, votationem.

Nunc lego nomina eorum qui verba facere postulaverunt. Ad cap. IV *de episcopis* loquetur exc.mus P. D. Sebastianus Valloppilly, episcopus Tellicherriensis in India. Dein fiet disceptatio circa schema *de Oecumenismo* in genere, de quo loqui postulaverunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ignatius Gabriel Tappouni, patriarcha Antiochenus Syrorum; Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Beniaminus de Arriba, arch. Tarraconensis in Hispania; Ioseph M. Bueno y Monreal, arch. Hispalensis in Hispania; Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Ioseph Humbertus Quintero, arch. Caracensis in Venezuela; Petrus Tatsuo Doi, arch. Tokiensis in Iaponia; S. B. Stephanus Sidarouss, patriarcha Alexandriae; S. B. Maximus IV Saigh, patriarcha Antiochenus Melchitarum in Libano; exc.mi DD. Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia; Arthurus Elchinger, ep. coad. Argentinensis in Gallia; Ioannes McQuaid, arch. Dublinensis in Hibernia; Carolus de Provenchères, arch. Aquensis in Gallia; Angelus Jelmini, adm. ap. Luganensis in Helvetia; Andreas Sapelak, ep. visitator apost. pro Ucrainis in Argentina; Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus in Hispania; Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifatii in Canada; Ioannes Heenan, arch. Vestmonasteriensis in Anglia; Ioannes Weber, arch.-ep. Argentinensis in Gallia; Sergius Mendez, ep. Cuernavacensis in Mexico; Robertus Chopard-Lallier, praef. ap. Parakuensis in Dahomey; Andreas Jacq, ep. tit. Cerasenus in Vietnam; Antonius Ferreira, ep. Portugallensis in Lusitania; Bonaventura de Uriarte, vic. ap. S. Raymundi in Peruvia.

Moderator: Em.mus card. Iacobus Lercaro leget nunc relationem generalem de iis quae a commissione conciliari de sacra Liturgia peracta sunt ad expendendos modos a Patribus propositos.

RELATIO

Em.mi P. D. IACOBI card. LERCARO
Archiepiscopi Bononiensis

Venerabiles Patres,

Schema constitutionis *de sacra Liturgia* primum fuit disceptationi in aula conciliari propositum. Hac de causa, commissio conciliaris de sacra Liturgia, statim post initam primam sessionem Concilii Oecumenici, suum incepit laborem, adamussim quidem observatis Ordinis Concilii

Oecumenici Vaticani II praescriptis. Commissio omnia semper experta est ut labor expeditius procederet, sicut Patribus conciliaribus exposuimus in praecedentibus duabus relationibus generalibus.

Hodie tandem, post longum iter, mox ad optatum finem nos esse perventuros commissio de sacra Liturgia sperat. Etenim iam postremus laboris gradus tantum erit superandus, priusquam montis culmen attingamus.

Reapse iter hucusque peractum sequentia complectitur momenta feliciter iam superata: *a*) praevium schematis studium; *b*) schematis disceptationem in aula conciliari; *c*) emendationum examen a commissione; *d*) emendationum examen in aula conciliari; *e*) praeparationem et suffragationem textus emendati.

Ergo, ad expendendos modos iam pervenimus. Textus namque emendatus plus quam duas partes favorabilium suffragiorum obtinuit singulis in capitibus. Immo plurima capita obtinuerunt suffragia copiosiora, quae simpliciter verbo *placet* exprimebantur. Atque vel illis in capitibus, scil. in cap. II de Sacrosancto Eucharistiae Mysterio, et in cap. III de ceteris Sacramentis et Sacramentalibus, de quibus plura habita sunt suffragia *placet iuxta modum,* nullus articulus fuit in quo numerus Patrum, qui modos proposuerant, additis quoque suffragiis negativis, tertiam suffragiorum partem attigerit, seu, a. v. nullus articulus prostat qui sic et simpliciter a Patribus per plus quam duas tertias partes suffragiorum non fuerit acceptatus.

Attamen principium fundamentale habetur in art. 61 § 5 Ordinis Concilii Oecumenici Vaticani II, ita edicente: « Excepto casu quo schema integrum vel divisum maioritate suffragiorum reiectum fuerit, modi propositi examini subiciuntur ad normam articuli 58-60 ».

Modi ergo a Patribus in suffragatione propositi a commissione conciliari expendi debuerunt eorumque expensio aulae conciliari proponi, prouti ceterum in ipso Concilio Vaticano I a respectivis Deputationibus iam factum fuerat.

Methodus vero servanda in expendendis modis ab Ordine Concilii celebrandi definitur per supra citatum art. 61 § 5, sese explicite referentem ad art. 58, 59 et 60.

Inde modis ad commissionem remissis atque sine mora ab eadem expensis, de laboris exitu, una cum concinna relatione, Patres Concilii edocendi erunt, distributis fasciculis typis impressis. Die ergo a moderatoribus statuto, quivis relator suam quisque scriptam de modis relationem illustrabit, atque de iisdem modis, prouti expensi fuerunt, admittendis et reiciendis Patres schedula suffragium ferent, per verba *placet* vel *non placet.*

Hisce in suffragationibus semper viget regula in art. 39 § 1 contenta, iuxta quam, si agatur de partialis schematis textu approbando, requiruntur duae tertiae partes suffragiorum Patrum praesentium; si vero agatur de adprobanda reiectione modorum, ob rationes a commissione propositas, tunc sufficit maior suffragiorum pars.

Huiusmodi quidem Ordinis Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi praescriptio, quae forsan prima fronte superflua vel minus utilis videri potest, sapientia tamen non caret. Quamquam enim commissio summo studio enixa est ut Concilio opus bene expolitum exhiberet, attamen eam non latuit vel in aliquo modo, etsi a paucis Patribus vel ab uno Patre tantum proposito, Deum ipsius commissionis humilem laborem a Patribus Concilii adprobatum perficere forte velle.

Ducta hoc spiritu et servitii conscientia erga Patres pulsa, commissio adlaboravit in modis expendendis, ideoque fideliter Patrum mentem prae oculis iugiter habuit.

At imprimis emendationes peculiari suffragatione a Patribus admissas magni fecit, etiam in responsis dandis. Ad relationes praecedentes aliquando recurrit, eas invocans ut cohaerens textus schematis unitas servaretur, etiam in sua interpretatione. Singulos vero modos a secretaria generali Concilii commissioni diligenter remissos et ordinavit et coordinavit et singillatim expendendos curavit, singulis relationibus pro unoquoque capite paratis.

Ita omnes et singuli modi a Patribus allati sollicita cura expensi sunt, sicuti e responsis a commissione pro unoquoque capitulo prelo editis et Patribus exhibitis apparet, quorumque probatio per quaesitum generale a Patribus humanissime exquiritur.

Quorum modorum tamen aliqui cum sint maioris momenti, quorumque generalis tantummodo responsionum approbatio sufficere non posse aperte videtur, circa ipsos mens aulae per quaesita particularia exquirenda erit. Paucissimi tamen sunt, hac etiam ratione ne eorum multitudine rei totius absolutio nimis protrahatur.

Perraro vero ob peculiares rationes, quae in respectivis relationibus inveniuntur, commissio audet aliquam textus emendati mutationem proponere, vel saltem Patrum iudicio opportunitatem mutationis adhibendae remittere.

Denique quibusdam in casibus, cum e modis allatis apparuit quorumdam articulorum mentem difficulter vel non satis intelligi, Commissio censuit textum schematis antea approbatum non mutandum sed opportunius interpretandum esse.

Fasciculos singulorum capitum, relationes et quaesita continentes quae modos a Patribus propositos respiciunt, nunc iam, venerabiles Pa-

tres, prae manibus habetis vel mox habebitis, ita ut secura spes affulgeat commissioni, laborem suum concludi posse die 22 huius mensis novembris, in festo nempe S. Caeciliae Virginis et Martyris, recurrente eadem die sexagesimo anno ab edito Motu proprio *Tra le sollecitudini* S. Papae Pii X, quo documento via feliciter aperta est apostolatui liturgico.

Vestrum ergo nunc est, venerabiles Patres, iudicare.

Moderator: Loquatur nunc exc.mus D. Sebastianus Valloppilly, episcopus Tellicherriensis in India, qui petiit verba facere ad cap. IV *de episcopis,* ad normam par. 57.

EXC.MUS P. D. SEBASTIANUS VALLOPPILLY *
Episcopus Tellicherriensis

Venerabiles Patres,

Loquor in nomine totius hierarchiae Orientalis Indiae, scil. Syro-Malabarensis et Syro-Malankarensis.

Consentio eis quae dicta sunt ab exc.mo D. Dominico Athaide, arch. Agraensi, *ultimo in congressu generali,*[1] de actualibus conditionibus in India relate ad opus apostolatus.

Decretum schematis (cap. IV, n. 31) *pag. 21*[2] sonat: « (Dioeceses personales ratione ritus). Curandum est ut dioeceses *personales* pro diversitate rituum erigantur ubi plures sint fideles diversi ritus, quibus sufficienter consulere possibile non sit per sacerdotem aut paroeciam eiusdem ritus ».

1. Decretum uti iacet placet *iuxta modum*. Modus est: Supprimatur verbum « personales ». Si enim in uno territorio ratione rituum sint duae iurisdictiones dioecesanae, ambae iurisdictiones gaudent eodem ter-

---

* Post clausam disceptationem circa cap. IV schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine,* licentia de eo loquendi petita est a P. D. Valloppilly, nomine episcoporum Malabarensium et Malankarensium Indiae, hanc ob rationem: « Cum schema *de episcopis ac de dioecesium regimine* visum fuerit nobis acceptabile praesertim quoad n. 31 qui agit de erectione dioecesium ratione diversitatis rituum, nemo ex nobis nomen dedit ad verba de eo facienda. Sed cum contra nostrum bonum quidam locutus est de unicitate iurisdictionis in uno eodemque territorio, nos humiliter petimus ut secundum art. 57 § 6, nobis concedatur licentia patefaciendi in aula conciliari nostram positionem viva voce ».

ritorio (ratione personarum super quas exercetur iurisdictio). Hinc tales dioeceses sunt revera territoriales, vel potius territorio-personales.

2. Dioeceses pro diversitate rituum sunt erigendae tunc tantum quando ut dicit decretum « plures sint fideles diversi ritus, quibus sufficienter consulere possibile non sit per sacerdotem aut paroeciam eiusdem ritus ».

3. Pluralitas iurisdictionis in eodem territorio multa secumfert incommoda et ideo quidam stant pro unica iurisdictione in uno territorio. Sed si fideles numerosi alicuius ritus sint sub iurisdictione alterius ritus, illorum necessitatibus sufficienter consuli non poterit etiamsi pro illis constituatur vicarius generalis proprii ritus ut quidam vellent. Illi semper laborabunt sub complexu inferioritatis. Principium de aequalitate rituum quoad iura et exercitia non reduci poterit in praxim. Ordinarius qui actu exercet iurisdictionem ut noverca habebitur a fidelibus alterius ritus qui contra eum rixas ac contentiones in tempore et extra tempus excitabunt, etc.

Experientia constat qualis fuerit conditio Malabarensium orientalium quando fuerunt sub iurisdictione latina. Semper erant *causae pro*[3] contentionibus ac rixis, et nihil progressus illi facere poterant. Mirabilis e contra fuit eorum progressus, *ut ait Pius Papa XI,*[4] f. r., postquam fuerint illis dati Ordinarii proprii ritus, rituali separatione a latinis facta. Exemplum recens habemus in casu dioeceseos orientalis Tellicherriensis in India Meridionali, quae erecta fuit pro orientalibus degentibus in territorio latino Calicutensi. *De hac re statistica mitto ad secretarium generalem.*[5] Talis progressus intra tam breve tempus attribui debet facto quod orientalibus datus fuit Ordinarius proprius in territorio latino, rituali facta separatione a latinis.

Bonum ergo quod provenit ex pluralitate iurisdictionis ratione rituum longe superat malum quod ex eadem oriri potest.

Principium ergo unicae iurisdictionis acceptari potest tantum pro territorio ubi pauci sunt fideles ritus diversi a ritu iurisdictionem exercentis.

4. Quum quaestio de India fuerit mota, dicimus quod in tota India ante saec. XVI erat tantum unus ritus; hic ritus erat orientalis. Postea orientales subiecti fuerunt iurisdictioni latinae et eorum territorium coarctatum fuit ad unam tantum sectionem regionis Malabariae seu Keralae. Omnes orientales qui extra hoc angustum territorium versabantur erant sub iurisdictione latina sine sacerdotibus proprii ritus. Conditio haec paululum in meliorem mutata fuit anno 1955. Tamen hodie etiam complures sunt orientales Malabarenses qui inveniuntur extra proprium territorium ecclesiasticum etsi hoc territorium *recenter fuit*[6]

extensum. Hi orientales nec sacerdotes nec ecclesias habent proprii ritus. Christiani vero non catholici orientales Indiae ubique in India id possunt habere, habent sacerdotes et ecclesias proprii ritus. Catholici autem orientales in patria sua, quae tota olim erat suum territorium ecclesiasticum, hodie versantur in conditione supra dicta. Ante omnia ergo datis sacerdotibus orientalibus ii constituendi sunt in paroecias proprias. Si et quando per hoc eis sufficienter consuli non poterit, ut dicit schema, dioeceses pro eis erigendae erunt. Secundum hoc principium orientales Indiani non erunt contra latinam iurisdictionem introducendam in territorio sibi proprio.

Cetera ad secretarium generalem mitto.[7] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] sic. [3] proni. [4] deest. [5] Hi orientales quorum numerus erat 74.000, erant cum fidelibus 1.700 latinis sub iurisdictione latina. Dioecesis haec, quae a. 1953 inceptum habuit cum 20 sacerdotibus, 22 ecclesiis, 28 scholis et una domo pro mulieribus religiosis, hodie habet 192.000 fideles, 90 sacerdotes, 204 seminaristas, 92 ecclesias, 71 scholas et 40 conventus mulierum religiosarum. [6] a. 1955 fuerit. [7] Multa incommoda quae ex consequenti pluralitate iurisdictionis oriri possunt; vitari etiam possunt si Ordinarii diversorum rituum, saltem ii qui diversarum civitatum titulos habent, non resideant in eadem civitate, praesertim in ea civitate qui est titulus ac residentia alterius. 5. Plures sunt orientales sacerdotes, fratres, sorores et seminaristae qui operam dant in aliis dioecesibus. Numero sunt sacerdotes (a. 1962) 958, religiosae 4.192 et seminaristae 1.687. Isti omnes operam dant cum adoptione ritus latini. Adoptio ista diversi ritus debetur carentiae iurisdictionis orientalis in illis territoriis. Haec conditio nocet Ecclesiae orientali in India et impedit eius progressum. Acceptetur ergo decretum schematis ut dictum est. Ne claudatur porta. In solvendis difficultatibus inde orientibus, bona voluntas fundata in christiana caritate, minime praetermittenda est.

[*Subsignaverunt etiam*] Ioseph Parecattil, arch. Ernakulamensis; Mathew Kavukatt, arch. Changanacherensis; Gregorius Thangalathil, arch. Trivandrumensis; George Alapatt, ep. Trichurensis; Thomas Tharayil, ep. Kottayamensis; Sebastian Vayalil, ep. Palaiensis; Zacharias Mar Athanasius, ep. Tiruvallaensis; Mathew Pothamamuzhy, ep. Kothamangalamensis.

Moderator: Aggredimur nunc, Deo favente, disceptationem super schema decreti *de Oecumenismo,* et faveat verba facere em.mus D. Hamletus Ioannes Cicognani, a publicis Ecclesiae negotiis, praeses commissionis conciliaris, circa ipsum decretum *de Oecumenismo* [*cf. p. 468*].

DISCEPTATIO

1 – SCHEMA DECRETI DE OECUMENISMO *

[7]

CAPUT I
DE OECUMENISMI CATHOLICI PRINCIPIIS

1. [*De Ecclesiae unitate et unicitate*]. In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quod Filius Dei unigenitus a Patre in mundum missus est, ut homo factus, totum genus humanum redimendo regeneraret atque in unum congregaret.[1] Qui antequam seipsum in ara crucis hostiam immaculatam offerret, Patrem pro fidelibus oravit, dicens: « Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus quia tu me misisti » (*Io.* 17, 21), in Ecclesia sua mirabile unitatis sacramentum instituit, atque discipulis suis Paraclitum Spiritum promisit,[2] qui cum eis maneret in aeternum.

Exaltatus autem in cruce ac glorificatus, Dominus Iesus, Spiritum promissum effudit, quo populum Dei Novi Foederis, qui est Ecclesia, in unitatem fidei, spei et caritatis vocavit et con-

---

* In fasciculi initio legitur: « Ss.mus Dominus Noster Ioannes Pp. XXIII, in audientia hac die infrascripto impertita, statuere dignatus est ut hoc schema, in Concilio Oecumenico Vaticano Secundo discutiendum, ad eiusdem Concilii Patres transmitteretur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXII mensis Aprilis, anno MCMLXIII.

HAMLETUS IOANNES Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

Notae, quae singulis schematis capitibus adiciuntur, schematis partem non efficiunt, sed a Commissione Conciliari ideo exaratae sunt, ut Patribus schema pervestigantibus essent subsidio. Verba autem, initio singulorum numerorum litteris inclinatis inter uncos [ ] posita, in redactione definitiva tollentur ».

gregavit, sicut docet Apostolus: « unum corpus et unus Spiritus [7] sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma » (*Eph.* 4, 4-5). Etenim: « Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris ita et nos in novitate vitae ambulemus » (*Rom.* 6, 4). Ipse praeterea Ecclesiam suam ministeriis ditavit, quibus « secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate » (*Eph.* 4, 16). Hanc sanctam suam Ecclesiam aedificavit super fundamentum Apostolorum et Prophetarum,[3] atque collegio Duodecim universale mandatum docendi, regendi et sanctificandi concredidit,[4] inter quos Beatum Petrum, post eius fidei confessionem et maioris dilectionis professionem, elegit, ut fratrum suorum collegio praeesset,[5] singulos etiam in fide confirmando [6] et universum gregem in perfecta unitate pascendo,[7] Ipso summo angulari lapide Christo Iesu semper manente.[8]

Christus Iesus, per eorum eorumque successorum fidelem [8] Evangelii praedicationem et sacramentorum administrationem, Spiritu Sancto operante, familiam suam crescere voluit eiusque unitatem perfecit et manifestavit, in confessione unius fidei, in divini cultus communi participatione celebrationeque nec non in regiminis fraterna concordia.[9] Ita Ecclesia, unicus Dei grex in donorum divinorum varietate coadunatus, tamquam signum levatum in nationes apparet,[10] pacem annuntians toti generi humano,[11] peregrinans in spe ad patriae supernae metam.[12]

En unitatis Ecclesiae sacrum mysterium, cuius supremum exemplar et principium est unitas Patris et Filii in Sancto Spiritu.

2. [*De habitudine fratrum separatorum ad Ecclesiam Catholicam*]. In hac una et unica Dei Ecclesia iam a primordiis schismata quaedam exorta sunt; [13] posterioribus vero saeculis ampliores natae sunt dissensiones, et communitates haud exiguae a communione Ecclesiae Catholicae seiunctae.

Fratres autem qui in Christum quidem credunt et baptismum rite receperunt, sed perfecta Ecclesiae communione non fruuntur, quadam tamen communione nobiscum coniuncti sunt. Baptizati enim in Christo Iesu, christiano nomine iure decorantur, eosque Ecclesia ut filios agnoscit.[14]

Etenim ex elementis seu bonis, quibus simul sumptis ipsa Ecclesia constituitur et vivificatur, quaedam exstare possunt

[8] extra visibilia eius saepta: vita gratiae, aliaque interiora Spiritus Sancti dona, fides, spes et caritas, sed et nonnulla visibilia elementa, quibus quoque Ecclesiae unitas manifestatur.

Nonnullae etiam christianae religionis actiones sacrae apud fratres separatos peraguntur, quae, variis modis secundum diversam condicionem uniuscuiusque ecclesiae vel communitatis, procul dubio vitam gratiae reapse generare possunt atque aptae dicendae sunt ut ingressum in salutis communionem pandant.[15]

Item ipsae ecclesiae [16] et communitates separatae nequaquam in mysterio salutis significatione et pondere exutae sunt. Iis enim Spiritus Christi uti non renuit tamquam salutis mediis, quorum virtus derivatur ab ipsa plenitudine gratiae et veritatis quae Ecclesiae concredita est.[17]

Attamen fratres separati sive singuli sive communitates et ecclesiae eorum illa unitate non fruuntur, quam Iesus Christus iis omnibus dilargiri voluit, quos in unum corpus et in novitatem vitae regeneravit et convivificavit, quamque Sacra Scriptura et
[9] veneranda Ecclesiae Traditio manifeste ostendunt. In sola enim Catholica Christi Ecclesia, quae « generale auxilium salutis » est, omnis salutarium mediorum plenitudo attingi potest.[18]

3. [*De Oecumenismo*]. Deus qui « omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 4) per Ecclesiae ministerium, omnibus Christifidelibus, praesertim pastoribus, ius et officium contulit fidenter adnitendi ut illa haereditatis christianae plenitudo, qua una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia gaudet, in dies perfectius in mundo manifestaretur atque omnibus magis accessibilis redderetur.[19] Cum autem hodie ex omni parte mundi, Spiritu Sancto afflante,[20] oratione, verbo et opere multi conatus fiant accedendi ad illam plenitudinem unitatis, quam Iesus Christus voluit, haec Sancta Synodus cunctos fideles hortatur ut, signa temporis agnoscentes, thesauros veritatis et gratiae a divino Salvatore Ecclesiae commissos uberius participent eosque in vita sua palam ostendant.

Filios Ecclesiae procul dubio de aliis sollicitos esse oportet, sed in primis ipsimet sincero attentoque animo ea perpendere debent, quae in ipsa familia catholica renovanda et efficienda sunt ut eius vita et doctrina efficacius testimonium de veritate reddant.[21]

Quamvis enim Ecclesia Catholica omnem a Christo revelatam veritatem et omnia instrumenta gratiae possideat, tamen

membra eius non omni quo par est fervore ipsis utuntur, ita [9] ut vultus Ecclesiae fratribus separatis minus affulgeat. Quapropter catholici omnes ad perfectionem christianam tendere debent [22] atque eniti, quantum ad unumquemque eorum attinet, ut Ecclesia, gloriosa Christi sponsa, sine macula et ruga in praesenti saeculo appareat,[23] humilitatem et mortificationem Iesu in corpore suo portans.[24]

In necessariis unitatem custodiendo, fideles, in variis formis vitae spiritualis et disciplinae, in liturgicis celebrationibus et in theologicis veritatis elucubrationibus aliisque legitime diversis rectam libertatem libenter servent atque in omnibus caritatem colant: hac enim agendi ratione ipsi veri nominis catholicitatem in dies plenius possidebunt et manifestabunt, et ad hanc Ecclesiae catholicam domum omnibus aditus latius patefiet.[25]

Ex altera autem parte necessarium est catholicos cum gaudio agnoscere et aestimare bona vere christiana, quae apud fratres separatos inveniuntur. Vestigia enim Christi et dona Spiritus Sancti in vita aliorum agnoscere aequum et salutare est. Deus [10] enim semper mirabilis et mirandus est in operibus suis.

Neque est praetereundum, quaecumque a Spiritu Sancto in cordibus fratrum separatorum efficiuntur, eadem ad nostram quoque aedificationem conferre posse. Quodcumque vere christianum est, numquam germanis fidei bonis adversatur, sed contra semper efficere potest ut perfectius ipsum mysterium Christi et Ecclesiae attingatur.[26]

Attamen divisionibus christianorum splendor vultus Christi in Ecclesia aliquantum obscuratur et regni divini incrementum funeste retardatur.[27] Huiusmodi enim separationes impedimento Ecclesiae sunt, quominus ad effectum deducat plenitudinem catholicitatis sibi propriam in iis filiis, qui sibi quidem baptismate appositi,[28] sed ab ecclesiastica communione seiuncti sunt. Immo et pro ipsa Ecclesia difficilius fit plenitudinem catholicitatis sub omni respectu in ipsa vitae realitate exprimere. Nec vitari potest admiratio eorum qui divisionum inter christianos testes sunt.

Haec igitur Sancta Synodus Deo grates persolvit dum animadvertit, hoc tempore ubique in mundo tum in Ecclesia Catholica tum in ecclesiis et communitatibus christianorum separatorum preces fundi atque incepta iniri ut obstacula unitatem christianorum impedientia e medio tollantur et ut mutua aestimatio et comprehensio magis magisque foveatur.[29]

[10] Hac de causa Sancta Synodus omnes catholicos hortatur, ut abstineant a verbis, iudiciis et operibus quae fratrum separatorum condicioni secundum aequitatem et veritatem non respondent, ideoque mutuas cum ipsis rationes difficiliores reddunt. Deinde una cum illis efficaciter inquirant quomodo se melius mutuo cognoscere valeant, aestimare et adiuvare, adprecando et cooperando, ad Christi voluntatem fidelius exequendam.

Quae omnia sub voce oecumenismi veniunt, quippe qui motus sit et ordinata actio ad illam unitatem christianorum fovendam, quam Iesus Christus a Caelesti Patre flagrantibus postulavit precibus.[30]

Qua de causa Sacra Synodus gaudet in Ecclesia Catholica in dies huiusmodi oecumenismum augeri, eumque Episcopis ubique terrarum commendat, ut sollerter promoveatur et prudenter ab ipsis dirigatur.[31]

[11] NOTAE

[1] Cf. *1 Io.* 4, 9; *Col.* 1, 18-20; *Io.* 11, 52.
[2] Cf. *Io.* 16, 7.
[3] Cf. *Eph.* 2, 20.
[4] Cf. *Mt.* 28, 18-20, collato *Mt.* 18, 18.
[5] Cf. *Mt.* 16, 18, collato *Mt.* 18, 18.
[6] Cf. *Lc.* 22, 32.
[7] Cf. *Io.* 21, 15-18.
[8] Cf. *Eph.* 2, 20.
[9] Leo XIII, Epist. Encycl. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896: *A.A.S.,* 28, 1895-1896, p. 710: « Ex quo consequitur, in magno eodemque pernicioso errore versari, qui ad arbitrium suum fingunt Ecclesiam atque informant quasi latentem minimeque conspicuam: item qui perinde habent atque institutum quoddam humanum cum temperatione quadam disciplinae ritibusque externis, at sine perenni communicatione munerum gratiae divinae, sine rebus iis, quae haustam a Deo vitam quotidiana atque aperta significatione testentur. Nimirum alterutram esse posse Iesu Christi Ecclesiam tam repugnat, quam solo corpore, vel anima sola constare hominem. Complexio copulatioque earum duarum velut partium prorsus est ad veram Ecclesiam necessaria, sic fere ut ad naturam humanam intima animae corporisque coniunctio ».
[10] Cf. *Is.* 11, 12.
[11] Cf. *Eph.* 2, 17-18, collato *Mc.* 16, 15.
[12] Cf. *1 Petr.* 1, 1-9.
[13] Cf. *1 Cor.* 11, 18-19.
[14] Ioannes XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram,* 29 iun. 1959: *A.A.S.,* 1959, p. 515: « Sinite fratres et filios dulci vos desiderio appel-

lemus; ... Eos igitur omnes, qui a Nobis seiuncti sunt, tamquam fratres verbis alloquimur S. Augustini dicentis: " Velint, nolint, fratres nostri sunt. Tunc esse desinent fratres nostri, si desierint dicere: Pater Noster " (S. AUG., *In Ps. 32, Enarr. II,* 29: *PL* 36, 299) ». [11]

In eadem Encycl. pp. 516-517: « Quamobrem ad omnes fratres ac filios Nostros, qui ab hac Beati Petri Cathedra disiuncti sunt, haec repetimus verba: Ego sum... Ioseph, frater vester ».

[15] Cf. quoad communitates orientales dissidentes:

IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram*: *A.A.S.,* 51, 1959, p. 515.

PIUS XII, *Alacre Studium*: *A.A.S.,* 37, 1945, p. 600.

Mgr. CH. JOURNET: « La transmission ininterrompue de l'exercice valide du pouvoir d'ordre à l'intérieur des Eglises dissidentes est un témoignage émouvant des profondeurs de la volonté salvifique de Dieu, qui, en continuant de dispenser de cette manière les grâces de contact de son sacrifice et de ses sacrements... nous révèle son étonnant dessein de commencer en quelque sorte à former l'Eglise en dehors de l'Eglise... » (*L'Eglise du Verbe Incarné,* I. La Hiérarchie Apostolique, 2ème édit., Desclée, 1955, p. 652). Auctor citat circa illam quaestionem L. BILLOT, *De Ecclesia Christi,* Romae 1921, p. 339.

Quoad omnes communitates christianas dissidentes: [12]

Cf.: LEO XIII, Epist. *Longinqua Oceani,* 6 ian. 1895: *A.S.S.,* 27, 1894-1895, p. 399.

LEO XIII, Epist. Encycl. *Caritatis studium,* 25 iulii 1898: *A.S.S.,* 31, 1898-1899, p. 11.

PIUS XI, Litt. Encycl. *Lux veritatis,* 25 dec. 1931: *A.A.S.,* 23, 1931, p. 510.

J. GRIBOMONT, OSB, *Du Sacrement de l'Eglise et de ses réalisations imparfaites,* in: *Irénikon,* 22, 1949, pp. 356-357.

[16] In traditione ecclesiastica nomen « Ecclesiae » communitatibus orientalibus dissidentibus *saepe* et *constanter* attribuitur: cf. sequentia documenta Ecclesiae:

1074-1075: S. GREGORIUS VII loquitur de « Ecclesia Constantinopolitana » (*PL* 148, 385-387) et de « Ecclesia orientali » (*PL* 148, 399-400).

1095: URBANUS II inter fines expeditionis Sacrae Crucis « liberationem Ecclesiarum orientalium » enumerat (ita VILLEY, *La Croisade,* p. 81).

1215: CONC. LATERAN. IV loquitur de « Graecorum Ecclesia » (MANSI 22, 989). Ita et GREGORIUS IX (MANSI 23, 58 A, C, E et 59 B et C).

1274: CONC. LUGDUN. II: Etsi hic non agitur de Ecclesiis orientalibus adhuc separatis, suum valorem habet id quod in fine professionis fidei Michaelis Palaeologi dicitur: « Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit: quarum multas et patriarchales praecipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata praerogativa tum in generalibus Conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva » (MANSI 24, 70 A s.).

1439: CONC. FLORENT.: In Definitione *Laetentur caeli,* 6 iul. 1439 legitur: « sublatus est enim de medio paries qui occidentalem orienta-

[12] lemque dividebat Ecclesiam » [*Conciliorum Oecumenicorum Decreta,* Herder (1962), p. 500].

1848: Pius IX, in Litt. ad Orientales, *In Suprema,* 6 ian. 1848, haec habet: « num ipsa haec Sanctae et Apostolicae Ecclesiae unitas in tanta illa vestrarum Ecclesiarum divisione, inveniri possit » (*Pii IX P. M. Acta,* vol. I, p. 85).

1867: Pius IX in *Alloc.* in Concistorio circa Patriarchatum Ciliciae Armenorum, 12 iul. 1867, observat quod schisma orientale « ipsas Ecclesias ab unitate catholica iamdiu misere seiunxit et separavit... Etsi vero aliquae ex illis Ecclesiis ad catholicam unitatem... redierint... » (*A.S.S.,* 3, 1867, p. 345).

1868: Pius IX, *Arcano divinae Providentiae,* titulum habet: « Litterae apostolicae Pii IX ad omnes episcopos Ecclesiarum Ritus Orientalis communionem cum Apostolica Sede non habentes ». Aliquoties quoque in ipsa epistola communitates illae separatae « Ecclesiae » vocantur (*A.S.S.,* 4, 1868, pp. 129-131).

1894: Leo XIII, Epist. Apost. *Praeclarae gratulationis,* 20 iun. 1894, loquitur de « Ecclesiis orientalibus » et dicit: « redintegrata nobiscum communione, mirum profecto quanta Ecclesiis vestris dignitas, quantum decus, divino munere accedit » (*A.S.S.,* 26, 1893-1894, p. 709).

[13] 1898: Leo XIII, Litt. Apost. *Cum divini Pastoris,* 25 maii 1898, titulum sequentem habet: « Litterae apostolicae de erectione Archisodalitatis precum et piorum operum pro reditu Ecclesiarum dissidentium ad catholicam unitatem... » (*Leonis XIII P. M. Acta* 18, 1898, p. 49).

1907: S. C. Indulgentiarum dicit: « Ad impetrandam optatam inter Ecclesiam Catholicam et Ecclesias ab hac dissidentes unionem ».

1912: S. Pius X, Const. Apost. *Tradita ab antiquis,* 14 sept. 1912, haec habet: « pax Ecclesiae graecae cum latina » (*A.A.S.,* 4, 1912, p. 610).

1920: Benedictus XV, Litt. Encycl. *Spiritus Paraclitus,* 15 sept. 1920, dicit: « Atque utinam his monitis obsequantur orientales in primis Ecclesiae, quae iam nimium diu a Petri Cathedra averso sunt animo » (*A.A.S.,* 12, 1920, p. 421).

1924: Pius XI, in *Alloc.* in Concistorio, 18 dec. 1924, « de Orientis Ecclesiarum doctrinis institutisque... » (*A.A.S.,* 16, 1924, p. 491).

1928: Pius XI, Litt. Encycl. *Mortalium animos,* 6 ian. 1928, loquitur de acatholicorum actione « ad consociandas christianas Ecclesias » (hic autem « Ecclesia » magis sumi videtur in sensu sociologico) (*A.A.S.,* 20, 1928, p. 9).

1944: Pius XII, Litt. Encycl. *Orientalis Ecclesiae decus,* 9 april. 1944, pluries communitates orientales separatas « Ecclesias orientales » vocat (*A.A.S.,* 36, 1944, pp. 129 ss.).

1945: Pius XII, Litt. Encycl. *Orientales omnes Ecclesias,* 23 dec. 1945, agit de communitatibus separatis (patet ex *A.A.S.,* 38, 1946, p. 33) et dicuntur quandoque « societates » (p. 59), quandoque « Ecclesiae », v. g. p. 56: « Cum dissidente Ecclesia coniunctio »; insuper: *A.A.S.,* 38, 1946, pp. 35, 36, 42, 45, 46, 47, 48.

1953: Pius XII, Litt. Encycl. *Orientales Ecclesias,* 15 dec. 1952: *A.A.S.,* 45, 1953, p. 5: agitur hic de communitatibus separatis.

[17] IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram*: *A.A.S.*, 51, 1959, p. 511; cf. quoque: *Alloc.* eiusdem Summi Pontificis, occasione « Horae Sanctae » in Basilica Vaticana, 5 iunii 1959: *L'Osservatore Romano,* 7 iunii 1959; eiusdem S. Pontificis *Alloc.* ad moderatores dioecesanos Act. Catholicae Italicae: *L'Osservatore Romano,* 10-11 aug. 1959; eiusdem S. Pontificis Litt. Encycl. *Grata recordatio,* 26 sept. 1959: *A.A.S.,* 51, 1959, pp. 677-678. [13]

[18] S. C. S. OFFICII, *Epist.* ad R. J. Cushing, Archiepiscopum Bostoniensem, 8 aug. 1949: « Idem autem suo modo dici debet de Ecclesia, quatenus generale Ipsa auxilium salutis est ». « Quandoquidem ut quis aeternam obtineat salutem, non semper exigitur ut reapse Ecclesiae tamquam membrum incorporetur, sed id saltem requiritur, ut eidem voto et desiderio adhaereat » (*The American Ecclesiastical Review,* 127 [oct. 1952] p. 308).

[19] IOANNES XXIII, *Allocutio* in Petriana Basilica ad consilia coetusque Concilio Vaticano II apparando, 14 nov. 1960: *A.A.S.,* 52, 1960, p. 1007: « Ad catholicam ergo huiusmodi familiam nostrum unusquisque pertinet: pertinet fidelis, sacerdos pertinet, et iusta officiorum habita ratione, pertinet Episcopus: idque profecto compagem illam contingit, qua Filius Dei Fundator Ecclesiae corpus a se conditum coagmentavit, tum generis humani universitatem intuitus, tum futurum, quod fine caret, [14]
aevum. Quibus nuntiatis rebus, nemo sane non intelligit, Venerabiles Fratres et dilecti filii, Nos iisdem unitatem significare, caritatem, praeclarissimas virtutes, atque charismata meliora, quorum Sanctus Paulus in data ad Corinthios epistula init numerum, ut non modo iis animum addat, sed etiam ad virtutem eos excitet (cf. *1 Cor.* 12 et 13). O quantopere hominum mentes permovent et ad excelsa quaeque erigunt haec Apostoli gentium verba, quae precationem illam Christi Iesu veluti referunt, pridie quam pateretur implorantis, ut unum omnes essent, quorumque solus a longinqua illa aetate ad hanc nostram quodammodo ingeminari videtur, et ab ipsis christianorum sectis percipi, ... ».

[20] S. C. S. OFFICII, *Instr. De motione oecumenica,* 20 dec. 1949: *A.A.S.,* 42, 1950, p. 142.

[21] IOANNES XXIII, *Allocutio* Capitulo Generali Congregationis Ss.mi Sacramenti (*L'Osservatore Romano,* 30 iunii 1961): « Dobbiamo respingere le facili illusioni, giacchè, quando fosse attuato l'ideale completo, sarebbe veramente l'ora beata di chiudere tutte le nostre porte e case, ed avviarci, in coro osannante, al Paradiso. Ci vorrà molto, invece, prima che tutte le nazioni del mondo si rendano perfettamente conto del Messaggio Evangelico; ed inoltre occorrerà non lieve fatica a far cambiare mentalità, pregiudizi di quanti hanno un passato dietro di sè; e bisognerà pure, in qualche modo, esaminare ciò che il tempo, le tradizioni, gli usi hanno cercato di inserire, sovrapponendosi alla realtà e alla verità. Resta, però, intatto e ardente, il voto di rispondere all'anelito di unità enunciata dal Divino Maestro, e tutto il nostro impegno perchè, un giorno, i popoli d'ogni latitudine siano stretti con i dolcissimi vincoli dell'unico Credo della Chiesa Santa di Dio ».

[22] Cf. *Iac.* 1, 4; *Rom.* 12, 1-2.

[14] [23] Cf. *Eph.* 5, 27.

[24] Cf. *2 Cor.* 4, 10; *Phil.* 2, 5-8.

[25] IOANNES XXIII, *Ad Petri Cathedram*: *A.A.S.*, 51, 1959, pp. 510-511.

[26] Cf. PIUS XI, In Audientia 9 ianuarii 1927 (Federazione Universitaria Cattolica Italiana), *L'Osservatore Romano,* 10-11 ian. 1927: « Ma anche ai cattolici manca talvolta la pietà fraterna, perchè manca la conoscenza. Non si conosce tutto quello che c'è di prezioso, di buono, di cristiano in quei frantumi dell'antica verità cattolica. I massi staccati da una roccia aurifera, sono auriferi anch'essi. Le venerabili cristianità orientali conservano una tale veneranda santità di cose, che meritano non solo tutto il rispetto, ma anche tutta la simpatia ».

[27] S. C. S. OFFICII, *Instr. De motione oecumenica*: *A.A.S.*, 42, 1950, p. 144.

[28] Cf. *Act.* 2, 41.

[29] S. C. S. OFFICII, *Instr. De motione oecumenica,* 20 dec. 1949: *A.A.S.,* 42, 1950, p. 147.

[30] IOANNES XXIII, Motu proprio *Superno Dei Nutu,* 5 iunii 1960: *A.A.S.,* 52, 1960, p. 436.

[31] S. C. S. OFFICII, *Instr. De motione oecumenica*: *A.A.S.*, 42, 1950, p. 147.

[15]

CAPUT II

DE OECUMENISMI EXERCITIO

Ad omnium Christifidelium munus officiumque pertinet unionis instaurandae sollicitudo, quae fraternam coniunctionem inter omnes christianos existentem iam quodammodo manifestat, atque ad plenam perfectamque unitatem secundum Dei benevolentiam conducit.

4. [*De interiore Ecclesiae renovatione*]. Omnis interior Ecclesiae renovatio,[1] utpote quae essentialiter in christianorum adaucta fidelitate erga suam ipsorum vocationem consistat, causa procul dubio est cur motus versus unitatem properetur. Ad id non parum conferre potest dialogus cum fratribus separatis, ex quo clarius innotescit conditio in qua communio nostra de facto versatur. Spiritualis fidelium renovatio igitur insigne obtinet momentum oecumenicum. Variae autem illae christianae vitae significationes, per quas haec renovatio iam efficitur — motus biblicus nec non liturgicus, praedicatio Verbi Dei atque catechesis, laicorum apostolatus, vitae religiosae novae formae, matrimonii spiritualitas, doctrina et activitas Ecclesiae in re sociali, — tamquam pignora et auspicia quaedam sunt habenda, quae futuros oecumenismi catholici successus fauste portendunt.

5. [*De conversione cordis*]. Oecumenismus veri nominis [15] absque interiore conversione non datur. A Spiritu divino imploranda nobis est gratia sincerae abnegationis, humilitatis et mansuetudinis in serviendo, fraternae in alios propensionis. « Obsecro itaque vos », Apostolus gentium affirmat, « ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in caritate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis » (*Eph.* 4, 1-3). Exhortatio haec ad illos praesertim spectat, qui ad sacri ordinis dignitatem evecti sunt; Deus enim sacri sacerdotii excelsa dona hominibus misericorditer concedit eo consilio ut continuetur missio Christi, qui inter nos venit « ministrare non ministrari » (*Mt.* 20, 28).

Ex sui ipsius abnegatione atque ex caritatis liberrima effu- [16] sione proficiscuntur et maturescunt desideria unitatis, quae Spiritus Sanctus tam abunde hodie in omnium christianorum cordibus excitat.

6. [*De sanctitate vitae*]. Meminerint omnes christifideles se christianorum unionem eo melius promovere, immo exercere, quo puriorem et magis evangelicam vitam degere student. Quo enim altiore communione cum Patre, Verbo et Spiritu uniuntur, eo intimius atque facilius mutuam fraternitatem augere valent. Sciant insuper omnes haud parvo fratribus separatis offendiculo esse tepiditatem atque peccaminosam vitam illorum qui catholico nomine decorantur; cum contra eorum sanctitas coram omnibus palam testatur plenitudinem haereditatis qua in Ecclesia sese frui asseverant.

7. [*De oratione unanimi*]. Sollemne est viris catholicis frequenter ad precationem convenire pro Ecclesiae unitate, quam Salvator Ipse in pervigilio mortis a Patre flagranter expostulavit: « Ut omnes unum sint » (*Io.* 17, 21). Omnes libenter ad eiusmodi publicas oecumenismi spiritualis significationes occurrant, qui tamquam anima totius motus oecumenici revera existimandus est.

In quibusdam peculiaribus rerum adiunctis, cuiusmodi sunt supplicationes quae « pro unitate » indicuntur atque in oecumenicis conventibus, licitum, immo et opportunum est catholicos viros cum fratribus separatis in oratione consociari. Communes precationes in eiusmodi adiunctis, remota quavis com-

[16] municatione in cultu officiali, habendae sunt et perefficax medium supplicationis pro unitate et genuina significatio vinculorum, quibus catholici cum fratribus separatis adhuc coniunguntur; [2] « ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (*Mt.* 18, 20).

Attamen nexus isti, proh dolor, solummodo ex parte ac imperfecte vigent, ac propterea Eucharistiae sacrae mysteria in unum simul celebrare non licet.

8. [*De fratrum mutua cognitione*]. Fratrum separatorum animum cognoscere oportet. Ad hoc necessario requiritur studium, quod secundum veritatem et animo benevolo peragatur. Catholici acquirant oportet omnino meliorem fratrum separato- [17] rum doctrinae et historiae, vitae cultualis et asceticae cognitionem, psychologiae religiosae nec non culturae, quae fratrum separatorum propria est.[3] Ad id assequendum multum iuvant de theologicis quaestionibus ex utraque parte conventus, dummodo qui in illis partem habent, sub praesulum vigilantia, vere periti sint.[4] Hac via et separatorum fratrum mens melius cognoscitur eisque fides nostra aptius exponitur.

9. [*De oecumenica instructione*]. Sacrae theologiae institutio, quae in seminariis et theologicis scholis viget, haud parum utilitatis accipit ex pleniore hac cognitione, quae melius veritati respondeat. Multum enim interest futuros pastores ac sacerdotes pollere theologia ita adamussim elaborata, non mere polemica, in iis imprimis, quae ad fratrum separatorum erga Ecclesiam catholicam relationes spectant. Institutio enim ac formatio spiritualis fidelium nec non religiosorum a formatione sacerdotum quam maxime pendet. Sed etiam missionales viri, qui in iisdem terris simul ac non catholici operam dant, si alias umquam, hodie praesertim instructi esse debent de utilitatibus, quae ex oecumenismo in eorum apostolatum proficiscuntur.

10. [*De modo exprimendi et exponendi doctrinam fidei*]. Fides nostra integre et lucide exponatur oportet omnino. Nil ab oecumenismo tam alienum est quam ille falsus irenismus, quo puritas doctrinae catholicae detrimentum patitur vel eius sensus genuinus et certus obscuratur.[5]

Simul autem fides nostra eo modo eaque ratione explicanda est, qua intelligi possit etiam a fratribus separatis, qui per-

saepe theologica institutione, cultura, historia et psychologia, a [17] nostra admodum diversa, pollent.

Modus ac ratio fidem nostram exprimendi nullatenus obstaculum fieri debet dialogo cum fratribus. In id intentos nos esse oportet, ut fidem nostram et profunde et recte et perspicue exponamus; itemque omnis cura adhibenda est, ut modo et sermone loquamur, qui ab omnibus possit vere comprehendi.

11. [*De cooperatione cum fratribus separatis*]. Hodiernis temporibus in re sociali cooperatio latissime instauratur; omnes prorsus homines ad communem operam vocantur, potiore ratione ii, qui in Deum credunt, maxime autem omnes christiani utpote Christi nomine insigniti. Omnium christianorum cooperatio coniunctionem illam, qua iam inter se uniuntur, vivo modo ex- [18] primit communemque Christianismi notam in pleniorem lucem ponit. Cooperatio haec, in non paucis nationibus iam instaurata, magis magisque perficiatur oportet, in regionibus praesertim, quarum evolutio technica est in cursu, sive in rectis ponendis humani consortii fundamentis, sive in doctrina sociali Ecclesiae promovenda, sive etiam in cuiusvis generis remediis adhibendis contra nostrae aetatis aerumnas, cuiusmodi sunt fames et calamitates, analphabetismus et inopiae, penuria habitationum et bonorum non aequa distributio. Ope eiusmodi cooperationis, omnes qui in Christum credunt facile addiscere possunt, quomodo alii alios melius cognoscere atque pluris aestimare possint atque adeo ad unitatem christianam via sternatur.[6]

NOTAE

[1] IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram,* 29 iunii 1959: *A.A.S.,* 51, 1959, p. 511: « Quae quidem suavissima spes iam Nos duxit vehementerque excitavit ad propositum illud publice enuntiandum, Oecumenicum videlicet cogendi Concilium, ad quod sacrorum Antistites, de gravibus religionis rebus tractaturi, ex universo terrarum orbe convenient, ea praesertim de causa, ut ad Catholicae Fidei incrementum et ad rectam christiani populi morum renovationem deveniatur, utque ecclesiastica disciplina ad nostrorum temporum necessitates rationesque aptius accommodetur ».

INNOCENTIUS III, *Sermo VI in Concilio Generali Lateranensi* habitus: *PL* 217, 674: « Ego autem illius invoco testimonium, qui testis est in caelo fidelis, quod non carnali sed spirituali desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum: non propter commoditatem terrenam, aut

[18] gloriam temporalem, sed propter reformationem universalis Ecclesiae, ad liberationem potissimum Terrae Sanctae: propter quae duo principaliter et praecipue hoc Sacrum Concilium convocavi » (cf. etiam *PL* 216, 824).

CONC. LATERAN. V, Const. Sess. XII, 16 martii 1517: « Leo episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio. Constituti iuxta verbum prophetae, meritis licet imparibus, super gentes et regna, officii nostri debitum decenter exequimur, cum universi status ecclesiastici, ac universalis ecclesiae, eorumque negotiorum reformationem per nos utiliter factam innovamus... » (*Conciliorum Oecumenicorum Decreta,* Herder 1962, pp. 626, 39; 627, 3).

[2] S. C. S. OFFICII, *Instr. De motione oecumenica*: *A.A.S.,* 42, 1950, p. 146, sub V: « Quamquam in omnibus hisce conventibus et collationibus quaelibet in sacris communicatio est devitanda, tamen non reprobatur communis recitatio Orationis Dominicae vel precationis ab Ecclesia Catholica approbatae, qua iidem conventus aperiantur et concludantur ».

[19] [3] PIUS XII, Litt. Encycl. *Sempiternus Rex,* 8 sept. 1951: *A.A.S.,* 43, 1951, p. 642: « Explanat profecto iter, quo assequenda est huiusmodi meta, tranquillior sine ira et studio indagatio, qua magis quam exactis aetatibus vetera gesta retexi atque perpendi nunc solent ».

[4] S. C. S. OFFICII, *Instr. De motione oecumenica*: *A.A.S.,* 42, 1950, p. 145: « Ad colloquia autem inter theologos catholicos et acatholicos mittantur tantummodo sacerdotes, qui, scientia theologica et firma sua adhaesione ad principia et normas hac in re ab Ecclesia statutas, ad illa vere idoneos se probaverint ». Haec debent fieri « singulari prorsus Ordinariorum vigilantia » (*Ibid.* p. 144).

[5] *Ibid.* p. 144: « Cavendum est enim ne spiritu, qui " irenicus " hodie dicitur, doctrina catholica — sive de dogmate sive de veritatibus cum dogmate connexis agatur — studio comparativo et desiderio vano assimilationis cuiusdam progressivae variarum professionum fidei ita conformetur vel quodammodo accommodetur doctrinis dissidentium, ut puritas doctrinae catholicae detrimentum patiatur vel eius sensus genuinus et certus obscuretur ».

[6] *Ibid.* p. 145: Permittuntur conventus cum acatholicis, quando agitur de via, qua « collatis viribus principia fundamentalia iuris naturae vel religionis christianae defendantur contra colligatos hodie Dei inimicos vel agitur de ordine sociali redintegrando aliisve id genus quaestionibus ».

[20]

CAPUT III

DE CHRISTIANIS AB ECCLESIA CATHOLICA SEIUNCTIS

I – DE ECCLESIARUM ORIENTALIUM PECULIARI CONSIDERATIONE

12. [*De Orientalium condicione*]. In unitate omnium christianorum fovenda, haec Sacrosancta Synodus condicioni Orientalium specialem debitamque adhibere considerationem opportu-

num esse censuit. Ecclesiae enim Orientales a primaevis tempo- [20] ribus propriam sibi tenent mentem atque historiam et instituta, quae recte existimari debent ab illis qui in laborem oecumenicum incumbere volunt. Ut ex historia constat, separationum ansam praebuerunt formae modique diversi quibus haereditas ab Apostolis accepta est, quique inde ab ipsis Ecclesiae primordiis hic et illic varie explicati sunt, ratione diversi ingenii nec non dissimilitudinis rerum adiunctorum.

Quae, igitur, de elementis communionis ecclesiasticae, in aliis communitatibus adhuc servatis, dicta sunt, maxime ad Orientales Ecclesias pertinent.[1]

13. [*De mente atque historia Orientalium propria*]. Ecclesiae Orientis et Occidentis per non pauca saecula suam propriam viam secutae sunt, in fraterna tamen communione fidei et vitae sacramentalis, arbitra Sede romana ex communi consensu si circa fidem vel disciplinam dissidium aliquod inter eas oreretur.[2] Sacrosanctae Synodo gratum est, inter cetera gravis momenti, omnibus in mentem revocare in Oriente non paucas particulares seu locales Ecclesias ab ipsis apostolis originem duxisse. Quapropter apud Orientales praevaluit atque praevalet sollicitudo et cura illas servandi fraternas necessitudines in fidei caritatisque communione quae inter locales Ecclesias ut inter sorores vigere debent.[3]

Praetermittendum praeterea non est, Ecclesias Orientales proprium ab origine habere thesaurum, ex quo plura in rebus liturgicis, in traditione spirituali et in iuridico ordine, Ecclesia Occidentalis deprompsit. Neque illud parvi faciendum est, fundamentalia dogmata christianae fidei de Trinitate et de Verbo Dei, ex Virgine Deipara incarnato, in Conciliis oecumenicis in [21] Oriente celebratis definita sunt.[4]

14. [*De huius peculiaris condicionis necessaria consideratione*]. Quapropter Sacrosancta Synodus opportunum ducit pastores et fideles monere ut quam diligenter et amanter omnia nascentis crescentisque Orientalis Ecclesiae prae oculis habeant, ii praesertim qui ad instaurationem plenae canonicae et spiritualis communionis inter Ecclesias Orientales et Ecclesiam Catholicam incumbere intendunt: debita enim illorum consideratio ac recta de eorum momento aestimatio quam maxime ad restaurationem intentam confert. Haec consideratio imprimis spectat ad fraternam communionem quam inter se profitentur in vita ecclesia-

[21] stica, itemque ad antiquitatem et apostolicam originem quibus iure gloriantur.

15. [*De Orientalium liturgica et spirituali traditione*]. Omnibus quoque notum est quanto cum amore christiani orientales liturgica Sacra peragant, quibus fidei et caritatis communionem manifestant et roborant, Deum Patrem hominum amatorem filiali prosequuntur devotione, Dominum Iesum glorificant Deum et Salvatorem qui nos effecit « divinae consortes naturae » (*2 Petr.* 1, 4), Spiritum Sanctum vivificantem invocant. In hoc liturgico cultu Mariam semper Virginem, quam Oecumenica Synodus Ephesina sollemniter Deiparam Sanctissimam proclamavit, ut vere et proprie Christus Filius Dei et Filius Hominis secundum Scripturas agnosceretur, pulcherrimis hymnis magnificant.

Eandem venerationem haec Sacra Synodus significare intendit erga illas traditiones spirituales quas praesertim monachismus pulcherrime expressit. In Oriente enim inde a gloriosis SS. Patrum temporibus floruit spiritualitas illa monastica, quae in partes Occidentalium translata est, et ex qua religiosum latinorum institutum tamquam e suo fonte originem duxit atque novam virtutem accepit.[5] Quapropter haec Sacrosancta Synodus enixe commendare vult ut accedatur ad has spirituales Patrum Orientalium divitias quae hominem totum ad divina contemplanda evehunt.

Ad plenitudinem traditionis christianae fideliter custodiendam et ad reconciliationem Orientalium et Occidentalium christianorum perficiendam maxime interest, eximium hoc patrimo-
[22] nium spirituale et liturgicum cognoscere, venerari, conservare, fovere.

16. [*De Orientalium propria disciplina*]. Cum porro unitati Ecclesiae minime obstet, immo decorem eius augeat et ad missionem eius implendam non parum conferat quaedam morum consuetudinumque diversitas, praesertim Sanctorum Patrum institutis sancita, Sacra Synodus principium hoc de diversitate in unitate sollemniter affirmat. Perfecta huius traditionalis principii observantia, quae saepe nimis servata non est, ad ea pertinet quae ad unionem restaurandam omnino tamquam praevia condicio requiruntur.[6]

17. [*De indole propria Orientalium in divinis tractandis*]. Quae supra de legitima diversitate in rebus liturgicis et discipli-

naribus dicta sunt, eadem placet Sacrosanctae Synodo etiam de [22] diversa theologica doctrinarum expressione declarare. Veritate sacrae revelationis unica et integra manente, methodo tamen diversa Oriens et Occidens ad divina cognoscenda et confitenda protenduntur. Unde mirum non est quosdam aspectus mysterii revelati quandoque magis congrue percipi et in meliorem lucem poni ab hoc quam ab illo, ita ut variae illae theologicae formulae potius inter se compleri dicendae sint quam discrepare. Ad traditionem theologicam authenticam Orientalium propriam quod attinet, iure merito agnoscendum est, eam in Sacris Scripturis radicatam esse, vita liturgica iugiter foveri et exprimi, operibus Orientalium Ecclesiae Patrum nutriri, ad rectam vitae spiritualis institutionem immo ad christianam veritatem plene contemplandam tendere.[7]

Quantum ad viam unitatis sternendam et ad integram communionem inter Orientem et Occidentem restituendam eiusmodi Orientalium Patrum et spiritualium auctorum studium conferre possit, nemo est qui non videat.

18. [*De necessariis condicionibus ad unionem feliciter restaurandam*]. Quapropter, haec Sacrosancta Synodus in memoriam revocat id quod a Sacris praeteritis Conciliis nec non a Romanis Pontificibus declaratum est, nempe ad communionem et unitatem restaurandam opus esse « nihil ultra imponere oneris quam necessaria » (*Act.* 15, 28). Oportet etiam ad naturam relationum intendere quae inter Ecclesias Orientales et Sedem Romanam ante separationem vigebant, ex quibus officium Romanae Sedis, [23] cuius est praesidere in caritate, insigniter elucebat. Paries enim occidentalem orientalemque dividens Ecclesiam, quem Concilium Florentinum de medio sublatum declaravit, denuo interponitur; eundem auferre hodierna die toto corde et animo, opitulante gratia Dei, intendimus, ut unica fiat mansio, angulari lapide Christo Iesu, qui faciet utraque unum.[8]

II - DE COMMUNITATIBUS INDE A SAECULO XVI EXORTIS

19. [*De propria harum communitatum condicione*]. Imprimis cum Ecclesia Catholica in Occidente peculiari affinitate ac necessitudine iunguntur, ob diuturnam praeteritis saeculis in ecclesiastica communione peractam vitam, illae Communitates chri-

[23] stianae, quae in gravissimo rerum discrimine, quo occidentalis christianitas opprimebatur, saeculo XVI exortae sunt.

Ante omnia hae Communitates transcendentiam revelationis Dei in Christo, quam homo tantum ex gratia Dei participare potest, extollere intendebant, hoc tamen principium eo usque prementes, ut ad negationem mediationis essentialis Ecclesiae perventum sit.

Ad has etiam Communitates christianas animum vertere cupimus, cum nobiscum tam caris et sacris vinculis deviciantur, scilicet ipso Iesu Christi Nomine et Sacramento Baptismatis; illi namque vere fratres nostri cum caritate Christi vivere valent et supernaturalibus donis elevari possunt.

Communitates autem illae propter diversitatem originis, doctrinae et vitae spiritualis inter se adhuc non parum differunt; immo obliviscendum non est, in Occidentis quoque regionibus adesse Communitates quae etiam mediis salutis, e sacerdotio valido promanantibus, gaudent.

20. [*De Confessione Christi*]. Mens nostra in eos imprimis christianos fertur, qui Dominum nostrum Iesum Christum Deum et Salvatorem palam confitentur, secundum Scripturas, atque coniunctim respondere enituntur communi vocationi, ad solius Dei gloriam, Patris et Filii et Spiritus Sancti.[9] Ex hac fidei professione vires sibi hauriunt, opitulante Dei gratia, ad vitam christianam haud sine magnanimitate et fortitudine probe agendam. In Christum enim devote intendentes, iidem Salvatoris desideria
[24] et invitamenta ad unitatem magis magisque in animis percipiunt. Desiderio unionis cum Christo flagrantes, iidem compulsi sunt ad testimonium fidei suae ubique apud gentes etiam reddendum.

21. [*De Sacrorum librorum studio*]. In Libris Sacris, maxime Novi Testamenti, Christum sibi loquentem inveniunt, a prophetis praeannuntiatum, Verbum Dei pro nobis caro factum. Ibique vitam Christi contemplantur, nec non ea quae Divinus Magister ad salutem hominum et docuit et peregit, praesertim vero mortis et resurrectionis eius mysteria. Sacra eloquia etenim, quae universi christiani in communi habent, veluti medium pretiosissimum inserviunt ad dialogum instaurandum, immo eadem instrumenta prostant in potenti manu Dei ad illam unitatem adipiscendam, quam Salvator omnibus hominibus offert. Scrip-

turarum amor et veneratio, veluti cultus quidam, eos ad non [24]
intermissa sollertiaque studia sacrae paginae adducit.

22. [*De Sacramento baptismi*]. Baptismi Sacramento, ubicumque rite iuxta Domini institutionem confertur ac debita animi dispositione accipitur, homo vere Christo incorporatur crucifixo et glorificato, atque in vitae divinae consortium regeneratur: « consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis » (*Col.* 2, 12).[10]

Baptismus igitur vinculum sacramentale constituit vigens inter omnes qui hoc regenerationis sacramentum acceperunt. Attamen baptismus per se dumtaxat initium et exordium est, quippe qui totus tendit in plenitudinem vitae in Christo ulterius acquirendam. Itaque baptismus expostulat integram fidei professionem, integram etiam incorporationem in salutis institutum, prout ipse Christus illud voluit, integram et completam denique in communionem eucharisticam insertionem.[11]

23. [*De vita cum Christo*]. Christiana eorum vita fide in Christum alitur, Scripturarum acceptatione atque sacramento baptismatis fovetur. Manifestatur autem in oratione privata et publica, in meditatione biblica, in cultu communitatis ad laudem Dei adunatae. Ceteroquin cultus eorum nonnumquam elementa conspicua antiquae liturgiae communis prae se fert.

Fides qua Christo creditur fructus affert in laude et gratiarum actione pro beneficiis divinitus acceptis: accedit sensus
iustitiae admodum vivus, et operosa caritas in proximos. Haud [25]
pauca etiam instituta ad miseriam spiritualem et corporalem sublevandam protulit, ad iuventutis educationem excolendam, ad sociales vitae condiciones humaniores reddendas, ad pacem universim constabiliendam.

Eximium baptismi valorem extollentes, illos praeterire nolumus, qui huius sacramenti realitatem non servant, attamen se Christo addictos profitentur eumque amore prosequuntur, spiritualem vitam Scripturis alitam et erga proximum caritatis opera naviter excolunt.

24. [*Conclusio*]. Fidenter igitur oculos ad futura convertimus. Quamquam monemus fideles, ut a quavis levitate vel im-

[25] prudenti zelo se abstineant, qui vero progressui in unitate revera nocere potest, laudanda tamen censemus incepta dialogi inter christianos, quo iidem iam invicem sunt sibi viciniores.

Unitatis studium, cuius signa ante omnium oculos sunt, non sine divini Spiritus afflatu certo progreditur. Spiritum Christi igitur, qui hoc desiderium unitatis in animis suscitat, ut illud etiam ad effectum adducat, haec Sacrosancta oecumenica Synodus fidenti oratione implorat.

NOTAE

[1] Leo XIII, Epist. Apost. *Praeclara gratulationis,* 20 iun. 1894: *A.S.S.,* 26, 1893-1894, p. 707: « Eo vel magis quod non ingenti discrimine seiunguntur; immo, si pauca excipias, sic cetera consentimus, ut in ipsis catholici nominis vindiciis non raro ex doctrina, ex more, ex ritibus, quibus orientales utuntur, testimonia atque argumenta promamus ».

[2] Cf. G. L. Hertling, S. I., *Communio, Chiesa e Papato nell'antichità cristiana,* Romae 1961.

Cf. quoque G. Bardy, *La théologie de l'Eglise de Saint Clément de Rome à Saint Irénée,* Paris 1945.

[3] Leo XIII, Litt. Apost. *Orientalium Dignitas,* 30 nov. 1894: *A.S.S.,* 27, 1894-1895, p. 258: « Inde enimvero, dum sua praecipuis Orientis Ecclesiis apostolica origo testatior constat, apparet simul et enitet earumdem cum Romana usque ab exordiis summa coniunctio ».

[4] Leo XIII, Litt. Apost. *Orientalium Dignitas*: *A.S.S.,* 27, 1894-1895, p. 257: « Apud illas enim, inita benignissimo Dei consilio humanae redemptionis primordia, celeriter ad ea properavere incrementa, ut laudes apostolatus et martyrii, doctrinae et sanctitatis primo honore floruerint, primam saluberrimorum fructuum laetitiam ediderint. Ex illis autem perampla beneficiorum vis in ceteros late populos mire profluxit ».

[26] [5] Iam tempore Patrum S. Benedictus in Regula sua momentum fontium monasticorum Orientalium agnoscit et commendat, inter quos expresse nominat Vitas Patrum nec non Regulam Sancti Basilii.

Cf. etiam Pium XII, Iis qui interfuerunt Conventui studiorum de Monachato virorum Orientalium, Romae habito (in allocutione 11 aprilis 1958): *A.A.S.,* 50, 1958, pp. 282-286, praesertim pag. 285: « Le monachisme oriental, en effet, bien qu'ayant conservé de précieux caractères spécifiques, est à l'origine des autres formes de monachisme chrétien, *et son influence, ainsi que Nous le notions à l'instant, se retrouve plus ou moins dans tous les grands ordres religieux* ».

[6] Leo XIII, Litt. Apost. *Orientalium Dignitas*: *A.S.S.,* 27, 1894-1895, p. 258: « Praestantissimum id esse existimamus ad incolumitatem disciplinae Orientalium propriae, cui valde semper tribuimus animum curasque adiicere... Siquidem in rituum orientalium conservatione plus inest

quam credi possit momenti. Augusta enim, qua varia ea rituum genera nobilitantur, antiquitas, et praeclaro est ornamento Ecclesiae omni, et fidei catholicae divinam unitatem affirmat ». [26]

LEO XIII, Motu proprio *Auspicia rerum,* 19 martii 1896: *A.S.S.,* 28, 1895-1896, p. 589: « Quippe rei catholicae valde nimirum interest eam omnibus tolli ac dilui opinionem, quae quosdam ex Orientalibus antehac tenuit, perinde ac si de ipsorum iure, de privilegiis, de rituali consuetudine vellent Latini detractum quidquam aut deminutum ».

[7] PIUS XII, Litt. Encycl. *Orientalis Ecclesiae decus,* 9 apr. 1944: *A.A.S.,* 36, 1944, pp. 137-138: « Itemque aestimatione debita ea omnia amplectatur oportet, quae Orientalibus gentibus fuere, peculiare veluti patrimonium, a maioribus tradita; simul quae ad sacram Liturgiam et ad Hierarchicos Ordines spectent, simul etiam quae ad ceteras christianae vitae rationes pertineant, modo eadem cum germana religionis fide rectisque de moribus normis penitus concordent. Sit enim necesse est singulis universis orientalis ritus populis in rebus omnibus, quae a sua cuiusque historia a suoque cuiusque ingenio atque indole pendent, legitima libertas, quae tamen a vera et integra Iesu Christi doctrina non discrepet ».

[8] CONC. FLORENT., Definitio, *Laetentur Caeli,* 1439 (cf. *Conciliorum Oecumenicorum Decreta,* Herder, 1962, p. 500).

[9] Cf. *Nouvelle Delhi* 1961, Ed. Delâchaux et Niestlé, Neuchâtel-Paris (1962), p. 147.

[10] Cf. *Rom.* 6, 4.

[11] Cf. *Act.* 2, 42.

CAPUT IV * [3]

DE CATHOLICORUM HABITUDINE AD NON CHRISTIANOS ET MAXIME AD IUDAEOS

Postquam de Oecumenismi Catholici principiis tractavimus, silentio praeterire nolumus, quod eadem, habita ratione diversae condicionis, applicari debent, cum agitur de modo colloquendi et cooperandi cum hominibus non christianis, qui tamen Deum colunt, vel saltem bona animati voluntate, legem moralem hominis naturae insitam, pro conscientia servare student.

Maxime autem hoc valet cum de Iudaeis agitur, quippe qui cum Ecclesia Christi speciali ratione coniungantur.

Ecclesia Christi grato animo agnoscit fidei et electionis suae

* Textus cap. IV schematis *de Oecumenismo* Patribus distributus est in congregatione generali sexagesima tertia, die 8 novembris 1963.

[3] initia, iuxta Dei salutare mysterium, iam inter Patriarchas et Prophetas inveniri. Omnes enim Christifideles, Abrahae filios secundum fidem (cf. *Gal.* 3, 7) in eiusdem Patriarchae vocatione includi et in populi electi exitu ex terra servitutis Ecclesiae salutem mystice praesignari confitetur. Nequit Ecclesia, nova in Christo creatura (cf. *Eph.* 2, 15), oblivisci se continuationem esse populi illius quocum olim Deus ex ineffabili misericordia sua Antiquum Foedus concludere dignatus est.

Credit insuper Ecclesia Christum, Pacem nostram, uno amore et Iudaeos et Gentes complecti et utraque fecisse unum (cf. *Eph.* 2, 14) atque amborum in uno corpore unione (cf. *Eph.* 2, 17) annuntiari totius orbis terrarum in Christo reconciliationem. Etsi populi electi magna pars interim longe manet a Christo, iniuria tamen diceretur populus maledictus, cum Deo maneat carissimus propter Patres et dona eis data (cf. *Rom.* 11, 28), vel gens deicida, quia omnium hominum peccata, quae causa fuerunt passionis et mortis Iesu Christi, Dominus passione et morte sua luit (cf. *Lc.* 23, 34; *Act.* 3, 17; *1 Cor.* 2, 8). Mors tamen Christi non a toto populo tunc vivente, et multo minus ab hodierno populo adducta est. Ideo caveant sacerdotes ne quid dicant in instructione catechetica neque in praedicatione, quod in cordibus auditorum, odium aut despectionem erga Iudaeos gignere possit. Neque obliviscitur Ecclesia ex hoc populo natum esse Christum [4] Iesum secundum carnem, natam esse Mariam Virginem, Christi Matrem, natos esse Apostolos, Ecclesiae fundamentum et columnas.

Quare cum tantum Ecclesiae sit cum synagoga commune patrimonium, Sacra haec Synodus utriusque mutuam cognitionem et aestimationem, quae studiis theologicis et colloquiis fraternis obtinetur, omnino fovere et commendare intendit et insuper, sicut iniurias hominibus ubicumque inflictas severe reprobat, ita etiam magis odia et persecutiones contra Iudaeos, sive olim sive nostris temporibus perpetratas, materno animo deplorat et damnat.

CAPUT V * [5]

DE LIBERTATE RELIGIOSA

Huius capitis momentum ac necessitas neminem fugit, qui considerare velit, quantum recta libertatis religiosae consideratio conferat ad contactus et relationes sereno et pacato animo instaurandos sive inter christianos, sive generatim in ordinata hominum societate.[1]

Ecclesia catholica omnes et singulos homines, qui in adoptionem filiorum Dei praedestinati sunt, instanter hortatur ut in praesentibus culturae et morum circumstantiis omnia studia sua convertant ad defendendum honorem Dei et dignitatem personae humanae ab Eo creatae et redemptae. Quapropter, reiecto vetere discordiae fermento, in novis azymis sinceritatis et caritatis, aestiment et promoveant veritates et valores inter ipsos communes. Sed insimul, quod spectat ea in quibus unanimis consensus nondum attingitur, non tantummodo attendant ad Sacra et absoluta Dei iura necnon ad veritates seu obiecta quae semper observanda sunt, sed etiam ad iura et officia personarum seu subiectorum quibus veritati adhaerendum est. Haec omnia Dei dona in Verbo hominibus tributa sunt ut in hoc saeculo inveniatur tutamentum mentis et corporis ab omnibus qui a Spiritu Sancto moventur ut ad domum Patris communis libere accedant.

1. Ecclesia Catholica, ut divino obtemperet mandato: « docete omnes gentes ... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis » (*Mt.* 28, 19-20), infatigabili cura elaborare debet « ut sermo Dei currat et clarificetur » (*2 Thess.* 3, 1) et omnes « unanimes, uno ore honorificent Deum et Patrem Domini nostri Iesu Christi » (cf. *Rom.* 15, 6).

Hac de causa adiurat filios suos « primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus... Hoc enim bonum est... coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 1-4). Sed praeterea ipsos adhortatur ut, in sapientia ambulantes ad eos, qui foris sunt (cf. *Col.* 4, 5), « in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis » (*2 Cor.* 6, 6-7) lumen vitae diffundere satagant mediis naturae et gratiae quibus ipse Dominus usus est, praedicatione nempe doctrinae, exemplo vitae et testimonium perhibendo veritati (cf. *Io.* 18, 37) usque ad proprii sanguinis effusionem.

---

* Textus cap. V schematis *de Oecumenismo* Patribus distributus est in congregatione generali septuagesima, die 19 novembris 1963.

[4] 2. Quamdiu tamen sunt in statu viae, discipuli Christi cum officio veritatem annuntiandi et defendendi semper et ubique coniunctam habebunt obligationem amanter, prudenter et patienter agendi cum hominibus qui nondum ad plenam Evangelii cognitionem pervenerunt. Etenim usque ad consummationem saeculi errores circa fidem spargentur et fideles indesinenter videre debebunt ne quis eos seducat (cf. *Mt.* 24, 3-15). Praeterea ab ipsis agnoscendus et admittendus est modus progressivus et humanus quo Deus homines ad suam veritatem et suum amorem allicit. Respiciendum igitur est non tantum ad officia erga verbum vivificans quod praedicandum est, sed etiam ad iura et mensuram gratiae quae personae ad fidem libere admittendam invitatae a Deo tribuuntur.

Haec est ratio cur Ecclesia filios suos hortatur ut veritatem facientes in caritate (cf. *Eph.* 4, 15), dum homines ad fidem veram adducere conantur, semper curent ut ab ipsis, qui ad imaginem Dei creati sunt (cf. *Gen.* 1, 27), assensus ne detur nisi cum plena libertate et non reprehendente corde eorum (cf. *1 Io.* 3, 21). In annuntiatione veritatis ab omni coactione abstinendum est.[2] Error reiiciendus est, veritas praedicanda, persona errantis circa fidem ad veritatem allicienda.[3] Attamen quamdiu in errore invincibili versatur, haec persona humana aestimatione digna est atque eius libertas religiosa ab Ecclesia agnoscitur et vindicatur.[4]

Et revera haec libertas religiosa, seu immunitas ab externa coactione natura actus fidei postulatur. Nam homo a Salvatore redemptus et « in adoptionem filiorum per Iesum Christum » (*Eph.* 1, 5) vocatus, revelationi divinae adhaerere non potest nisi ex una parte Pater traxerit eum (cf. *Io.* 6, 44) et ex altera parte rationabile ac liberum Deo praestiterit fidei obsequium. His de causis Ecclesia Catholica praecipit et mandat: « ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur » (*C.I.C.*, can. 1351).

3. Eadem libertas religiosa non tantum a christianis, sed ab omnibus et singulis hominibus et a communi hominum conviventia observanda est.[5]

Humana enim persona, activitate conscia et libera praedita, cum voluntatem Dei tantummodo adimplere possit prout lex divina mediante dictamine conscientiae percipitur, finem suum ultimum obtinere nequit nisi iudicium conscientiae prudenter efformando eiusque dictamen fideliter exsequendo. Ideo homo qui conscientiae suae sincere obedit, ipsi Deo, etsi quandoque confuse vel inscie, obedire intendit et honore dignus aestimandus est.

Hanc rationem profundius scrutando prae oculis habenda est sequens consideratio:

In unoquoque actu morali ponendo homo observare debet duas sequentes exigentias: [5]

1) Unica datur Veritas quae est ipse Deus. Iura Dei sunt absoluta et unusquisque homo semper et ubique sese submittere debet sacrae voluntati Dei.

2) Deus qui hominem ad imaginem suam liberum creavit, ab ipso petit submissionem liberam, i. e. ex perspecta voluntate divini imperatam obedientiam.

In omni actu morali ponendo personae humanae problema aliquod obicitur. Ipse personaliter sub Dei lumine et adiutorio, adhibitis omnibus mediis informationis (pro homine christiano hoc est i. a. doctrina Ecclesia) et ratione habita iurium aliorum videre debet quid Dei voluntas a sua libertate exigat. Ex natura rei in hoc problemate solvendo nec ullus alius homo, nec ulla humana potestas sese ipsi substituere valet.

Quae cum ita sint, si, non obstantibus omnibus suis conatibus ad recte videndum quid Deus in concreto problemate ab ipso petat, persona humana erroneam solutionem admittit, nec ullus homo, nec ulla humana potestas ius habet sese huic conscientiae erranti substituendi a. v. in ipsam coercitionem exercendi.

Ecclesia catholica intolerantiam religiosam summo gradu odiosam atque offensivam erga personam humanam esse declarat.[6] Ipsa enim homo privatur libertate sua in observandis iis dictaminibus conscientiae suae quae ipsi etiam bona fide erranti ut suprema et sacratissima apparent.

4. In materia religiosa praedicta externae coactionis exclusio ab Ecclesia catholica vindicatur non ut mera « libertas opinionis » nec ut mera « libertas adimplendi ritus propriae religionis », sed ut vera « libertas religiosa » seu ius personae ne ab aliis impediatur quominus observet et proclamet officia sua publica et privata erga Deum et erga homines, singulariter vel collective sumptos, prout conscientia manifestantur. Ecclesia catholica affirmat talem libertatem religiosam competere tum singulis personis humanis tum coetibus hominum, qui exigentiis suae conscientiae adducuntur ut collatis viribus vitam religiosam ducant vel promoveant.[7]

5. Haec libertas personalis realiter et effective non agnoscitur si in activitate externa et publica implicari non potest. Quare in humana conviventia et in societate civili nemo externo exercitio suae libertatis privari potest, dummodo, sicut bono communi exigitur, iura quoque aliorum salva remaneant.[8]

[6] Ideo in vita publica exercitium externum libertatis conscientiae impediri non potest nisi contradicat bono communi seu ordini obiectivo iurium Dei Creatoris et Salvatoris et inalienabilium iurium et libertatum personae humanae.[9]

Pro omnibus civibus in materia exercitii libertatis illud « minimum » in tuto esse debet sine quo ex una parte essentialis autonomia humanae personae non illaesa remaneret, et ex altera parte humana societas, constans ex conviventibus hominibus qui, peccato originali eiusque sequelis contaminati, errare possunt, de facto impossibilis redderetur.

Hac de causa haec Sacra Synodus solemniter declarat et inculcat conatus ad religionem ipsam sive in toto genere humano, sive in determinato coetu religioso penitus exstinguendam manifestissime et gravissime laedere iura Creatoris et Salvatoris hominum, iura quoque sacratissima conscientiae humanae et familiae gentium.

Potestas publica nequit imponere civibus professionem determinatae religionis tamquam conditionem ut pleno et integro iure vitae nationali et civili participare valeant. Potestas humana debet iustitiam et aequitatem observare erga omnes qui in re religiosa dictamini suae conscientiae obediunt.

Haec libertas religiosa pariter offenditur praeprimis damnatione mortis propter rationes religiosas, sed praeterea religionis causa peractis spoliatione bonorum, privatione eorum quae ad vitam decentem requiruntur, abnegatione aequalitatis socialis vel civilis, nationalitatis, competentiae ad actus civiles, exercitii eorum iurium fundamentalium quae concorditer a nationibus agnoscuntur.[10]

Reprobanda quoque est discriminatio, quae homini vel nationi iniuriam vel vexationem facit propter originem, colorem vel sanguinem.

Sacra Synodus solemniter affirmat ius ad libertatem conscientiae in re religiosa externe exercendam, salvo bono communi, semper et ubique valere et ab omnibus agnoscendum esse.

Nostris autem temporibus ubique terrarum libertas religiosa speciali modo urgenda est quia in dies frequentiores fiunt relationes quibus homines disparis cultus et diversae religionis inter se connectuntur.[11]

6. Quum grassante materialismo hodierno fundamenta omnis religionis et societatis corrodantur, Ecclesia catholica nuncupata vota facit ut quicumque christiano nomine honorantur, quantum fieri potest secundum exigentias sanae rationis, ordinem naturalem et depositum vitae christianae consertis precibus et viribus tueantur et promoveant, immo ut omnes homines bonae voluntatis, sive credentes sive nullam religio-

nem profitentes, simul operam dent ad ordinandam societatem secundum normas morales ex ipsa dignitate personae humanae profluentes.[12] [7]

7. Quae normae quamvis fundamentum commune ad instaurandum ordinem vere humanum praebeant, a Christifidelibus tamen non ut unica et suprema norma considerandae sunt. Fide constat hominem ad imaginem Dei factum et in Dei adiutorem constitutum, in vita sua dirigenda et in labore suo perficiendo, regi posse ac debere praecepto caritatis, quo munus perficiendae creationis (*Gen.* 1, 28; 2, 5 et 15) et servitium sociale, quod omni activitati bona culturae humanae producenti intrinsecum est, in aedificationem Ecclesiae (*1 Cor.* 24, 5) et in gloriam Dei (*1 Cor.* 10, 31) ordinantur.

NOTAE

[1] Modo suo oecumenico decretum proponit altam doctrinam Ioannis Pp. XXIII in Litt. Encycl. *Pacem in terris*. Duo sunt praecipua capita doctrinae:

1) « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri » (*A.A.S.*, 55, 1963, p. 260);

2) huic iuri officium respondet illud agnoscendi et colendi; quod officium incumbit *a*) omnibus aliis hominibus (*ibid.*, p. 264), et maxime *b*) rei publicae curatoribus (*ibid.*, pp. 273-74).

Doctrinam hanc sui praedecessoris fel. record. apertis verbis sanxit Paulus VI glor. regn.: « Ob huiusmodi dolores quanta afficimur tristitia, et quam vehementer dolemus, cum cernimus in quibusdam territoriis religiosam libertatem, sicut alia praecipua hominis iura, opprimi eorum principiis et artibus, qui opiniones a suis diversas de re politica, de hominum stirpibus, de cuiusvis generis religione non tolerant. Dolemus praeterea tot adhuc iniurias alicubi iis esse illatas, qui religionem suam honeste ac libere profiteri velint » (Allocutio ad Patres Concilii Oecumenici Vaticani II, 29 septembris 1963, Typis Polyglottis Vaticanis, p. 36).

Haec porro doctrina proponitur ut terminus hodiernus longioris evolutionis tum in doctrina catholica de dignitate personae humanae tum in Ecclesiae pastorali sollicitudine pro hominis libertate. In hac evolutione principium continuitatis est ipsa haec doctrina atque sollicitudo. Principium vero progressus est duplex distinctio, quae ab Ecclesia lentius facta est, quaeque a Ioanne Pp. XXIII clare tandem est affirmata. Primo, distinguendum est inter falsas ideologias, quas vocant, et incepta atque instituta, quae ordinem civilem et politicum contingunt ut haec, quatenus cum rectae rationis praeceptis congruant, probari possint, illis ideologiis falsis constanter reiectis (cf. *ibid.*, p. 300). Deinde, distinguendum est inter errores religiosos et personam humanam bona fide errantem, ut iura, quae ad dignitatem libertatemque humanam pertineant, adhuc agnosci et coli debeant, illis ipsis erroribus immutabiliter denegatis (cf. *ibid.*, pp. 299-300).

His accedit, quod rerum eventus continuo mutabilis occasionem praebuit veri nominis progressus in doctrina Ecclesiae in eiusque sollicitudine pastorali, ut his

[8] diebus ad amplissimum humanae libertatis patrocinium suscipiendum Ecclesia obstringatur, quod est explendum et doctrina magisteriali et omnium fidelium actuositate (cf. *ibid., fere passim*). Etenim Ioannes Pp. XXIII, una cum veritate, iustitia, caritate, etiam libertatem effert, utpote quae est his nostris temporibus omnis bene ordinatae civitatis necessaria consuetudo (cf. pp. 266, 268, 279, 297, 301). Quod utique est in documentis Ecclesiae simul novum quid, simul traditioni alte catholicae quid consentaneum quam maxime.

Enimvero sicut olim, ita hodie, ab Ecclesia damnatur libertas conscientiae illa, quam praedicaverunt rationalismi fautores, hoc fundamento innixi, quod individua conscientia exlex est, ut nullis sit normis obnoxia divinitus traditis. Damnatur etiam hodie, sicut olim, libertas cultus illa, cuius principium est indifferentismus religiosus, ex radice relativismi doctrinalis deductus. Neque minus hodie, quam olim, damnatur illa separatio Ecclesiae a Statu, quae dicitur, quam proponit theoria rationalistica de iuridica omnicompetentia Status, secundum quam Ecclesia intra ipsum organismum Status incorporetur necesse est, ut sit potestati statali subiecta. Integram plenamque vim suam retinent hae damnationes olim latae, quia inconcussum manet earum principium, quod est doctrina catholica de hominis dignitate et sollicitudo catholica pro veri nominis libertate. Dignitas enim hominis in hoc reponitur, quod soli Deo vivo et vero serviat, et libertas hominis in hoc maxime manifestatur, quod hoc servitium sit liberum, ad rectam normam propriae conscientiae praestitum.

Ast hoc idem principium nostris his temporibus ad novas ducit conclusiones, quas efformare coeperunt Romani Pontifices recentiores. Periculum enim non iam adest, ne falsi nominis libertas dignitati humanae iniuriam faciat, quod olim accidit. Novum adest periculum, ne libertatis humanae omne genus nova quadam tyrannide obruatur, pereunte primo libertate religiosa quod absit. Pro sua ergo aucta sollicitudine curaque erga hominis dignitatem, doctrinam traditionalem novo modo, nostris temporibus accommodato, aptaverunt recentiores Romani Pontifices. Collocant enim inter iura hominis praecipua ius ad liberum exercitium religionis in societate, iuxta dictamina conscientiae rectae, sive vera sit conscientia sive errore veritatis aut impari rerum sacrarum cognitione bona fide capta (cf. *Pacem in terris, A.A.S.*, 55, 1963, p. 299). Eamdem doctrinam eamdemque, quae ei subest, sollicitudinem proponit praesens *Decretum de Libertate Religiosa.*

[2] Cf. Pius XII, Alloc. ad Praelatos auditores ceterosque officiales et administros Tribunalis S. Romanae Rotae, 6 oct. 1946: *A.A.S.*, 38, 1946, p. 394, ubi citatur a R. P. Pro Memoria Secretarius Status ad Legationem Yugoslaviae ad Sanctam Sedem: « D'après les principes de la doctrine catholique, la conversion doit être le résultat, non pas de contraintes extérieures mais de l'adhésion de l'âme aux verités enseignées par l'Eglise catholique. C'est pour cela que l'Eglise catholique n'admet pas dans son sein les adultes, qui demandent à y entrer ou à y faire retour, qu'à la condition qu'ils soient pleinement conscients de la portée et des conséquences de l'acte qu'ils veulent accomplir ». Idem, Litt. Encycl. *Mystici Corporis*, 29 iunii 1943: *A.A.S.*, 35, 1943, p. 243: « At si cupimus non intermissam eiusmodi totius mystici Corporis conprecationem admoveri Deo, ut aberrantes omnes in unum Iesu Christi ovile quam primum ingrediantur, profitemur tamen omnino necessarium esse id sponte libenterque fieri, cum nemo credat nisi volens. Quamobrem si qui, non credentes, eo reapse compelluntur ut Ecclesiae aedificium intrent, ut ad altare accedant, sacramentaque suscipiant, ii procul dubio veri

christifideles non fiunt; fides enim, sine qua " impossibile est placere Deo " (*Hebr.* 11, 6), liberrimum esse debet " obsequium intellectus et voluntatis " (Conc. Vat., *Const. de fide catholica,* cap. 3). Si igitur aliquando contingat, ut contra constantem Apostolicae huius Sedis doctrinam, ad amplexandam catholicam fidem aliquis adigatur invitus, id Nos facere non possumus quin, pro officii nostri conscientia, reprobamus ». [9]

[3] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.,* 55, 1963, pp. 299-300: « Omnino errores ab iis qui opinione labuntur semper distinguere aequum est, quamvis de hominibus agatur, qui aut errore veritatis aut impari rerum cognitione capti sint, vel ad sacra ad optimam vitae actionem attinentium. Nam homo ad errorem lapsus iam non humanitate instructus esse desinit, neque suam umquam personae dignitatem amittit, cuius ratio est semper habenda. Praeterea in hominis natura numquam facultas perit et refragandi erroribus et viam ad veritatem quaerendi. Neque umquam hac in re providentissimi Dei auxilia hominem deficiunt. Ex quo fieri potest, ut, si quis hodie vel perspicuitate egeat, vel in falsas discesserit sententias, possit postmodum, Dei collustratus lumine, veritatem amplecti ».

[4] Cf. PIUS XII, Alloc. *Vous avez voulu,* 7 sept. 1955: *A.A.S.,* 37, 1955, p. 679: « Aux non catholiques l'Eglise applique le principe repris dans le Code du Droit Canon, " Ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur " (canon 1351), et estime que leurs convictions constituent un motif, mais non toutefois le principal, de tolérance ».

[5] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.,* 55, 1963, pp. 260-261: « In hominis iuribus hoc quoque numerandum est, ut et Deum, ad rectam conscientiae suae normam, venerari possit, et religionem privatim publice profiteri ». Cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 24 dec. 1942: *A.A.S.,* 35, 1943, p. 19, ubi inter « iura fundamentalia personae » hoc etiam collocatur: « il diritto al culto di Dio privato e pubblico, compresa l'azione caritativa religiosa ». Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Mit brennender Sorge,* 14 martii 1937: *A.A.S.,* 29, 1937, p. 160: « Der gläubige Mensch hat ein unverlierbares Recht, seinen Glauben zu bekennen und in den ihm gemässen Formen zu betätigen. Gesetze, die das Bekenntnis und die Betätigung dieses Glaubens unterdrücken oder erschweren, stehen in Widerspruch mit einem Naturgesetz ». Cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Libertas praestantissimum,* 20 iunii 1888: *Acta Leonis XIII,* 8, 1888, pp. 237-238: « Illa quoque magnopere praedicatur, quam conscientiae libertatem nominant; quae si ita accipiatur ut suo cuique arbitratu aeque liceat Deum colere, non colere, argumentis, quae supra allata sunt, satis convincitur. Sed potest etiam in hanc sententiam accipi, ut homini ex conscientia officii Dei voluntatem sequi et iussa facere, nulla re impediente, in civitate liceat. Haec quidem vera, haec digna filiis Dei libertas, quae humanae dignitatem personae honestissime tuetur, est omni vi iniuriaque maior, eademque Ecclesiae semper optata ac praecipue cara ».

[6] Iuri ad libertatem religiosam, sicut ceteris naturae iuribus, respondet officium in aliis hominibus: cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.,* 55, 1963, p. 264: « Quibus probatis, consequens est etiam, ut in hominum consortione unius hominis naturali cuidam iuri officium aliorum hominum respondeat; officium videlicet ius illud agnoscendi et colendi ». Hoc officio praecipue tenetur potestas publica: « Verum cum nostra hac aetate commune bonum maxime in humanae personae servatis iuribus et officiis consistere putetur, tum prae-

[10] cipue in eo sint oportet curatorum rei publicae partes, ut hinc iura agnoscantur, colantur, inter se componantur, defendantur, provehantur, illinc suis quisque officiis facilius fungi possit » (*ibid.*, pp. 273-274). Et citatur PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 1 iunii 1941: *A.A.S.*, 33, 1941, p. 200: « Inviolabilia iura tueri, hominum propria, atque curare, ut facilius quisque suis muneribus defungatur, hoc cuiusvis publicae potestatis officium est praecipuum ».

[7] Commemoranda est hoc loco expositio constitutionalismi, qui dicitur, a Ioanne XXIII data in Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: cf. *A.A.S.*, 55, 1963, pp. 278-279, in contextu totius documenti. Est enim huiusmodi constitutionalismus, qui sane religioni christianae plurimum debet, doctrina de iuridiciali et politica civitatis compositione secundum quam « potestas publica suapte natura ad tutandum communitatis bonum spectat, cuius princeps officium est agnoscere honestos libertatis fines eiusque iura sarta tecta servare » (*ibid.*, pp. 285-286). Immo ad constitutionalismum vero sensu christianum pertinet illud quod praedicavit Leo XIII, Litt. Encycl. *Sapientiae christianae,* 10 ian. 1890: *A.S.S.*, 22, 1889-90, p. 396: « Dubitari vero salva fide non potest, istiusmodi regimen animorum Ecclesiae esse assignatum uni, nihil ut in eo sit politicae potestati loci; non enim Caesari, sed Petro claves regni caelorum Iesus Christus commendavit ». Agit igitur ultra vires, et rem sacram, quae homo est, maxime violat potestas publica, quando sese regimini animorum vel curae animarum immiscet.

[8] Quod pertinet ad dignitatem illam civilem, secundum quam dignitas humana in publicum prodit; cf. PIUS XII, *Nuntius radiophonicus,* 24 dec. 1944: *A.A.S.*, 37, 1945, p. 14: « In un popolo degno di tal nome il cittadino sente in se stesso la coscienza della sua personalità, dei suoi doveri e dei suoi diritti, della propria libertà congiunta col rispetto della libertà e della dignità altrui ». Hoc loco commendat Romanus Pontifex etiam illud « ideale di libertà e di uguaglianza » (*loc. cit.*), quod in Statu democratico, iuxta sana rationis principia ordinato, obtineat necesse est, quodque postulat, ut hominis ius in societate ad liberum exercitium religionis plene agnoscatur, colatur, defendatur, provehatur.

[9] Quod attinet ad intolerantiam religiosam ex parte potestatis publicae, suprema principia tradit Pius XII, Alloc. *Ci riesce,* 6 dec. 1953: *A.A.S.*, 35, 1953, pp. 798-799: « Può darsi che in determinate circostanze Egli (Dio) non dia agli uomini nessun mandato, non imponga nessun dovere, non dia persino nessun diritto d'impedire e di reprimere ciò che è erroneo e falso? Uno sguardo alla realtà dà una risposta affermativa ». Et, allato exemplo divinae providentiae, pergit: « Quindi l'affermazione: Il traviamento religioso e morale deve essere sempre impedito, quanto è possibile, perchè la sua tolleranza è in se stessa immorale, non può valere nella sua incondizionata assolutezza. D'altra parte, Dio non ha dato nemmeno all'autorità umana un siffatto precetto assoluto e universale, nè in campo della fede nè in quello della morale. Non conosco un tale precetto nè la comune convinzione degli uomini, nè la coscienza cristiana, nè le fonti della rivelazione, nè la prassi della Chiesa ».

[10] Cf. IOANNES XXIII, Litt. Encycl. *Pacem in terris,* 11 apr. 1963: *A.A.S.*, 55, 1963, pp. 295-296, ubi, quibusdam defectibus non obstantibus, commendatur Professio Universalis Iurium Humanorum, die 10 dec. 1948 a Foederatarum Nationum Coetu Generali rata habita: « Nihilominus Professionem eamdem habendam esse censemus quemdam quasi gradum atque aditum ad iuridicialem politicamque ordinationem constituendam omnium populorum, qui in mundo sunt. Siquidem ea

universis prorsus hominibus solemniter agnoscitur humanae dignitas personae, atque iura cuivis homini asseruntur veritatem libere quaerendi, honestatis sequendi normas, iustitiae officia usurpandi, vitam exigendi homine dignam, alia deinceps cum hisce coniuncta ». [11]

[11] Cf. PIUS XII, Alloc. ad Praelatos auditores ceterosque officiales administros Tribunalis S. Romanae Rotae, 6 oct. 1946: *A.A.S.*, 38, 1946, p. 393: « I sempre più frequenti contatti e la promiscuità delle diverse confessioni religiose entro i confini di un medesimo popolo hanno condotto i tribunali civili a seguire il principio della " tolleranza " e della " libertà di coscienza ". Anzi vi è una tolleranza politica, civile e sociale verso i seguaci delle altre confessioni, che in tali circostanze è anche per i cattolici un dovere morale ». Insuper, ad communitatem internationalem quod attinet, cf. PIUS XII, Alloc. *Ci riesce,* 6 dec. 1953: *A.A.S.*, 45, 1953, p. 797: « Gli interessi religiosi e morali esigeranno per tutta la estensione della Comunità (dei popoli) un regolamento ben definito, che valga per tutto il territorio dei singoli Stati sovrani membri di tale Comunità delle nazioni. Secondo le probabilità e le circostanze, è prevedibile che questo regolamento di diritto positivo verrà enunciato così: Nell'interno del suo territorio e per i suoi cittadini ogni Stato regolerà gli affari religiosi e morali con una propria legge; nondimeno in tutto il territorio della Comunità degli Stati sarà permesso ai cittadini di ogni Stato-membro l'esercizio delle proprie credenze e pratiche etiche e religiose, in quanto queste non contravvengano alle leggi penali dello Stato in cui essi soggiornano ». Secundum Romanum Pontificem, cives catholici et Status catholici moderatores possunt ex conscientia eiusmodi legi consentire.

[12] Cf. PIUS XI, Litt. Encycl. *Caritate Christi compulsi,* 3 maii 1932: *A.A.S.*, 24, 1932, pp. 178, 184; Litt. Encycl. *Divini Redemptoris,* 19 mart. 1937: *A.A.S.*, 29, 1937, p. 102; PIUS XII, Epist. Encycl. *Sertum Laetitiae,* 1 nov. 1939: *A.A.S.*, 31, 1939, p. 644; *Nuntius Radiophonicus,* 24 dec. 1939: *A.A.S.*, 32, 1940, p. 11; *Nuntius radiophonicus,* 1 sept. 1944: *A.A.S.*, 36, 1944, p. 251. Et iam olim LEO XIII, Litt. *Nous ne voulons pas,* 22 iunii 1892: *A.S.S.*, 25, 1892-93, pp. 69-70.

2 – EMENDATIONES

A CONCILII PATRIBUS SCRIPTO EXHIBITAE SUPER SCHEMA DECRETI

DE OECUMENISMO *

Hic fasciculus Patribus distributus est die 18 novembris 1963, in congregatione generali sexagesima nona.

PRAELIMINARIA

Schema De Oecumenismo, quod mense Aprilis 1963 impressum fuit, mense Maii Patribus Conciliaribus transmissum est, ut in scriptis suas animadversiones dare possint. Quod fecerunt 50 Patres personaliter, et alii collective, videlicet: Conferentia Episcopalis Paedemontana, Conferentia Episcopalis Argentinae, Conferentia Episcopalis Africae Meridionalis, aliqua Conferentia Episcopalis, cuius nomen non indicatur, Epp. Provinciarum Aquensis et Avenionensis et Dioecesium Massiliensis et Monoecensis, S. B. Maximos IV et Synodus Epp.orum Graeco-Melkitorum, Epp. Regionis Apostolicae Burdigalensis, Epp. Regionis Apostolicae Galliae Occidentalis, 11 Epp. Africae Centro-Orientalis, et nonnulli Ordinarii Indonesianenses.

Quamvis iudicium de mente Concilii certe tantum post disceptationem in aula conciliari habendam ferri possit, tamen animadversiones scriptis datae quoque sedulo perpendendae sunt.

ANIMADVERSIONES GENERALES

IUDICIUM GENERALE

Multi Patres schema magnopere laudant, cum firma principia oecumenismi catholicae veritati congruentia exhibeat (S. B. Maximos IV et Synodus Epp. Graeco-Melkitarum, Epp. Provinc. Aquensis et Avenionensis, Epp. Regionis Apost. Burdigalensis, Ordinarii Indonesianenses, Conf. Episc. Africae Merid., 11 Patres Africae Centro-Orientalis, Epp.

* Textus integri, a Patribus ad Concilii secretariam generalem missi, referuntur in Appendice, pp. 874 ss.

Shehan, Jaeger, Baudoux, [*Nguyen-van*] Hien, Helmsing, Seitz, PP. Janssens, Welykyj). Unus Pater in hoc insistit ut schema characterem suum descriptivum et practicum conservet (Welykyj). Duobus Patribus schema nimis indulgens esse videtur erga communitates non-catholicas et non in omnibus esse conforme theologiae catholicae traditionali (Card. Micara; Patr. Batanian). Uni Patrum magis convenire videtur titulus « De Oecumenismo Catholico » ad afferendam differentiam inter oecumenismum catholicum et acatholicum (Carli). Secundum animadversiones plurium Patrum schema de Oecumenismo magis conforme esse deberet doctrinae in schemate De Ecclesia expositae (Card. Richaud, Epp. Regionis Apost. Burdigalensis, Seitz).

De structura schematis

Ut unicum schema De Oecumenismo elaboretur, insertio partis secundae schematis De Ecclesiis Orientalibus in hoc schema decreti De Oecumenismo a nonnullis Patribus valde optatur (Baudoux, Dammert Bellido, 11 Patres Conciliares Africae Centro-Orientalis). Uni Patri videtur prooemium quoddam conficiendum esse, in quo 1° lugenda divisio inter christianos et 2° desiderium sincerum Ecclesiae componendi unionem omnium christianorum exprimantur, et 3° definitio « oecumenismi », « unitatis », « unionis », « unicitatis » clare exponatur (Carli). Secundum opinionem alterius Patris schema De Oecumenismo in duas partes dividendum esset, ita ut in prima parte ea tantum dicerentur de quibus omnes christiani consentiunt, in secunda autem parte ea quae a Sede Apostolica omnibus fidelibus credenda proponantur et ab omnibus aliis christianis amplectenda essent (Pearson).

Animadversiones relate ad stylum et orthographiam

Tres Patres animadvertunt in schemate quasdam repetitiones inutiles inveniri (Baldini, Carli, Janssens) et uni stylus latinus minus placet (Carli). Desiderari in modo scribendi quosdam terminos technicos (v. g. Sacramentum Baptismatis – sacramentum baptismatis) unitatem et constantiam unus Patrum notat (Przyklenk).

Difficultates relate ad praxim oecumenismi

Plures Patres periculum alicuius indifferentismi, praesertim apud rudiores, ex non satis prudenti devulgatione oecumenismi denuntiant (Epp. Provinciarum Aquensis et Avenionensis, Card. Micara, Fletcher,

Newman, Valerii). In textu insinuatio quaedam a duobus Patribus desideratur non omnes baptismos apud Protestantes validos esse (Card. Richaud, Patr. Batanian) et secundum unum Patrem apostolatus conversionis individuorum in schemate nominari deberet (Patr. Batanian). Optabile pluribus Patribus videtur ut magis explicite asseratur episcopos primos esse a quibus ratio oecumenismi iure repeti possit (Epp. Provinciarum Aquensis et Avenionensis). Oecumenismum pro diversis locis (regionibus catholicis, regionibus mixtae religionis) diversimode in praxim deducendum esse unus Patrum notat (Nicodemo). Plures Episcopi desiderant ut fiant varia directoria circa pastoralem curam de Oecumenismo (Epp. Provinciarum Aquensis et Avenionensis, Newman).

Suggestiones ad promovendum oecumenismum

Variae propositiones Patrum in hoc tendunt, ut oecumenismus efficacior evaderet. Ad hoc optandam esse humilem confessionem culparum etiam catholicorum relate ad divisionem christianorum nonnullis Patribus videtur (Card. Richaud, Pearson, Weber, Epp. Regionis Apostolicae Burdigalensis). Plures Episcopi desiderant ut in textu schematis efferatur gratiae Christi et non nostris meritis adscribendum esse, si in Ecclesia Catholica plenus ordo christianus conservatus sit (Ordinarii Indonesianenses). Unus Pater necessarium putat ut elementa positiva a Protestantismo conservata explicitius recognoscantur, ut activitas missionaria Protestantium apud paganos laudetur, et ut exemplum mutatae habitudinis ab Anglicanis praestitum erga Sanctam Sedem extollatur. Quaestionem de validitate ordinationum anglicanarum idem Episcopus ut nondum definitive solutam considerat. Pro methodo oecumenica rectum ordinem valorum christianorum servandum esse inculcat, secundum quem non omnes veritates fidei eundem locum in vita christiana tenent (Ferraz). Aliquis Pater, ob rationes oecumenicas, existimat expressionem « fratres separati » saepius quam par est adhiberi et quandoque expressione « alii christiani » substituendam esse; praeterea vocabulum « Communio » adhibendum esse ad designandas communitates christianas inde a saeculo XVI ortas, et expressiones « Romanus Pontifex » aut « Sedes Romana » substituendas esse expressionibus « Summus Pontifex » aut « Sedes Apostolica » (Baudoux). Idem Pater desiderat ut schema tractet de substantia baptismatis iuxta Domini institutionem et ut materia baptismi ad omnes modos ablutionis extendatur, qui hodie apud christianos a nobis seiunctos in usu sunt: scil. ad immersionem, infusionem, aspersionem, et madefactionem.

Unus Patrum proponit principia dogmatica quae fundamentum oecu-

menismi catholici constituunt explicite statuenda esse: fundationem Ecclesiae supra Petrum eiusque successores in episcopatu Romano et officium omnium hominum ingrediendi hanc unicam Ecclesiam Christi de necessitate salutis, necnon gravem obligationem omnis conscientiae deponendi dubium vertens circa legitimitatem ecclesiae seu communitatis in qua quis vivit. Catholici monentur de sano et prudenti proselytismo ad quem omnes ipso iure vocantur. « Oecumenismus deberet in fratribus separatis suscitare sanctam inquietudinem circa cognitionem verae Ecclesiae Christi » (Carli).

Ut pax et concordia inter homines augeantur, duo Patres existimant optandas esse declarationes de Libertate Religiosa, de Iudaeis et relatione christianorum cum eis, et de habitudine christianorum erga homines bonae voluntatis, ad quamcumque religionem pertineant (Helmsing, Pocock).

Quaestiones adhuc investigandae

Plures Patres rogant ut quaestio « De Communicatione in Sacris », de qua in vetere schemate De Ecclesia, cap. XI, n. 54, aliquid dictum fuit, in praesente schemate tractetur secundum hodiernum spiritum oecumenicum (Card. Ritter, Card. Richaud, Amadouni).

Plures Patres etiam quaestionem dogmaticam ponunt, utrum communitates christianae ab Ecclesia Catholica separatae apte « Ecclesiae » dicendae sint. Considerantes una ex parte unicam esse Ecclesiam Christi et quidem Catholicam et Romanam, altera ex parte vident expressionem « Ecclesiae Orientales » omnino consuetam esse etiam in documentis officialibus Sanctae Sedis. Quaeritur, ergo, utrum in aliquo schismate solummodo perplura membra christiana ab Ecclesia Catholica disiungantur et Ecclesia ut talis perfecta et indivisa remaneat, an in hac divisione contra Dei voluntatem facta ipsam Ecclesiam aliquo sensu divisam esse, ut Concilium Tridentinum affirmare videtur his verbis: Ecclesiam « in multas ac varias partes scindi » (Denz. 873[a]) (Conf. Episc. Paedemontana, Pearson, Przyklenk).

Caput I

DE OECUMENISMI CATHOLICI PRINCIPIIS

De capite in genere

1 – « Caput I optimum est in sua forma generica » (Amadouni); « aequilibratum, elegans, optimum videtur » (Gawlina).

2 – Dicatur: « ecclesiae non-catholicae », loco: « ecclesiae Orientales ».

Ratio: « Les catholiques orientaux unis à Rome mériteraient tout autant que les Frères non-catholiques la même dénomination d'Eglises Orientales » (Patr. Meouchi).

N. 1. [*De Ecclesiae unitate et unicitate*]

3 – Mutato titulo dicatur: « De Ecclesiae unicitate et unitate » (Carli).

4 – p. 7, l. 1: Inseratur initio textus S. Pauli Apostoli Eph. 3, 5-9 (Epp. Regionis Apostolicae Burdigalensis).

5 – p. 7, l. 1 - p. 8, l. 10: Abbrevietur haec paragraphus.

Ratio: Quae hic dicuntur, « in Schemate De Ecclesia iam dicta sunt » (11 Patres Conciliares Africae Centro-Orientalis).

6 – l. 8-9: Dicatur: « Ecclesiam mirabile unitatis sacramentum instituit », loco: « In Ecclesia sua mirabilis unitatis sacramentum instituit ».

Ratio: Aequivocatio cum sacramento Eucharistiae oriri potest (Ordinarii Indonesianenses).

7 – *ibid.*: Post « instituit » addatur: « Eucharistiam scilicet » (Carli).

8 – *ibid.*: Post « (*Io.*, 17 21) » addatur « Ipse » (Hien [1]).

9 – l. 10: Post verba « in aeternum » addatur: « et Ecclesiae est unitatis principium » (Jaeger).

---

[1] Nguyen-van Hien.

10 – l. 11-30: Haec paragraphus omittatur (SMIT).

11 – l. 11: Post « glorificatur » addatur: « per resurrectionem et ad Patrem ascensionem » (CARLI).

12 – l. 16-19: Omittantur verba: « Etenim... (*Rom.* 6, 4) » (CARLI).

13 – l. 19: Omittatur verbum « praeterea » (CARLI).

14 – l. 20: Dicatur: « charismatibus » loco « ministeriis » (CARLI).

15 – l. 22-30: Dicatur: « Hanc sanctam suam Ecclesiam, Seipso semper summo angulari lapide manente, Christus Iesus super Beatum Petrum Apostolum aedificavit, cui etiam, post eius fidei confessionem et dilectionis professionem, officium commisit ut fratrum suorum Collegio praeesset, singulos etiam in fide confirmando, et universum gregem in perfecta unitate pascendo; atque sive Petro separatim (cf. *Mt.* 16, 19) sive collegio simul Duodecim Apostolorum universale mandatum docendi, regendi et sanctificandi concredidit ».

Ratio: « In *Eph.* 2, 20 sermo esse videtur de fidelibus qui superaedificantur et crescunt, non autem de Ecclesia, uti tali, considerata in momento historico suae fundationis a Christo; « indubitatum est Christum explicite aedificasse Ecclesiam suam supra Petrum singulariter sumptum (*Mt.* 16, 18), quod in schemate mire tacetur! » (CARLI).

16 – p. 8, l. 1: Dicatur: « Apostolorum eorumque », loco: « eorum eorumque » (CARLI; SMIT).

17 – l. 2: Dicatur: « celebrationem », loco: « administrationem » (BAUDOUX).

18 – *ibid.*: Post « administrationem » addantur verba « et temperantiam disciplinae » (Conferentia episcopalis Argentinae).

19 – l. 4: Dicatur: « et visibilem effecit », loco: « et manifestavit » (CARLI).

20 – l. 5: Dicatur: « celebratione et participatione », loco: « participatione celebrationeque » (CARLI).

21 – l. 6: Dicatur: « in unitate magisterii et regiminis », loco: « in regiminis fraterna concordia » (Patr. BATANIAN; CARLI).

N. 2. [*De habitudine fratrum separatorum ad Ecclesiam Catholicam*]

22 – l. 13-16: Addatur: « pro diversis causis et saepe cum reciprocis culpis, aut saltem ignorantiis et diffidentiis » (WEBER).

23 – *ibid.*: Addendum esset indicatio et confessio peccatorum christianorum tamquam causarum separationum, sicut debilitas vitae christianae et defectus caritatis (Epp. Regionis Apostolicae Burdigalensis).

24 – l. 11, 12, 28, 37 et pass.: Dicatur: « fratres a nobis separati », loco: « fratres separati ».

Ratio: Separati sunt a nobis et nos sumus ab eis (Patr. MAXIMOS IV et Synodus Graeco-Melkitarum).

25 – l. 15: Dicatur: « graves quoque » vel « amplae quoque », loco: « ampliores ».

Ratio: « Quaeret quis num dissensiones hodiernae ampliores sint quam v. g. Arianismus » (JANSSENS).

26 – l. 16: Dicatur: « Ecclesiae », loco « Ecclesiae catholicae » (Epp. Prov. Aquensis et Avenionensis Dioec. Massiliensis et Monoecensis).

27 – l. 17-20: Dicatur: « Fratres autem seiuncti qui in Christum quidem credunt et baptismum rite receperunt licet perfecta Ecclesiae *Catholicae* communione non fruantur, *quibusdam* tamen *communibus vinculis* nobiscum coniuncti sunt. Baptizati... » (CARLI).

28 – *ibid.*: Dicatur: « Fratres seiuncti qui in Christum credunt et baptismum rite receperunt, *etsi* perfecta Ecclesiae communione non fruantur, quadam tamen cum eius communione coniuncti sunt » (Ordinarii Indonesianenses).

29 – l. 19: Dicatur: « cum Ecclesia », loco « nobiscum » (Epp. Prov. Aquensis et Avenionensis Dioec. Massiliensis et Monoecensis).

ibid.: Dicatur « communione coniuncti sunt », loco: « communione nobiscum coniuncti sunt » (SEITZ).

30 – *ibid.*: Dicatur: « vera quadam tamen » loco: « quadam tamen ».

Ratio: Auferri debet impressio « sensus minimizantis » (HIEN [1]).

---

[1] Nguyen-van Hien.

31 – p. 8, l. 22 - p. 9, l. 3: Dicatur: « Etenim cum Ecclesia ut signum tripliciter componatur, scil. professione fidei, sacramentis et uno regimine, quaedam ex eius elementis visibilibus etiam disiuncto modo verificari possunt, e. g. vel professio fidei plus minusve integrae, vel sive singula sive omnia sacramenta; quae elementa visibilia, sincero corde et cum voto verae Ecclesiae agnita et suscepta, vitam gratiae aliaque interiora Spiritus dona, imprimis caritatem, conferunt et internae unionis pignus constituunt. Ita ipsae ecclesiae et communitates separatae nequaquam in mysterio salutis significatione externa eiusque fructu interno exutae sunt. Eis enim Spiritus Christi uti non renuit tamquam salutis mediis, quorum virtus derivatur ab ipso signo pleno gratiae et veritatis a Christo instituto, scil. ab una Ecclesia Catholica » (11 Patres Conciliares Africae Centro-Orientalis).

32 – l. 23: Dicatur: « aedificatur », loco: « constituitur »; « quaedam etiam », loco: « quaedam » (WELYKYJ).

33 – *ibid.*: Dicatur: « ipsa *unica Christi* Ecclesia », loco: « ipsa Ecclesia »; addatur post verbum « vivificatur »: « ex miserentis Dei providentia qui neminem vult, sine culpa personali, perire » (CARLI).

34 – l. 24-25: Quaeritur, si ista bona invisibilia subsisti possunt sine baptismo quod est elementum visibile (SEITZ).

35 – l. 24: Addatur post verbum « saepta »: « quae Christus per Spiritum Sanctum operatur ».

Ratio: Ut iterum Spiritus Sancti operatio extollatur, tamquam auctoris omnis gratiae (JAEGER).

36 – l. 26: Dicatur: « quibus Ecclesiae quoque unitas manifestatur », loco: « quibus quoque Ecclesiae unitas manifestatur » (Ordinarii Indonesianenses).

37 – l. 27: Dicatur: « etenim », loco: « etiam » (Ordinarii Indonesianenses).

38 – l. 29: Addatur post verba « vel communitatis »: « positis tamen semper condicionibus debitis sive ex parte ipsarum actionum sive ex parte subiecti » (CARLI).

39 – l. 30: Addatur post verbum « quae »: « divina quidem operante virtute ».

Ratio: Deus solus est auctor gratiae (Epp. Regionis Apostolicae Burdigalensis).

40 – l. 31: Addatur: « plenam » post verba « salutis communionem ».
Ratio: « Asserta fuit aliqua coniunctio Fratrum separatorum cum Ecclesia Catholica », sed non « plenitudo gratiae et veritatis » (AMADOUNI).

41 – l. 32: Dicatur: « communiones », loco: « communitates » (Epp. Apostolicae Regionis Galliae Occidentalis).

42 – *ibid.*: Dicatur: « Deinde », vel « Quapropter », loco: « Item » (Ordinarii Indonesianenses).

43 – l. 32-33: Omittatur « nequaquam »; dicatur: « ornatae sunt », loco: « exutae sunt » (Conferentia Episcopalis Paedemontana).

44 – l. 32-36: Dicatur: « Item in ipsis ecclesiis et communitatibus separatis, vestigiis elementisque patrimonii christiani, quae conservant, Spiritus Sanctus virtutem confert salutiferam, quae a plenitudine gratiae et veritatis Ecclesiae concreditae derivatur et ad ipsam tendit ».
Ratio: « Communitates separatae non sunt organa in mysterio salutis », sed tantum « de facto media, quibus... Dei misericordia utitur » (PHILIPPE).

45 – l. 33-35: Dicatur: « Spiritus enim Christi uti non renuit salutis mediis quae in illis, tamquam divina unicae Sponsae dos, adhuc inveniuntur, quorum virtus... », loco: « Iis enim... » (CARLI).

46 – l. 34: Dicatur: « Spiritus Sanctus uti non renuit *quibusdam* », loco: « Spiritus Christi uti non renuit tamquam » (WELYKYJ).

47 – *ibid.*: Dicatur: « utitur », loco « uti non renuit » (Conferentia episcopalis Paedemontana).

48 – l. 37: Dicatur: « unitate magisterii et regiminis », loco: « unitate » (Patr. BATANIAN).

49 – p. 8, l. 37 - p. 9, l. 3: « Hoc in loco specificanda videntur puncta in quibus Communitates Fratrum separatorum privantur bonis propriis Ecclesiae Catholicae..., v. gr. privatio a bonis directionis Magisterii », necnon privatio a bonis « cuiusdam tribunalis Appellationis » (AMADOUNI).

50 – p. 9, l. 1: Dicatur: « Ecclesiae venerandae traditiones », loco: « Veneranda Ecclesiae traditio » (Epp. Prov. Aquensis et Avenionensis, Dioec. Massiliensis et Monoecensis).

51 – *ibid.*: Omittatur « sola » (Patr. SIDAROUSS).

N. 3. [*De Oecumenismo*]

52 – Titulus sic mutetur: « De *catholicorum* Oecumenismo » (CARLI).

53 – l. 3-36: « Clarius enuntietur finis ultimus motus oecumenici ».
Ratio: « Concilium Oecumenicum, si de hac re sermonem facit, in aequivocis haerere non potest » (WELYKYJ).

54 – l. 7: Dicatur: « officium et ius », loco: « ius et officium » (HIEN [1]).

55 – l. 9: Dicatur: « Ecclesia *per gratiam Dei* gaudet », loco: « Ecclesia gaudet » (Ordinarii Indonesianenses).

56 – l. 10: Addatur post verbum « omnibus »: « baptizatis » vel « christianis » (AMADOUNI).

57 – l. 15: Addatur « ad hos conatus fovendos » post verbum « agnoscentes » (CARLI).

58 – l. 16: Addatur « ipsi » post verbum « uberius » (CARLI).

59 – l. 21: Dicatur: « reddat », loco verbi « reddant » (CARLI).

60 – l. 23: Dicatur: « acceperit », vel similiter, loco: « possideat » (Epp. Prov. Aquensis et Avenionensis Dioec. Massiliensis et Monoecensis; Ordinarii Indonesianenses).

61 – l. 24-25: Dicatur: « non omnia eius membra illo quo par est fervore iisdem utuntur, ita ut *genuinus* vultus », loco: « membra eius non omni quo par est fervore ipsis utuntur, ita ut vultus » (CARLI).

62 – l. 24: Addatur post « utuntur »: « nec Verbi Dei praedicatio, nec sacramentorum celebrationes semper adaequate perficiuntur » (BAUDOUX).

63 – l. 30: Addatur mentio orationis (Epp. Regionis Apostolicae Burdigalensis).

---

[1] Nguyen-van Hien.

64 l. 31-35: Desideratur explicatio, quid significet verbum « recta libertas » (Patr. BATANIAN).

65 – *ibid.*: Desideratur clarior distinctio pluralismi theologici et pluralismi liturgici et disciplinaris, ad quos alludit ista paragraphus (Epp. Prov. Aquensis et Avenionensis Dioec. Massiliensis et Monoecensis).

66 – l. 36: Omittatur « possidebunt et » post verbum « plenius » (Epp. Regionis Apostolicae Burdigalensis; Epp. Prov. Aquensis et Avenionensis Dioec. Massiliensis et Monoecensis).

67 – l. 40: Dicatur: « praesentia enim Christi », loco: « vestigia enim Christi » (Patr. MAXIMOS IV et Synodus Epp.orum Graeco-Melkitarum).

68 – *ibid.*: Dicatur: « beneficia », vel « bona », loco: « vestigia » (JAEGER; KROL).

69 – p. 10, l. 7: Omittatur « semper » post verbum « contra » (CARLI).

70 – l. 9: Omittatur « aliquantum » post verbum « Ecclesiae » (KROL).

71 – l. 10: Dicatur: « Regni Dei », loco: « regni divini » (BAUDOUX).

72 – l. 13: Dicatur: « Christianorum quidem numero » loco: « sibi quidem » (CARLI).

73 – l. 14: Dicatur: « a perfecta communione ecclesiastica seiuncti » loco: « ab ecclesiastica communione seiuncti » (Ordinarii Indonesianenses).

74 – l. 17: Dicatur: « scandalum », loco: « admiratio » (Epp. Regionis Apostolicae Burdigalensis; Epp. Prov. Aquensis et Avenionensis Dioec. Massiliensis et Monoecensis; KROL).

75 – l. 25-31: Proponitur ut hic textus ponatur in secundo capite.
Ratio: Spectat ad oecumenismi exercitium (WELYKYJ).

76 – l. 30: Addatur « diligere » post verbum « aestimare » (Card. TATSUO DOI).

77 – l. 31: Addatur: « Recognoscant etiam quae partes divini depositi forsan apud fratres separatos melius inveniantur, ita ut nos ipsi aliquid ab illis discere possimus, sicut ipsi a nobis » (WEBER).

78 – *ibid.*: Optandum est ut clarius appareat plenitudo Revelationis ad quam assequendam omnes invitantur in unitate Christi ».

Ratio: Necessitas expressis verbis reiiciendi periculum omnis syncretismi religiosi (JACQ).

79 – l. 34-35: Addatur « et obtinuit » vel simile, post verbum « postulavit ».

Ratio: Unitas Ecclesiae est « prae primis donum Dei, quod... iam est datum » (Epp. Prov. Aquensis et Avenionensis Dioec. Massiliensis et Monoecensis).

80 – ad notam 28 (p. 14): Non convenit exegesis textus *Act.* 2, 41 (CARLI).

CAPUT II

DE OECUMENISMI EXERCITIO

De capite in genere

81 – Caput in genere patribus placet qui emendationes in scriptis proposuerunt. Aestimant caput istud « un chapitre excellent » (Patr. MEOUCHI),

82 – quod tractat modo vere mirabili de renovatione interna Ecclesiae (BAUDOUX).

83 – « Removet omnino suspicionem » acatholicorum « de sic dicto " imperialismo " romano qui eos aliquo modo " hamo capere " vellet » (GAWLINA).

84 – « Il Cap. II è il codice efficace di questo particolare apostolato », con « le materne riserve », che sono « sagge, e tutte degne della Santa Chiesa ... per evitare il falso irenismo » (RUSSO).

De titulo

85 – Dicatur: « De Oecumenismi *catholici* exercitio » (CARLI).

De prooemio

86 – p. 15, l. 1: Dicatur: « ad omnes Christifideles pertinet », loco: « ad omnium Christifidelium munus officiumque pertinet ».

Ratio: « Munus ad episcopos specialiter pertinet » (Epp. Prov. Aquensis et Avenionensis Dioec. Massiliensis et Monoecensis).

87 – *ibid.*: Post « pertinet » addatur: « sub ductu et auctoritate Pastorum in Ecclesia » (CONWAY).

88 – *ibid.*: Post « pertinet » addatur: « iuxta suam cuiusque condicionem » (CARLI).

N. 4. [*De interiore Ecclesiae renovatione*]

89 – l. 6: Omittatur: « interiore ».
Ratio: « A fratribus separatis posset falso intelligi de mutatione *substantiali* Ecclesiae » (CARLI).

90 – l. 11: Mutatur vox « communio nostra ».
Ratio: « Formula... possit significare aut communionem catholicorum inter se, aut communionem cum fratribus separatis » (Ordinarii Indonesianenses).

91 – l. 14: Dicatur: « formas » (CARLI) vel « campos » vel aliud simile, loco: « significationes » (Ordinarii Indonesianenses).

N. 5. [*De conversione cordis*]

92 – l. 21: Dicatur: « A spiritu Sancto », loco: « A Spiritu divino » (CARLI).

93 – l. 23: Addatur exhortatio « de necessitate confitendi errores commissos a particularibus (e. g. defensoribus Uniatismi) in praeiudicium unitatis ».
Ratio: « Hae exhortationes sunt nimis genericae » (AMADOUNI).

94 – l. 31: Dicatur: « Non venit ministrari, sed ministrare », loco: « Venit ministrare, non ministrari » (CARLI).

N. 6. [*De sanctitate vitae*]

95 – p. 16, l. 12: Dicatur: « *e* contra eorum sanctitas coram omnibus palam *testari* plenitudinem haereditatis qua in Ecclesia *catholica* ipsi fruuntur », loco: « *cum* contra eorum sanctitas coram omnibus palam testatur plenitudinem haereditatis quae in Ecclesia *sese frui asseverant* » (CARLI).

N. 7. [*De oratione unanimi*]

96 – l. 15-34: Addatur aliquid de intercessione Beatae Mariae Virginis (AMADOUNI).

97 – l. 16: Dicatur: « pro christianorum unitate », loco: « pro Ecclesiae Unitate » (Epp. Prov. Aquensis et Avenionensis Dioec. Massiliensis et Monoecensis; CARLI).

98 – l. 18-21: Dicatur: « ad ... publicas *supplicationes* accurrant, *quae ... existimandae sunt* », loco: « ad ... publicas oecumenismi spiritualis significationes accurrant, qui ... existimandus est ».

Ratio: « Distinctio hic introducta inter " oecumenismum spiritualem " et " motum oecumenicum " non satis clara est » (WELYKYJ).

99 – l. 22: Addatur post verba « rerum adiunctis »: « de quibus iudicare valet Ordinarius loci » (CONWAY).

100 – l. 22-34: Duo Patres conciliares in affirmatione huius paragraphi, in peculiaribus casibus opportunum esse cum fratribus separatis in oratione consociari, periculum vident indifferentismi in materia fidei.

Ratio: Deest adhuc animarum praeparatio (Patr. BATANIAN); « Constat apud simplices fideles ... perdifficile, sin impossibile esse intellectu quomodo hodie licita fiat oratio cum haereticis communis, quin et liceat matrimonii et funeris ritibus adsistentia » (MCQUAID).

101 – *ibid.*: Omnes alii Patres qui emendationes in scriptis ad hunc paragraphum miserunt, proponebant circa communicationem in sacris novas normas melius adaptatas ad spiritum oecumenicum et ad consuetudines apud nonnullas ecclesias orientales vigentes (Patr. MAXIMOS IV et Synodus Epp.rum Graeco-Melkitarum; Conferentia episcopalis Argentinae; Epp. Prov. Aquensis et Avenionensis Dioec. Massiliensis et Monoecensis; Epp. Regionis Apostolicae Burdigalensis; Card. TATSUO DOI; SEITZ; ZAMBRANO CAMADER; WEBER; PAILLOUX). « Ne plus imponamus, quam quae necessaria sunt... Caveamus ne conceptum quandoque nimis angustum theologorum occidentalium urgeamus in concilio » (JANSSENS).

102 – *ibid.*: « Exceptiones in primo schemate De Ecclesia, pp. 84-85, admissae in praesenti redactione servandae, immo extendendae sunt » (JANSSENS).

103 – l. 26-27: Omittenda sunt verba « remota quavis communicatione in cultu officiali ».

Tamquam *rationes* afferuntur: « Non convenit ut concilium tam strictam normam statuat, qua quaevis mitigatio (quam non pauci a Concilio petiverunt) excludi videatur... Relate ad Orientales... Ecclesia ab hac lege dispensare potest et de facto dispensat in certis casibus » (Card. TATSUO DOI); « rigor esset traditionalis qui hodie non potest sustineri » (Conferentia Episcopalis Argentinae); sine quadam mitigatione « nunquam adhaesio Ecclesiarum Orientalium ad Romanam Ecclesiam fiet... In praeteritis saeculis communio in sacris inter Orientales catholicos et dissidentes, v. g. in Libano, stricte non vetabatur, et quidem sine periculo confusionis » (WEBER); « in regionibus mixtis, quale Proximus Oriens, praxes vigent..., in quibus omnes norunt ne minimam quidem adesse agnitionem cultus dissidentis tamquam legitimi, nec ullus " indifferentismus ". Si v. g. Copti dissidentes atque Copti uniti simul partem divini officii cantant ad intentionem unionis: num offendunt contra aliquod principium dogmaticum? Multa eiusmodi exempla afferri possunt » (JANSSENS).

104 – *ibid.*: Mutanda sunt verba: « in cultu officiali ».

Rationes: « Vox " officialis " non habet sensum bene determinatum in vocabulo iuridico culturali » (Ordinarii Indonesianenses); necessaria est distinctio inter « functiones liturgicas proprie dictas » (PAILLOUX) et alias orationes « paraliturgicas » (SEITZ), necnon distinctio cultus Orientalium (Orthodoxorum) et communitatum ex Reformatione ortarum (SEITZ).

105 – *ibid.*: Dicatur: « remota quavis *officiali* communicatione in cultu », loco: « remoto quavis communicatione *in cultu officiali* ».

« Participatio cultus officialis » licita esse debet, sed « participatio officialis in cultu » debet remanere interdicta (Patr. MAXIMOS IV et Synodus Epp.orum Graeco-Melkitarum).

106 – l. 26-33: Addatur indicatio rationum huius « exceptionis » (l. 26) et in quo consistit illa « imperfectio nexus » (l. 33) (Patr. BATANIAN).

107 – l. 32-34: Omittenda est tota paragraphus (ZAMBRANO CAMADER).

108 – *ibid.*: Dicatur: « Attamen nexus isti, proh dolor, solummodo ex parte ac imperfecte vigent, ac propterea non licet habere communicationem in ritibus liturgicis, exceptis casibus in quibus Ecclesia eandem permittit ».

Ratio: cf. emendatio n. 103; « illud " non licet " habet alium sensum relate ad Protestantes... qui veram Eucharistiam non habent, et relate ad Orientales » (Card. TATSUO DOI; accedunt Epp. Prov. Aquensis et Avenionensis Dioec. Massiliensis et Monoecensis).

109 – l. 34: Mutatur verbum « celebrare ».

Ratio: « In unum simul celebrare » potest habere sensum adsistentiae et participationis non sacramentalis. Hoc est licitum. Sed interdictum est « concelebratio sanctorum mysteriorum » (Patr. MAXIMOS IV et Synodus Epp.orum Graeco-Melkitarum).

N. 8. [*De fratrum mutua cognitione*]

110 – p. 16, l. 38 - p. 17, l. 3: Ad hanc cognitionem fovendam opportunum est ut mutetur lex poenalis Indicis librorum prohibitorum in C.I.C. Potest manere « Index librorum heterodoxorum » « tamquam utilis indicatio », sed « tollatur poena excommunicationis eidem annexa » (MARGIOTTA).

N. 9. [*De oecumenica instructione*]

111 – l. 8-19: Addatur paragraphus de promotione Studiorum Rerum Orientalium et de formatione intellectuali Cleri Orientalis et Missionalium in Oriente operam navantium (AMADOUNI).

112 – l. 10: Dicatur: « mentis fratrum separatorum », loco verbi « hac » (WEHR).

113 – l. 10-11: Mutantur verba: « quae melius veritati respondeat ».
Ratio: « Auferenda est omnis aequivocatio » (CARLI).

114 – l. 12: Dicatur: « stylo non polemico », loco: « non mere polemico » (Conferentia episcopalis Argentinae; TAGUCHI [1]).

[1] Yoshigoro Taguchi.

115 – l. 15: Dicatur: « formatio spiritualis fidelium a formatione sacerdotum *et religiosorum* quam maxime pendet », loco: « formatio spiritualis fidelium necnon religiosorum a formatione sacerdotum quam maxime pendet ».

Ratio: « Sub nomine "religiosi " comprehenduntur omnes religiosi, etiam clerici, quibus hodie forsan potior pars in motu oecumenico debetur » (WELYKYJ).

116 – l. 16: Dicatur « missionales », loco: « missionales viri ».
Ratio: « Feminae missionales non excludi debent » (CARLI).

N. 10. [*De modo exprimendi et exponendi doctrinam fidei*]

117 – l. 21-33: Inseratur hic « aliquod symbolum vel professio fidei (quae vocari potest Symbolum Vaticanum) ».

Ratio: « Ut melius servetur illa doctrinae puritas atque a falso irenismo magis declinetur » (STEWART).

118 – *ibid.*: Optandum est, ut clarius appareat plenitudo Revelationis ad quam assequendam omnes invitantur in unitate Christi (JACQ).

119 – l. 21-33: « Il faudrait souligner l'importance d'un exposé complet et authentique du mystère chrétien... de façon que l'essentiel ne soit pas obscurci par ce qui n'est que second. On pourrait signaler que l'étude de la doctrine de nos frères séparés peut être bénéfique pour mieux découvrir et approfondir les richesses que nous possédons nous-mêmes » (Epp. Regionis Apostolicae Burdigalensis).

120 – l. 21-33: Dicatur: « fides catholica », loco: « fides nostra » (l. 21, 25, 29); omittantur verba « a nostra » (l. 27-28); dicatur: « ad id intendatur oportet », vel « intendendum est », loco: « intentos nos esse oportet » (l. 30-31); « fides catholica... exponatur », loco: « fidem nostram... exponamus » (l. 21-32); « Modus loquendi inveniatur », loco: « loquamur » (l. 33).
Ratio: « In hoc numero sine evidenti ratione stylus decreti mutata fuit, introducta dictione personali: " nos, nostra, exponamus ", dum in aliis partibus locutio fuit impersonalis » (WELYKYJ).

N. 11. [*De cooperatione cum fratribus separatis*]

121 – Haec paragraphus solummodo de cooperatione in rebus socialibus tractare videtur. Etiam magis necesse est collaboratio in campo communi inter christianos, e. g. in publicatione eiusdem textus S. Scripturae, in diffusione Verbi Dei, in operibus caritatis (SEITZ).

122 – Addatur initio huius paragraphi: « In conspectu mundi omnes christiani nominis confessores fidem in Deum unum et trinum, in Filium Dei incarnatum, Dominum et Redemptorem nostrum, profiteantur et communi conatu testimonium reddant spei nostrae, quae non confundit ».

Ratio: « In hoc numero 11 solummodo de cooperatione in rebus socialibus agitur. Sed in conspectu mundi saecularizati et a materialismo infecti commune quoddam testimonium christianum exhibere oportet, quod v. g. in quibusdam regionibus missionalibus coram guberniis civilibus saepius necessarium videtur » (JAEGER).

123 – p. 18, l. 6: Addatur: « sive in scientiis et bonis artibus in spiritu christiano provehendis », post verba: « consortii fundamentis ».

Ratio: « In nationibus certae culturae habentur frequenter contactus omnium Christianorum in campo educationis, scientiarum, artium, musicae sacrae etc. » (Card. TATSUO DOI).

124 – l. 6: Omittatur: « Ecclesiae », post verbum « sociali » (Epp. Regionis Apostolicae Burdigalensis).

125 – l. 7: Addatur: « sive in defendenda fide contra colligatos hodie Dei inimicos », post verbum: « promovenda ».

Ratio: « Omissio huius argumenti coniectare sinit Decretum rem maximi momenti tanquam incommodam silentio praetermittere voluisse; attamen fratres separati hoc adiumentum a nobis qua validissima parte Christianitatis exspectant » (GAWLINA).

126 – l. 10: Addatur: « materialium » post verbum: « bonorum » (CARLI).

CAPUT III

DE CHRISTIANIS AB ECCLESIA CATHOLICA SEIUNCTIS

De capite in genere

127 – Caput aliquibus Patribus valde placet (KROL; RUSSO). « Aliquid novi exhibet. Gratias agamus Deo » (Patr. MEOUCHI).

128 – Sed nonnullis complementis indigere videtur (Patr. MEOUCHI; CARLI: Deest expositio doctrinalis. Dicatur aliquid claro modo « de iis, quae ipsis desunt » (Patr. MEOUCHI; CARLI).

« Affirmetur clare et explicite fratres separatos posse quibusdam donis Dei frui solummodo si et quatenus sint in bona fide » (CARLI).

129 – Aliquibus patribus « necessarium non videtur nec utile Caput tertium ». « Utiliter omitti potest » (Conferentia Episcopalis Paedemontana).

130 – « Caput hoc, oculis acatholicis lectum, videtur esse adhortatio ad Clerum latinum, eo quidem modo, ut acatholicis demonstraretur, " quantum mutati sumus ab illo ", ideoque timendum est, ut a fratribus seiunctis uti vox plenae sinceritatis censeatur » (GAWLINA).

I - DE ECCLESIARUM ORIENTALIUM PECULIARI CONSIDERATIONE

De parte prima in genere

131 – « Textus potest proponi disceptationi Patrum, ut completivum et non ut substitutivum secundae partis decreti « de Ecclesiis Orientalibus » (WELYKYJ).

132 – Paragraphi 12-18 « non inopportune coniungerentur cum parte secunda " De Ecclesiis Orientalibus " » (Epp. Prov. Aquensis et Avenionensis Dioec. Massiliensis et Monoecensis), quae « transferenda est ad praesens Schema de oecumenismo » (11 Patres Conciliares Africae Centro-Orientalis), ita ut « fusio ambarum partium hic locum haberet » (DAMMERT BELLIDO).

133 – « Addantur aliqua pauca tamquam dulce sed forte monitum contra divisionem, ita ut Orientales Schismatici alliciantur ad considerationem quod divisiones ecclesiarum sunt contra voluntatem Christi et ad timorem ne ob iniquitates nostras et pressuram inimicorum Christi fides penitus extinguatur vel minuatur in quibusdam regionibus » (MASON).

De titulo

134 – « Appellatio " Ecclesiae orientales " ad significandas ecclesias separatas non concordat cum modo loquendi decreti De Ecclesiis Orientalibus » (Epp. Aquensis et Avenionensis Dioec. Massiliensis et Monoecensis).

N. 12. [*De Orientalium condicione*]

135 – p. 20, l. 14: Dicatur: « necessarium », loco: « opportunum » (CARLI).

136 – l. 7-9: Verba « separationem... accepta est » non placent.
Ratio: « Multiformis est summa causarum, quae dolorosam separationem lente genuerunt » (SANTIN).

137 – l. 9: Dicatur: « tradita » vel « acquisita », loco: « accepta ».
Ratio: « Expressio " haereditas ab Apostolis accepta " est ambigua. Quis accepit? Apostoli aut eorum successores? » (GAWLINA).

138 – l. 10-11: verba « ratione diversi ingenii... adiunctorum » non placent.
Ratio: « Causa separationis... potius in rerum obiectiva veritate quaerenda est » (SCAPINELLI).

139 – l. 14: Addendum est verbo « pertinent »: « quamquam secundum diversas nationes ab invicem disiungantur » (WEBER).

N. 13. [*De mente atque historia Orientalium propria*]

141 – l. 18: Dicatur « ductu », vel: « auctoritate », loco: « arbitra » (SEITZ).

142 – *ibid.*: Addatur « etiam » post « arbitra ».
Ratio: Dissidia inter ecclesias circa fidem vel disciplinam etiam ab aliis arbitribus composita sunt, e. g. a conciliis, ab auc-

toritate imperatoris (Patr. MAXIMOS IV et Synodus Epp.orum Graeco-Melkitarum).

143 – l. 18-19: Dicatur: « sacramentalis, Sede romana dirimente ex communi consensu dissensiones et dissidia, si quae circa fidem vel disciplinam inter eas orirentur » (GAWLINA).

144 – *ibid.*: Dicatur « arbitra sempre sedente, iuxta communem et pacificum consensum, *Pontifice Romano,* si circa fidem... » (CARLI).

145 – l. 18: Verba « ex communi consensu » videntur ambigua (SCAPINELLI; WHEALON); addatur verbum « acceptata » (Ep. Regionis Apostolicae Burdigalensis).

146 – l. 23-26: Dicatur: « praevalet *cura et studium* servandi, *inter particulares Ecclesias, amicales* illas in fidei caritatisque communione necessitudines, quae inter sorores vigere debent » (CARLI).

147 – l. 29: Dicatur: « et in iuridicis institutis », loco: « et in iuridico ordine » (CARLI).

148 – p. 21, l. 2: Addatur: « et sunt thesaurus universae Ecclesiae catholicae » (SCAPINELLI).

149 – *ibid.*: Dicatur: « definita esse », loco: « definita sunt » (CARLI).

N. 14. [*De huius peculiaris condicionis necessaria consideratione*]

150 – p. 21, l. 7: Dicatur: « plenae *sive doctrinalis sive* canonicae et spiritualis » loco: « plenae canonicae et spiritualis » (CARLI).

Ratio: « Non possumus ignorare fratres Orthodoxos quasdam doctrinas non rectas habere » (CARLI).

151 – l. 8: Addatur « seiunctas » post verbum: « Orientales » (BAUDOUX).

N. 15. [*De Orientalium liturgica et spirituali traditione*]

152 – l. 16: Addatur post « notum est »: « qua fine christiani orientales septem a Christo Domino instituta sacramenta teneant iisque tamquam gratiae divinae instrumentis utantur, quanto cum amore... » (CARLI).

153 – l. 21: Post verbum « invocant » inserantur « aliquae sententiae, quibus aperte confirmaretur praesertim Eucharistiam esse culmen cultus ecclesialis communis cum Orthodoxis ».

Ratio: « Hoc sacramentum unitatis est signum communionis perfectae... et criterium de vera insertione in Ecclesia (cf. Schema *De Ecclesia,* Pars I, p. 43, nota 57) » (BAUDOUX).

154 – l. 23: Dicatur: « celebravit », loco: « proclamavit ».

Ratio: « Concilium Ephesinum definitionem solemnem non edidit » (WEHR).

155 – l. 25: Addatur: « Alii quoque Beati imaginibus pulcherrimis depicti maxima veneratione apud Orientales habentur », post verbum « magnificant » (WEHR).

156 – l. 38: « Error typographicus: Dicatur « maxime », loco: « maximae ».

N. 16. [*De Orientalium propria disciplina*]

157 – p. 22, l. 3-11: Optandum est ut Concilium hoc loco de Patriarchis et eorum condicione in Ecclesia loquatur (ZAMBRANO CAMADER).

158 – l. 18: Dicatur: « legitime sese protendere possunt », loco: « protenduntur » (CARLI).

159 – l. 21: Addatur: « substantialiter », post verbum « discrepare » (CARLI).

160 – l. 28: Dicatur: « unionis », loco: « unitatis » (CARLI).

N. 18. [*De necessariis condicionibus ad unionem feliciter restaurandam*]

161 – l. 36-37: Omittenda est citatio textus Act. 15, 28.

Ratio: Textus « de re omnino differente loquitur. Insuper ipsa mentio impositionis oneris minus ad relationes oecumenicas accommodata videtur » (GAWLINA).

162 – p. 23, l. 2: Addatur: « (S. Ignatii Antiocheni: " hi prokathiméni tîs agàpis ") » (GAWLINA).

II - De Communitatibus inde a saeculo XVI exortis

De parte secunda in genere

163 – Paginae istae de novo redigantur, modo maxime positivo, sed breviore.

Ratio: « Sufficeret, ut omnes catholici invitarentur ad agnoscendum quidquid positivi valoris apud fratres separatos habetur; ut in memoriam revocarentur et dolor e divisionibus proveniens et principia p. 9-10 de Oecumenismo statuta; ut evocarentur partes episcoporum, fidei doctorum et omnium, a quibus ratio huius rei repeti potest » (Epp. Prov. Aquensis et Avenionensis Dioec. Massiliensis et Monoecensis).

164 – Addatur « has communitates et errasse et errare, cum una veritas in una Ecclesia catholica inveniatur » (Canestri).

De titulo

165 – Mutatur titulus, quia « sub hoc titulo Valdenses et Hussitae non comprehenderentur » (Carli).

N. 19. [*De propria harum communitatum condicione*]

166 – l. 9: Verba « in Occidente » minus placent.

Ratio: Oppositio « Oriens - Occidens » obsoleta est hodiernis temporibus (Seitz).

167 – l. 11, 14, 19, 24: Dicatur: « communiones », loco: « communitates ».

Ratio: non est locutio « specifice christiana » (Epp. Apost. Regionis Galliae occidentalis).

168 – l. 12-13: Omittantur verba: « in gravissimo rerum discrimine, quo occidentalis christianitas opprimebatur ».

Ratio: « Expedit ut de origine protestantium sileatur potius quam in Ecclesiam catholicam fere omnes refundantur culpae. Quare Concilium historicam protestantium originem aperire contenderit, non liquet » (Card. Micara).

169 – l. 15: Dicatur: « ex gratia Dei tantum », loco: « tantum ex gratia Dei » (Gawlina).

170 – l. 17: Dicatur: « imminutionem », vel: « infirmationem », loco: « negationem » (BAUDOUX).

171 – l. 14-18: Omittatur haec paragraphus (CARLI).

Ratio: « Est historiae non plene congruens. Non pertinet ad Concilium instituere processum historicum » (CARLI).

172 – *ibid.*: Dicatur: « Exstant adhuc rationes imprimis theologicae, quae diremptionis vel seiunctionis statum sustinent, quas Reformatores saeculi XVI sic dictis " sola-formulis " (" sola fide ", " sola Scriptura ", " sola gratia ", " solus Christus ", " solus Deus ") exprimere intendebant et quae praesertim in theologia manifestantur ».

Ratio: Verbum « mediatio essentialis » fratribus separatis difficile intellectu est. Complures eorum verbum Dei praedicatum et sacramenta rite administrata aliquomodo habent media « essentialia ». Insuper adest motio in communitatibus praesertim lutheranis et anglocatholicis, quae insistit in mediatione Ecclesiae.

Concilium non debet conari omnes controversias cum Reformatoribus reducere ad unum principium (JAEGER).

173 – l. 20: Dicatur: « devinciantur », loco: « deviciantur » (GAWLINA).

174 – l. 21: Addatur post verbum « Baptismatis »: « in quantum valide confertur quoad intentionem ministri et ritum adhibitum » (WEBER).

175 – *ibid.*: Addatur: « et sacrae Scripturae inspirato thesauro » post verbum « Baptismatis » (WEHR).

176 – l. 22-23: Non placent verba « supernaturalibus donis ». Dicatur: « Illi namque vere fratres nostri spiritum adoptionis filiorum acceperunt (cf. *Rom.* 8, 15); templum Dei sunt (cf. *1 Cor.* 3, 16), et valent quae sursum sunt ubi Christus est sapere (cf. *Col.* 3, 2) et cum caritate Christi vivere » (BAUDOUX).

177 – l. 23: Omittatur verbum « possunt » (SMIT).

178 – *ibid.*: Dicatur: « supernaturalibus *quibusdam donis* ditari », loco: « supernaturalibus donis elevari » (CARLI).

179 – l. 27-28: Haec affirmatio sine nota explicante addita non placet.
Ratio: Intelligi potest de sacerdotio Ecclesiae anglicanae et de eius ordinationum validitate quae a Leone XIII anno 1896 tamquam « irritae » et « omnino nullae » declaratae sunt (YOSHIGORO TAGUCHI).

N. 20. [*De confessione Christi*]

180 – l. 34: Dicatur: « haurire possunt », loco: « hauriunt » (CARLI).

181 – p. 24, l. 5: Dicatur: « invenire possunt », loco « inveniunt » (CARLI).

N. 21. [*De Sacrorum librorum studio*]

182 – l. 6: Addatur post verbum « factum »: « Evangelium " virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudaeo primum et Graeco " (*Rom.* 3, 16) » (JAEGER).

N. 22. [*De Sacramento baptismi*]

183 – l. 16-17: Dicatur: « iuxta Domini institutionem *rite confertur* », loco: « rite iuxta Domini institutionem confertur » (JAEGER).

184 – l. 22: Addatur expressio clara et explicita « Baptismum quoque esse medium incorporationis *Ecclesiae* » (Conferentia Episcopalis Paedemontana).

185 – l. 23: Quaestio delicatissima relationis rite baptizati acatholici ad Ecclesiam hic manet insoluta (KROL).

186 – l. 26: Addantur verba « per Ecclesiam », post verba « in Christo » (CARLI).

187 – l. 29: Addatur: « Ecclesiam scilicet », post verba « illud voluit » (CARLI).

N. 23. [*De vita cum Christo*]

188 – l. 32: Addatur « ex auditu verbi Dei et » post verbum « atque » (JAEGER).

189 – l. 33: Dicatur: « quidem », loco: « autem » (JAEGER).

N. 24. [*Conclusio*]

190 – p. 25, l. 14-15: Laudatio dialogi inter christianos non placet.
Ratio: « Huiusmodi dialogi, ut Ecclesiae historia testatur, nunquam vel raro ad bona profecerunt... quippe qui fere necessario animos eo adducant ut de religione indifferenter sentiant » (Card. MICARA).

191 – l. 34-39 (nota 4): « Hae notiones de primatu aetatis honorisque tanti momenti sunt ut locum in textu ipso habere possint » (WHEALON).

CAPUT IV

DE CATHOLICORUM HABITUDINE AD NON CHRISTIANOS ET MAXIME AD IUDAEOS

De capite in genere

192 – « It is my understanding that the Secretariat for Promoting Christian Unity has been commissioned to prepare a statement on the attitude of the Church towards the Jews. I consider it of great importance that the Council should make a clear statement on our relation to the House of Jacob, condemning hatred and discrimination against Jews and asserting authoritatively that the Jews are neither " a deicide people " nor " an accursed people ".

The reason for singling out the Jews would be first of all the fact that they have been chosen by God to play a special role in redemptive history, and secondly, the fact that within our lifetime they have been a special object of hatred and persecution.

The Crucifixion of our Lord is a crime in which, according to the Catechism of the Council of Trent, all men are involved through their grave sins. While we should be outspoken in this matter, we should also make it clear that the statement is above the realm of politics. Words that could be interpreted as referring to any present political community should be avoided » (POCOCK).

3 – INTRODUCTIO EM.MI P. D. IOANNIS CARD. CICOGNANI PRAESIDIS COMMISSIONIS DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS

Hic fasciculus Patribus distributus est die 18 novembris 1963, in congregatione generali sexagesima nona.

Venerabiles Concilii Patres,

Aggredimur hodie ad considerandum schema, breve sane sed laboriosum, de Oecumenismo, quod eo spectat, ut dentur normae atque principia constituantur de agendi ratione cum fratribus alius religionis, quibuscum faciliora quam anteactis temporibus sunt hodie congressiones atque colloquia.

Huiusmodi tractatio ab omnibus exspectatur, cum procul dubio magni momenti sit; atque hoc est in votis, ut Schema, saltem in summa rerum, paratum habeamus in extrema altera hac Sessione Concilii Oecumenici Vaticani Secundi.

Operae pretium erit scire, Venerabiles Patres, per quos gradus ac rerum adiuncta Schematis conscriptio facta sit, quod conficientes in additamentis et in opinionum varietate saepe morati sumus.

Ut omnes novistis, Schema praestituti decreti « De Ecclesiae unitate », cui index « Ut unum sint », a Commissione de Ecclesiis Orientalibus paratum, iam superiore anno, in prima Sessione Concilii, a vobis probatum est. Illa tamen data occasione, simul suasistis, ut sive ex eodem Decreto « De Ecclesiae Unitate », sive ex capite de Oecumenismo, quod tunc temporis a Commissione Theologica parabatur, sive denique ex tertio Schemate eiusdem argumenti, quod item a Secretariatu « ad unitatem Christianorum fovendam » tunc conficiebatur, unum tantum conflaretur Schema vel Decretum, ab *Oecumenismo* appellandum: quod pariter, vobis commendantibus, factum est.

Nulli displiceat vox *Oecumenismus,* quae non hisce tantum temporibus in Ecclesia Catholica auditur. Etenim eius recta acceptatio et interpretatio circa unitatem Ecclesiae recte et definite eruitur a claris Litteris Encyclicis « Mortalium animos » a Pio Papa Undecimo die sexto mensis Iunii anno millesimo nongentesimo vicesimo octavo dati, atque ex Litteris Pii Papae Duodecimi « Orientalis Ecclesiae », die nono aprilis anno millesimo nongentesimo quadragesimo quarto vulgatis ad unitatem Ecclesiae fovendam, ac denique ex Instructione S. Officii « de motione oecumenica » diei vicesimi Decembris anni millesimi nongentesimi undequinquagesimi.

Semper Ecclesia oecumenismum promovit, fovit, deque ipso egit, quippe quae, sicut fidelissima heres votorum et mandatorum Domini Nostri Iesu Christi, Eius pergat institutum omnes homines ad unitatem reducendi, pro qua Ipse in Hierosolymitano Cenaculo sublimibus verbis Patrem deprecatus est. Omnia fere Concilia ad id potissimum intenderunt, ut pacem et unitatem inter Ecclesiae filios tuerentur, promoverent vel restituerent, omnesque componerent controversias.

Postquam lamentabilis Ecclesiarum Orientalium separatio ab Ecclesia Catholica Romana facta est, duo Oecumenica Concilia celebrata sunt, Lugdunense secundum (anno millesimo ducentesimo septuagesimo quarto), et Florentinum (ab anno millesimo quadringentesimo undequadragesimo usque ad quadragesimum quintum): quae Concilia in hoc unum maxime incubuerunt, ut nempe cum Orientis Ecclesiis restaurarent unitatem.

Nil igitur mirum, si Concilium Vaticanum secundum hanc eandem materiam pertractandam susceperit maiore quadam extensione, cum id sane postulent nostri temporis condiciones, cum homines inter se libere congrediuntur, colloquia serunt, vitae commercia et itinera habent, in quibus complures inveniunt qui ob religiosam fidem a se discrepant. Quodsi in hisce rerum adiunctis unitas fidei attingi nequit, urget tamen ut sincera unitas animorum foveatur, neve ulla interponantur difficultates et obstacula, quominus unitatis viae et veluti ianuae hac nostra aetate semper et omnibus pateant.

Ad id obtinendum indefatigato nisu adlaboravit Summus Pontifex Leo decimus tertius, haec tempora nostra longe antegressus. Is enim providenti animo et flagranti caritate apostolatum unionis restituendae continenter provexit, atque ad huiusmodi propositum se superno instinctu excitatum ac permotum esse consideravit. Ex fere ducentis quadraginta actis et documentis, quae super hac materia ipse conscripsit, sunt quaedam etiam nunc praeclara et notissima, quae numquam ex oblivione excident, veluti Epistula Apostolica *Orientalium dignitas* (30 nov. 1894), Litterae Encyclicae *Praeclara gratulationis* (20 iunii 1894), in qua magnus ille Pontifex ita loquitur: « Non ob qualescumque rationes humanas, sed sola caritate Dei et salute animarum moti a vobis (scilicet a seiunctis fratribus) petimus, ut appropinquemini et uniamini ». Ad hanc oecumenicam agendi rationem ipse Summus Pontifex arcessivit et obstrinxit maximos Religiosorum virorum Ordines, ac laetissimae utilitates Sanctae Ecclesiae, simulque animis ipsique civili cultui inde provenerunt, immo complura instituta exorta sunt, quae, faventibus eius in Petri Cathedra Successoribus, temporum decursu multiplicata sunt. Meminerimus etiam oportet, specialem Commissionem ab ipso Summo Pon-

tifice Leone decimo tertio iam tunc conditam esse, ad christianorum unitatem promovendam, cuius tamen opera ob peculiaria rerum adiuncta postea intermissa est.

Quapropter luce clarius patet, haec oecumenica incepta et sollicitudines a Leonis decimi tertii temporibus usque ad nos id effecisse, ut verbum *oecumenismus* apte declararetur ac definiretur; et eadem hac voce usi sunt ipsi Romani Pontifices Ioannes XXIII v. m., et Paulus VI.

Hoc verbum apprime respondere videtur fini pastorali huius Concilii Vaticani secundi, et plene congruit universali mandato, a Divino Ecclesiae Fundatore ipsi commisso. Oecumenismus enim declarat formam et methodum, quibus Ecclesiae salvifica missio procedit atque efficientior redditur: hac enim ratione depositum fidei, a Iesu Christo suae Ecclesiae traditum, et ab eo fideliter custoditum, « omnibus hominibus modo congruenti et consentaneo » innotescit, non solum iis qui, ab Ecclesia catholica seiuncti, christiano gloriantur nomine, sed et iis quoque, qui, etsi baptismatis gratia non collustrati, curis tamen Ecclesiae, ad omnium gentium salutem institutae, a Christo sunt etiam concrediti.

Quod autem attinet ad propositum Schema, hoc nostrum Decretum agit imprimis « De Oecumenismi Catholici principiis » (caput I): principia, dicimus, quae sano Oecumenismo fundamentum suppeditare debent, et revera ipsi praebent. Qua super re, hic instanter declaranda est necessitas pertinendi ad veram et unam Ecclesiam; haec necessitas seiunctis fratribus modo convenienti seu idoneo, et semper perspicuo, explicetur, ut ad evincendas difficultates animum sumant, ac timores omnes depellant.

Caput II inscribitur « De Oecumenismi exercitio », in quo breviter exponitur qua ratione Christifideles in Ecclesia conversentur oporteat, ad fraterna vincula et colloquia cum seiunctis fratribus habenda, « veritatem facientes in caritate » (*Eph.* 4, 15). Hic, ut paucis utar verbis, fidelibus catholicae Ecclesiae suadetur, ut *efficaciter* atque *utiliter* bonum Oecumenismum exerceant.

Tertium caput, cui index « De christianis ab Ecclesia Catholica seiunctis », in duos articulos dividitur, quorum primus hic est: « De Ecclesiarum Orientalium peculiari consideratione ». Re enim vera seiuncti ex Orientis Ecclesiis fratres nostram peculiarem considerationem, benevolentiae plenam, merentur, quorum meritorum et gloriae digna fit in Decreto mentio. Nam eorum doctrina, sacra Liturgia, hierarchica constitutio ac disciplina maximam habent coniunctionem et affinitatem cum nostro christiano deposito: idem enim est sacerdotium, eadem pietas Eucharistica, eadem Sacramenta, eadem devotio erga Deiparam Virginem Mariam, etc.

Quoniam autem huic Concilio Vaticano tot tamque praeclari Episcopi et sacerdotes ex orientalibus ritibus intersunt, eos laude et gratulatione prosequi semper laetanter dicimus, quippe qui non modo antiquarum illustriumque Ecclesiarum vocem et gloriam hic inter nos referunt, sed etiam seiunctorum fratrum ex illis regionibus partes aliquo modo agunt. Hos igitur hic adstantes Orientalis Ecclesiae Patres fraterna caritate gratoque animo consalutamus, in primis autem venerabiles Patriarchas omni veneratione honoramus, quorum praesentia Concilium hoc decorat atque collustrat, ac futurorum fructuum in vinea Domini laetissimam portendit spem.

Alter articulus Capitis tertii inscribitur: « De Communitatibus inde a saeculo decimo sexto exortis ». Sincero gaudio completur animus noster, dum conspicimus in hac Concilii aula plures eosque claros viros, qui inter aliquas ex illis Communitatibus numerantur. Maximi sane facimus grandia fortiaque vincula, quae nos cum illis coniungunt: scilicet Baptisma et Christianum nomen, erga sacras Litteras amorem, et caritatem Christi.

In Capite quarto agitur: « De Catholicorum habitudine ad non christianos et maxime ad Iudaeos ». De hisce dicitur ad religiosam rationem quod attinet: etsi enim iudaicus populus extra christianam religionem vivit, arto tamen vinculo cum ipsa colligatur, amore nempe erga Sacram Scripturam. Quoniam vero huic etiam populo salutis mysterium ab ipso Christo destinatum est, idcirco Ecclesia eum a propria spirituali missione non excludit.

Quintum et ultimum caput inscribitur: « De libertate religiosa », in quo principia catholica declarantur. Cuius capitis argumentum arcte coniunctum est cum divino mandato: « Docete omnes gentes » (*Matth.* 28, 19).

Hoc sane tempore contingit, ut non pauci ex iis, qui *foris* sunt, a Sancta Sede etiam directo postulent notiones de Christo Domino de eiusque Ecclesia; et eorum numerus in dies augetur. In pluribus civitatibus mixtae religionis iam habentur, hic et illic, officia quae dicuntur Secretariatus informationis et conversationis pro non-Christianis », sub dioeceseon vigilantia et haud modicam afferunt utilitatem.

Ad haec quinque explananda capita, ob maximum rerum momentum, quattuor Relatores vocati sunt: Exc.mus Ioseph Maria Martin, Archiepiscopus Rothomagensis, qui de primo et secundo capite, et de altera parte tertii capitis aget; Exc.mus Gabriel Bukatko, Archiepiscopus titulo Mocissenus, Belogradensis Antistitis Coadiutor et Crisiensis Apostolicus Administrator, cui commissa est prior pars capitis tertii; Em.mus Cardinalis Augustinus Bea, qui de capite IV refert, de Iudaeis; et

Exc.mus Aemilius Ioseph Maria De Smedt, Brugensis Episcopus, qui caput V de libertate religiosa explanabit.

Venerabiles Patres,

Antequam ad explicandum Schema singillatim procedimus, mentes vestras ad huius Concilii Vaticani secundi naturam et proprietatem iterum iterumque revocare mihi liceat, quae, ut pluries dictum est, *pastoralis* praesertim esse vult. Hoc igitur proponendo Decretum, Oecumenica Synodus praeclarum huius pastoralis voluntatis et finis indicium praebet, de quo ambigi non licet, cum ad omnes homines spectet, quos nostros in Deo Creatore et in Christo Iesu Redemptore fratres appellamus et complectimur.

4 – RELATIO

Hic fasciculus Patribus distributus est die 18 novembris 1963, in congregatione generali sexagesima nona.

1. Circa Capita I-III

Exc.mi P. D. Ioseph M. Martin, arch. Rothomagensis

Venerabiles Patres, Fratres Observatores,

Prima tria capitula schematis « De Oecumenismo », quae nomine Secretariatus ad unitatem christianorum fovendam praesentare mihi honoris est, respiciunt:

1) Oecumenismi principia catholica (cap. I, p. 7);
2) exercitium Oecumenismi (cap. II, p. 15);
3) ea quae peculiariter spectant ad
   a) Ecclesias Orientales seiunctas,
   b) Communitates inde a saec. XVI a Sede Apostolica seiunctas (cap. III, p. 20 et s.).

* * *

Intentio mea non est historiam praeparationis huius schematis texere, sed potius intimum eius spiritum ostendere, ut inde Patres Concilii illud quo melius profundiusque intelligere possint, antequam gravem illam responsabilitatem sibi assumant coram Deo et coram hominum historia, votum emittentes vel approbativum vel modificativum vel negativum.

Observatio haec valet etiam quoad capitula « De Iudaeis » et « De libertate religiosa », de quibus locuturi sunt postea alii Relatores.

* * *

Ut mea expositio sit clara neque nimis protracta, tria dicturus sum:

I - Quid schema non sit;

II - Quid auctores schematis proponere conati sint;

III - Expositio schematis.

I

QUID SCHEMA NON SIT

Schema non est manuale theologiae, neque titulus Codicis Iuris Canonici, neque historiae tractatus. Iuxta verba Pauli VI indicativa, auctores schematis noluerunt intrare in meandra historiae: « Ce serait s'enliser dans les dédales de l'histoire et, sans doute, rouvrir des blessures qui ne sont pas complètement cicatrisées », iterum plagas aperire, quae nondum plene ad cicatrices pervenerunt (Allocutio ad Observatores, die 17 oct. 1963 habita, *L'Osservatore Romano* n. 242, 19 oct. 1963).

Id certissime non ex ignorantia doctrinae catholicae vel parvipendendo ius canonicum et historiam factum est.

Sed id non erat in proposito explicito huius schematis. Insuper nostrum decretum omnino et evidenter praesupponit doctrinam expositam in Constitutione dogmatica « De Ecclesia ».

II

QUID AUCTORES SCHEMATIS PROPONERE CONATI SINT

Auctores schematis praeparare conati sunt decretum:

— *sobrie et sane irenicum,*

— *pastorale,* id est ad instructionem fidelium qua illi melius cognoscere possint obiectum, mentem et opportunitatem providentialem oecumenicae motionis,

— *novum,* nam quaestio de Oecumenismo est omnino nova. Nullum umquam ex praecedentibus Conciliis de ea tractaverat. In ipsa theologia nonnisi recentiore tempore de ea sermo fit. Multas implicat quaestiones nondum perfecte solutas.

Et tamen, nonobstantibus hisce difficultatibus, est tanti momenti, quod Concilium nostrum de ea nullatenus silere potest. Necessitas enascitur e novis rerum conditionibus, quae demum in nostro tempore verificantur.

Quaenam est haec nova situatio particularis?

Est factum divisionis inter christianos baptizatos, quae iam per saecula perdurat. Factum diuturnae divisionis, quod hodie hominibus tam christianis quam non christianis est vere scandalum.

Est enim contra expressam voluntatem Christi et est impedimentum inhibens, quasi « paralysans » evangelizationem mundi et dilatationem Regni Dei. Factum ex tristi experientia quotidiana constat.

III

Expositio Schematis

CAPUT I
(p. 7 et sq.)

Agitur de Dei proposito ad hominum salutem. De Ecclesiae unitate et unicitate. De habitudine fratrum separatorum ad Ecclesiam catholicam. De genuina notione Oecumenismi. Cf. nn. 1-2-3.

CAPUT II
(p. 15 et sq.)

De Oecumenismi exercitio

Haec pars est magni momenti quoad vitam practicam. Vult enim illa benigna et sapientia consilia Ioannis XXIII, saepius iterata, in mentes revocare et in praxim adducere.

Consilia paterna autem haec sunt:

— non sufficit disputare solummodo de Oecumenismo;

— a fortiori non sufficit mere loqui de Oecumenismo tamquam de re quadam actuali in favorem hodiernum, « actualité à la mode du jour »;

— sed fideles huius nominis vere digni, et simul Mater Ecclesia, omnia media naturalia et supernaturalia, utilia et necessaria ad propositum finem, Deo opitulante obtinendum, adhibere debent.

* * *

Inter haec media indicata a Ioanne XXIII necnon a Paulo VI, qui Antecessoris haereditatem spiritualem fidentissime ingressus est, haec sunt praecipua:

— *spiritualis renovatio.* Nam sine interiore renovatione, sine cordis conversione, sine vitae sanctitate, non datur Oecumenismus, quippe qui

sterilis maneret, neque ad illud Ecclesiae « aggiornamento » pervenitur, quod Ioannes XXIII non solum auguravit sed tamquam finem Concilio proposuit. Cf. nn. 4-5-6;

— *oratio supplex.* Oportet multum orare. Speciatim pro Unitate. Oratio unanimis et communis, sub indicatis conditionibus, necessaria est, ut votum supremum Christi, pridie quam pateretur expressum, « ut omnes unum sint », inter nos fiat viva realitas. Cf. n. 7;

— *fratrum mutua cognitio* et in caritate comprehensio. Cf. nn. 8-9-10;

— *cooperatio cum fratribus seiunctis.* Non timenda est cooperatio in operibus caritatis quae ex evangelico profluunt spiritu. Cf. n. 11.

CAPUT III
(p. 20 et sq.)

Hoc caput comprehendit duas sectiones, alteram de Ecclesiis Orientalibus seiunctis, alteram de Communitatibus inde a saec. XVI a Sede Apostolica separatis.

Momentum huius capitis tam praesens tempus respicit quam futurum.

Tenor eius forsan lectorem quandoque obstupefacere et criticas observationes provocare possit. Iam nobis quidam dixit haec « ad laudationem dissidentium » esse scripta.

Ad dubia dissipanda necnon ad clarificandam tanti momenti quaestionem, hic quasdam observationes praeliminares pono.

1. Observationes praeliminares

Omnis aequivocatio vel « compromissum » reiicitur.

Omnibus, sive membris Secretariatus ad Unitatem, sive Observatoribus delegatis, prorsus notum est adesse inter catholicos et alios christianos dissentiones doctrinales et dogmaticas, diversitates in disciplina, historicas ex utraque parte accusationes, et nemo sibi illudere potest de huiusmodi rerum gravitate...

Nemo tamen inter nos paratus est accipere formulam unionis aequivocam vel superficialem.

Omnes qui Christi sunt, filii Lucis sunt — et filii Lucis non debent ambulare in tenebris.

Inter nos non est duplicitas, non « maquignonnage » (sicut dicitur gallice), non « machiavelismum » (sicut dicitur ubique).

Sed inter nos, iam ab initio relationum nostrarum, rectitudo, inten-

tionum puritas, investigatio — et bona illa investigatio — quae est veritatis curiosa, lucis avida et, super omnia, Iesum quaerens in Libris.

Quibus dictis necnon ab omnibus expresse admissis, ut experientia constat, non videtur necessarium vel opportunum, recapitulare semper de novo summam discrepantiarum, quas optime novissimus, itaque sine necessitate dolorem renovare. Id quod nunc maxime necessarium videtur, est: basim communem quaerere, in qua dialogus incipi potest, qui nos adducit ad divergentias actuales considerandas in perspectiva nova, in propitiori mentis habitudine.

Haec est ratio ob quam schema tam discrete commemorat quaestiones quae nos a fratribus in Christo separant.

Necessitas et scopus dialogi.

Ad obstaculum auferendum, absolute necessaria est via dialogi.

Dialogi, inquam, in quo utraque pars alteram et audit et alloquitur. In quo utraque pars et loqui et audire debet. In quo altera alteram comprehendere satagit, ut et ipsa comprehendatur: non sufficit etenim veritatem proponere, sed oportet ita proponere, ut ea tamquam veritas in suo sensu genuino videri et percipi possit.

Ex quo patet, nullam prorsus celare aut minuere veritatem nos velle in dialogo. Sed e contrario: methodus dialogi inter christianos separatos adiuvat omnes ut se melius intelligere possint et ut omnes profundius intelligant Dei Verbum.

Certo certius dialogus non procedit ex indifferentismo nec per se tendit ad indifferentismum. Renuit tacere veritatem ullam, vult tamen abstineri ab omni duritate in loquendo, ut veritas plene audiatur et intelligatur.

Haec est Oecumenismi via quae est absolute necessaria, ut ex puncto mortuo (point mort) tandem denique moveamur versus unitatem quam Christus desiderat.

Unde apparet finem proprium et immediatum actionis oecumenicae consistere in praeparando vias ad unitatem omnium christianorum restaurandam in unica Christi Ecclesia.

Unitas ultima autem est in manu Dei.

Normae particulares.

In praesenti Decreto non omnes quaestiones tractantur sed solummodo altiora Oecumenismi principia in lucem ponuntur.

Est enim in praeparatione Directorium in quo Normae particulares explicantur.

Insuper, pro singulis regionibus Episcopi vel Conferentiae episcopales edere debebunt Directoria particularia. Patet enim actionem oecumenicam exerceri debere modis diversis prout diversarum nationum conditiones postulant. Episcopi enim singularum regionum perpendere debent problemata particularia, per regiones sat diversas, atque de iis normas appropriatas edere. In eiusmodi Directorio generali vel particulari sermo erit etiam de quaestione, quemnam locum in opere pastorali Ecclesiae sibi vindicet reconciliatio individualis singulorum, qui in Ecclesiam catholicam ingredi desiderant, et praeparatio eorum.

Patet enim nullam adesse debere oppositionem inter hanc speciem Apostolatus et actionem oecumenicam proprie dictam.

* * *

Omnia quae in sequentibus duabus partibus capitis III dicuntur, non sunt sumenda tamquam locutiones definitivae, sed potius tamquam descriptiones indicativae de principalibus punctis, ubi contactus reales iam existunt, et de thematibus circa quae utiliter dialogus potest institui.

2. De Ecclesiis Orientalibus (pp. 20-22)

Omnia quae hoc loco dicta sunt de Ecclesiis Orientalibus seiunctis, de earum historia, de traditionibus venerandis ab Apostolis et Patribus acceptis et servatis, de legitima diversitate in disciplina spirituali, morali, liturgica etc., ideo dicta sunt quia vera et iusta sunt; sed insimul haec pars fulcitur citationibus depromptis e declarationibus Leonis XIII et Pii XII, ad ostendendum affirmationes non esse ad meram opportunitatem a nobis inventas, sed concordare cum doctrina pluries expressa a Summis Pontificibus, qui inter illustriores nostrae historiae computantur.

De Orientalium Ecclesiarum divisione eo magis dolendum est, quo cum eis maxima affinitate coniuncti sumus in ordine episcopali, in re sacramentaria et ante omnia in SS. Eucharistiae mysterio.

3. De communitatibus inde a saec. XVI ab Apostolica Sede seiunctis (pp. 23-25)

Consimiles rationes impellunt nos quam maxima caritatis aestimatione loqui de illis in Occidente communitatibus, quae inde a saec. XVI sunt a Sede Apostolica seiunctae, sed quibuscum antea per tria saecu-

lorum lustra communem christianam ducebamus vitam in unitate Ecclesiae.

Fides eorum in Christum — amor et cultus Scripturarum — veneratio divini Verbi semper viventis — vinculum sacramentale baptismi ubicumque rite iuxta Domini institutionem confertur ac debita animi dispositione accipitur — missionalis eorum activitas — Sancti Spiritus impulsus qui in sensu oecumenico spirat — haec omnia explicant et iustificant sincerae commotionis accentum, tam spe quam tristitia mixtum, qui in paragraphis circa fratres nostros anglicanos et protestantes resonat.

CONCLUSIO

Antequam finem Relationi imponam, liceat mihi ultimam hanc adiungere considerationem, quae mihi videtur cuiusdam momenti.

Schema maxima ex parte confectum est cura et opera Secretariatus ad Unitatem christianorum fovendam, cui praeses est Eminentissimus Cardinalis Bea, agendo semper in accurata quaestionum disquisitione et etiam, nonobstante magna membrorum diversitate, in sincero spiritu cooperationis fraternae et amicalis.

Inde ab initio Concilii similis amicitiae et mutuae fiduciae aura spirat etiam inter membra Secretariatus et Observatores delegatos et invitatos.

Nemo contradicet mihi dicenti nos omnes sentire influxum Spiritus Sancti in ipso principio motus oecumenici.

Etenim, in Instructione die 20 decembris 1949 emissa (*A.A.S.*, 42, 1950), Suprema Congregatio Sancti Officii non dubitavit asserere non sine afflatu Spiritus Sancti ortam esse motionem oecumenicam.

Quae inde ab illo tempore evenerunt, tam in Ecclesia catholica quam in Concilio mundiali Ecclesiarum (Conseil œcuménique des Eglises), omnibus notum est.

In hisce nostris temporibus, cum duo spiritus, de quibus iam locutus est Augustinus, in orbe terrarum colluctantur in prorsus novis vitae conditionibus, novis iisque efficacissimis adhibitis instrumentis, nonne discerni potest invitatio atque impulsus Spiritus Dei, ab intra omnes appellantis, qui christiano decorantur nomine et indelebili signo Baptismi consignantur, ad inquirendam in communi, ut et in communi illam desideratam Unitatem inveniant, quam Salvator ad bonum totius humani generis et ad maiorem Dei gloriam postulavit a Patre?

Ita hodie filii christianae familiae, tam diu dispersi, nobis tanquam elementa videntur quae a Providentia miro modo conservata

sunt, intuitu futurae unionis, cuius primitiarum forsan, gratia Dei, nos omnes testes sumus: « O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius! » (*Rom.* 11, 33).

Denique, etsi non paucae quaestiones fundamentales insolutae maneant inter Christianos seiunctos, nihilominus habitudo mentis ac cordis quoad mutuas relationes non parum mutata est, et hoc est revera conditio sine qua non omnis progressus in via quae ad Unitatem perducit.

Quod amplius est: iam locum habent contactus strictioris naturae. Quamvis dialogus oecumenicus adhuc longe a termino distet, tamen fructus iam protulit tam in campo intellectuali (informationes et reflexiones in communi factae) quam in activitatibus socialibus et caritativis.

Quo fit, ut in bonae spei trepidatione exclamare possimus: « Domine, quod tua Sapientia incepit, tua Potentia, nobis pauperibus consentientibus et cooperantibus, perficere dignetur! ».

Ubi caritas et amor, Deus ibi est.

Quae in hac iam nimis diffusa relatione dicta sunt, consona videntur menti Summi Pontificis Pauli VI, et speciatim conformia eius verbis in allocutione ad Observatores prolatis, in lingua materna humilis Relatoris:

« S'approcher, se rencontrer, se saluer, se connaître, se parler: quoi de plus simple, de plus naturel, de plus humain? Certes. Mais ici il y a davantage encore: s'écouter les uns les autres; prier les uns pour les autres; et, après de si longues années de séparation, après de si douloureuses polémiques, recommencer à s'aimer les uns les autres: voilà ce qui rend cette rencontre mémorable et pleine de promesses ».

Deus unus et trinus benedicat conatus nostrae bonae voluntatis. Et intercedat pro nobis benigna Mater Iesu, Maria. Amen.

2. CAPUT III PARAGRAPHUS PRIMA *

DE ECCLESIARUM ORIENTALIUM PECULIARI CONSIDERATIONE

Exc.mi P. D. Gabrielis Bukatko,
arch. tit. Mocissenus, coad. c.i.s. Belogradensis

Eminentissimi Praesides, venerabiles Fratres,

Munus honorificum quod ab Em.mo Praeside Commissionis de Ecclesiis Orientalibus mihi demandatum est primae partis capitis tertii praesentis schematis rationem declarandi, breviter persolvam.

1) Omnibus Patribus notum est in duobus schematibus quaestionem de relatione cum Orientalibus a Sede romana seiunctis tractari, scilicet in schemate hoc et in schemate « de Ecclesiis Orientalibus ». Hoc difficultatem alicui facere possit: id est, cur de eadem re in diversis locis agatur.

Iam haec difficultas evanescit si attente consideretis tum scopum huius partis primae nostri capitis III, tum scopum qui in altera parte schematis « de Ecclesiis Orientalibus » intenditur.

Etenim in hoc praesenti schemate prae oculis habetur peculiaris quaedam natura relationis orientalium non catholicorum cum Ecclesia catholica et huius Ecclesiae cum illis.

E contra, in schemate « de Ecclesiis Orientalibus » in considerationem potius venit conditio peculiaris Ecclesiarum orientalium catholicarum et, posita hac peculiari conditione, abstrahi non licebat a relationibus propriis quae inter has Ecclesias et fratres seiunctos orientales existunt et existere debent. Quare isti duo respectus, prout in duobus diversis schematibus proponuntur, omnino stare possunt.

2) Textus huius primae partis capitis III, sicut reliquus textus schematis, a Secretariatu ad christianorum unitatem fovendam elaboratus est cum quadam collaboratione commissionis de Ecclesiis Orientalibus. Immo in hoc textu redigendo, secundum votum a Patribus in prima sessione die 1 decembris 1962 expressum, non pauca elementa desumpta sunt a decreto « De Ecclesiae unitate: " Ut omnes unum sint ", iam a vobis examinato. Nunc, haec prima pars tertii capitis « de Oecumenismo », sicut aliae eiusdem partes, proponitur a Secretariatu iuxta suam propriam competentiam.

3) Fateor quidem nos obiectum huius schematis magni facere, nam, quidquid viam parat ad laborem oecumenicum, praesertim circa orientales

* Cf. congregatio generalis septuagesima, p. 550.

seiunctos, non solum nostrum favorem, sed etiam nostram plenam ac sinceram approbationem meretur. Speramus ut Patres, eisdem considerationibus inducti, attente perpendere velint quod in hoc schemate de Orientalibus dicitur.

4) Quod tamen non impedit quominus textus in meliore adhuc forma redigi possit iuxta placita Patrum, a quibus sincere petimus ut emendationes, quas opportunas vel necessarias iudicaverint, libere proponant.

3. Caput IV *

DE CATHOLICORUM HABITUDINE AD NON CHRISTIANOS ET MAXIME AD IUDAEOS

Em.mi P. D. Augustini card. Bea

Eminentissimi ac excellentissimi Patres,

Schema « de Iudaeis » nunc examini subiciendum plus duobus annis abhinc parari coeptum est et quoad substantiam mense maio anni elapsi absolutum fuit. Hoc anno demum Commissione Concilii laboribus coordinandis probante, in schema « De Oecumenismo » insertum fuit. Secretariatus cui cura unitatem *christianorum* promovendi concredita est, etiam quaestionem de Iudaeis tractandum suscepit non proprio marte, sed ex explicito mandato Summi Pontificis Ioannis XXIII fel. rec., Praesidi Secretariatus vivae vocis oraculo dato. Schema sic paratum in sessionibus Commissionis Centralis mensis iunii 1962 disceptandum erat. Disceptatio tamen omissa fuit *non* propter ideas vel doctrinam in schemate expressas, sed solum ob infelices quasdam circumstantias politicas illorum dierum.

Decretum valde breve est, sed materia quae in eo tractatur non tam facilis est. Eamus statim in medias res et dicamus de quanam re agatur, vel potius, cum res facile perperam intelligi possit, dicamus ante omnia, de quanam re *non agatur*. *Non* agitur de quaestione aliqua nationali vel politica, et in specie non agitur de agnoscendo Statu Israel ex parte Sanctae Sedis. Nulla ex his quaestionibus nec tractatur in schemate nec ullo modo tangitur, sed agitur de quaestione aliqua pure religiosa.

Decretum enim *intendit* sollemniter in mentem revocare ea quae Ecclesia Christi arcano Divinae Providentiae consilio per manus populi electi Israel accepit. Accepit imprimis, ut verbis S. Pauli in Epistula

* Cf. congregatio generalis septuagesima, p. 550.

ad Romanos utar, « eloquia Dei » (*Rom.* 3, 2), id est verbum Dei in Vetere Testamento. Praeterea, ut eiusdem S. Pauli verbis utar, Israelitarum « adoptio est filiorum et gloria et testamentum et legislatio et cultus et promissa »; eorum sunt patres, et ex eis « est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula » (cf. *Rom.* 9, 4. 5). Aliis verbis non solum tota praeparatio operis Redemptoris et ipsius Ecclesiae in Vetere Testamento, sed etiam eiusdem operis executio, fundatio Ecclesiae eiusque propagatio in mundo facta sunt vel in populo electo Israel vel per membra huius populi, quae Deus ut instrumenta assumpsit. Ecclesia vero aliquo sensu est continuatio populi electi Israel, uti optime exponebatur in schemate « De Ecclesia » (cap. I, p. 7 s.), ita ut secundum S. Paulum ipsi Christiani vocari possint « Israelitae » non quidem « secundum carnem », sed quia in eis explentur promissiones Abrahae, patri populi Israel, factae (cf. *Rom.* 9, 6-8). In nobis enim christianis, Ecclesiae membris, perfecte ad effectum deducitur illud Regnum Dei pro quo in mundo fundando Deus populum Israel elegit et educavit. Iamvero iure interrogare licet, num modus quo praedicatores nostri interdum in sermonibus, speciatim de Passione Domini, utuntur, his factis et relationibus Ecclesiae ad populum electum Israel et nostro gratitudinis erga hunc populum debito vere respondeat.

Sunt tamen, qui obiciant: nonne principes huius populi, ipso populo cooperante, Christum Dominum innocentem condemnaverunt et crucifixerunt? Nonne: « clamaverunt: sanguis eius super nos et super filios nostros » (*Mt.* 27, 25)? Nonne Christus ipse severissime de Iudaeis ac de eorum punitione locutus est? Respondeo simpliciter et breviter: verum est Christum severe locutum esse, sed ea intentione ut populus convertatur et « cognoscat tempus visitationis suae » (cf. *Lc.* 19, 42-49). Sed etiam in Cruce moriens oravit: « Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt » (*Lc.* 23, 34).

Quare, cum Dominus ante sepulcrum Lazari asseveraverit, Patrem alloquens: « Ergo sciebam, quia semper me audis » (*Io.* 11, 42), nefas est dicere eius ad Patrem orationem non fuisse exauditam et Deum populo electo culpam non modo non dimisisse sed eum reiecisse. Deus ipse per S. Paulum certiores nos reddit se *nullo modo* reiecisse hunc suum populum electum et dilectum. Apostolus enim scribit ad Romanos: « Dico ergo: numquid Deus reppulit populum suum? Absit... Non reppulit Deus plebem suam, quam praescivit » (*Rom.* 11, 1 s.). Et paulo infra hanc huius facti reddit rationem: « Sine poenitentia enim sunt dona et vocatio Dei » (*ibid.* v. 29), id est Deus non revocat electionem semel factam nec populum Israel reicit. Adhuc ulterius procedens, S. Paulus affirmat aliquando « omnem Israel » salvatum iri, tam eos,

qui sunt « Israel secundum carnem », quam eos qui sunt Israel secundum promissionem tantum. Affirmat enim Apostolus: « Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret... Sicut enim aliquando et vos (Romani, quatenus, pertinentes ad populos non iudaeos), non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem eorum; ita et isti nunc non crediderunt in vestra misericordia, *ut et ipsi misericordiam consequantur* » (*Rom.* 11, 25 s., 30 s.). Unde S. Paulus, qui quidem tanta ab aliquibus Iudaeis passus est, ardentem Dei caritatem imitatus, dicebat: « Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem... » (*Rom.* 9, 3).

Scopus igitur huius brevissimi decreti ille est, ut hae veritates de Iudaeis ab Apostolo propositae et in deposito fidei contentae tam clare in memoriam Christifidelium revocentur, ut ipsi cum filiis illius populi agentes non aliter agant ac egerunt ipse Christus Dominus eiusque Apostoli, Petrus et Paulus. S. Petrus populum Iudaeorum alloquens de Crucifixione Domini dicebat: « Scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri... » (*Act.* 3, 17). Ergo etiam ipsos principes excusat! Similiter S. Paulus (*Act.* 13, 27).

Quaestio igitur nullo modo est ut in dubium vocentur — uti quandoque falso autumant — ea quae in Evangeliis narrantur sive de Christi de sua dignitate et natura divina conscientia, sive de modo, quo Dominus innocens iniuste damnatus est. Sed his hominibus plene prae oculis habitis possibile et necessarium est imitari mansuetam Christi Domini eiusque Apostolorum caritatem qua persecutores suos excusant.

Sed *cur* praecise *hodie tam necessarium est* haec in memoriam revocare? Ratio haec est quod inde pluribus decenniis abhinc antisemitismus qui dicitur in variis regionibus valde grassabatur et forma maxime violenta et criminosa, maxime in Germania, dominante Nationalsocialismo, qui ex odio contra Iudaeos immania patravit delicta, plura decies centena milia — non est nostrum exactum numerum inquirere — Iudaeorum exstirpando. Totam autem illam actionem comitabatur et sustentabat potentissima et valida quae dicitur « propaganda » contra Iudaeos. Iamvero vix fieri potest quin ex illa propaganda etiam in fideles catholicos aliqua asserta effectum funestum exercuerint, eo vel magis, quod argumenta ab illa propaganda proposita saepius saltem apparentiam veritatis praeseferebant, praesertim quando ex ipso Novo Testamento et ex historia Ecclesiae proferebantur. Quare, cum Ecclesia in hoc Concilio propriae renovationi studeat per « ricercarne le tracce della giovinezza più fervorosa », ut ait Ioannes XXIII v. m. (cf. Discorso 14 nov. 1960,

A.A.S., 52, 1960, p. 960), etiam huic quaestioni manus admovenda videtur.

Non quod antisemitismus, maxime ille nationalsocialismi, inspirationem suam ex doctrina Ecclesiae hauserit, id quod nullo modo obtinet. Potius agitur de aliquibus ideis removendis, quae fortasse in animis catholicorum ex illa propaganda insideant. Si Christus Dominus et Apostoli, qui immediate effectus dolorosos Crucifixionis experti sunt, ipsos suos persecutores ardenti caritate amplexi sunt, quanto magis nos eadem caritate moveri debemus? Nam Iudaei, quibuscum nos agimus, eo minus propter illa facta contra Christum perpetrata accusari possunt, quanto magis remote ab illis distant. Immo etiam tempore Christi maior pars populi electi minime cum populi principibus cooperata est in Christo condemnando. Nonne de ipso aliquo membro Synedrii, scilicet de Ioseph ab Arimathaea, dicitur in Evangelio eum non consensisse « consilio et operibus eorum » (*Lc.* 23, 51)? Etiam illi qui eorum Pilato clamabant « crucifige eum », minimam populi electi constituebant partem. Nonne principes Iudaeorum noluerunt occidere Dominum « in die festo, ne tumultus fieret in populo »? (*Mt.* 26, 5). Si ergo neque omnes Iudaei in Palaestina vel in Ierusalem accusari possunt, quanto minus Iudaei in Imperio Romano dispersi? et quanto etiam minus illi qui hodie post undeviginti saecula in toto mundo dispersi vivunt?

Sed mittamus has considerationes. Pro nobis sufficiat exemplum ardentis caritatis Domini et Apostolorum. Huic exemplo Ecclesia in annuntianda Passione et Morte Domini quam perfectissime conformari debet. Sic agendo minime volumus dicere vel innuere antisemitismum maxime vel principaliter e radice religiosa exsurgere, ex iis scilicet quae Evangelia de Passione et Morte Domini narrant. Scimus optime adesse etiam rationes ordinis sive politico-nationalis, sive psychologici, socialis et oeconomici. Sed affirmamus Ecclesiam certissime exempla mansuetae caritatis Christi imitari debere erga populum per quem ipsa tot et tanta beneficia a Deo accepit. Si et ubi ergo aliqui vel plures ex Iudaeis haec vel illa faciunt, de quibus saepe accusantur, christiani memores erunt exempli S. Pauli ipsius, qui dum acerrime impugnaretur a pluribus ex Iudaeis, persecutores quidem publice denuntiabat, qui sive libertatem suam verbum Domini annuntiandi, sive libertatem hominum Evangelio credendi impediebant (cf. *1 Thess.* 2, 15 s.), sed simul testabatur se eos tam ardenter amare, ut ipse « anathema esse a Christo » pro eis desideraret. Sic ergo etiam Ecclesiae filii fortiter utentur armis pacificis veritatis, caritatis et patientiae, quae arma certe maxime efficacia sunt.

Ultimo: cum hic agatur de quaestione mere religiosa, patet nullum adesse periculum ne Concilium immisceatur arduis illis quaestionibus,

quae respiciunt relationes inter nationes Arabicas et Statum Israel vel sic dictum Sionismum.

Mense decembris anni elapsi totam hanc quaestionem « De Iudaeis » scripto exposui Summo Pontifici Ioanni XXIII f. rec. Iam post paucos dies Summus Pontifex mihi plenam suam adprobationem significavit.

Sic quidem ipse Summus Pontifex quinque fere mensibus ante beatam suam mortem scripsit. Iamvero non dico, causam de qua agimus, his eius verbis definitam esse; ipse enim Concilium liberum esse voluit, uti etiam eius Successor omnino vult. Puto tamen haec eius verba omnibus Eminentissimis ac Excellentissimis Patribus cara esse ac simul omnibus lucem praeferre in sequela Christi Domini. In nostra autem re multo maioris momenti, immo simpliciter decisivum, est exemplum ardentis caritatis ipsius Domini in cruce orantis: « Pater dimitte eis, non enim sciunt quid faciunt ». Hoc est exemplum ab Ecclesia, Christi Sponsa, imitandum, haec via ab ea terenda, atque hoc ipsum decretum a nobis propositum fovere et promovere intendit.

4. Cap. V *

DE LIBERTATE RELIGIOSA

Exc.mi P. D. Aemilii Ioseph De Smedt, ep. Brugensis

Venerabiles Patres,

Numerosissimi Patres Conciliares instantissime postulaverunt ut haec Sacra Synodus manifeste exponat ac proclamet ius hominis ad libertatem religiosam. Inter rationes allatas, hae quattuor praecipuae commemorandae veniunt:

1) *ratio veritatis*: Ecclesia ius ad libertatem religiosam docere ac defendere debet quia agitur de veritate cuius custodia ipsi a Christo commissa est;

2) *ratio defensionis*: Ecclesia non potest silere quando hodiedum materialismo atheistico varii generis fere dimidia humanitatis pars libertate religiosa privatur;

3) *ratio pacificae cohabitationis*: hodie in omnibus universi nationibus homines, qui diversis religionibus adhaerent vel religione omnino carent, vocantur ad pacifice conversandum in una eademque humana societate; Ecclesia, luce veritatis, viam ad pacificam cohabitationem indicare debet;

* Cf. congregatio generalis septuagesima, p. 550.

4) *ratio oecumenica*: multi non-catholici adversus Ecclesiam aversionem nutriunt vel saltem ipsam de quodam machiavelismo suspicantur quia eis videmur liberum religionis exercitium exigere quando catholici in determinata natione numero pauciores sunt, spreta ac denegata hac eadem religiosa libertate quando catholici numero maiores inveniuntur.

Libertas religiosa problema adeo grave est in societate moderna ut in decreto pastorali de oecumenismo omitti non possit. Qua de causa, hoc quintum caput nostri schematis de Oecumenismo vestris deliberationibus submittimus.

Secretariatus pro unitate christianorum hanc materiam pro viribus suis sedulo parandam curavit. Cum agatur de re difficillima ac simul magni momenti in vita moderna, auctores schematis spem nutriunt sinceram fore ut attentio vestra et pastoralis consideratio schema nunc oblatum ubi emendent, ubi imperfectum in perfectiorem formam redigant.

Formula verborum « Libertas religiosa » in nostro textu determinatum sensum habet. In nostra disceptatione magna confusio oriretur si ab aliquibus Patribus huic formulae verborum alius sensus tribueretur quam ille qui intenditur in textu.

Quando defenditur libertas religiosa, non asseritur homini competere ut problema religiosum pro suo nutu et nulla admissa morali obligatione consideret atque pro lubitu sibi statuat utrum religionem amplectatur necne (indifferentismus religiosus);

— neque affirmatur quod conscientia humana eo sensu libera est, ac si exlex esset, soluta scilicet ab omni erga Deum obligatione (laicismus);

— neque dicitur quod falsum aequo iure habendum est ac verum ac si nulla daretur veritatis norma obiectiva (relativismus doctrinalis);

— neque admittitur hominem quodam modo quasi ius habere ad tranquille sibi in incertitudine complacendum (pessimismus dilettantisticus).

Si quis pertinaciter vocabulo « libertas religiosa » unum e praedictis sensibus tribuere vellet, textui nostro sensum adscriberet quem nec verba nec nostra intentio habent.

Quid igitur in nostro textu per libertatem religiosam significatur? Positive loquendo, libertas religiosa est ius personae humanae ad liberum exercitium religionis iuxta dictamina conscientiae suae. Negative loquendo, libertas religiosa est immunitas ab omni externa coactione in personalibus cum Deo relationibus, quas hominis conscientia sibi vindicat. Libertas religiosa implicat autonomiam humanam, non ab intra quidem sed ab extra. Ab intra, homo ab obligationibus erga

problema religiosum non est emancipatus. Ab extra, eius libertas offenditur quando impeditur dictaminibus suae conscientiae in materia religiosa oboedire.

Duplex quaestio nunc ponitur: 1° utrum unusquisque homo libertatem religiosam sibi vindicare possit tamquam ius sacrum sibi a Deo tributum?, 2° utrum et quatenus aliis officium incumbat praedictam religiosam libertatem agnoscendi?

Decretum nostrum, cum sit pastorale, praesentem materiam maxime ad finem practicum tractare intendit et, more Papae Ioannis XXIII, sedulo totam quaestionem removere conabitur ab illo mundo abstractionum, qui saeculo XIX tam carus fuit. Quaestio igitur ponitur de homine reali in reali eius cum aliis hominibus consortione, in societate humana et in societate civili hodierna.

I

Primum problema pastorale quod ab hac S. Synodo nunc examinari debet, sic sonat: *quomodo catholici propter suam fidem sese gerere debent erga homines qui fidei catholicae non adhaerent?*

Sequens responsum vestris deliberationibus proponimus.

1° Omnes catholici a Christo invitantur ut oratione, poenitentia, testimonio et evangelisatione in Spiritu Sancto fratres non catholicos ad beneficium lucis evangelicae et vitae Ecclesiae adducere conentur. Sacra Dei iura absoluta atque naturales et evangelicae veritates ab ipsis semper et ubique honoranda et observanda sunt.

2° Ab omni directa vel indirecta coercitione abstinere debent. Quamquam Deus omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, discipulis Christi tamen non licet libertatem religiosam individuae personae infringere. E contra, ab ipsis observanda et aestimanda sunt ius et officium non-catholicorum sequendi dictamen conscientiae suae etiam, sincero et sufficienti examine instituto, adhuc in bona fide errantis.

Quaenam est ratio fidei cur non-catholici a nemine cogi possint ut, renitente conscientia sua, doctrinam catholicam admittant?

Haec ratio invenitur in ipsa natura actus fidei. Hic enim *ex parte Dei,* est donum supernaturale quod Spiritus Sanctus liberrime concedit cui et quando vult, et *ex parte hominis* est et debet esse assensus quem homo Deo liberrime praestat.

Propter hanc rationem, non catholicus qui, sincere sequens conscientiam suam, fidem catholicam non amplectitur et circa fidem errat, ab omnibus membris Ecclesiae catholicae aestimari et considerari debet.

3° Omnes catholici fratres suos non-catholicos sincera et actuosa caritate diligere ac adiuvare, praecipiente Domino, tenentur.

II

Schema nunc ulteriorem gressum facit et asserit omnes et singulos homines, qui in materia religiosa conscientiam suam sequuntur, naturale ius habere ad veram et authenticam libertatem religiosam.

In hac secunda parte, huic S. Synodo proponitur ut libertatem religiosam solemniter exigat pro tota familia humana, pro universis religiosis coetibus, pro unaquaque persona humana sive circa fidem habeat conscientiam rectam et veram, sive rectam sed erroneam, dummodo sincere sequatur dictamen conscientiae. Ideo enuntiatur principium generale: *nulla persona humana obiectum coercitionis seu intolerantiae esse potest.*

Quaenam est ratio cur observatio libertatis religiosae ab omnibus exigitur? Humana persona, activitate conscia et libera praedita, cum voluntatem Dei tantummodo implere possit prout lex divina mediante dictamine conscientiae percipitur, finem suum ultimum obtinere nequit nisi iudicium conscientiae prudenter efformando eiusque dictamen fideliter exequendo. Ex natura rei, in hoc iudicio efformando, quo homo sese libere cum exigentiis absolutis iurium Dei conformare intendit, nec ullus alius homo nec ulla humana institutio sese conscientiae hominis libere iudicantis substituere valet. Ideo homo, qui conscientiae suae sincere oboedit, ipsi Deo, etsi quandoque confuse vel inscie, oboedire intendit et consideratione dignus aestimandus est. Laesa libertate religiosa, ipsa libertas personae humanae laedetur in materia praecipua, in exigentia fundamentali, in ordinatione sua ad supremum et ultimum finem. Summa iniuria est hominem aliquem impedire ne Deum colat Deoque oboediat iuxta dictamen conscientiae suae.

III

Schema ulteriorem adhuc gressum facit et intrat in materiam difficillimam.

Libertas religiosa esset inanis et vacua, si homines dictamen conscientiae suae non possent exercere actibus externis sive in vita privata, sive in vita sociali, sive in vita publica, immo si personae humanae impedirentur coetus religiosos constituere quorum socii externis et communibus actibus cultum supremo Numini tribuant et vitam religiosam ducant.

Hic autem oritur gravissimum problema. Etenim si persona humana externis actibus dictamen conscientiae suae exsequitur, periculum datur ne iura et officia alius vel aliarum personarum laedat. Cum homo sit ens sociale et cum in humana familia homines erroribus et peccatis obnoxii sint, conflictus iurium et conflictus officiorum undequaque vitari non possunt. Ex quo patet *ius et officium ad externam manifestationem dictaminis conscientiae non esse illimitatum, sed bono communi temperari et ordinari posse atque quandoque debere.*

Haec ordinatio boni communis in societate humana iuridice fieri debet et competit potestati publicae. « Ii qui reipublicae gubernacula tractant, scribitur in Encyclicis Litteris *Pacem in Terris,* in praecipuo officio sunt apte convenienterque iura, quibus homines alii cum aliis societate coniunguntur, ita componere et moderari, ne primum cives iura sua persequentes, alteros in suis iuribus interpellent; ne deinde alius sua servans iura, alios officia sua obeuntes retardet; ut postremum omnium iura cum efficaciter sarta tecta conserventur, tum in integrum, si quae violata sint, restituantur » (*A.A.S.,* 55, 1963, p. 274).

Quomodo potestas publica hoc suo officio fungi debet? In ordinando bono communi potestas publica numquam agere potest contra ordinem iustitiae a Deo statutum, sicut docet S. Thomas: « Ad secundum dicendum, quod lex humana in tantum habet rationem legis, in quantum est secundum rationem rectam; et secundum hoc manifestum est quod a lege aeterna derivatur. In quantum vero a ratione recedit, sic dicitur lex iniqua, et sic non habet rationem legis, sed magis violentiae cuiusdam » (*S. Theol.,* I-II, qu. 93, art. 3, ad 2um).

Recentiores Pontifices Romani iterum atque iterum lamentati sunt gubernia non pauca in hac materia perperam egisse, spreta vel violata libertate religiosa. Nostris quoque diebus non desunt regiones ubi tolerantia in re religiosa tam parum observatur ut Summus Pontifex Paulus VI, in sua allocutione ad Patres Concilii Vaticani II 29 sept. 1963, loquens de violato iure ad libertatem religiosam, dixerit: « Ob huiusmodi dolores quanta afficimur tristitia, et quam vehementer dolemus, cum cernimus in quibusdam territoriis religiosam libertatem, sicut alia praecipua hominis iura, opprimi eorum principiis et artibus, qui opiniones a suis diversas de re politica, de hominum stirpibus, de cuiusvis generis religione non tolerant. Dolemus praeterea tot adhuc iniurias alicubi iis esse illatas, qui religionem suam honeste ac libere profiteri velint ».

IV

Ut clare intelligatur doctrina Ecclesiae de extensione et limitibus officii potestatis civilis relate ad libertatem religiosam, necesse est paucis verbis historiam huius doctrinae evolvere. Indulgeatis mihi, Venerabiles Patres, si patientia vestra plus aequo uti videor, sed Secretariatui ad christianorum unitatem fovendam persuasum est multas difficultates et confusiones in schematis examine praeoccupari posse, si ante initam discussionem brevissime ostendo quid Summi Pontifices inde a Pio IX de officiis publicae potestatis in re religiosa docuerint.

In materia libertatis religiosae documentum princeps est Encyclica *Pacem in terris,* in quo Papa Ioannes XXIII praecipue haec duo capita doctrinae evolvit: Primo, iure naturae persona humana ius habet ad liberum in societate exercitium religionis iuxta dictamina conscientiae rectae, sive vera sit conscientia, sive sit errore veritatis aut impari rerum sacrarum cognitione capta (cf. *Pacem in terris, A.A.S.,* 55, 1963, p. 299). Secundo, huic iuri respondet officium, quod et aliis hominibus et potestati publicae incumbit, officium nempe illud ius hoc modo agnoscendi atque colendi ut persona humana in societate servetur immunis ab omni cuiusve generis coactione (*ibid.,* p. 264, et pp. 273-274).

Porro haec doctrina consideranda est ut terminus hodiernus evolutionis tum in doctrina de dignitate personae humanae, tum in Ecclesiae pastorali sollicitudine pro hominis libertate.

Haec evolutio doctrinalis facta est secundum duplicem regulam:

1° *Regula continuitatis.* Ipsa doctrina ipsaque Ecclesiae sollicitudo semper sibi constantes sunt, semper eaedem manent. Haec perennis doctrina his Papae Ioannis verbis reddi potest: « Illud humanae dignitas personae exigit, ut in agendo homo proprio consilio et libertate fruatur » (*ibid.,* p. 265). Haec doctrina altissimas habet radices in Sacris Scripturis, quippe quae praedicant hominem ad imaginem Dei factum. Ex hac doctrina nata est continua sollicitudo pastoralis Ecclesiae pro vera libertate hominis.

2° *Regula progressus.* Magisterium ecclesiasticum doctrinam genuinam aptat, exponit et defendit sicut exigitur erroribus qui sparguntur, necessitatibus quae ex evolutione hominis et societatis oriuntur. Quo progressu mens Ecclesiae ad doctrinam profundius scrutandam et clarius perspiciendam adducitur.

Hoc modo in duplici campo orta est distinctio, quam nemo tam luculentissimo modo exposuit quam Ioannes Pp. XXIII in Enc. *Pacem in Terris,* nempe:

1. Clarior distinctio inter falsa *placita philosophica* et *incepta seu*

instituta quae ex his ideologiis orta vel nutrita sunt. Dum ex una parte ideologiae semper reprobandae sunt, ex altera parte institutiones oeconomicae, sociales et civiles inde ortae, aliquid boni et probandi continere possunt.

2. Clarior distinctio inter *errores* et *personam* bona fide errantem. Dum ex una parte errores semper reiciendi sunt, ex altera parte homo errans « iam non humanitate instructus esse desinit, neque suam umquam personae dignitatem amittit, cuius nempe ratio semper est habenda » (*ibid.,* pp. 299-300).

Hae duae regulae continuitatis et progressus semper accurate prae oculis habendae sunt quando documenta Sedis Apostolicae leguntur et interpretantur.

V

Hoc modo iam via sternitur ad rectam intelligentiam plurium documentorum pontificalium quae saeculo XIX de libertate religiosa talibus verbis egerunt ut huiusmodi libertas damnanda esse videretur.

Exemplum clarissimum habetur apud Pium IX in Encyclica *Quanta cura,* in qua legitur: « Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea (scil. " naturalismi ") haud timent erroneam illam fovere opinionem catholicae Ecclesiae animarumque saluti maxime exitialem, a rec. mem. Gregorio XVI praedecessore nostro " deliramentum " appellatam, nimirum libertatem conscientiae et cultuum esse proprium cuiuscumque hominis ius, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate » (*A.S.S.,* 3, 1867, p. 162).

Ut videre est, damnatur libertas ista conscientiae propter ideologiam, quam praedicaverunt rationalismi fautores, hoc fundamento innixi, quod individua conscientia exlex est, ut nullis sit normis obnoxia divinitus traditis (cf. *Syllabus,* prop. 3, *A.S.S.,* 3, 1867, p. 168). Damnatur quoque ista libertas cultus, cuius principium est indifferentismus religiosus (cf. *Syllabus,* prop. 15, *ibid.,* p. 170). Damnatur tandem ista separatio Ecclesiae a Statu quae radicem habuit commentum rationalisticum de iuridica omnicompetentia Status (cf. *Syllabus,* prop. 39, *ibid.,* p. 172), secundum quod ipsa Ecclesia intra organismum monisticum Status incorporanda et potestati supremae Status subicienda esset.

Ut hae damnationes exacte interpretentur, in ipsis cernenda est constans illa Ecclesiae doctrina atque sollicitudo de humanae personae vera dignitate atque de eius vera libertate (regula continuitatis). Etenim fundamentum ultimum dignitatis humanae in eo est, quod homo est Dei creatura. Non est ipse deus sed Dei imago. Ex hac absoluta dependentia hominis a Deo profluit omne ius officiumque hominis ad vindicandam

sibi et aliis veri nominis libertatem religiosam. Ideo enim homo subiective tenetur ad Deum colendum iuxta rectam conscientiae suae normam, quia obiective a Deo absolute dependet. Ideo homo nullatenus est ab aliis hominibus vel etiam a potestate publica in re religiosa interdicendus a libero exercitio religionis, ne eius absoluta a Deo dependentia quavis ratione infringatur. Certamen igitur committendo contra laicismi placita cum philosophica tum politica, Ecclesia pro dignitate personae humanae et pro eius vera libertate omni ratione dimicabat. Ex quo sequitur, quod Ecclesia iuxta regulam continuitatis cum olim tum hodie, quantumvis mutatis rerum condicionibus, sibi plane consentiat.

Initium evolutionis doctrinalis iam fecit Leo XIII clarius faciendo distinctionem inter Ecclesiam, quae populus Dei est, et societatem civilem, quae populus est temporalis et terrestris (cf. *Immortale Dei, A.S.S.,* 18, 1885, pp. 166-167; alias sexies eandem doctrinam evolvit). Ita viam aperuit ad noviter affirmandam debitam et licitam autonomiam, quae ordini civili eiusque temperationi iuridiciali competit. Ex quo fit, ut gradus ulterior iam possibilis fuerit (regula progressus), ad novum scilicet iudicium de « libertatibus modernis », quae vocantur. Tolerari possunt hae libertates (cf. *Immortale Dei, A.S.S.,* 18, 1885, p. 174; *Libertas praestantissimum, A.S.S.,* 20, 1887, pp. 609-610). Iamvero « tolerari » tantum dicebantur. Ratio erat evidens. Etenim tum temporis in Europa regimina quae libertates modernas, inclusa libertate religiosa, proclamabant, suam inspirationem adhuc conscio animo ex ideologia laicistica trahebant. Periculum ergo exstabat, quod sensit Leo XIII, ne huiusmodi generis reipublicae instituta civilia et politica, cum essent intentione laicistica informata, ad tales abusus perducerent, qui dignitati personae humanae eiusque genuinae libertati nocivi non possent non fore. Quod enim Leoni Pp. XIII iuxta regulam continuitatis cordi erat, Ecclesiae semper cordi est, tutela nimirum personae humanae.

Ad novum stadium provexit Pius Pp. XI evolutionem doctrinalem et pastoralem, ingravescente pessimo isto totalitarismo statali, qui dicitur, sub variis eius formis. Periculum non iam est, ne falso concepta libertas dignitati humanae faciat iniuriam, sicut in saeculo XIX. Novum adest periculum, ne libertatis humanae et civilis omne genus in interitum sit pessum datum, ruente primo libertate in re religiosa. Exinde Ecclesia suum, quod numquam per saecula intermiserat, patrocinium libertatis dignitatisque humanae exercere coepit noviter. Crescente nempe sollicitudine pastorali, evolvitur doctrina.

Fideliter observans regulam continuitatis, Pius XI oppositionem Ecclesiae immutabilem contra laicismum antireligiosum sustentavit: « Ea enim, quae Pius X damnavit, nos pariter damnamus; quotiescumque

autem in " laicitate ", uti dicunt, sensus inest vel propositum Deo et religioni infestum adversumque, a Deo et a religione alienum, " laicitatem " ipsam omnino improbamus atque improbandam esse aperte declaramus » (*Maximam gravissimamque, A.A.S.,* 16, 1924, p. 10).

Regulam autem progressus non minus observans Pius XI novam invexit distinctionem, quae ad doctrinam catholicam altius intellegendam magni momenti erat. Distinxit enim inter « libertatem conscientiarum » et « libertatem conscientiae ». Hanc quidem formulam reiecit, ut « aequivocam », ut saepius in systemate laicistico usurpatam ad significandam « absolutam conscientiae independentiam, quod est quid absurdum in homine a Deo creato et redempto », illam vero formulam « libertas conscientiarum » accepit, dicendo se « animo laeto atque elato bonum certamen certare pro libertate conscientiarum » (*Non abbiamo bisogno, A.A.S.,* 23, 1931, pp. 301-302).

Praeterea Pius XI non solum certavit pro libertate religiosa fidelium, sed simul adductus est ut sollicitudinem pastoralem Ecclesiae latius ostenderet. Agebatur enim res ipsa humana, non tantum christiana, si vere inter has duas res, quae una sunt, fas sit distinguere. Ad novos igitur progressus evolvit Pius XI doctrinam vere liberalem atque christianam, docendo: « hominem ut personam a Deo tributa iura possidere, quae ab omni denegatione, privatione vel impedimento ex parte societatis immunia manere debent » (*Mit brennender Sorge, A.A.S.,* 29, 1937, p. 159). Et pergit modo haud ambiguo: « Homo credens possidet ius inalienabile fidem suam profitendi et aptis mediis exercendi. Leges, quae professionem et exercitium huius fidei impediunt vel difficile reddunt, contradicunt legi naturali » (*ibid.,* p. 160). Quod, quam sit universaliter dictum, neminem fugit, qui condiciones temporum ac proinde scopum harum Litterarum Encyclicarum intellexerit.

Sollicitudinis pastoralis sui praedecessoris profunde particeps, Pius XII eius doctrinam ulterius evolvit atque amplificavit (regula progressus). Unum fere prae oculis habebat, ipsam nempe personam humanam, a Deo creatam, a Christo Iesu redemptam, in angustiis autem positam periculisque undique circumdatam.

In hoc contextu doctrinae et sollicitudinis pastoralis (regula continuitatis) legendus est textus, qui in praesenti materia palmaris est. Numerando enim « iura fundamentalia personae », quae in omni societate bene ordinata agnosci et coli debent, doctrinam Pii Pp. XI rursus edicit novaque auctoritate fulcit, affirmando nempe « il diritto al culto di Dio privato e pubblico, compresa l'azione caritativa religiosa » (*Nuntius radiophonicus 24 dec. 1942, A.A.S.,* 35, 1943, p. 19). Neque hanc doctrinam proponit Romanus Pontifex tamquam tenuem quamdam opinio-

nem vel etiam tamquam theoriam scholis propriam. E contra, hanc doctrinam ad consectaria iuridica ducit, ut sit principium, secundum quod iusti fines apponuntur potestati publicae. Valet enim illud: « Inviolabilia iura tueri, hominum propria, atque curare, ut facilius quisque suis muneribus defungatur, hoc cuiusvis publicae potestatis officium est praecipuum » (*Nuntius radiophonicus 1 iunii 1941, A.A.S.*, 33, 1941, p. 200).

Hic maxime recolenda est doctrina Pii XII de limitatione Status, quod spectat ad errores in societate reprimendos: « Può darsi che in determinate circostanze Egli (Dio) non dia agli uomini nessun mandato, non imponga nessun dovere, non dia persino nessun diritto d'impedire e di reprimere ciò che è erroneo e falso? Uno sguardo alla realtà dà una risposta affermativa ». Deinde, allato exemplo divinae providentiae, pergit: « Quindi l'affermazione: il traviamento religioso e morale deve essere sempre impedito, quanto è possibile, perchè la sua tolleranza è in se stessa immorale, non può valere nella sua incondizionata assolutezza. D'altra parte, Dio non ha dato nemmeno all'autorità umana un siffatto precetto assoluto e universale, nè nel campo della fede nè in quello della morale. Non conoscono un tale precetto nè la comune convinzione degli uomini, nè la coscienza cristiana, nè le fonti della rivelazione, nè la prassi della Chiesa » (*Ci riesce, A.A.S.*, 35, 1953, pp. 798-799). Haec declaratio (regula progressus) est summi momenti pro materia nostra, praesertim si prae oculis habentur quae olim de missione status prolata sunt.

In fine huius historicae evolutionis venit tandem Encyclica *Pacem in terris*. Hoc documentum apparet ut fructus maturus lentae maturationis, quae sub luce Spiritu Sancti per totum saeculum praeteritum in Ecclesia peracta est.

Schema nostrum paratum et a Commissione Centrali necnon a Commissione Coordinationis iam examinatum erat, quando Papa Ioannes XXIII die 11 aprilis huius anni suas ultimas Encyclicas *Pacem in terris* publicavit. Credimus nostrum textum undequaque conformem esse cum lucidissima doctrina Pontificis quae in Ecclesia et extra Ecclesiam tam inauditis plausibus recepta est.

Hunc textum nunc vestris cogitationibus submittimus. In historico conspectu huius doctrinae ostendimus quod in pontificiis documentis praeter continuitatem notanda est progressiva doctrinae explicitatio. Manifestum est schemati nostro obici posse quasdam citationes pontificales materialiter aliter sonantes. Sed quaeso, venerabiles Patres, ne faciatis textus loqui extra contextum historicum et doctrinalem, ne faciatis piscem natare extra aquam.

Documentum nostrum examinetur prout iacet. Non est tractatio

dogmatica, sed decretum pastorale directum ad homines nostri temporis. Mundus universus hoc decretum exspectat. In universitatibus, in organisationibus nationalibus et internationalibus, in communitatibus christianis et non-christianis, in diariis et in opinione publica vox Ecclesiae de libertate religiosa exspectatur, exspectatur urgenter.

Non erit impossibile ut speramus perficere tractationem, et approbationem huius brevissimi sed gravissimi decreti ante finem huius secundae sessionis. Quam fructuosi labores nostri universo orbi apparerent, si Patres Conciliares voce Successoris Petri hanc liberatricem de libertate religiosa doctrinam annuntiare possent.

Vestro labori, venerabiles Patres, noster adiungetur. Emendationes vestras Secretariatus noster attentissime sed etiam celerrime examinabit. Die et nocte laborabimus. Sed spes nostra in Domino est. Iesus Christus gratia sua nobis omnibus adsistat. Si in fine huius sessionis a nobis petit: « Pueri numquid pulmentarium habetis? », Ipse videns huius Concilii fidem et bonam voluntatem, sicut olim Apostolis nunc eorum successoribus dicat: « Mittite in dexteram navigii rete: et invenietis » (*Io.* 21, 6).

Moderator: Gratias, exc.me Pater! Nunc loquatur exc.mus secretarius generalis.

Secretarius generalis: Antequam incipit disceptatio de schemate *de Oecumenismo* in genere, fiet suffragatio circa modos respicientes prooemium et cap. I constitutionis *de sacra Liturgia.* Suffragatio, uti scitis, venerabiles Patres, fit per *placet* et *non placet,* scribendum in schedulis.

Moderator: Exc.mus Dominus Albertus Martin, episcopus Nicoletanus in Canada, relator commissionis de sacra Liturgia, illustrare velit relationem de modis respicientibus prooemium et cap. I schematis constitutionis *de sacra Liturgia* [*cf. p. 510*].

[5] # SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA

1 – MODI

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA
EXAMINATI

Hic fasciculus Patribus distributus est die 15 novembris 1963, in congregatione generali sexagesima octava.

PROOEMIUM ET CAPUT I

DE PRINCIPIIS GENERALIBUS AD SACRAM LITURGIAM INSTAURANDAM ATQUE FOVENDAM

Commissio Conciliaris de sacra Liturgia, Modis a Patribus propositis circa prooemium et caput I singillatim expensis, sequentes *formales* novas emendationes introducendas censuit, quae sunt:

1. Pag. 29 huius fasciculi
linea 17

loco	*legatur*
Nam, sicut Christus missus est a Patre ...	*Ideoque,* sicut Christus missus est a Patre ...

2. Pag. 30 huius fasciculi
lineis 7-9

loco	*legatur*
Praesens adest in Missae Sacrificio cum in ministri persona, *tum maxime sub speciebus eucharisticis,* « idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit ».	Praesens adest in Missae Sacrificio cum in ministri persona, « idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit », *tum maxime sub speciebus eucharisticis.*

Cum igitur Commissio novas emendationes *substantiales* circa prooemium et caput I, prout in sequenti Relatione explicatur, non esse proponendas censuerit, Patribus sequens generale quaesitum proponit: [5]

QUAESITUM GENERALE

An placeat expensio facta a Commissione Conciliari de sacra Liturgia circa Modos prooemium et caput I respicientes.

2 – TEXTUS SCHEMATIS [27]

PROOEMIUM

1. Sacrosanctum Concilium, cum sibi proponat vitam christianam inter fideles in dies augere; eas institutiones quae mutationibus obnoxiae sunt, ad nostrae aetatis necessitates melius accommodare; quidquid ad unionem omnium in Christum credentium conferre potest, fovere; et quidquid ad omnes in sinum Ecclesiae vocandos conducit, roborare; suum esse arbitratur peculiari ratione etiam instaurandam atque fovendam Liturgiam curare.

2. Liturgia enim, per quam, maxime in divino Eucharistiae Sacrificio, « opus nostrae Redemptionis exercetur »[1] summe eo confert ut fideles vivendo exprimant et aliis manifestent mysterium Christi et genuinam verae Ecclesiae naturam, cuius proprium est esse humanam simul ac divinam, visibilem invisibilibus praeditam, actione ferventem et contemplationi vacantem, in mundo praesentem et tamen peregrinam; et ita quidem ut in ea quod humanum est ordinetur ad divinum eique subordinetur, quod visibile ad invisibile, quod actionis ad contemplationem, et quod praesens ad futuram civitatem quam inquirimus.[2] Unde cum Liturgia eos qui intus sunt cotidie aedificet in templum sanctum in Domino, in habitaculum Dei in Spiritu,[3] usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi,[4] miro modo simul vires eorum ad praedicandum Christum roborat, et sic Ecclesiam iis qui sunt foris ostendit ut signum levatum in nationes,[5] sub quo filii Dei dispersi congregentur in unum[6] quousque unum ovile fiat et unus pastor.[7]

3. Quare Sacrosanctum Concilium, de fovenda atque instauranda Liturgia quae sequuntur principia censet in mentem revocanda et practicas normas statuendas esse.

[27] Inter haec principia et normas nonnulla habentur quae tum ad ritum romanum tum ad omnes alios ritus applicari possunt ac debent, licet normae practicae quae sequuntur solum ritum romanum spectare intellegendae sint, nisi agatur de iis quae ex ipsa rei natura alios quoque ritus afficiant.

[28] 4. Traditioni denique fideliter obsequens, Sacrosanctum Concilium declarat Sanctam Matrem Ecclesiam omnes ritus legitime agnitos aequo iure atque honore habere, eosque in posterum servari et omnimode foveri velle, atque optat ut, ubi opus sit, caute ex integro ad mentem sanae traditionis recognoscantur et novo vigore, pro hodiernis adiunctis et necessitatibus, donentur.

[29]

Caput I

DE PRINCIPIIS GENERALIBUS AD SACRAM LITURGIAM INSTAURANDAM ATQUE FOVENDAM

I – DE SACRAE LITURGIAE NATURA EIUSQUE MOMENTO IN VITA ECCLESIAE

5. Deus, qui « omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » (*1 Tim.* 2, 4), « multifariam multisque modis olim loquens patribus in prophetis » (*Hebr.* 1, 1), ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum, Verbum carnem factum, Spiritu Sancto unctum, ad evangelizandum pauperibus, ad sanandos contritos corde,[8] « medicum carnalem et spiritualem »,[9] Mediatorem Dei et hominum.[10] Ipsius namque humanitas, in unitate personae Verbi, fuit instrumentum nostrae salutis. Quare in Christo « nostrae reconciliationis processit perfecta placatio, et divini cultus nobis est indita plenitudo ».[11]

Hoc autem humanae Redemptionis et perfectae Dei glorificationis opus, cui divina magnalia in populo Veteris Testamenti praeluserant, adimplevit Christus Dominus, praecipue per suae beatae Passionis, ab inferis Resurrectionis et gloriosae Ascensionis paschale mysterium, quo « mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit ».[12] Nam de latere Christi in cruce dormientis ortum est « totius Ecclesiae mirabile sacramentum ».[13]

6. Ideoque, sicut Christus missus est a Patre, ita et ipse Apostolos, repletos Spiritu Sancto, misit, non solum ut, praedicantes Evangelium omni creaturae,[14] annuntiarent Filium Dei morte sua et resurrectione nos a potestate satanae [15] et a morte liberasse et in regnum Patris transtulisse,

sed etiam ut, quod annuntiabant, opus salutis per Sacrificium et Sacra- [29]
menta, circa quae tota vita liturgica vertit, exercerent. Sic per Baptismum homines paschali Christi mysterio inseruntur: commortui, consepulti, conresuscitati; [16] spiritum accipiunt adoptionis filiorum, « in quo clamamus: Abba, Pater » (*Rom.* 8, 15), et ita fiunt veri adoratores, quos Pater quaerit.[17] Similiter quotiescumque dominicam cenam manducant, mortem Domini annuntiant donec veniat.[18] Idcirco, ipso die Pentecostes, quo Ecclesia mundo apparuit, « qui receperunt sermonem » Petri « baptizati sunt ». Et « erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus... collaudantes Deum et habentes gratiam ad omnem plebem » (*Act.* 2, 41-47). Numquam exinde omisit Ecclesia quin in unum conveniret ad paschale mysterium celebrandum: legendo ea « in omnibus Scripturis quae de ipso erant » [30]
(*Lc.* 24, 27), Eucharistiam celebrando in qua « mortis eius victoria et triumphus repraesentatur »,[19] et simul gratias agendo « Deo super inenarrabili dono » (*2 Cor.* 9, 15) in Christo Iesu, « in laudem gloriae eius » (*Eph.* 1, 12), per virtutem Spiritus Sancti.

7. Ad tantum vero opus perficiendum, Christus Ecclesiae suae semper adest, praesertim in actionibus liturgicis. Praesens adest in Missae Sacrificio cum in ministri persona, « idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit »,[20] tum maxime sub speciebus eucharisticis. Praesens adest virtute sua in Sacramentis, ita ut cum aliquis baptizat, Christus ipse baptizet.[21] Praesens adest in verbo suo, siquidem ipse loquitur dum sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur. Praesens adest denique dum supplicat et psallit Ecclesia, ipse qui promisit: « Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (*Mt.* 18, 20).

Reapse tanto in opere, quo Deus perfecte glorificatur, et homines sanctificantur, Christus Ecclesiam, sponsam suam dilectissimam, sibi semper consociat, quae Dominum suum invocat et per ipsum Aeterno Patri cultum tribuit.

Merito igitur Liturgia habetur veluti Iesu Christi sacerdotalis muneris exercitatio, in qua per signa sensibilia significatur et modo singulis proprio efficitur sanctificatio hominis, et a mystico Iesu Christi Corpore, Capite nempe eiusque membris, integer cultus publicus exercetur.

Proinde omnis liturgica celebratio, utpote opus Christi sacerdotis, eiusque Corporis, quod est Ecclesia, est actio sacra praecellenter, cuius efficacitatem eodem titulo eodemque gradu nulla alia actio Ecclesiae adaequat.

[30] 8. In terrena Liturgia caelestem illam praegustando participamus, quae in sancta civitate Ierusalem, ad quam peregrini tendimus, celebratur, ubi Christus est in dextera Dei sedens, sanctorum minister et tabernaculi veri; [22] cum omni militia caelestis exercitus hymnum gloriae Domino canimus; memoriam Sanctorum venerantes partem aliquam et societatem cum iis speramus; Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, donec ipse apparebit vita nostra, et nos apparebimus cum ipso in gloria.[23]

9. Sacra Liturgia non explet totam actionem Ecclesiae; nam antequam homines ad Liturgiam accedere possint, necesse est ut ad fidem et conversionem vocentur: « Quomodo invocabunt in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? » (*Rom.* 10, 14-15).

[31] Quare Ecclesia non credentibus praeconium salutis annuntiat, ut omnes homines solum Deum verum et quem misit Iesum Christum cognoscant et a viis suis convertantur, poenitentiam agentes.[24] Credentibus vero semper fidem et poenitentiam praedicare debet, eos praeterea debet ad Sacramenta disponere, docere servare omnia quaecumque mandavit Christus,[25] et allicere ad omnia opera caritatis, pietatis et apostolatus quibus quidem operibus manifestum fiat christifideles de hoc mundo quidem non esse, sed tamen esse lucem mundi eosdemque Patrem glorificare coram hominibus.

10. Attamen Liturgia est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat. Nam labores apostolici ad id ordinantur ut omnes, per fidem et Baptismum filii Dei facti, in unum conveniant, in medio Ecclesiae Deum laudent, Sacrificium participent et cenam dominicam manducent.

Vicissim, ipsa Liturgia impellit fideles ut « paschalibus sacramentis » satiati fiant « pietate concordes »; [26] orat ut « vivendo teneant quod fide perceperunt »; [27] renovatio vero foederis Domini cum hominibus in Eucharistia fideles in urgentem caritatem Christi trahit et accendit. Ex Liturgia ergo, praecipue ex Eucharistia, ut e fonte, gratia in nos derivatur et maxima cum efficacia obtinetur illa in Christo hominum sanctificatio et Dei glorificatio, ad quam, uti ad finem, omnia alia Ecclesiae opera contendunt.

11. Ut haec tamen plena efficacitas habeatur, necessarium est ut fideles cum recti animi dispositionibus ad sacram Liturgiam accedant, mentem suam voci accommodent, et supernae gratiae cooperentur, ne eam

in vacuum recipiant.[28] Ideo sacris pastoribus advigilandum est ut in [31] actione liturgica non solum observentur leges ad validam et licitam celebrationem, sed ut fideles scienter, actuose et fructuose eandem participent.

12. Vita tamen spiritualis non unius sacrae Liturgiae participatione continetur. Christianus enim ad communiter orandum vocatus, nihilominus debet etiam intrare in cubiculum suum ut Patrem in abscondito oret,[29] immo, docente Apostolo, sine intermissione orare.[30] Et ab eodem Apostolo docemur mortificationem Iesu semper circumferre in corpore nostro, ut et vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali.[31] Quapropter Dominum in Missae Sacrificio precamur ut, « hostiae spiritualis oblatione suscepta, nosmetipsos » sibi perficiat « munus aeternum ».[32]

13. Pia populi christiani exercitia, dummodo legibus et normis Ecclesiae conformia sint, valde commendantur, praesertim cum de mandato Apostolicae Sedis fiunt.

Speciali quoque dignitate gaudent sacra Ecclesiarum particularium exercitia, quae de mandato Episcoporum celebrantur, secundum consue- [32] tudines aut libros legitime approbatos.

Ita vero, ratione habita temporum liturgicorum, eadem exercitia ordinentur oportet, ut sacrae Liturgiae congruant, ab ea quodammodo deriventur, ad eam populum manuducant, utpote quae natura sua iisdem longe antecellat.

II - DE LITURGICA INSTITUTIONE ET DE ACTUOSA PARTICIPATIONE PROSEQUENDIS

14. Valde cupit Mater Ecclesia ut fideles universi ad plenam illam, consciam atque actuosam liturgicarum celebrationum participationem ducantur, quae ab ipsius Liturgiae natura postulatur ad quam populus christianus, « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus adquisitionis » (*1 Petr.* 2, 9; cf. 2, 4-5), vi Baptismatis ius habet et officium.

Quae totius populi plena et actuosa participatio, in instauranda et fovenda sacra Liturgia, summopere est attendenda: est enim primus, isque necessarius fons, e quo spiritum vere christianum fideles hauriant; et ideo in tota actione pastorali, per debitam institutionem, ab animarum pastoribus est sedulo adpetenda.

Sed quia, ut hoc evenire possit, nulla spes effulget nisi prius ipsi animarum pastores spiritu et virtute Liturgiae penitus imbuantur in eaque efficiantur magistri, ideo pernecesse est ut institutioni liturgicae cleri

[32] apprime consulatur. Quapropter Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur statuere decrevit.

15. Magistri, qui sacrae Liturgiae disciplinae in seminariis, studiorum domibus religiosis et facultatibus theologicis docendae praeficiuntur, ad munus suum in institutis ad hoc speciali cura destinatis probe instituendi sunt.

16. Disciplina de sacra Liturgia in seminariis et studiorum domibus religiosis inter disciplinas necessarias et potiores, in facultatibus autem theologicis inter disciplinas principales est habenda, et sub aspectu cum theologico et historico, tum spirituali, pastorali et iuridico tradenda. Curent insuper aliarum disciplinarum magistri, imprimis theologiae dogmaticae, sacrae Scripturae, theologiae spiritualis et pastoralis ita, ex intrinsecis exigentiis proprii uniuscuiusque obiecti, mysterium Christi et historiam salutis excolere, ut exinde earum connexio cum Liturgia et unitas sacerdotalis institutionis aperte clarescant.

17. Clerici, in seminariis domibusque religiosis, formationem vitae spiritualis liturgicam acquirant, cum apta manuductione qua sacros ritus
[33] intellegere et toto animo participare queant, tum ipsa sacrorum mysteriorum celebratione, necnon aliis pietatis exercitiis spiritu sacrae Liturgiae imbutis; pariter observantiam legum liturgicarum addiscant, ita ut vita in seminariis et religiosorum institutis liturgico spiritu penitus informetur.

18. Sacerdotes, sive saeculares sive religiosi, in vinea Domini iam operantes, omnibus mediis opportunis iuventur ut plenius semper quae in functionibus sacris agunt intellegant, vitam liturgicam vivant, eamque cum fidelibus sibi commissis communicent.

19. Liturgicam institutionem necnon actuosam fidelium participationem, internam et externam, iuxta ipsorum aetatem, condicionem, vitae genus et religiosae culturae gradum, animarum pastores sedulo ac patienter prosequantur, unum e praecipuis fidelis mysteriorum Dei dispensatoris muneribus absolventes; et gregem suum hac in re non verbo tantum, sed etiam exemplo ducant.

20. Transmissiones actionum sacrarum ope radiophonica et televisifica, praesertim si agatur de Sacro faciendo, discrete ac decore fiant, sub ductu ac sponsione personae idoneae, ad hoc munus ab Episcopis destinatae.

III – DE SACRAE LITURGIAE INSTAURATIONE [33]

21. Pia Mater Ecclesia, ut populus christianus in sacra Liturgia abundantiam gratiarum securius assequatur, ipsius Liturgiae generalem instaurationem sedulo curare cupit. Nam Liturgia constat parte immutabili, utpote divinitus instituta, et partibus mutationi obnoxiis, quae decursu temporum variare possunt vel etiam debent, si in eas forte irrepserint quae minus bene ipsius Liturgiae intimae naturae respondeant, vel minus aptae factae sint.

Qua quidem instauratione, textus et ritus ita ordinari oportet, ut sancta, quae significant, clarius exprimant, eaque populus christianus, in quantum fieri potest, facile percipere atque plena, actuosa et communitatis propria celebratione participare possit.

Quare Sacrosanctum Concilium generaliores has normas statuit.

A) *Normae generales*

22. § 1. Sacrae Liturgiae moderatio ab Ecclesiae auctoritate unice pendet: quae quidem est apud Apostolicam Sedem et, ad normam iuris, apud Episcopum.

§ 2. Ex potestate a iure concessa, rei liturgicae moderatio inter limites statutos pertinet quoque ad competentes varii generis territoriales [34]
Episcoporum coetus legitime constitutos.

§ 3. Quapropter nemo omnino alius, etiamsi sit sacerdos, quidquam proprio marte in Liturgia addat, demat, aut mutet.

23. Ut sana traditio retineatur et tamen via legitimae progressioni aperiatur, de singulis Liturgiae partibus recognoscendis accurata investigatio theologica, historica, pastoralis semper praecedat. Insuper considerentur cum leges generales structurae et mentis Liturgiae, tum experientia ex recentiore instauratione liturgica et ex indultis passim concessis promanans. Innovationes, demum, ne fiant nisi vera et certa utilitas Ecclesiae id exigat, et adhibita cautela ut novae formae ex formis iam exstantibus organice quodammodo crescant.

Caveatur etiam, in quantum fieri potest, ne notabiles differentiae rituum inter finitimas regiones habeantur.

24. Maximum est sacrae Scripturae momentum in Liturgia celebranda. Ex ea enim lectiones leguntur et in homilia explicantur, psalmi canuntur, atque ex eius afflatu instinctuque preces, orationes et carmina

[34] liturgica effusa sunt, et ex ea significationem suam actiones et signa accipiunt. Unde ad procurandam sacrae Liturgiae instaurationem, progressum et aptationem, oportet ut promoveatur ille suavis et vivus sacrae Scripturae affectus, quem testatur venerabilis rituum cum orientalium tum occidentalium traditio.

25. Libri liturgici quam primum recognoscantur, peritis adhibitis et Episcopis consultis ex diversis orbis regionibus.

B) *Normae ex indole Liturgiae utpote actionis hierarchicae et communitatis propriae*

26. Actiones liturgicae non sunt actiones privatae, sed celebrationes Ecclesiae, quae est « unitatis sacramentum », scilicet plebs sancta sub Episcopis adunata et ordinata.[33]

Quare ad universum Corpus Ecclesiae pertinent illudque manifestant et afficiunt; singula vero membra ipsius diverso modo, pro diversitate ordinum, munerum et actualis participationis attingunt.

27. Quoties ritus, iuxta propriam cuiusque naturam, secum ferunt celebrationem communem, cum frequentia et actuosa participatione fidelium, inculcetur hanc, in quantum fieri potest, esse praeferendam celebrationi eorumdem singulari et quasi privatae.

Quod valet praesertim pro Missae celebratione, salva semper natura publica et sociali cuiusvis Missae, et pro Sacramentorum administratione.

[35] 28. In celebrationibus liturgicis quisque, sive minister sive fidelis, munere suo fungens, solum et totum id agat, quod ad ipsum ex rei natura et normis liturgicis pertinet.

29. Etiam ministrantes, lectores, commentatores et ii qui ad scholam cantorum pertinent, vero ministerio liturgico funguntur. Propterea munus suum tali sincera pietate et ordine exerceant, quae tantum ministerium decent quaeque populus Dei ab eis iure exigit.

Ideo oportet eos spiritu Liturgiae, suo cuiusque modo, sedulo imbui, et ad partes suas rite et ordinate obeundas institui.

30. Ad actuosam participationem promovendam, populi acclamationes, responsiones, psalmodia, antiphonae, cantica, necnon actiones seu gestus et corporis habitus foveantur. Sacrum quoque silentium suo tempore servetur.

31. In libris liturgicis recognoscendis, sedulo attendatur ut rubricae [35]
etiam partes fidelium praevideant.

32. In Liturgia, praeter distinctionem ex munere liturgico et Ordine sacro manantem, et praeter honores ad normam legum liturgicarum auctoritatibus civilibus debitos, nulla privatarum personarum aut condicionum, sive in caerimoniis, sive in exterioribus pompis, habeatur acceptio.

C) *Normae ex indole didactica et pastorali Liturgiae*

33. Etsi sacra Liturgia est praecipue cultus divinae maiestatis, magnam etiam continet populi fidelis eruditionem.[34] In Liturgia enim Deus ad populum suum loquitur; Christus adhuc Evangelium annuntiat. Populus vero Deo respondet tum cantibus tum oratione.

Immo, preces a sacerdote, qui coetui in persona Christi praeest, ad Deum directae, nomine totius plebis sanctae et omnium circumstantium dicuntur. Signa tandem visibilia, quibus utitur sacra Liturgia ad res divinas invisibiles significandas, a Christo vel Ecclesia delecta sunt. Unde non solum quando leguntur ea « quae ad nostram doctrinam scripta sunt (*Rom.* 15, 4), sed etiam dum Ecclesia vel orat vel canit vel agit, participantium fides alitur, mentes in Deum excitantur ut rationabile obsequium Ei praestent, gratiamque Eius abundantius recipiant.

Exinde in instauratione facienda generales normae quae sequuntur observari debent.

34. Ritus nobili simplicitate fulgeant, sint brevitate perspicui et repetitiones inutiles evitent, sint fidelium captui accommodati, neque generatim multis indigeant explanationibus.

35. Ut clare appareat in Liturgia ritum et verbum intime coniungi: [36]

1) In celebrationibus sacris abundantior, varior et aptior lectio sacrae Scripturae instauretur.

2) Locus aptior sermonis, utpote partis actionis liturgicae, prout ritus patitur, etiam in rubricis notetur; et fidelissime ac rite adimpleatur ministerium praedicationis. Haec vero imprimis ex fonte sacrae Scripturae et Liturgiae hauriatur, quasi annuntiatio mirabilium Dei in historia salutis seu mysterio Christi, quod in nobis praesens semper adest et operatur, praesertim in celebrationibus liturgicis.

3) Etiam catechesis directius liturgica omnibus modis inculcetur; et in ipsis ritibus, si necessariae sint, breves admonitiones, a sacerdote vel competenti ministro, opportunioribus tantum momentis, praescriptis vel similibus verbis dicendae, praevideantur.

[36] 4) Foveatur sacra Verbi Dei celebratio in solemniorum festorum pervigiliis, in aliquibus feriis Adventus et Quadragesimae, atque in dominicis et diebus festis, maxime in locis quae sacerdote carent: quo in casu celebrationem diaconus vel alius ab Episcopo delegatus dirigat.

36. § 1. Linguae latinae usus, salvo particulari iure, in Ritibus latinis servetur.

§ 2. Cum tamen, sive in Missa, sive in Sacramentorum administratione, sive in aliis Liturgiae partibus, haud raro linguae vernaculae usurpatio valde utilis apud populum existere possit, amplior locus ipsi tribui valeat, imprimis autem in lectionibus et admonitionibus, in nonnullis orationibus et cantibus, iuxta normas quae de hac re in sequentibus capitibus singillatim statuuntur.

§ 3. Huiusmodi normis servatis, est competentis auctoritatis ecclesiasticae territorialis, de qua in art. 22 § 2, etiam, si casus ferat, consilio habito cum Episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, de usu et modo linguae vernaculae statuere, actis ab Apostolica Sede probatis seu confirmatis.

§ 4. Conversio textus latini in linguam vernaculam in Liturgia adhibenda, a competenti auctoritate ecclesiastica territoriali, de qua supra, approbari debet.

D) *Normae ad aptationem ingenio et traditionibus populorum perficiendam*

37. Ecclesia, in iis quae fidem aut bonum totius communitatis non tangunt, rigidam unius tenoris formam ne in Liturgia quidem imponere cupit; quinimmo, variarum gentium populorumque animi ornamenta ac dotes colit et provehit; quidquid vero in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, benevole perpendit ac, si potest, sartum tectumque servat, immo quandoque in ipsam
[37] Liturgiam admittit, dummodo cum rationibus veri et authentici spiritus liturgici congruat.

38. Servata substantiali unitate ritus romani, legitimis varietatibus et aptationibus ad diversos coetus, regiones, populos, praesertim in Missionibus, locus relinquatur, etiam cum libri liturgici recognoscuntur; et hoc in structura rituum et in rubricis instituendis opportune prae oculis habeatur.

39. Intra limites in editionibus typicis librorum liturgicorum statutos, erit competentis auctoritatis ecclesiasticae territorialis, de qua in art. 22 § 2, aptationes definire, praesertim quoad administrationem Sa-

cramentorum, quoad Sacramentalia, processiones, linguam liturgicam, [37] musicam sacram et artes, iuxta tamen normas fundamentales quae hac in Constitutione habentur.

40. Cum tamen variis in locis et adiunctis, profundior Liturgiae aptatio urgeat, et ideo difficilior evadat:

1) A competenti auctoritate ecclesiastica territoriali, de qua in art. 22 § 2, sedulo et prudenter consideretur quid, hoc in negotio, ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune in cultum divinum admitti possit. Aptationes, quae utiles vel necessariae existimantur, Apostolicae Sedi proponantur, de ipsius consensu introducendae.

2) Ut autem aptatio cum necessaria circumspectione fiat, eidem auctoritati ecclesiasticae territoriali ab Apostolica Sede facultas tribuetur, si casus ferat, ut in quibusdam coetibus ad id aptis et per determinatum tempus necessaria praevia experimenta permittat et dirigat.

3) Quia leges liturgicae difficultates speciales, quoad aptationem, praesertim in Missionibus secum ferre solent, in illis condendis praesto sint viri, in re de qua agitur, periti.

IV - DE VITA LITURGICA IN DIOECESI ET IN PAROECIA FOVENDA

41. Episcopus ut sacerdos magnus sui gregis habendus est, a quo vita suorum fidelium in Christo quodammodo derivatur et pendet.

Quare omnes vitam liturgicam dioeceseos circa Episcopum, praesertim in ecclesia cathedrali, maximi faciant oportet: sibi persuasum habentes praecipuam manifestationem Ecclesiae haberi in plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctae Dei in iisdem celebrationibus liturgicis, praesertim in eadem Eucharistia, in una oratione, ad unum altare cui praeest Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus.[35]

42. Cum Episcopus in Ecclesia sua ipsemet nec semper nec ubique universo gregi praeesse possit, necessario constituere debet fidelium coe- [38] tus, inter quos paroeciae, localiter sub pastore vices gerente Episcopi ordinatae, eminent: nam quodammodo repraesentant Ecclesiam visibilem per orbem terrarum constitutam.

Quare vita liturgica paroeciae eiusque relatio ad Episcopum in mente et praxi fidelium et cleri fovenda est; et adlaborandum ut sensus communitatis paroecialis, imprimis vero in communi celebratione Missae dominicalis, floreat.

[38] V – DE ACTIONE PASTORALI LITURGICA PROMOVENDA

43. Sacrae Liturgiae fovendae atque instaurandae studium merito habetur veluti signum providentialium dispositionum Dei super nostra aetate, veluti transitus Spiritus Sancti in sua Ecclesia; et vitam ipsius, immo huius nostri temporis universam rationem religiose sentiendi et agendi, nota propria distinguit.

Quapropter, ad hanc actionem pastoralem liturgicam ulterius in Ecclesia fovendam, Sacrosanctum Concilium decernit:

44. A competenti auctoritate ecclesiastica territoriali, de qua in art. 22 § 2, expedit ut instituatur Commissio liturgica, a viris in scientia liturgica, Musica, Arte sacra ac re pastorali peritis iuvanda. Cui Commissioni, in quantum fieri potest, opem ferat quoddam Institutum Liturgiae Pastoralis, constans sodalibus, non exclusis, si res ita ferat, laicis in hac materia praestantibus. Ipsius Commissionis erit, ductu auctoritatis ecclesiaticae territorialis, de qua supra, et actionem pastoralem liturgicam in sua dicione moderari, et studia atque necessaria experimenta promovere, quoties agatur de aptationibus Apostolicae Sedi proponendis.

45. Eadem ratione, in singulis dioecesibus Commissio de sacra Liturgia habeatur, ad actionem liturgicam, moderante Episcopo, promovendam.

Opportunum aliquando evadere potest ut plures dioeceses unam Commissionem constituant, quae, collatis consiliis, rem liturgicam provehat.

46. Praeter Commissionem de sacra Liturgia, in quavis dioecesi constituantur, quantum fieri potest, etiam Commissiones de Musica sacra et de Arte sacra.

Necessarium est ut hae tres Commissiones consociatis viribus adlaborent; immo non raro congruum erit ut in unam Commissionem coalescant.

[39] NOTAE

[1] Secreta dominicae IX post Pentecosten.
[2] Cf. *Hebr.* 13, 14.
[3] Cf. *Eph.* 2, 21-22.
[4] Cf. *Eph.* 4, 13.
[5] Cf. *Is.* 11, 12.

[6] Cf. *Io.* 11, 52. [39]
[7] Cf. *Io.* 10, 16.
[8] Cf. *Is.* 61, 1; *Lc.* 4, 18.
[9] S. IGNATIUS ANTIOCHENUS, *Ad Ephesios,* 7, 2.
[10] Cf. *1 Tim.* 2, 5.
[11] *Sacramentarium Veronense* (ed. Mohlberg), n. 1265; cf. etiam nn. 1241, 1248.
[12] Praefatio paschalis in Missali romano.
[13] Oratio ante secundam lectionem Sabbato sancto, in Missali romano, ante instaurationem Hebdomadae sanctae.
[14] Cf. *Mc.* 16, 15.
[15] Cf. *Act.* 26, 18.
[16] Cf. *Rom.* 6, 4; *Eph.* 2, 6; *Coloss.* 3, 1; *2 Tim.* 2, 11.
[17] Cf. *Io.* 4, 23.
[18] Cf. *1 Cor.* 11, 26.
[19] CONC. TRID., Sess. XIII, Decr. *De ss. Eucharist.,* c. 5.
[20] CONC. TRID., Sess. XXII, Doctr. *De ss. Missae sacrif.,* c. 2.
[21] Cf. S. AUGUSTINUS, *Tractatus in Ioannem,* VI, n. 7.
[22] Cf. *Apoc.* 21, 2; *Coloss.* 3, 1; *Hebr.* 8, 2.
[23] Cf. *Philipp.* 3, 20; *Coloss.* 3, 4.
[24] Cf. *Io.* 17, 3; *Lc.* 24, 27; *Act.* 2, 38.
[25] Cf. *Mt.* 28, 20.
[26] Postcommunio dominicae Resurrectionis, in utraque Missa.
[27] Oratio Missae feriae III infra octavam Paschae.
[28] Cf. *2 Cor.* 6, 1.
[29] Cf. *Mt.* 6, 6.
[30] Cf. *1 Thess.* 5, 17.
[31] Cf. *2 Cor.* 4, 10-11.
[32] Secreta feriae II infra octavam Pentecostes.
[33] S. CYPRIANUS, *De cath. eccl. unitate,* 7; cf. *Ep. 66,* n. 8, 3.
[34] Cf. CONC. TRID., Sess. XXII, Doctr. *De ss. Missae sacrif.,* c. 8.
[35] Cf. S. IGNATIUS ANTIOCHENUS, *Ad Smyrn.* 8; *Ad Magn.* 7; *Ad Phil.* 4.

[7]

3 – RELATIO

Exc.mi D.ni Alberti Martin, Episcopi Nicoletani, Commissionis Conciliaris de sacra Liturgia Sodalis

Venerabiles Patres,

Circa prooemium et caput I schematis constitutionis *de sacra Liturgia* suffragium Vestrum dedistis die 7 decembris anni 1962 hoc modo:

Praesentes votantes	2218
Maior pars requisita	1412
Placet	1922
Non placet	11
Placet iuxta modum	180
Vota nulla	5

Exitus suffragationis omnibus Sodalibus commissionis de sacra Liturgia magno fuit incitamento, et laetitiam attulit summam, de qua humiliter et sincere Vobis gratias agimus.

Cum autem 180 Patres suffragium « iuxta modum » dederint, Commissio, iuxta ea quae in Ordine Concilii celebrandi statuuntur, omnes « modos » attente examinavit. Praeterea 16 Patres, post expletam primam periodum Concilii, ad Secretarium Generalem animadversiones suas miserunt: quas Commissio item diligenter consideravit.

En igitur mens Commissionis de sacra Liturgia circa « modos » propositos ad prooemium et caput I constitutionis *de sacra Liturgia*...[1]

[9]

PROOEMIUM *

N.B. *Indicatio paginae, initio Modorum posita, remittit ad textum schematis, qui in altera parte huius fasciculi reproducitur.*

Littera autem R. *indicatur Responsio seu explanatio, quae a Commissione proponitur.*

AD ARTICULUM 1

1 — Schema funditus renovetur et clara principia ponantur ad ritus unitatem servandam (*1 Pater*).

R. — Cum caput primum quasi unanimi consensu Concilio placuerit, ut patet ex suffragatione, Commissio non potest illud funditus immutare.

---

[1] *In oratione*: Nunc, venerabiles Patres, transeamus ad pag. 15, ad art. 7 sub n. 25: Circa praesentiam Christi in Sacrificio Missae et sub speciebus eucharisticis.

* Relator hunc textum usque ad *Ad art. 7* pag. [15] non legit.

2 — Mentio fiat S. Rituum Congregationis cui iure meritoque tribuenda est universalis iurisdictio pro rebus liturgicis (*2 Patres*). [9]

R. — Opus S. Rituum Congregationis circa renovationem liturgicam est omnino laudandum. At non pertinet ad Constitutionem de Liturgia determinare iurisdictionem S. R. C. pro rebus liturgicis.

3 — Deleatur art. 1, « qui ad rem nihil affert » (*1 Pater*).

R. — Hic articulus singillatim suffragatus est a 2181 Patribus.

4 — In prooemio in luce ponatur « aspectus latreuticus Liturgiae ». Qui aspectus semper attendendus est, sed praesertim nostris temporibus, cum facile homines attentionem ad res externas et mundanas nimium ponant (*1 Pater*).

R. — Ille aspectus, iam implicite contentus in art. 2, fusius illustratur art. 5-7. Prooemium tamen eo solum tendit ut Liturgiam ostendat arcte connexam fini a Concilio intento, id est Ecclesiae mysterium hodiernis hominibus proclamare.

5 — Pag. 27, linea 1, post verbum « proponat » et ante verbum « vitam », inseratur: « gloriam Dei magis magisque promovere per amorem et laudem totius familiae christianae, immo totius generis humani » (*1 Pater*).

R. — Additio ista non bene congrueret cum textu, qui, utpote iam a Concilio approbatus, firmus remanere debet. Immo, nihil specificum huic nostro Concilio tribueret, cum Ecclesia ad gloriam Dei promovendam per sanctificationem hominum ordinata sit.

AD ARTICULUM 2 [10]

6 — Pag. 27, linea 9, post verbum « sacrificio », et ante verbum « opus », inseratur: « debitum amoris et laudis digne Deo exhibetur ut... » (*1 Pater*).

R. — Non omnia iam ab initio Prooemii dici possunt. Immo, si redemptionis opus recte conspicitur, ad mentem Patrum, est actus amoris; quod neminem ex christianis fugit.

7 — Pag. 27, linea 12, loco « visibilem invisibilibus praeditam », accuratius dicatur « visibilem et invisibilem », cum Caput Ec-

[10] clesiae peregrinantis proprium est Christus Dominus invisibilis (*1 Pater*).

R. — Formula « visibile invisibilibus praeditam » in textu emendato positus est loco textus praecedentis ubi dicebatur « visibilem et invisibilem », ne ansa praeberetur malae interpretationi de visibilitate et invisibilitate Ecclesiae. Nam cum aspectus visibilis pertineat ad Ecclesiam modo quodam essentiali et non accidentali, non omnino recte dicitur Ecclesiam esse visibilem et invisibilem, sed dici debet Ecclesiam, simpliciter loquendo, esse visibilem, quamvis constet etiam aspectibus aut partibus invisibilibus (sicut homo, simpliciter loquendo, natura sua est visibilis, quamvis constet etiam parte invisibili). Quare emendatio proposita recipi non potest, quia praeberet ansam praecedentibus ambiguitatibus.

8 — Pag. 27, linea 19, in phrasi « liturgia vires eorum (qui intus sunt) ad praedicandum Christum roborat », dicatur: « manifestandum » et non « praedicandum », quia non omnes fideles possunt praedicare (*1 Pater*).

R. — Verbum *praedicare* hic accipitur significatione communi, non canonica.

AD ARTICULUM 3

9 — Unus e Patribus, Episcopus Armenus, sapientissime proposuit, ut definiatur explicite quaenam normae huius Constitutionis Orientalibus Ritibus conveniant, quaenam vero non conveniant, et fuse omnes singillatim articulos Capitis primi sub isto respectu examinat.

R. — Nobis videtur magni faciendam esse istam dissertationem, attamen non videntur in textum Constitutionis inserendae definitiones ab Exc.mo Patre propositae, sed ad Commissionem de rebus Orien-
[11] talibus transmittendae; immo optandum est ut vel in promulgatione Constitutionis vel in edicendis normis de eius exsecutione, tales definitiones proponantur.

10 — Alia formula inveniatur loco verborum « ritu romano », quae debent intelligi sensu lato et non sunt clara (*1 Pater*).

R. — Haec formula, de qua satis superque in Concilio et in Commissione deliberatum est, consulto servata est. Agitur enim de ritu romano

sensu stricto, ut clare exponit textus, et non de aliis ritibus, sive latinis sive orientalibus, « nisi agatur de iis quae ex ipsa rei natura alios quoque ritus afficiant ». [11]

CAPUT I [13]

AD ARTICULUM 5

11 — Pag. 29, linea 4, post verbum « unctum » et ante verba « ad evangelizandum », inseratur: « ad Patrem clarificandum » (*1 Pater*).

R. — Hic expresse alluditur ad formulam Isaiae 61, a Christo ipso in Luc. 4 sibi attributam, quam non possumus glossis enervare.

12 — Pag. 29, lineis 4-6, ratione latinitatis et accuratioris verborum significationis et ordinis, dicatur: « Qui Verbum caro factum, Mediator Dei et hominum, Christus Dominus (*Lc.* 2, 12) Spiritu Sancto unctus pauperibus evangelizaret et medicus carnalis simul ac spiritualis sanaret contritos corde » (*1 Pater*).

R. — Quoad latini sermonis rectitudinem, nihil fortasse magni ponderis additur. Quoad vero ordinem servandum, melior videtur concatenatio textus schematis cum sententiis sequentibus.

13 — Pag. 29, linea 8, loco « in Christo », dicatur: « a Christo nostrae reconciliationis processit perfecta placatio » (*2 Patres*).

R. — Formula « in Christo » plus dicit quam « a Christo »; immo, « a Christo » nequit grammatice pendere a verbo « processit ».

14 — Pag. 29, linea 17, deleatur vocabulum « nam », quia cum eadem particula incipit articulus sextus (*1 Pater*).

R. — Recte observatur; itaque proponimus ut, loco secundae particulae *nam,* initio articuli 6, dicatur *Ideoque.*

16 — Enucleetur nexus logicus inter articulos 5 et 6, ita ut clare apparet applicatio et distributio (gratiarum) fieri in Ecclesia et per Ecclesiam. Ita Resurrectio Domini sit causa quoad pretium, satisfactionem et meritum, sed in actu primo (*1 Pater*).

R. — Satis provisum est in correctione mox enunciata. Transferre vero mentionem de Ecclesia, quae est in art. 5, ad art. 6, non convenit,

[13] quia origo Ecclesiae e latere Christi dormientis pertinet non ad « periodum applicationis », sed ad actum ipsum redemptionis in cruce peractum.

[14] 16 — Pag. 29, linea 10, dicatur potius: « hoc autem humanae redemptionis opus adimplevit Christus Dominus praecipue per suam beatam Passionem Mortisque demum holocaustum », accuratioris locutionis gratia, quia Resurrectio causa exstitit exemplaris, tum etiam (tametsi quadantenus dumtaxat) efficiens, utique instrumentalis. Sed causalitas efficiens instrumentalis nullo pacto haberi potuit ceu satisfactoria vel meritoria (*1 Pater*).

R. — Hoc pertineret ad commentaria forsan theologica, non ad textum conciliarem. Immo, mens Concilii fuit ut clare asseratur unitas mysterii paschalis ad mentem sancti Pauli et Patrum, non ut fiat expositio omnium distinctionum et sententiarum theologiae.

AD ARTICULUM 6

17 — Pag. 29, lineis 17-18, magis enucleetur « Christus ... Apostolos, repletos Spiritu Sancto, misit », quia ordo est historice falsus. Etenim Apostoli repleti sunt Spiritu Sancto et tunc Christus eos misit (1 *Pater*).

R. — Expositio non pertinet ad genus historicum sed pastorale, ita ut affirmentur duo tantum: Apostolos praedicavisse ex missione Christi et recepisse Spiritum Sanctum ad hoc munus implendum.

18 — Pag. 29, linea 18, post verba « repletos Spiritu Sancto », addantur ea verba quae in schemate proposito erant: « eorumque successores », quia agitur de munere quod non est Apostolorum exclusive personale sed in successores transit, quamvis singuli successores non sint repleti Spiritu Sancto (*1 Pater*).

R. — Ratio huius omissionis fuit quod, addita mentione de Spiritu Sancto, oportebat distinguere missionem Apostolorum et successorum, necnon gratiam ipsis datam et gratiam successoribus datam.

19 — Pag. 29, linea 22, tollatur vocabulum « tota »:

a) Quia tota vita liturgica vertit non solum circa Sacrificium et Sacramenta, sed, multo profundius vel altius, circa Christum

ipsum, ita ut textus non pertineat ad verae et profundae liturgiae realitatem (*1 Pater*). [14]

b) Quia sunt in Liturgia nonnulla (v. g. Breviarium), quae per se non spectant ad Sacrificium et Sacramenta (*1 Pater*).

R. — Haec formula significat tantum, ut patet, actiones liturgicas, verbi gratia Officium divinum, Sacramentalia, verti circa Sacrificium et Sacramenta: quod fusius declarabitur in capitibus III et IV.

20 — Pag. 29, a linea 22 usque ad pag. 30, linea 5, omnia deleantur in textu (Sic per baptismum ... Spiritus Sancti), quae omnia illustrationis gratia, possent in notulis conservari et, his omnibus suppressis, textus curreret clarior et strictior servaretur nexus cum art. 7 (*1 Pater*). [15]

R. — Textus gravem iacturam pateretur, quia omnia quae hic dicuntur necessaria sunt ad mysterium paschale recte intellegendum.

21 — Pag. 29, linea 21, ante verba « per Sacrificium et Sacramenta », addatur « praecipue », quia fortasse nimium esset dicere Apostolos missos fuisse, ut « opus salutis, quod annuntiabant, per Sacrificium et Sacramenta exercerent » (*1 Pater*).

R. — Textus nihil excludit, sed versatur in illis quae sunt primordialia in Liturgia, scilicet, Sacrificium et Sacramenta.

22 — Pag. 29, linea 22, loco « sic », dicatur « idcirco », quia transitus fit ad alium conceptum (*1 Pater*).

R. — Transitus fit non ad alium conceptum, sed ad exsecutionem historicam missionis a Christo datae, cuius natura in priore parte exponebatur.

23 — Pag. 30, linea 1, verbum additum « ea » non est clarum. Potius dicatur: « legendo ea quae in omnibus Scripturis de ipso erant » (*1 Pater*).

R. — Sic scribendo, deleretur litteralis allegatio Evangelii Lucae 24, 27.

24 — Pag. 30, linea 5, melius collocetur additio « per virtutem Spiritus Sancti », ita ut clarius appareat hanc additionem referri non tantum ad id quod novissimo loco ponitur, sed ad omnia, praesertim ad ea quae in sacris Liturgiis peraguntur, et Spiritus Sancti operante virtute exercentur (*1 Pater*).

[15] R. — Hanc additionem ultimo loco ponendo, iam ostenditur eam non tantum ad propiora verba pertinere, sed ad totam sententiam. Et ea fuit mens Commissionis ut melius asseratur vis Spiritus Sancti in sacra Liturgia.

AD ARTICULUM 7

25 — Pag. 30, lineis 7-9, *A*) Nova redactio fiat huius textus: « Praesens adest in Missae Sacrificio cum in ministri persona, tum maxime sub speciebus eucharisticis, " idem nunc offerens sacerdotum ministerio qui seipsum tunc in cruce obtulit " »:

[16] *a*) Quia rationes praesentiae inter se tantummodo analogice conveniunt, et incongruum esset illas inter se comparare per maximum et minimum (*1 Pater*).

b) Quia praesentia Christi in ministri persona est solummodo moralis (*1 Pater*).

c) Quia praesentia Christi sub speciebus eucharisticis est praesentia alterius speciei (*1 Pater*).

d) Quia verba habent speciem falsae doctrinae et videntur periculosissima pro doctrina praesentiae realis (*1 Pater*).

B) — *Vel*: *a*) Addatur: « manentibus sacris speciebus praesens adest in sacramento Eucharistiae », etc., ut expresse asseratur permanens praesentia realis Corporis Domini sub speciebus sacramentalibus in Sanctissimo Sacramento » (*1 Pater*).

b) Addatur post verba « tum maxime sub speciebus eucharisticis », haec formula e Concilio Tridentino: « et quidem substantialiter » (*3 Patres*).

c) Dicatur melius: « Praesens adest cum maxime, vere, realiter et substantialiter, sub speciebus eucharisticis, tum in ministri persona » (*1 Pater*).

d) Verba « idem nunc offerens » ... ponantur ante verba « tum maxime sub speciebus eucharisticis », quia videntur primo intuitu dici de phrasi immediate praecedenti (*1 Pater*).

C) — *Vel*: Totus textus emendetur, quia est durus sub respectu formae et iterum emendandum videtur sub respectu materiae. Congruit enim ut Constitutio e fontibus oriatur sed eas dominet, et non e converso (*1 Pater*).

Responsio Commissionis: [16]

Obicientes non consideraverunt textum emendatum coincidere substantialiter cum textu Papae Pii XII in Litteris Encyclicis *Mediator Dei* (*A.A.S.*, 39, 1947, p. 528), ut patebit ex duplici transcriptione sequenti:

Mediator Dei	*Schema emendatum*
Praesens adest Christus in augusto altaris Sacrificio, cum in administri sui persona, tum maxime sub Eucharisticis speciebus;	Praesens adest in Missae Sacrificio cum in ministri persona « idem nunc offerens sacerdotum ministerio qui seipsum tunc in cruce obtulit », tum maxime sub speciebus eucharisticis.
praesens adest in Sacramentis virtute sua, quam in eadem transfundit utpote efficiendae sanctitatis instrumenta;	Praesens adest virtute sua in Sacramentis, ita ut cum aliquis baptizat, Christus ipse baptizet. [17] Praesens adest in verbo suo, siquidem ipse loquitur dum Sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur.
praesens adest denique in Deo admotis laudibus ac supplicationibus, secundum illud: « Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum ».	Praesens adest denique dum supplicat et psallit Ecclesia, Ipse qui promisit: « Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum ».

1) Ex ista collatione textuum apparet textum schematis non habere proprium nisi ea quae sese referunt ad lectionem Sacrae Scripturae in Ecclesia, de quo nemo gravem movit difficultatem et de quo loquemur infra.

2) Difficultates quae moventur circa primam pericopam, si valerent, moveri deberent etiam contra textum Pii XII. Etenim:

a) Prima obiectio est contra expressionem « *In Missae Sacrificio* », quae videtur innuere Christum non esse praesentem nisi quando celebratur Sacrificium. Error iste vitandus est, ut monuit Pius XII (Allocutio 22 sept. 1956: *A.A.S.*, 48, 1956, p. 711). Sed ipse Pius XII scripsit « in augusto altaris Sacrificio ».

b) Secunda difficultas sumitur ex verbo « maxime », quod innueret non praesentiam specie differentem sicut de facto differt specifice prae-

[17] sentia physica in speciebus et praesentia moralis vel virtualis in ministri persona.

Sed etiam in textu Pii XII legitur: « cum in administri sui persona, tum maxime sub Eucharisticis speciebus ». Ergo si valeret obiectio contra textum nostrum, contra textum ipsum Pii XII moveri posset difficultas.

Hic fortasse possumus secundum verbum sancti Augustini respondere: « Securi loquebamur », cum ageretur de re indubitata et nullo modo incerta, verbis Supremi Magisterii Fidei in documento de ista re praecipue utentes.

Attamen in coetu Commissionis modificatio quaedam proposita fuerat quae, ex inadvertentia, non fuit introducta in textum, licet consensu unanimi probata, scilicet, ut

loco: Praesens adest ... cum in ministri persona, tum maxime sub speciebus eucharisticis, « idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit »,

[18] *dicatur*: Praesens adest ... cum in ministri persona, « idem nunc offerens sacerdotum ministerio qui seipsum tunc in cruce obtulit », tum maxime sub speciebus eucharisticis.

Ratio mutationis, ut patet, est quod citatio Concilii Tridentini explicat modum quo Christus in persona ministri est praesens, et evidenter pertinet ad primam partem propositionis.

Sic illam mutationem, iam approbatam a Commissione antequam textus suffragaretur, introducimus in textum, nullam suffragationem peculiarem rogantes a Patribus Conciliaribus, quia res per se evidens est.

* 26 — Pag. 30, linea 12, clare indicetur quis sit sensus vocabuli « ipse » in propositione « Ipse loquitur dum Sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur », quia praesens adest Christus in Sacrificio Missae et suo modo in Sacramentis, non vero dum Sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur. Fortasse dici potest: « Deus loquitur ... » (*1 Pater*).

R. — Ex traditione tamen liturgica, Christus dicitur loqui dum Scripturae leguntur, immo praesentia Christi in Evangelio celebratur praesertim in liturgiis orientalibus.

27 — Pag. 30, linea 18, deleantur verba « Dominum suum invocat », quia non est verum Liturgiam invocare Christum, dum ipsa oratio funditur; sed in Christo, per Christum et cum Christo Patri cultus tribuitur (*1 Pater*).

---

* Relator hunc textum usque ad conclusionem pag. [25] non legit.

vel: Addatur: « et adorat », ut expresse dicatur quod Christo Domino in Eucharistiae Sacrificio et Sacramento vere, realiter et substantialiter praesenti, latriae cultus liturgicus est exhibendus (*1 Pater*). [18]

R. — *Quoad primam partem*: Certe, Liturgia praecipue et principaliter Patrem invocat per Christum; attamen documenta Magisterii (cf. Litt. Encycl. *Mystici Corporis*: *A.A.S.*, 35, 1943, p. 236 et Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39, 1947, p. 528) ita conveniunt cum historia liturgica, ut etiam oratio ad Christum traditionalis in cultu Ecclesiae dici possit.

Quoad secundam partem: Certo certius cultus latriae exhibendus est Christo, sed satis est inculcatum a Concilio Tridentino necnon a quamplurimis documentis Magisterii ut a nullo Christifidelium ignorari possit. Ceterum per hanc additionem propositio esset nimis longa et stylo complicata.

28 — Pag. 30, linea 25, textus primitivus substituatur textui emendato cum mutatione unius verbi, ita ut sic legatur: ...« actio sacra praecellenter, titulo qui eodem modo nulli alii actioni in Ecclesia factae convenit »: [19]

a) Quia sunt actiones quaedam quae superant efficacitatem Liturgiae, v. g. praedicatio Evangelii ad infideles, confessio fidei inter persecutiones, martyrium, absconditae orationes contemplativorum, etc. (*1 Pater*).

b) Quia dari possunt actus non liturgici qui gradu efficacitatis sanctificatricis et meritoriae efficacitatem actuum liturgicorum vel coaequare vel superare possunt, sed non eodem titulo (*1 Pater*).

R. — Efficacitas Sacrificii et Sacramentorum est ex opere operato, efficacitas orationis publicae et Sacramentalium ex opere operantis Ecclesiae, quae efficacitas quam maxima esse dicitur in documentis magisterii saepe allegatis, et distinguitur ab aliis actionibus sive Ecclesiae ipsius sive membrorum, sub hac ratione efficacitatis actionum, praescindendo certe a merito et communione sanctorum, quae sunt sub alio respectu.

[19] AD ARTICULUM 9

29 — Pag. 31, linea 3, post verbum « cognoscant » et ante verba « et a viis suis », inserantur: « adorent, diligant » (*1 Pater*).

R. — Cum formulae in textu adhibitae sint omnes e Scriptura desumptae, videtur minus conveniens introducere haec vocabula.

AD ARTICULUM 10

30 — Pag. 31, lineis 10-11, deleantur vel mutentur verba: « Attamen Liturgia est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit, et simul fons unde omnis eius virtus emanat »:

a) Quia comparationes periculosae esse solent, et nonnisi maxima ponderatione institui debent (*1 Pater*).

b) Quia vox « Liturgia » in paragrapho est ambigua. Hoc affirmari potest de Eucharistia sed non de Liturgia in genere (*1 Pater*).

c) Quia culmen aut finis ultimus ad quem actio Ecclesiae tendit est salus animarum et, eo ipso, gloria Dei, nec omnis virtus a Liturgia emanat (*1 Pater*).

d) Quia omnis virtus Ecclesiae non emanat a Liturgia, sed profluit directe a Christo et a Spiritu Sancto (*1 Pater*).

e) Quia Liturgia habet rationem medii et non finis (*1 Pater*).

f) Quia virtus Ecclesiae provenit etiam ex aliis fontibus, v. gr. ex privatis precibus (*1 Pater*).

[20] *g*) Quia summa et maxime meritoria omnium virtutum non est virtus religionis, sed caritas theologica ex qua proveniunt omnes actus virtutum etiam heroicarum (*1 Pater*).

h) Quia Liturgia est res satis heterogenea et medium per quod vita divina hominibus variis modis communicatur, ita ut haec affirmatio in schemate videatur sapere « sensationalismum » (*1 Pater*).

R. — Sententia « Liturgia est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat », secundum regulas ordinariae hermeneuticae, interpretanda est in luce contextus sive prooemii (art. 2) sive praesertim cap. I, art. 10. *Iste ultimus textus est contextus immediatus et explicativus dictae sen-*

tentiae. Nam, uti conclusio generalis, iterum repetit, aliis paulisper verbis, id quod praedicta sententia, in initio articuli, dixit ad modum quasi theseos postea explicandae: « Attamen Liturgia est culmen ... et fons ... Nam labores apostolici ... Vicissim ... Ex Liturgia ergo praecipue ex Eucharistia, ut e fonte, gratia in nos derivatur et maxima cum efficacia obtinetur ... sanctificatio et Dei glorificatio, ad quam uti ad finem ... omnia contendunt ». Ergo Liturgiam esse culmen et fontem debet intellegi quidem in textu de Liturgia simpliciter, sive in sua concreta totalitate, sed imprimis quatenus habet centrum Eucharistiam. Eucharistia enim non pertinet ad Liturgiam modo quodam secundario et accidentali, sed essentiali. [20]

31 — Pag. 31, lineis 13-14, textus sic emendetur: « Sacrificio actuose participent, laudabiliter de altari sacrum Christi corpus sumentes », quia ibi posita sunt duo quae idem dicunt (*1 Pater*).

R. — Locutio « Sacrificium participent » refertur ad actuosam participationem fidelium in ritu celebrationis, quam optat vehementer Concilium, dum expressio « cenam dominicam manducent » refertur ad sacram Communionem. Formula proposita nihil addit et non habet saporem textus emendati.

32 — Pag. 31, lineis 18-20, deleantur vel explicentur verba: « Ex Liturgia ergo, praecipue ex Eucharistia, ut e fonte gratia in nos derivatur » ...,

a) Quia fons gratiae est Christus, et Liturgia non est unicus fons gratiae, nec fons proprie dictus, sed rivulus fortasse, et non unicus (*1 Pater*).

b) Quia haec verba videntur sumenda sensu exclusivo, ac si indicare velint omnem et quamlibet gratiam e Liturgia derivare (*1 Pater*).

R. — *a*) Textus clare innuit « Liturgiam » non esse sumendam « utpote divini cultus partem ... externam solummodo ac sensibus obiectam, vel quasi decorem quemdam caerimoniarum apparatum » aut « veluti meram legum praeceptorumque summam ... quibus Ecclesiastica Hierarchia iubeat sacros instrui ordinarique ritus »; sed, e contra, esse accipiendam veluti Iesu Christi « sacerdotalis muneris exercitatio », quo Redemptor noster, Ecclesiae Caput, aeterno Patri cultum tribuit, atque cultum quem « christifidelium societas Conditori suo et per ipsum aeterno Patri [21]

[21] tribuit ... integrum cultum publicum mystici Iesu Christi Corporis, Capitis nempe membrorumque eius » (cf. PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39, 1947, pp. 528-532).

b) Praeterea de Eucharistia — et ideo de Liturgia, quae circa Sacrificium Missae tota exstruitur — docemur quod est fons vitae Ecclesiae, e quo omnes gratiae derivantur. « Hoc Sacramentum (Eucharistia) ex seipso virtutem habet gratiam conferendi; nec aliquis habet gratiam ante susceptionem huius Sacramenti nisi ex aliquo voto ipsius, vel per seipsum, sicut adulti, vel voto Ecclesiae, sicut parvuli » (S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 79 a. 1 ad 1; ID., *In IV Sentent.* d. 8, q. 1 a. 1). « Indidemque (scil. ex Eucharistia) haurit habetque Ecclesia omnem virtutem suam et gloriam, omnia divinorum charismatum ornamenta, bona omnia » (cf. LEO XIII, Litt. Encycl. *Mirae caritatis*: *A.S.S.*, 34, 1901-1902, p. 642; PIUS XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39, 1947, p. 548).

Consuli etiam potest *Catechismus ex decreto Concilii Tridentini ad parochos, Pii V P. M. iussu editus* (Romae 1920, p. 170, n. 228): « Quoniam immensae eius (Eucharistiae) utilitates et fructus nulla oratione explicari possunt, unus aut alter locus a pastoribus tractandus erit, ut ostendant quanta in sacrosanctis illis mysteriis bonorum omnium copia et affluentia inclusa sint. Hoc vero aliqua ex parte ita assequentur, si omnium sacramentorum vi atque natura patefacta, Eucharistiam fonti, cetera rivulis comparaverint; vere enim ac necessario *fons omnium gratiarum dicenda est,* cum fontem ipsum caelestium charismatum et donorum, omniumque sacramentorum auctorem Christum Dominum, admirabili modo in se contineat a quo tamquam a fonte ad alia sacramenta, quidquid boni et perfectionis habent derivatur ».

Ac tandem conferri potest Oratio secreta in festo S. Ignatii, ubi legitur: « sacrosancta mysteria in quibus omnis sanctitatis fontem constituisti ».

[22]

AD ARTICULUM 12

33 — Pag. 31, linea 31, deleatur verbum « nihilominus », quia sunt duo alia adverbia in paragrapho, et ut sensus sit clarior (*1 Pater*).

R. — Adverbium *nihilominus* eo est additum ut clarius appareat orationem communem non sufficere christiano.

AD ARTICULUM 14 [22]

34 — Pag. 32, lineis 14-15, deleatur: « est enim primus isque necessarius fons, e quo spiritum vere christianum fideles hauriant », quia fons gratiae non est liturgia sed Christus (*1 Pater*).

R. — Iam responsum est supra: cf. nn. 29, 31.

35 — Deleantur articuli 14, 15, 16, 17, 18 capitis I, quia ad minima descendunt, et quidem contra mentem Summi Pontificis qui vult solummodo enunciationem principiorum generalium (*1 Pater*).

R. — E contra, Commissio tanto altiora haec principia censuit, ut de iis relationem specialem ad Patres haberi voluerit ab Exc. Grimshaw, quia agitur de fundamento totius reformationis, scilicet de actione pastorali et de praesuppositis ad eius efficacitatem.

AD ARTICULUM 18

36 — Pag. 33, linea 6, deleatur vocabulum « sacerdotes saeculares », et ponatur « sacerdotes dioecesani », ut in textu primitivo, quia male sonat hisce temporibus et fit incitamentum psychologicum pro sacerdotibus dioecesanis ut se in negotiis saecularibus implicent (*1 Pater*).

R. — *Saecularis* ex usu probato opponitur adiectivo *religiosus* seu *regularis*; e contra, *dioecesani sacerdotes* nobis eo non placuit, ne religiosi videantur dioecesi extranei, cum in ea sub Episcopo laborent.

AD ARTICULUM 22

37 — Reservetur unice Summo Pontifici auctoritas in rebus liturgicis eique sit exclusive iurisdictio in definiendo, statuendo, etc., circa res liturgicas (*1 Pater*).

38 — Deleatur paragraphus secunda, in qua videtur institui auctoritas [23]
supra singulos Ordinarios loci, infra Romanum Pontificem, cui iurisdictio datur ad definiendas et statuendas normas de re liturgica, quia esset periculum pro unitate Ecclesiae, quae unitas ser-

[23] vari debet in substantialibus, praeterquam quod Ecclesiae constitutioni aliquo modo repugnare videtur (*1 Pater*).

R. — Uterque modus tamen aperte contradicit voluntati Patrum tam expresse manifestatae, cum in votis praeconciliaribus, tum in Concilio.

39 — Magis determinentur principia ad instaurationem rerum liturgicarum pertinentia, scilicet necessitas uniformitatis in substantialibus et convenientia accommodationis, ita ut nucleus uniformis servari possit et unitas in substantialibus partibus (*1 Pater*).

R. — Quod clare dicitur in schemate, art. 21, 23, 38, 39, 40.

40 — Post n. 25, addatur: *Normae ex aspectu latreutico et sacrali Liturgiae.*

a) In instauranda sacra Liturgia et in formatione liturgica cleri et populi christiani ratio semper habeatur non solum de indole didactica et pastorali Liturgiae, sed praesertim de ipsius ordinatione in laudem Dei et de praesentia Dei in ipsa Liturgia operantis et viventis.

b) Foveantur igitur inter fideles, quantum fieri potest, intelligentia sacrorum rituum et ad eos attentio, necnon sensus mysterii et praesentiae Dei, ex quo sensu scatere debet summe devota et filialis Deo reverentia cordis et corporis.

R. — Iam passim ista omnia satis insinuata sunt, ut v. gr. in art. 5, 6, 10, 12, 33, etc.

AD ARTICULUM 27

41 — Pag. 34, lineis 34 et 36, supprimantur respective verba « quasi privatae » ac « et sociali », cum sint inutilia et fortasse aequivoca (*1 Pater*).

R. — Tam parum inutilia sunt, ut emendationem addere oportuerit, approbante sacro Concilio (cf. Emend. 9).

AD ARTICULUM 35 § 4 [24]

42 — Deleatur paragraphus quarta (*1 Pater*).

R. — At est addita approbante sacro Concilio (cf. Emend. 8).

43 — Pag. 36, linea 14, loco « sacra Verbi Dei celebratio », dicatur « Actio paraliturgica » vel « Ritus Verbi », quia apud fideles significatio huius vocis « celebratio » quandam confusionem gignere potest (*1 Pater*).

R. — Locutio « Actio paraliturgica » numquam accepta est in iure liturgico, immo sermoni latino repugnat; « Ritus Verbi » adhuc magis repugnat.

44 — Pag. 36, linea 17, deleatur vocabulum « diaconus » de quo fit mentio specialis pro quibusdam celebrationibus, quia haec videtur esse nova institutio, a Concilio nondum approbata (*1 Pater*).

R. — At iam in Rituali et in Codice Iuris Canonici de officio liturgico diaconi plura habentur, nedum disciplinam antiquam inspiciamus.

AD ARTICULUM 36

45 — Lingua latina servetur in ritu latino propter dignitatem, unitatem, simplicitatem et propter suam efficaciam, ad fovendam ecclesiasticam unitatem, contra nationalismi errorem et periculum (*1 Pater*).

46 — Retineatur in Missa lingua latina, modo completo et totali (*1 Pater*).

47 — Servetur lingua latina in praecipuis Liturgiae partibus et concedatur usus linguae vernaculae in partibus quae accidentales considerantur (*1 Pater*).

48 — Introductio linguae vernaculae in Canonem Missae non fiat nisi quoad verba quae alta voce proferuntur (*1 Pater*).

49 — Lingua vulgaris in sola Sacramentorum administratione adhibenda est, non in Missae celebratione (*1 Pater*).

[24] R. — Iam suffragatus est articulus 36, non solum ex totius capitis approbatione, sed speciatim ex approbatione emendationum 5-6.
[25] Particularia vero consulto remissa sunt ad capita sequentia, et pari approbatione suffragati sunt articuli de lingua in Missa, in Sacramentis, etc.

50 — Conversio textus latini in linguam vernaculam proponatur a competenti auctoritate ecclesiastica territoriali Sanctae Sedi quae sola potest probare istam conversionem (*1 Pater*).

R. — Paragraphus quarta quam iste modus respicit iam a Concilio approbata est (Emend. 7).

51 — Pag. 36, linea 31, loco « Conversio textus latini », ponatur « conversio textus sacri ».

R. — « Textus sacer » non idem sonat ac « textus latinus ». Textus sacer, ut videtur, de sola Scriptura Sancta dici solet, cum in Liturgia adsint plures textus qui haud e Scriptura hauriuntur.

AD ARTICULUM 37

52 — Periculosum videtur permittere mutationes in ipsa Liturgia derivatas ex moribus populorum, nam ansa dabitur destructioni ritus latini (*1 Pater*).

R. — De hoc tamen, tot fuerunt vota ante Concilium prolata, totque orationes Patrum in Concilio, immo tam clara mens Concilii ex suffragatione emendationum 2-3, ut vix iste timor concipi possit. Praeterea, legatur art. 38.

* * *

Sic explicit nostra Modorum a Patribus propositorum expensio, quae, ut optamus, Vobis placitura est, et de qua Vestram approbationem humillime petimus, gratias agentes Vobis de tanta Vestra benevolentia.

Moderator: Gratias, exc.me Pater.

Secretarius generalis: Legitur nunc iterum quaesitum de quo est facienda suffragatio per *placet* et *non placet*. Quaeritur igitur: « An placeat expensio facta a commissione conciliari de sacra Liturgia circa modos prooemium et cap. I respicientes ».

Moderator: Incipit nunc disceptatio super schema *de Oecumenismo*.

PATRUM ORATIONES
(de Oecumenismo in genere)

1

EM.MUS P. D. IGNATIUS GABRIEL CARD. TAPPOUNI
Patriarcha Antiochenus Syrorum

Venerabiles Patres,

Loquor nomine episcopatus Patriarchatus Antiocheni Syrorum.

Humili nostro sensu, opportunius fuisset de Ecclesiis orientalibus, nobiscum communionem non habentibus, seorsim ac de Protestantibus tractare; funditus enim diversa est eorum ad Ecclesiam catholicam habitudo. Eo magis miramur, videntes in uno eodemque schemate, quod de orientalibus et de Protestantibus agit, novum caput, scil. IV, de Iudaeis inveniri, dum, interea, et V nuntiatur de libertate religiosa.

Quidquid sit de harum quaestionum momento, illas et *extra locum* et *valde inopportune* hic agitari sentimus. Nomine enim oecumenismi *christianorum* unitas intelligitur fovenda, ideoque, non est hic locus de Iudaeis aut de libertate religiosa disceptandi.

Quartum autem caput, de quo solo nunc loqui intendimus, quidquid sit, de substantia eorum quae in eo de Iudaeis asseruntur, *inopportunum omnino* nobis videtur. Nam:

1. Concilium Oecumenicum de catholicis in primis et per se agit; indirecte vero de aliis christianorum coetibus; de aliis vero religionibus per accidens tantum, et sine ullo inter illas discrimine mentionem facere consuevit. Nam et Secretariatus, prout omnibus notum est, ad *christianorum* unitatem fovendam institutus fuit.

2. In non paucis regionibus huiusmodi decretum praeiudicium et quidem grave afferre posset fidelibus christianis qui minoritatem revera in illis nationibus constituunt, magno cum detrimento, tum hierarchiae localis, tum finium generaliorum Ecclesiae catholicae.

3. Quamvis enim Concilium in hoc condendo decreto finibus supernaturalibus moveatur, nihilominus *tum* propter hodiernam rerum politicarum conditionem, quae multorum animos valde perturbat, *tum* quia multi, sive fidei christianae non adhaerent, sive de ea nullam gerunt curam, hae venerabilium huius Sacri Concilii Patrum intentiones, *aut* non intelligentur, *aut* ob oppositis factionibus, secundum propriam cuiusque utilitatem, perverse interpretabuntur, magno cum christianorum, quorum nobis in primis cura esse debet, damno.

Nec explicationes, lingua arabica, sive alia, recenter publici iuris factae sufficiunt, ad pericula et praeiudicia quae diximus praecavenda. Dixi.

2

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

Admiratus sum studium ac sedulitatem quibus peculiaris commissio conciliaris, veritatis catholicae et Regni Christi propagationem sitienter expetens, schema decreti *de Oecumenismo,* nostrae disceptationi subiciendum, praeparavit.

Quocirca eiusdem commissionis membris grati animi mei sensus — quantum possum — libenter pando. Venia tamen mihi concedatur si — ut soleo — nonnullas anxietates et dubitationes plena cum sinceritate *manifestare audeo.*[1]

1. Nomen Oecumenismi, schemati inditum, videtur mihi non plene congruere cum appellatione Concilii, quod oecumenicum dicitur; Concilium nostrum iure oecumenicum vocatur quia universale est, cum oecumenismus in schemate ad peculiarem apostolatus speciem contrahatur. Deinde animadvertere *iterum*[2] audeo vocabulum « Oecumenismus » inductum esse in theologiam — ni fallor — abhinc quadraginta circiter annos a Protestantibus, qui ei aliam prorsus subiciunt significationem ac nos intelligimus. E. g. Secretarius Consilii Oecumenici Ecclesiarum Acatholicarum asserit motionem oecumenicam (italice « movimento ecumenico ») esse transitum ab Ecclesia quam homines sibi effinxerunt ad Ecclesiam quam Deus vult; et ideo omnes Ecclesiae usque adhuc exsistentes, Ecclesia catholica inclusa, essent tantum instituta humana.

In hunc finem habitae sunt, *ut notum est,*[3] a Protestantibus *plures*[4] Conferentiae in *variis*[5] urbibus, e. g. Stoccolma a. 1925, Losanna a. 1927, Oxonii et Edenburgi a. 1937, Amsterdam 1948 et alibi, quibus interfuerunt plurimi delegati multarum sectarum. (Forsan hic iuvabit in memoriam revocasse nomen « sectae » secundum multorum sententiam non esse mutuatum a verbo « secare » sed a verbo « sequi », quatenus singulae sectae quoddam caput sequuntur).

Quod si nomen *Oecumenismus* servatur, saltem oporteret vim eius — secundum doctrinam catholicam — clare breviterque definiri initio decreti ad quamcumque aequivocationem firmius vitandam; sed melius esset — ut opinor — pro vocabulo « oecumenismus » substitui rei

descriptionem et eidem descriptioni addere: quod hodie a pluribus Oecumenismus vocatur.

2. Procul dubio nihil habemus antiquius quam reditum fratrum separatorum ad unicum Christi ovile, cuius Supremus Pastor invisibilis est Christus, visibilis autem Christi Vicarius Summus Pontifex. Ipsi enim proxima cognatione — ut ita dicam — vere nobiscum coniuncti sunt; unam familiam olim in Christo efficiebamus, eandem fidem profitentes, ad eadem sacramenta accedentes, sub eodem regimine vitam vere christianam agentes; et etiam nunc eos quadam propinquitate contingimus. Sed ad hanc propinquitatem quod attinet, *substantialiter* [6] cum em.mo card. Tappouni consentiens, velim in schemate multo clarius ostendi ipsam propinquitatem longe maiorem nos habere cum fratribus separatis Ecclesiarum rituum orientalium quam cum fratribus qui reformatores dicebantur et hodie Protestantes vel Evangelici vel alius peculiaribus nominibus denotantur; nam illi, nempe fratres separati orientis, conservant hierarchiam ex episcopis, presbyteris atque ministris constantem, quam censent divinitus constitutam; habent septem sacramenta et in Ss.ma Eucharistia per mirabilem illam panis et vini conversionem, quae transsubstantiatio appellatur, praesentem reapse Christum adorant, sanctos una cum Christo regnantes, in primis Deiparam Mariam suppliciter invocant eorumque imaginibus venerationem impertiuntur ...[7] cum Protestantes — ut uno nomine omnes comprehendam reformatores — praeter Sacram Scripturam et Baptismum, paucissima alia ex antiqua catholica fide servaverint et insuper in sectas plures quam trecentas (ut taceam *quingentas et undecim quae recenter ortae sunt* [8] in Africa australi) dispertiti sint, inter se plus minusve graviter discrepantes.

3. Ordo argumentorum vel quaestionum quae in schemate tractantur *desiderari potest concinnior.*[9] E. g. cap. II — ut opinor — copulandum esset, brevitatis causa, cum cap. I in quo n. 1 pag. 1 « De Ecclesiae unitate et unicitate » supprimi posset *numerus ille,*[10] quia iterat quae in schemate *de Ecclesia* iam disceptata sunt; et sub n. 3 non dicerentur quae ad Oecumenismi exercitium pertinent, de quo est sermo in cap. II.

4. Si Oecumenismo additur cap. IV, in quo peculiaris et benigna mentio fit Iudaeorum, cur non nominantur illi, quam plurimi, qui adhaerent, et saepissime bona fide, ceteris religionibus? Etenim hi in schemate duabus vel tribus tantum lineis indicantur cum plures sint quam decies *millies* [11] centena milia, nec longius a catholicis interdum distent quam Iudaei, immo, missionariis testibus, fidei nostrae catholicae cor suum haud raro facilius — proh dolor! — aperiant quam ipsi protestantes.

5. Insuper quaeri posset cur Oecumenismus, dum ad Iudaeos — iure

quidem meritoque — amanter respicit quia Patriarchas et Prophetas venerantur, sed Christum, generis humani Salvatorem, non agnoscunt, penitus neglegat innumeros illos qui in nationibus christianis, quamquam sunt baptizati, sacramentaliter confirmati, Ss.ma Eucharistia pluries refecti, « Communismo », accuratius: marxismo (quo atheismus cotidie *diffunditur* [12] in mundo) multipliciter favent, *ac* [13] plerumque ob rationes mere oeconomico-sociales?

6. Demum desiderantur in schemate nonnullae normae, aperte declaratae, quae *diligenter servandae essent* [14] ut dialogus, qui dicitur, cum acatholicis quibuscumque, prudens et vere efficax sit. Illi ...[15] qui cum acatholicis, praesertim in conferentiis vel conventibus coadunatis, colloqui cupiunt profecto necesse est omnino vitae sanctimonia praefulgeant, ferventes *orationes* [16] effundant, doctrinam theologicam *catholicam possideant* [17]; sed insuper oportet ut *dicatur clare*:

Oportet ut [18] obtineant praeviam competentis auctoritatis ecclesiasticae ...[19] veniam;

2. ...[20] maneant constanter sub singulari vigilantia et moderamine episcoporum ...[21] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] manifesto. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] pluribus. [6] maxime. [7] (cf. Pius XI s. r. Litt. Encycl. *Mortalium animos*: *A.A.S.*, 20, 1928, p. 12 s.). [8] octingentas recenter ortas. [9] concinnior esse potest. [10] deest. [11] deest. [12] disseminatur. [13] deest. [14] penitus diligenterque servandae sunt. [15] enim. [16] preces. [17] optime calleant. [18] 1. [19] (quae, si agatur de conferentiis vel publicis collationibus, est semper S. Sedes). [20] Principia et normas fideliter sequantur quae in hac re Ecclesia statuerit. 3. [21] (cf. Instructio *De motione oecumenica* quam iussu Pii XII Suprema Congr. S. Officii edidit die 20 decembris 1949: *A.A.S.*, 42, 1950, pp. 142-147).

3

EM.MUS P. D. BENIAMINUS CARD. DE ARRIBA Y CASTRO

Archiepiscopus Tarraconensis

Venerabiles Patres conciliares,

Liceat mihi paucis verbis monitum reverenter proferre circa schema *de Oecumenismo* in genere, facultate utens libere loquendi admodum laudata in hoc Concilio.

In aliquibus numeris seu paragraphis huius schematis suadetur dialogus cum fratribus separatis ad unionem fovendam. Immo in peculia-

ribus adiunctis licitum etiamque opportunum esse asseritur catholicos viros cum fratribus separatis in oratione consociari.

Sed hoc praeterquam quod specialibus Ecclesiae legibus non consonat, v. g. de prohibitione librorum haeresim faventium, etsi aliae dispositiones aliquoties permittant, periculosa, tamen, valde mihi videtur enuntiatio in Concilio pro fide nostrorum fidelium, maxime pauperioris culturae, qui saepe non sunt parati ad respondendum argumentis quae eis exhibentur quaeque a peritis diversarum sectarum seu confessionum parata sunt. Exempla non pauca afferre possem etsi generatim, non tamen semper, sine exitu. De facto proselytismus crescit.

Postulo ergo in omni caritate — et hoc oro nemo dubitet — sed pro veritate:

1. Ut in schemate addatur hortatio ad fratres seiunctos ut ab omni proselytismo inter catholicos sese abstineant, ne fides nostratum confusionismo obscuretur.

2. Ut a competenti congregatione aut commissione seu a privato theologo catechismus oecumenicus conficiatur ubi in lucem ponantur doctrinae catholicae veritates quae in discussione sunt aut positive a fratribus separatis negantur.

3. Ut per huiusmodi catechismi studium, et etiam sine illo, diffusio et defensio veritatum catholicarum non tantum in scholis cuiusvis gradus sed etiam in sessionibus culturae religiosae associationum apostolatus laicorum sedulo promoveatur.

4. Ne oblivioni detur magisterium Christi uni Ecclesiae catholicae commissum fuisse cui ius et officium est evangelium toti mundo praedicandi.

5. Hisce prae oculis habitis oratio et caritas erga fratres seiunctos in dies crescant apud nos, sed ante omnia exempla authenticae vitae christianae omnibus exhibeamus, Christi vestigia sequentes qui « coepit facere et docere ».

Denique humiliter dicam schema in genere prout iacet mihi non placere, nec bono animarum profuturum censeo, unde forsan melius esset, mihi videtur, illud omittere et suo loco mentionem facere de Secretariatu permanente qui sub ductu personali, ob rei gravitatem, Romani Pontificis, strenue laboret pro unione omnium christianorum ut quantocius, Deo adiuvante, fiat unum ovile et unus Pastor. Dixi.

4

EM.MUS P. D. IOSEPH M. CARD. BUENO Y MONREAL
Archiepiscopus Hispalensis

Venerabiles Patres,

Schema *de Oecumenismo* placet quidem, sed iuxta modum tantum. Plura in eo pulchra et valde utilia inveniuntur quae progressum non parvum indicant in pastorali Ecclesiae actione, hodiernis mentibus coaptata, erga tot millia millium fratrum nostrorum qui extra mirabilem unitatis mysterium, quod est Christi Corpus Mysticum, vel saltem extra visibilia septa unius ovilis Christi pervagantes, ardentissimum ipsius Domini desiderium « ut omnes unum sint » non obsequuntur. Unde splendor Christi vultus in Ecclesia non parum obscuratur et Regni Divini incrementum funeste retardatur. Liceat mihi tamen aliquales proponere animadversiones, si forsan utile quid et opportunum communi labori conferre possint.

Et 1. *Quoad ipsam inscriptionem schematis « De Oecumenismo »*.

Vox « Oecumenismus » propriam veluti technicam et historicam, conventionalem tamen, significationem habet: eam nempe quam ei dederunt originarii illi fautores motus unitatis inter christianas confessiones obtinendae. A qua significatione non videtur opportune recedendum, ne variis loquentes linguis, communis rei intellectus impossibilis fiat. Usque nunc nec Ecclesia in suis documentis hoc verbo iuxta illam significationem usa fuit nisi ad signandum motum illum quem extra ipsam confessiones non catholicae ducebant, nec minus autem Ecclesia de Oecumenismo locuta fuit quasi de propria actione ecclesiali aut pastorali. Primo nunc Ecclesia verbo « oecumenismi » solemniter utitur ut exprimat suum munus unitatem omnium christianorum — omnium — in Christo quaerendam.

Schema nostrum definitionem Oecumenismi exhibet: « motus et ordinata actio ad illam christianorum unitatem fovendam, quam Iesus Christus a Patre flagrantibus postulavit precibus ». In hac generica definitione omnes, ut puto, plus minusve conveniunt.

Ast idea centralis huius definitionis, nempe unitas, longe diverse ab Ecclesia et a confessionibus separatis intelligitur. Ecclesia enim non potest quin seipsam praesentet verum et unicum unitatis mysterium in Corpore Christi mystico, unicum etiam et, ex intentione Christi, universalem populum Dei; et ad hanc unitatem, et internam et externam, omnes convenire debent, vinculis professionis fidei, sacramenti et eccle-

siastici regiminis ac communionis collegati, prouti in schemate *de Ecclesia* exponitur. Longe vero aliter Oecumenismus intelligitur a confessionibus separatis. Iuxta eos enim ad id tendit ut christiani diversarum denominationum insimul conveniant in caritate ad laborandum pro Dei gloria, firmis tamen manentibus propriis uniuscuiusque convictionibus religiosis. Ex hac diversissima ratione sentiendi de unitate Ecclesia numquam in eodem plano convenire voluit cum aliis confessionibus in diversis Consiliis oecumenicis ecclesiarum.

Vox ergo Oecumenismus non univoce usurpatur quando de oecumenismo catholico et de oecumenismo simpliciter dicto agitur.

Optarem ergo ut, licet haec vox tanti apud hodiernos aestimetur, ab ea tamen abstineremus, saltem in inscriptione schematis. Ex una parte magnam confusionem inter catholicos gignere potest. Ex alia vero suspicioni locum praebere potest quod veros et originarios huius vocis fautores aliqua veluti fallacia circumvenire velimus, quod, ut patet, longe est a nobis.

Aliunde schema tractat etiam de non christianis et de Iudaeis, quod iam non in voce « oecumenismi » continetur. Unde latius patet contentus quam designatio. Cum vero opus et conversatio Ecclesiae, hodie quam magis, extendere opus sit ad ingentes multitudines eorum qui in magnis confessionibus non christianis Deum colunt (Buddhistae, Shintoistae, Confucianistae, Musulmani, etc.), erga quos actio missionalis non oecumenica dicitur, ast similitudinem quamdam hodie in pastorali agendi ratione cum Oecumenismo servat, ad firmandam unitatem in Deum verum contra pestem materialismi, proponere auderem quod sive christiani sive non christiani in eodem pastorali schemate complecterentur, ratione quidem habita diversae uniuscuiusque conditionis, et schema enuntiaretur modo generaliore: « De habitudine Ecclesiae erga omnes qui extra unitatem populi Dei sunt ».

Si vero melius in unum coalescere nolimus christianos cum non christianis, enuntiemus pro illis: « De Oecumenismo catholico », vel melius adhuc: « De habitudine Ecclesiae ad Oecumenismum »; pro istis vero: « De missionibus ».

Quomodocumque sit, effulgeat ratio vere oecumenica sese habendi in linea pastorali erga omnes a Christo redemptos, qua Ecclesia peramanter ad eos se vertit ut in caritate via unionis paretur mediante dialogo, oratione, communione in bonis spiritualibus, quae apud ipsos sunt, et testimonio vitae fideliter christianae.

2. *De ordine interno schematis.*

Schema non doctrinale sed potius pastorale est. Doctrina de Ecclesiae intima mysteriosa natura, ac de unitate et universalitate populi

Dei, in proprio schemate *de Ecclesia* integre exhiberi debet. Proinde propono ut primus numerus nostri schematis, qui inscribitur « De Ecclesiae unitate et unicitate », cum doctrinam theologicam et quidem dogmaticam contineat, amandetur ad schema *de Ecclesia,* post n. 6 cap. I illius schematis inserendus. E contra nn. 9 et 10 illius cap. I *de Ecclesia,* qui inscribuntur « De nexibus Ecclesiae cum christianis non catholicis » et « De non christianis ad Ecclesiam adducendis », expungantur de illo loco et inserantur in schemate *de Oecumenismo,* vel unus in *de Oecumenismo* et alius in *de missionibus.* Ambo enim non doctrinales sed pastorales sunt et plura habent quae in schemate nostro repetita apparent. Schema ergo *de Oecumenismo* initium sumeret ab iis quae dicuntur sub n. 3, inscripto etiam, inter uncos: « De Oecumenismo ».

3. *Quoad stylum textus.*

Omnes norunt quam cauta agendi ratione Ecclesia motum oecumenicum semper consideravit, prout videre est in C.I.C., Encyclica *Mortalium animos,* et diversa monita et instructiones S. Officii. Et merito quidem. Motus enim ille ab incunabulis aliqualem panchristianismi aut syncretismi religiosi christiani speciem prae se ferre videbatur, quod periculo indifferentismi ansam praebere poterat.

Feliciter vero iam Ecclesia in dies benevolenti animo motionem illam oecumenicam prosequitur, qua, sincero animo et caritate ducti, christiani diversarum confessionum dialogum instituunt, qui viam aperit mutuae cognitioni et bonorum communium aestimationi, supplices ad Deum preces fundunt pro optata unitate atque exinde offendicula non pauca e medio tolluntur. Ast, ut patet, semper cautela adhibenda est ne oecumenismus perperam intelligatur aut damnosae confusiones oriantur.

Schema nostrum non satis haec pericula vitat. Laetanter factum extollitur quod, extra visibilia Ecclesiae septa, dentur vita gratiae, alia interiora Spiritus Sancti dona, etc. Haec verissima sunt ast non formaliter quatenus fratres illi separati manent ab Ecclesia sed tantum eatenus et quoadusque in bona fide sunt, ac, si scholastice diceremus, dantur dona illa per accidens non vero per se. Hoc vero clare et expresse significandum est in textu. Secus periculum est quod sive catholici sive fratres separati parvipendant unionem aut separationem, si ubicumque inveniantur iisdem Spiritus Sancti donis gaudere possint. Dixi.

Textus scripto traditus:

Schema *de Oecumenismo* nobis valde placet, iuxta modum tamen. Equidem huius schematis momentum ac necessitas neminem fugit qui considerare velit dolendum nimis spectaculum mundi huius in quo post viginti saecula bis mille quin-

genta millia millium hominum extra mirabile unitatis sacramentum quod est Ecclesia pervagantium ardentissimum Christi Domini desiderium « ut omnes unum sint » « unum ovile et unus Pastor » adhuc non adimplent, ex quo splendor vultus Christi in Ecclesia valde obscuratur et regni divini incrementum funeste retardatur. Nihil mirum quod saepe saepius Romani Pontifices appellationes ad unitatem inclamaverint, v. g. Leo XIII in Litteris Encyclicis *Satis cognitum, Praeclara gratulationis*; Ioannes XXIII in allocutione *Gaudet Mater Ecclesia*; Paulus VI, feliciter regnans, in allocutione *Salvete,* in qua unum ex quatuor Concilii finibus adsignat: « unitatis redintegrationem inter christianos universos ». Aggredimur ergo rem valde momentosam, sed et valde periculosam etiam, quam aequo animo et assidua consideratione pertractare debemus.

Grates imprimis mihi pergratum est rependere Secretariatui ad Unitatem Christianorum fovendam ob suam indefessam activitatem in hoc tanto opere.

Tamen, liceat mihi nonnullas animadversiones facere:

1. Par. 1, cap. I huius schematis agit « de Ecclesiae unitate et unicitate ». Iamvero hoc argumentum, vere doctrinale, immo et dogmaticum, attingit intimam constitutionem Ecclesiae, prout est mysticum Christi Corpus quod adhuc in terris peregrinatur, in quo considerandi sunt fideles catholici, alii christiani non catholici, atque alii non christiani; videatis in cap. I schematis *de Ecclesia,* nn. 7 ad 10, qui de his argumentis tractant. Videretur ergo argumentum de Ecclesiae unitate et unicitate potius amandandum ad schema *de Ecclesia,* post n. 6; atque iam ita ab aliquibus Patribus petitum fuit quando illud schema disceptabatur in aula. Adde quod populus Dei, ex intentione Christi complecti debet omnem hominem venientem in hunc mundum, ergo dotibus praeditus esse debet universalitatis et unitatis; secus non intelligitur, quia non est coetus aliquis selectus e medio multitudinis.

De facto tamen, dum peregrinatur his in terris, populus Dei scissus apparet, sed hoc est factum transitorium et provisorium; natus enim est tandem aliquando omnes homines complecti. Exinde ergo, melius videretur quod schema de Oecumenismo in schemate *de Ecclesia* includeretur, loco nempe quo inveniuntur nn. 9 et 10 illius schematis, qui reapse doctrinam oecumenismi iam exhibent, quae rursus repetita apparet in nostro novo schemate. Materia vero tota de Oecumenismo sub clariori luce appareret in proprio illo loco, nempe intra Ecclesiam ad quam ex intentione Christi tandem omnes venire debent.

2. Verbum *oecumenismus* significationem veluti technicam sed mere historicam habet nempe: unitatis christianorum; atque ita etiam designatur Secretariatus. Res ita venit ex primis conaminibus ecclesiarum separatarum, quando Consilium Universale Christianum ad Vitam et Laborem, et aliae organizationes internationales primos contactus habuerunt in La Haye, Lausanne etc. unde Consilium Oecumenicum Ecclesiarum tandem ortum habuit. Sed de se, hoc verbum non excludere debet conatus ad unitatem cum aliis confessionibus religiosis non christianis, utputa Buddhismo, Shintoismo, Confucianismo, etc., quae tamen plura millia millium hominum comprehendunt, a Christo Domino etiam ad Ecclesiam et populum adquisitionis vocatorum; immo ii plures sunt quam christiani separati. Iamvero, de istis schema nihil dicit, quum tamen de cura sollicitudinis Ecclesiae exulare minime debeant.

Certum est quod abhinc paucis diebus, nobis distributa fuit foliola quaedam quae inscribitur « Schema decreti De Oecumenismo cap. IV », et post paucissima

verba de non christianis, agit de carissimis nostris fratribus Iudaeis. Sed adversus illam foliolam pauca habeo: imprimis nescio unde venerit aut qua auctoritate submittatur disceptationi, quia caret decreto illo, quod in omnibus schematibus constat quo em.mus cardinalis a Secretis fidem facit Sanctissimum Dominum Nostrum Papam statuisse schema illud discutiendum esse. Sed praeterea, dum schema nobis transmissum fuit mense aprili, ita ut Patribus congruum relinqueretur temporis spatium ad consilia capienda etc., prouti art. 30 Ordinis Concilii statuit, foliola haec nobis data est absque illo congruo temporis spatio: quum secretariatus potuisset per plures menses inde a prima sessione illam redigere et transmittere. Ergo peto ut de ista foliola ratio non habeatur nisi ad minus post mensem, aut aliud congruum temporis spatium.

3. Omnes norunt quam cauta ratione Ecclesia illum motum oecumenicum semper consideraverit, videatis ad exemplum Instructionem S. Officii anni 1950. Et merito quidem, periculosissima res est ne fideles ad indifferentismum trahantur, dum vident Ecclesiam tam humanissimis verbis agere cum non catholicis, ac si in omnibus confessionibus gratia Spiritus Sancti praesens sit. Hoc periculum non vitatur in schemate nostro, sed potius augetur. Videatis in nn. 2 (linn. 22-32), 3 (lin. 38 s.), 20 etc. extollitur factum quod, extra septa Ecclesiae visibilia, dentur vita gratiae, alia interiora dona Spiritus Sancti, fides, spes, caritas, magnanimitas, fortitudo, devotio, etc. Haec vera sunt, ast non quatenus separati sunt ab Ecclesia, sed quoadusque in bona fide maneant.

Et hoc valde premendum est, nisi velimus plures confundere qui forte ad Ecclesiam iam alliciebantur. Econtra, de catholicis, non tot virtutes numerantur, sed potius eis gravis animadversio fit quod tepiditate et peccaminosa vita haud parvo offendiculo sunt pro carissimis fratribus separatis. Hoc non satis aequum videtur.

Quibus omnibus consideratis, modus est: quod schema redeat ad Secretariatum et denuo reficiatur iuxta has animadversiones. Dixi.

5

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Venerabiles Patres,

Loquor nomine proprio et in nomine aliquorum episcoporum Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis.[1]

In genere schema *de Oecumenismo* nobis perplacet quia bene respondet necessitati exprimendi consectaria practica « aggiornamento » Ecclesiae.

Theologice necnon historice significat terminum finalem contra-Reformationis cum polemicis eius infaustis. Spiritualiter nos coget ut examinemus caritatem nostram et aestimationem erga fratres in Christo a nobis seiunctos ob differentias doctrinales. Pastoraliter urget ut per orationem, studium, dialogum et actionem illam diem festinemus in qua omnes in Christo unum fient.

1. Attamen, lacunae sunt in textu proposito. *Cum gaudio recepimus nuntium hodiernum de cap. V, nempe « de libertate religiosa », et exspectamus crastina eius distributionem.*[2] Sine declaratione tali, fiducia mutua impossibilis erit et dialogus serius praecludetur. Cum consideremus libertatem religiosam esse fundamentum et praerequisitum relationum oecumenicarum cum aliis corporibus christianis, strenue urgemus ut tractatio de hoc subiecto incorporetur intra schema ante considerationem exercitii oecumenismi. Ut talis tractatio sit digna deliberatione conciliari et valoris oecumenici, non debet profluere ex motivis mere expedientibus. Declaratio nostra fundatur solide in principiis theologicis. Oportet incorporari considerationes de libertate absoluta actus fidei; de dignitate humanae personae necnon eius conscientia inviolabili; ac de incompetentia totali gubernii civilis in iudicio ferendo super Evangelium Christi et eius interpretationem. Proinde declaratio haec reaffirmabit independentiam completam Ecclesiae ab ullo gubernio civili in adimplenda eius missione.

2. Schema deficit in principiis oecumenismi exponendis. Eucharistiae celebratio sicut signum et causa unitatis Ecclesiae clarius appareat. Liturgiae significatio et eius renovatio in vita Ecclesiae sunt magni momenti oecumenici et hoc momentum in textu explicite declaretur. Affirmatio explicita de validitate Ordinum et sacramentorum Ecclesiarum orientalium cum quibus ecclesiastica communio infauste interrupta est etiam inveniatur in hoc schemate.

3. In quantum est possibile, terminologia forsitan offensiva fratribus seiunctis removeatur in emendationibus a commissione faciendis. Sine iudicio de validitate Ordinum et Eucharistiae celebrationis eorum, enixe rogamus ut designatio « Ecclesiae » non negetur corporibus christianis in textu sic dictis « Communitatibus ».

4. Utrum necne cap. IV sensu stricto pertineat schemati *de Oecumenismo,* talis declaratio nobis valde placet et clare pertinet fini proposito huius Concilii.

5 et ultimo. Oecumenismus obnoxius est periculis communibus omnium motuum viventium. Oecumenismus potest confundi cum rigiditate suavi; potest fieri sterilis ob intellectualismum excessivum; potest verti in indifferentismum. Ad evolvendum Oecumenismum effectivum sincere optamus Directorium de exercitio Oecumenismi. Suggestiones practicas ad conficiendum tale Directorium secretario tradamus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Imprimis, schema indiget declaratione inaequivoca de libertate religiosa.

[*Approbaverunt*] exc.mi Paul Schulte, arch. Indianapolis; Floyd Begin, ep. Oakland; Charles Helmsing, ep. Kansas City-St. Ioseph; Charles Buswell, ep. Pueblo; Leo Burne, ep. tit. Sabadia; Marion E. Forst, ep. Dodge City; Glennon P. Flavin, ep. tit. Janina; Stephen Leven, ep. tit. Bure; die 17 novembris 1963, 91 ex 120 episcopis ex hierarchia episcopatus in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis adunatis approbaverunt interventionem.

6

EM.MUS P. D. IOSEPH HUMBERTUS CARD. QUINTERO
Archiepiscopus Caracensis

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres, humanissimi Observatores,

Si prae oculis habeamus totius mundi exspectationem ex eo tempore quo prima huius Concilii celebrationis notitia propagata est, gravitas argumenti nunc disceptandi perspicue apparebit, quippe quod omnes gentes crediderunt praecipuum Concilii propositum futurum esse instaurationem unitatis inter ecclesias quae nomine christiano honorantur, et hanc spem adhuc retinent. Ideo supervacaneum erit in consideratione magni momenti schematis *de Oecumenismo* morari.

Genus humanum diebus nostris unitatem in omni ordine quaerere videtur. Ad hanc adipiscendam ipsa scientifica huius aetatis inventa, quae populorum communionem alacrem et facillimam reddiderunt, nemo non videt contendere. Sed est in ordine spirituali, immo in ordine religioso ubi maiori vi unitas exoptatur, ita ut iustissime dicere possimus desiderium Domini Nostri Iesu Christi de uno ovili unoque Pastore universale iam evasisse. Ecclesia, de aeterna animarum salute semper sollicita, studium et operam suam sedulo conferre vult, ut ad eam unitatem tandem aliquando homines perveniant, quemadmodum praesens schema attestatur.

Interior Ecclesiae renovatio, conversio cordis et sanctitas vitae in hoc schemate statuuntur tamquam necessaria veri oecumenismi fundamenta. Hoc modo efficitur ut ante omnium oculos Ecclesiae venustas palam splendeat et advenas alliciat, cum magno attrahendi robore praedita sit pulchritudo. Sed haec, iuxta notam definitionem, nihil aliud est quam splendor veri, et proinde Ecclesia veritatum thesaurum exhibeat oportet, veritatum dico non solum quae in fidei deposito continentur, sed etiam omnes alias cum ipsa Ecclesia connexas, inter quas veritates historicae procul dubio annumerantur.

Plerumque, ubi de originibus separationum ab Ecclesia quae in saecu-

lorum cursu evenerunt inter nos agitur, totam omnino culpam auctoribus iacturarum attribuere solemus. Sed si illa vetera facta, « tranquilliore sine ira et studio indagatione », ut verbis Pii XII utar, perscrutentur et perpendantur, ab ista separationum culpa nos plene innocentes minime fuisse opus est confiteri. Sic, ut unum tantum afferam exemplum, in Reformatione saec. XVI infeliciter peracta, vitam a perfectione et virtutibus christianis abhorrentem plurimorum praesulum, quos cum amore renatarum litterarum moribus paganis indulgere non pudebat, partem certe non parvam in illa Ecclesiae fractura habuisse agnoscere debemus. Postea, cum ad veritatem tuendam et vindicandam acriter disputare necesse fuit, regula illa a caritate statuta, vi cuius si odio habendi sint errores, amore prosequendi sunt errantes, non semper et ubique est servata. Hae sunt rugae, quibus humana infirmitas pulcherrimum Sponsae Christi vultum aliquantulum deturpavit.

Cum nunc vera reconciliationis voluntate moveamur, rectum initium oecumenismo dabimus, non tegendo sed humiliter confitendo quam habuimus in praeteritis seiunctionibus culpam; tantum opus feliciter ingrediemur, non imitando agendi rationem pharisaei parabolae, qui sese ab omni labe immunem profitebatur, sed cum humili publicano pectora nostra submisse percutiendo. Quod quidem egregie iam fecit in hac ipsa aula, in oratione qua hanc secundam Concilii periodum aperuit, B.mus Pater noster Paulus VI. Omnes vos certe animadvertere potuistis, tremula et altiore voce qua tunc Pontifex usus est, eius commotionem ex imo animo erumpentem, manifestum signum sinceritatis qua loquebatur.

His breviter et simpliciter dictis, liceat mihi innuere ut in hoc schemate, loco opportuniore, addatur declaratio, qua Sacra Synodus, discessiones in dominico grege hucusque habitas deplorans et vestigiis B.mi Patris Pauli VI inhaerens, a Fratribus separatis veniam petat, si iniuriam a filiis Ecclesiae se accepisse putent, simulque testetur Ecclesiam, matrem perpetuo benevolam, iniurias ipsam illatas penitus et peramanter condonare. Dixi.

7

EM.MUS P. D. PETRUS TATSUO CARD. DOI
Archiepiscopus Tokiensis

Venerabiles Fratres, carissimi Observatores,

Liceat mihi pauca dicere ad schema propositum, nomine etiam ceterorum episcoporum Iaponiae.

Schema in genere placet, gratiaeque agendae sunt Secretariatui « ad

unitatem Christianorum fovendam » pro eius elaboratione. Sequentia tamen proponenda censemus ad schema ulterius perficiendum.

Problema Oecumenismi videri debet etiam sub respectu « missionario », i. e. sub respectu populorum qui adhuc maxima ex parte non sunt christiani. In istis populis, praeter Ecclesiam catholicam, pro propagatione fidei christianae laborant multae aliae denominationes christianae, quae opera etiam culturalia et socialia magni momenti sustinent.

Divisio christianorum sine dubio est nobis magnum impedimentum pro diffusione doctrinae evangelicae, et valde difficile est hominibus non-christianis rationes istius divisionis explicare. Ideo conatus Oecumenismi, quibus coram non-christianis mitigatur scandalum huius divisionis, sunt etiam magni momenti pro propagatione fidei catholicae.

Praeterea, in variis sphaeris vitae culturalis et socialis, cooperatio efficax omnium christianorum desideranda est, ut spiritus christianus magis in dies illos populos pervadat.

Insuper, brevis mentio facienda videtur magnorum systematum religiosorum et ethicorum, quae per multa saecula influxum profundum exercuerunt in populos non-christianos, ut, v. g., apud nos Buddhismus et Confucianismus. Breviter ergo ostendatur quod Ecclesia catholica debito modo aestimat germina veritatis in iisdem contenta quibus nempe secundum consilia Providentiae ad Christum praeparare videntur; et quod Ecclesia, per praedicationem doctrinae evangelicae, altissimis eorum aspirationibus satisfacere intendit.

Pariter asserendum est quod catholici erga concives non-christianos utpote homines bonae voluntatis sincerum animum aestimationis et amoris fovent et cum eis pro bono communi patriae et totius societatis humanae libenter cooperari parati sunt.

Conclusio. – Proponimus ergo sequentia:

1. Ut schema subdividatur in sectionem de Oecumenismo proprie dicto et in aliam de habitudine catholicorum ad Iudaeos et ad ceteros homines non-christianos; fundamentum enim theologicum differt quoad singula.

2. Ut in cap. I, clarior mentio fiat momenti Oecumenismi in terris non-christianis.

3. Ut titulus cap. IV mutetur ita: « De catholicorum habitudine ad Iudaeos et ad ceteros non-christianos ».

4. Ut in cap. IV, post tractationem de Iudaeis, addatur nova paragraphus de habitudine catholicorum ad ceteros homines non-christianos. Dixi.

8

BEAT.MUS P. D. STEPHANUS I SIDAROUSS
Patriarcha Alexandrinus Coptorum

Venerabiles Patres,

Schema circa oecumenismum omnium fere christianorum expectationi respondet. Desiderium enim unitatis fidelium instaurandae magis magisque animos pervadit. Attamen quo ferventius desideratur unitas, eo difficilius apparet viam invenire quae ad illam conducit. Quod quidem inde etiam probatur quod et in documentis pontificiis non raro iam de « falso irenismo » sermo factus fuit. Inde necessitas elucet perspicuae et certae in hac materia doctrinae; quam tamen schema nobis propositum non sufficienter exhibere videtur. Capita enim doctrinae essentialia, quorum elementa a conciliorum oecumenicorum definitionibus et a magisterio ordinario declarata extant, confuse hic aut inadaequate exponuntur. Ita, v. g., primatus Petri eiusque successorum, qui visibilis unitatis radix est et fundamentum, ipsa essentialis et indefectibilis unitas in qua Christus suam condidit Ecclesiam, notio « communionis catholicae », quae huius unitatis exercitium et externa manifestatio est, ita declarantur ut interpretationibus doctrinae catholicae non consentaneis, aperta fere maneat via. Ipsa oecumenismi definitio quae pag. 10, linn. 32-35 exhibetur insufficiens omnino est. Oecumenismus « motus ibi esse dicitur et ordinata actio ad illam christianorum unitatem fovendam quam Iesus Christus a caelesti Patre flagrantibus postulavit precibus ». At *ordo actionis* et ipsa *notio unitatis* inter christianos fovendae aliter atque aliter non solum a catholicis et ab acatholicis intelligitur, sed etiam inter ipsos catholicos non omnes invenit consentientes; ex quo et ille oritur « irenismus », a quo nobis cavendum documenta praemonent pontificia.

Maturae considerationis iste defectus causa fortasse fuit cur in schemate qui de oecumenismo seu, prout in definitione exposita declaratur, de *christianorum* unitate fovenda agendum est, integrum caput genti consecratur *iudaicae,* de qua si quid forte declarasse iuvabat non erat hic locus, ubi de *christianorum* agitur unitate.

Praesens praeterea rerum publicarum conditio talis est quae, nedum huius Concilii sensus supernaturalis caritatis in hoc cap. IV exarando omnibus eluceant, interpretationibus aut inadaequatis, aut a mente Concilii omnino alienis locum dabit, idque cum certo fidelium damno.

Cap. autem IV declarationes eo minus necessariae apparent cum occasione angustiarum et persecutionum quibus sive hebraica sive aliae gentes obnoxiae fuerunt et solemnibus datis documentis et praesertim *operibus* qui periculo et sacrificiis certo non carebant, Ecclesia catholica suos erga omnes gentes et caritatis et iustitiae sensus palam demonstravit.

Meminisse praeterea iuvabit Patres in hac eadem aula a quibusdam argumentis sive doctrinae socialis sive de relationibus inter Ecclesiam et Statum tractandis abstinuisse ne Ecclesiae catholicae conditio in quibusdam regionibus difficilior evaderet. Sententiam ab em.mo card. Gracias in hac aula prolatam liceat in memoriam revocare: " We will have to face the music ... ". *Nos* debemus difficultatibus obviam ire!

Quod quidem facere parati sumus et facimus ubi urget necessitas. Casum autem praesentem necessitatem huiusmodi prae se ferre nullo videtur probari argumento. Dixi.

9

BEAT.MUS P. D. MAXIMUS IV SAIGH
Patriarcha Antiochenus Melchitarum

Vénérables Pères,

Au sujet du schéma *de Oecumenismo* pris dans son ensemble, nous tenons d'abord à exprimer notre vive satisfaction. Nous croyons que c'est le premier schéma soumis à l'examen des Pères conciliaires qui unisse, de façon nuancée, la densité doctrinale et le sens pastoral. Même retouché dans certains détails, nous croyons qu'il peut être admis par tous comme une base excellente de discussion.

Parmi les qualités qui le recommandent à notre approbation, certaines méritent d'être relevées brièvement:

1. Ce schéma est le signe que nous sommes enfin sortis, nous catholiques, de la période de polémique stérile, soit à l'égard de nos frères orthodoxes d'Orient, soit à l'égard des communautés issues de la crise du XVI[e] siècle, polémique qui a trop influencé un développement unilatéral de la théologie, de la discipline et même de la spiritualité.

2. Dans la même ligne d'idées, ce schéma est le signe que nous nous sommes décidés à quitter les impasses d'un faux prosélytisme, qui se fixe pour but d'affaiblir son frère, pour entrer dans la voie de l'émulation évangélique et de la sincérité du témoignage de la foi dans la charité, restant toujours sauve la liberté de la conscience sincère.

3. Ce schéma reflète aussi ce que le regretté Pape Jean XXIII et Sa Sainteté le Pape Paul VI ont recommandé par leur exemple et leurs paroles: savoir reconnaître ses torts, ce qui ouvre les cœurs au dialogue et à l'œcuménisme.

4. Mais surtout nous tenons à exprimer publiquement notre joie et — nous en sommes certains — celle de nos frères orthodoxes, en voyant enfin dans *le* [1] schéma la première entrée, encore un peu timide mais franche et officielle, d'une vraie théologie de l'Eglise, qui n'a jamais cessé d'être celle de toute la tradition orientale: l'Eglise est avant tout un mystère de Communion: Communion du Père et du Fils dans l'Esprit Saint qui, jaillie de la Résurrection du Christ, est répandue sans cesse par l'Esprit vivifiant, à travers la divine Liturgie, dans tous les membres du nouveau Peuple de Dieu.

Ces mérites ne doivent pourtant pas masquer certaines déficiences ...[2]. Qu'ils nous soit permis de les signaler:

1. Ce schéma semble *un peu trop descriptif*. On aimerait que la présentation fût aussi *plus critique,* en allant des vraies causes aux remèdes appropriés.

2. *Ce* [3] schéma est encore trop dépendant des causes de divisions, surtout des causes théologiques, qui ont agi *autrefois*. Or, tant en Orient qu'à l'égard de nos frères anglicans et protestants, les difficultés d'autrefois ont souvent disparu, mais d'autres difficultés nouvelles ont surgi *depuis* la séparation. Il faudrait en tenir compte davantage, et dans une saine perspective critique.

3. Dans une perspective d'union, il faudrait peut-être aussi ne pas être uniquement retenu par les divisions qui touchent à la structure de l'Eglise, mais signaler qu'à l'intérieur de toutes les communautés chrétiennes, des brisures quotidiennes agissent contre l'unité, c.-à-d. le péché qui tue la charité...[4]

4. ...[5] Enfin, nous devons dire ici clairement — et cela est très important — que le chap. IV de ce schéma qui nous a été récemment distribué, est absolument hors sujet. L'œcuménisme est un effort pour la réunion de toute la famille chrétienne, c.-à-d. le remembrement de tous ceux qui sont baptisés dans le Christ. C'est donc une affaire de famille, strictement intime. Les non-chrétiens ne sont donc pas en cause. Et l'on ne voit pas ce que les juifs viennent faire dans l'œcuménisme chrétien, et pourquoi on les y a introduits.

En outre, il est gravement offensant pour nos frères séparés, qu'on semble traiter sur le même pied que les juifs.

Ce chap. IV doit donc d'urgence être enlevé du schéma *de Oecumenismo.*

Si l'on tient cependant à le conserver pour une cause que nous ignorons, il faut *a*) d'abord l'insérer dans un autre schéma où il serait mieux à sa place, par exemple dans le schéma *de Ecclesia* en parlant de l'histoire du salut ou dans le schéma en préparation sur la *présence de l'Eglise dans le monde,* comme témoignage de l'Eglise contre les racismes...[6]

b) Ensuite, si l'on *veut parler*[7] des juifs, il faut aussi parler des autres religions non-chrétiennes, et surtout des musulmans, qui sont au nombre de 400 millions et au milieu desquels nous vivons en minorité. *Un proverbe arabe dit*: « *Celui qui reçoit les coups n'est pas comme celui qui les compte* ».[8] Soyons *donc*[9] justes et logiques *avec nous-mêmes.*[10] Si nous voulons désavouer l'antisémitisme — et nous le désavouons tous — une petite note condamnant et l'antisémitisme et la ségrégation raciale aurait suffi. Inutile de créer dans le monde une agitation nuisible.

En conclusion, et en redisant notre accord substantiel avec le schéma, nous soulignerons deux points:

1. Le caractère absolument spécifique de nos relations avec nos frères orthodoxes, ce qui légitime la place particulière que leur consacre le chap. III, dans son par. I. Nous aurions tous besoin de retrouver le sens authentique de l'Eglise, qui était celui de nos Pères, orthodoxes et catholiques. Jadis, personne n'aurait osé parler d'une Eglise catholique et d'une Eglise orthodoxe: on ne reconnaissait qu'une Eglise, une et indivisée, même si quelques-uns de ses membres étaient temporairement divisés avec des « responsabilités partagées », comme l'a dit Jean XXIII. A Lyon et à Florence, quoi qu'on pense de ces Conciles d'union, nos frères les Evêques orthodoxes prenaient part au Concile en tant que membres; et leurs places vides ici devraient être pour nous un déchirement douloureux, et un appel encore plus pressant à retrouver la pleine communion dans la charité.

2. C'est pourquoi nous faisons nôtre le vœu exprimé à l'unanimité lors de la dernière conférence panorthodoxe de Rhodes, de voir s'établir le plus rapidement possible un dialogue permanent et à égalité entre les frères orthodoxes et les catholiques. Nous souhaitons que le Secrétariat pour l'Union des Chrétiens instaure efficacement ce nouveau contact permanent et direct. Que toute passion humaine se taise pour entendre la seule voix du *Christ.*[11] Le Peuple Chrétien est impatient, de l'impatience de l'Esprit. Nous avons à nous ouvrir largement à ce souffle divin qui, d'une vallée d'ossements desséchés, comme l'a dit le prophète Ezéchiel,[12] fera un peuple vivant, saint, uni dans la foi pour glorifier la Trinité Sainte: Père, Fils et Saint-Esprit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ce. [2] communes à l'ensemble de ce schéma. [3] Le. [4] Aux yeux de Dieu et du Christ qui nous jugera sur l'amour, ces ruptures, souvent invisibles, sont certainement plus graves que l'état sociologique où chacun de nous se trouve en naissant dans tel ou tel groupe chrétien. [5] Nous signalons aussi un défaut de forme, susceptible d'être amélioré. A certains passages, on ne sait plus s'il s'agit de la description des caractères de nos frères, ou bien d'un message qui leur est adressé, ou bien d'une exhortation destinée aux seuls catholiques. L'unité de forme pourrait être facilement assurée si l'on se plaçait toujours dans la perspective, non d'un Concile d'union, mais d'un Concile de rénovation de l'Eglise catholique, ce qui est le premier pas, toujours à refaire, de la rencontre avec nos frères. 5. [6] de toute sorte. [7] parle. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] Seigneur. [12] (37, 11).

Moderator: Exc.mus secretarius generalis communicabit nunc exitum suffragationis hodie peractae circa modos in prooemium et cap. I *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis: Circa prooemium et cap. I schematis *de sacra Liturgia*:

Praesentes votantes		2.090
Dixerunt	*placet*	2.066
	non placet	20
	placet iuxta modum (pro hac vice, nullum)	1
Suffragia nulla		3

Ergo prooemium et cap. I iterum probatum est.

Modi circa cap. II, quorum fasciculus hodie distribuendus erat, non possunt exhiberi Patribus hoc mane, quia tantummodo nunc habuimus prima exemplaria ex typographia. Distribuentur crastina, ita ut suffragatio fiat feria IV.

Moderator: Proxima congregatio generalis habebitur crastina, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LXX
19 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXX
19 novembris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur disceptationem *de Oecumenismo* in genere, in hac LXX congregatione generali, em.mus ac rev.mus D. card. Petrus Gregorius Agagianian.

In hac congregatione generali distribuetur fasciculus continens modos super cap. II schematis *de sacra Liturgia,* nempe « De Sacrosancto Eucharistiae Mysterio ». Modi propositi super cap. II, modi scil. qui suffragationi subiciendi erunt, sunt tres, ut poteritis legere in fasciculo mox distribuendo. Igitur circa unumquemque modum fiet suffragatio per *placet* et *non placet.* Dein habebitur suffragatio circa quaesitum generale, quoad cap. II uti patet, et quaesitum generale sic sonat: « An placeat expensio facta a commissione circa modos reliquos articulos cap. II respicientes ». Omnes hae suffragationes fient crastina, prout nuntiatum est.

Pariter in hac congregatione distribuetur cap. V schematis decreti *de Oecumenismo,* quod inscribitur « De libertate religiosa » [*cf. p. 433*]; et sic totum schema *de Oecumenismo* quinque capitibus completum est.

Nunc lego nomina eorum qui loqui postulaverunt de schemate Oecumenismi in genere: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Aemilius Léger, arch. Marianopolitanus in Canada; Franciscus König, arch. Vindobonensis in Austria; Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaënsis in Tanganyika; beat.mi Albertus Gori, patr. Hierosolymitanus Latinorum; Ignatius Petrus XVI Batanian, patr. Ciliciae Armenorum; exc.mi DD. Gabriel Garrone, arch. Tolosanus in Gallia; Arthurus Elchinger, ep. coad. Argentinensis in Gallia; Ioannes McQuaid, arch. Dublinensis in Hibernia; Carolus de Provenchères, arch. Aquensis in Gallia; Angelus Jelmini, adm. ap. Luganensis in Helvetia; Andreas Sapelak, ep. visit. ap. pro Ucrainis in Argentina; Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus in Hispania; Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifatii in Canada; Ioannes Heenan, arch. Vestmonasteriensis in Anglia; Ioannes Weber, arch.-ep. Argentinensis in Gallia; Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis in Mexico; Robertus Chopard-Lallier, praef. ap. Parakuensis in Dahomey; Andreas Jacq, ep.

tit. Cerasenus in Vietnam; Antonius Ferreira, ep. Portugallensis in Lusitania; Bonaventura de Uriarte, vic. ap. S. Raymundi in Peruvia; Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania; Hermenegildus Florit, arch. Florentinus in Italia; Ioannes Carolus Aramburu, arch. Tucumanensis in Argentina; Iosephus Höffner, ep. Monasteriensis in Germania; Ioannes Hervás, ep. prael. Cluniensis in Hispania; Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum; Andreas Hamvas, ep. Csanadiensis in Hungaria; Fortunatus da Veiga, ep. coad. Belgaumensis in India; Emmanuel Pius López, ep. Jalapensis-Veracrucensis in Mexico.

Moderator: Venerabiles Patres, antequam prosequamur disceptationem de schemate in genere et cap. I *de Oecumenismo,* opportunum visum est moderatoribus ut prius legantur relationes de ceteris capitibus eiusdem schematis.

RELATIO

1. Circa cap. III paragraphum primam

Exc.mi P. D. Gabrielis Bukatko,
Arch. tit. Mecisseni, coad. c.i.s. Belogradensis

[*Cf. pp. 480-481*].

2. Circa cap. IV

Em.mi P. D. Augustini card. Bea

[*Cf. pp. 481-485*].

3. Circa cap. V

Exc.mi P. D. Aemilii Ioseph De Smedt, ep. Brugensis

[*Cf. pp. 485-495*].

1

Em.mus P. D. PAULUS AEMILIUS card. LÉGER

Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres, carissimi Observatores, fidelissimi Auditores,

Breviter et ad iudicium quidem generale tantum humillime os meum ad vos patet.[1]

Mihi primo liceat verba a Papa Paulo VI *f. r.,*[2] ultima feria V pro-

lata, citare: « Inter alios scopos, Concilium illum habet *aperiendi omnem possibilem viam* ut in unica Christi Ecclesia recomponantur variae et venerabiles communitates separatae quae nomen et gloriam Christi ferunt ».

Utile est revocare illam generosam invitationem iam pluries, etsi aliis modis, ab eodem Papa Paulo VI et prius a Papa Ioanne XXIII *sanctae memoriae* [3] factam. Iam a nuntio convocationis huius Concilii, Ioannes XXIII spiritu quasi prophetico omnes christianos ad gratiam unionis convocavit. Urgentes et maximas difficultates Papa certe non ignorabat, attamen ausus est animum christianorum erigere ad spem unitatis. Et de facto, numquam forsitan a multis saeculis verba Domini: « Ut unum sint » cum tanta claritate a christianis audita sunt.

Motum illum universalem ad unitatem christianorum nos interpretari non possumus ut meram generositatem affectivam quae mox evanescet. Haec nova dispositio mentis revera ab Evangelio inspiratur, a Spiritu Sancto procedit, nec ab ea recedere possumus.

Unde videtur quod, tantam habentes impositam nubem testium, curramus ad propositum certamen — ut aiebat apostolus — et conversationem seu motum ad alias communitates christianas non aequivociter, sed revera ut realitatem supernaturalem consideremus.[4]

Verum est nos adhuc aliquo timore affici, praesertim si *aspicimus* [5] mutationes practicas quas ista conversio spiritualis — ut auderem dicere — *a nobis requirit.*[6] Quis hoc mirari posset? Pondus historiae superare debemus. Prudentiae merae exspectationis, nunc praeferre debemus prudentiam novam magis positivam, prudentiam *a dialogo requisitam.*[7] Prudentia quae non ad solam tuitionem sed et ad unionem tendit, prudentia vera est et catholica.

Schema *de Oecumenismo* mihi placet in hoc quod illam amplam *et quidem, ut sincere dicam, arduam ac* [8] prudentem viam aperire vult unitati christianorum. Immo schema, *et quidem in genere uti iacet,*[9] mihi necessarium videtur quia pastoribus et fidelibus principia praebet quibus in praesentibus adiunctis indigent. Munus erit episcopatus uniuscuiusque regionis illa suis propriis necessitatibus aptare.

Nunc duas difficultates proponere vellem:

1. Generaliter assentio eis quae dicta sunt de defectu homogeneitatis in materia huius schematis. Oportet ut hoc schema, quod titulum habet *de Oecumenismo,* de oecumenismo tantum seu de unitate christianorum tantum tractet. Ergo non inseri deberent in hoc decreto cap. ...[10] « De Iudaeis », ...[11] « De libertate religiosa ». Sane, gaudeo de hoc quod *ista schemata de Iudaeis et* [12] de libertate religiosa proximis diebus in aula *disputatura sint.*[13] Dum momentum oecumenicum *horum capitum* [14]

agnosco, puto tamen melius esse *illa ut schemata per se stantia*[15] proponere. Doctrina enim quae in *eis*[16] proponitur valet pro omnibus religionibus, non specialiter autem pro christianis.

2. Altera mea difficultas refert ad secundam partem cap. III. Opinione mea, systematica descriptio communitatum christianorum vitari deberet in officiali decreto Concilii. Sane, probare debemus conatum omnem ut melius in luce et in honore ponantur « germani veritatis vitaeque spiritualis thesauri » (*sunt ipsa verba Pontificis regnantis*[17]) aliorum christianorum utque fideles melius illas divitias cognoscant. Attamen, talis exploratio difficillime fieri potest in congregatione generali Concilii et praeterea, in tali materia, expositio accurata quae digna sit decreto conciliari magna pericula offert. Tum complexitas eventuum historicorum quibus ortae sunt dissensiones in Ecclesia, tum magna diversitas communitatum christianorum nos invitant ut prudenter abstineamus ab interpretando, ut ita dicam, *officialiter* historiam praeteritam vel etiam hodiernum statum rerum. Habetur periculum simplificandi res quarum expositio maiorem subtilitatem requireret periculumque aequitatem non perfecte observandi erga alios christianos.

Praeterea, elementa illa quae in secunda parte cap. III systematice exponuntur, iam alio modo innuuntur in art. 2 cap. I. Quod sufficere mihi videtur dummodo ille art. 2 quibusdam additionibus augeatur et perficiatur.

Itaque, quoad communitates christianas a saec. XVI separatas, propono ut systematica expositio illarum propriae conditionis in quadam appendice transferatur utque abstineamus a discussione in congregatione generali de illa appendice. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] consideramus. [6] exigit. [7] dialogi. [8] sed. [9] deest. [10] IV. [11] et V. [12] schema. [13] disputaturum sit. [14] huius capitis. [15] illud ut schema per se stans. [16] eo. [17] deest.

2

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. KOENIG
Archiepiscopus Vindobonensis

Venerabiles Patres,

Textus schematis *de Oecumenismo* mihi omnino correspondere videtur scopo et intentionibus Concilii Vaticani II iam a Papa Ioanne XXIII stabilitis et a Summo Pontifice nostro Paulo VI solemniter confirmatis.

Concilium nostrum semper et in omnibus prae oculis habere debet omnes conatus faciendos esse, qui nobis secundum conscientiam nostram possibiles sunt, ut unio christifidelium a Christo enixis precibus a Patre postulata facilior reddatur.

Secundum verbum Papae Ioannis XXIII unio nequit sperari, nisi praecedat aliquod « avvicinamento », *uti dixit,*[1] omnium christianorum. Ad id obtinendum hoc schema mihi optime conferre videtur. Quapropter illud ut fundamentum aptum pro disceptatione conciliari commendare vellem.

Ut autem intentio huius schematis clarior adhuc appareat et textus perfici possit, quaedam puncta exponere mihi liceat.

1. Notandum est voces « oecumenicum », « oecumenismus » decursu temporis diversas et bene distinguendas significationes habuisse et hodie quoque habere. Ut clare eluceat, quonam sensu in nostro schemate conceptus oecumenismi adhibeatur, illae diversitates observandae sunt et has observationes scriptis secretario generali tradam...[2]

2. Laudandum est in schemate aperte affirmari hic non quemlibet oecumenismum exponi, sed oecumenismum *catholicum.* Hoc quidem in titulo generali schematis nondum exprimitur, sed in titulo cap. I aperte et explicite affirmatur...[3]

Exponendum esse in nostro schemate oecumenismum *catholicum* seu principia oecumenismi catholici, manifestum est. Nam tota cogitatio et actio oecumenica uniuscuiusque communitatis christianae essentialiter et necessario pendet ab Ecclesiologia sua et in specie a doctrina de unitate Ecclesiae, quam Christus vult.

Certe Ecclesiologia catholica et in specie doctrina catholica de unitate Ecclesiae a Christo desiderata non toto caelo differt a respectivis doctrinis ceterarum communitatum christianarum, sed in quibusdam et quidem fundamentalibus et essentialibus cum ipsis concordat. Sunt vero sine dubio in doctrina catholica de Ecclesia elementa, quae pro ipsa sunt specifica et distinctiva relate ad alias communitates christianas.

Haec elementa distinctiva, quae postulant quoque oecumenismum distinctum catholicum, certe in schemate non tacentur. Secundum opinionem vero meam, *ex una parte* haec apertius et distinctius adhuc afferri deberent in schemate, ut nullus sit locus ambiguitatis et ne aliis christianis videamur nos imponere velle ipsis nostram conceptionem oecumenismi et damnare conceptionem, quam ipsi secundum doctrinam et conscientiam eorum propriam defendunt.

Ex altera parte necesse est, ut oecumenismus noster catholicus non appareat ut systema aliquod clausum et undequaque iam perfectum et absolutum. Invenimur nempe tantum in initio alicuius motionis, cuius

auctor et primum principium ipse Spiritus Sanctus est. Certe nemo nostrum ante triginta annos hodiernam motionem oecumenicam exspectasset. Mihi persuasum est quod Christus per Spiritum Sanctum suum *etiam mediante dialogo* secundum principia catholica cum non-catholicis in caritate non ficta instituto nos in profundiorem cognitionem veritatis suae ducet et novos aspectus manifestabit etiam relate ad oecumenismum.

Sed haec evolutio nostri oecumenismi a Spiritu Sancto exspectanda et oratione indefessa postulanda in praesenti textu schematis nondum satis commemorata esse videtur.

3. Saepius in toto schemate, dum communitates christianorum orientalium seiunctorum iure meritoque Ecclesiae vocantur, coetus aliorum christianorum seiunctorum tantum « communitates » appellantur. Mihi quidem persuasum est secundum doctrinam catholicam distinctionem faciendam esse inter illas communitates, quae episcopis valide ordinatis cum successione apostolica reguntur et omnia sacramenta valida possident, ex una parte, et alias communitates, quae successione apostolica et valida ordinatione episcopali et sacerdotali non gaudent et non omnia septem sacramenta agnoscunt.

Mihi tamen videtur solam vocem « communitates » non satis exprimere veritates et elementa ecclesiastica, quae etiam hae communitates divina gratia retinent atque in doctrina et praxi sua maxime aestimant, illis conferre indolem vere ecclesialem. Elementis illis socialibus-ecclesiasticis coetus inde a saec. XVI ortae constituuntur communitates christianae et ecclesiales tales, ut membra eorum non tantum *in* illis veritates christianas et gratiam Christi accipiant, sed mediantibus et adiuvantibus illis communitatibus inquantum sunt communitates elementis ecclesiasticis informatae. Propono ergo, ut ubicumque textus schematis hoc fert, non dicatur tantum « communitates », sed « communitates *ecclesiales* ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Ecclesia essentialiter missionaria est, cum ex ipso fine suo habeat missionem universalem erga totam humanitatem. Ad mentem ipsius Sacrae Scripturae haec missio universalis Ecclesiae eo sensu oecumenica vocari potest, quod Ecclesia a Christo missa est ad duas illas partes, quibus secundum considerationem oeconomiae salutis a Sacra Scriptura adhibitam constituitur humanitas, ad Iudaeos scil. et gentiles. Hic sensus vocis « oecumenicum » correspondet significationi antiquissimae et largissimae vocis « oikumene », qua in antiquitate designabatur ambitus universalis terrae habitatae.

Recentioribus temporibus vero, quando prima conamina reconciliationis christianorum separatorum in occidente facta sunt, alius sensus vocis « oecumenismi » apparet. Usus huius novi sensus incipit saec. XVIII et inde a saec. XIX semper ma-

gis evolvitur et diffunditur. Verbum « oecumenicum » nunc adhibetur ad exprimendum desiderium unitatis inter christianos et inter ecclesias ortum ex conscientia ligaminum fundamentalium existentium in familia christianorum mundi universi non obstante statu divisionis eorum.

Secundum modo dicta ergo *missio oecumenica duplici sensu* existit: ex *una parte* scil. missio Ecclesiae continuantis missionem Christi, qua reconciliationem in cruce peragens ex Iudaeis et Gentibus unum Populum Dei constituit; ex *altera parte* missio Ecclesiae specifica reconciliationis christianorum separatorum. Secunda haec missio in prima fundatur et radicatur. Munus reconciliandi Iudaeos et Gentiles respicit totam humanitatem consideratam ut familiam separatam peccato. Munus vero reconciliationis christianorum respicit familiam christianorum separatam culpis specificis, quae causae divisionum erant et sunt.

Actio reconciliatrix Ecclesiae respiciens christianos separatos pars specifica est missionis generalis Ecclesiae, quae essentialiter est missio reconciliatoria. Actio autem Ecclesiae non omnino eadem est, si agitur de reconciliandis non-christianis cum Deo in Christo vel de reconciliandis christianis inter se, quamvis relationes inter has duas actiones existant. Prima illa actio vocatur actio *missionaria,* secunda vero *oecumenica* sensu stricto.

Prae oculis ergo habendum est in schemate nostro vocem « oecumenicum » non adhiberi sensu antiquiore largo, sed sensu hodierno stricto. [3] (de oecumenismi catholici principiis).

3

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA

Episcopus Bukobaënsis

Venerabiles Patres,

Hoc schema *de Oecumenismo* nobis placet pro motivis iam allegatis a pluribus oratoribus, et congratulationes Secretariatui pro unitate christianorum fovenda cum ingenti gaudio praebemus.

Sed aliqua breviter dicam desuper Oecumenismi exercitio, primo relate ad sensus seu attitudinem ipsius cordis ex parte nostra, secundo relate ad principium quod materiam et ambitum ipsius oecumenismi definire debet.

1. Apparuit benignitas Salvatoris nostri et haec est attitudo fundamentalis quae semper et ubique prae oculis et in vita christianorum elucescere debet. Sed quid connotat? Humilitatem, mentem apertam, amorem verum, ex corde ipsius Christi defluentem, et si haec omnia valent iam circa omnes homines quos Deus vult salvos fieri, et a fortiori pro illis qui iam signo fidei mirabiliter notantur.

Humilitas requiritur. Nam fidei donum divinitus collatum est. Quid habes quod non recepisti? ...[1] Gratias ergo agamus Deo pro suis donis,

sed humiliter et cum obsequio et reverentia omnes homines tractandi sunt. Erga omnes praeiudicium favoris scil. bonitatis et benevolentiae exercendum est sine confusione et sine falso irenismo. In *campo missionali* iam norma exsistit, traditionalis quae ab origine Ecclesiae agnita est: videte v. g. opera S. Iustini et aliorum Patrum Ecclesiae; et haec norma est: *Quidquid verum, quidquid bonum est super terram et in corde hominum, Christi est, semen Verbi est,* et possumus addere: *iam in patrimonium Ecclesiae a Christo ipso introducitur.*

Deinde *mens aperta* quae in sinceritate operatur et expurgat fermentum vetustatis et recusat imponere fratribus *nostris* [2] onera importabilia quae revera ad Ecclesiam substantialiter non pertinent et quae nonnisi a traditionibus mere humanis et accidentalibus in decursu saeculorum profluxerunt, sive propter specialem eventum localem, sive propter phaenomenon alligatum alicui civilizationi transitorium quae promissionibus aeternitatis non gaudet.

Amor denique qui flagrat corda nostra erga fratres. Caritatem habete erga omnes, aiebat S. Paulus, *maxime erga domesticos fidei.* Etenim omnes christiani, quicumque sint, ex familia Dei sunt, qui toto corde credunt et signo salvationis procedunt. Amor *est lex prima.*[3] Sed primus amor erit in veritate ipsa. Veritatem facientes in caritate. Certo certius occultare non possumus nec debemus defectus vel differentias, sed elementa quae uniunt magis in mentem revocare et confirmare debemus.

2. Quoad principium circa ambitum actionis oecumenicae hoc dicendum est:

In missionibus, ubi quotidie separatio ut drama vivitur, sicut speciei novi peccati originalis effectus et nocumenta passi sumus. Et propterea dilatato corde vidimus ortum motus oecumenici et felices exitus conventuum qui sicut in New Delhi, *Uganda,*[4] Montreal habiti sunt, et optamus ut nisus Consilii oecumenici Ecclesiarum et Secretariatus pro unitate Christianorum foveantur, et usque ut ad terminum i. e. usque ad unitatis reintegrationem perventuri sint quam primum.

Sed practice bene sermo fit de interna Ecclesiae renovatione, de conversione cordis, de oratione unanimi, de cognitione mutua meliori, sed addam aliquid de cooperatione cum *non-catholicis* [5] in his omnibus quae possibilia sunt, non solum in campo humano, sociali, technico, caritativo, culturali; *nam* [6] haec omnia et a non-christianis et pro *christianis* [7] possumus, immo debemus vel requirere vel ipsimet impendere... Adhuc magis exigatur ex natura rerum et exspectatione omnium christifidelium. Hoc principium addendum sit in ipso textu constitutionis.

Revera in ipso campo religioso magis ac magis simul debemus investigare de his quae possibilia sunt circa cooperationem inter christianos,

v. g. in ...[8] eliminatione elementorum superstitionis etc., ut nomen Christi non blasphemetur ... et omnia ad laudem gloriae gratiae redundent...[9] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] exclamat divus Paulus. [2] deest. [3] lex prima esto. [4] Kampala. [5] acatholicis. [6] deest. [7] non-christianis. [8] editione critica authentica librorum Sacrae Scripturae, in praesentatione nuntii Christi apud non baptizatos, in. [9] (*Eph.*).

4

BEAT.MUS P. D. ALBERTUS GORI
Patriarcha Hierosolymitanus Latinorum

Em.mi Patres et venerabiles Fratres,

Schema *de Oecumenismo* nobis propositum satis mihi placet quoad tria prima sua capita. Exprimit enim sinceram voluntatem Ecclesiae, promovendi unionem omnium christianorum.

Attamen, ratio habenda est etiam optimarum animadversionum, hucusque factarum, praesertim de necessaria omnino distinctione facienda inter Ecclesias orthodoxas et alias confessiones christianas, a saec. XVI separatas.

Immo laudanda est extensio explicita sollicitudinis Ecclesiae catholicae, ad omnes non-christianos. Respondet enim evidenter praecepto Christi praedicandi Evangelium omni creaturae.

Sed, iudicio meo, omnino omittenda est mentio expressa unius confessionis non-christianae prae aliis.

1. Discriminatio illa, in Concilio Oecumenico facta, foret enim iniusta et iniuriosa aliis confessionibus non-christianis praetermissis.

2. Inspectis conditionibus concretis nationum, talis modus agendi discriminativus Concilii Oecumenici, exponeret periculis evidentibus minoritates christianas in variis nationibus.

Quapropter, *meo humili iudicio,*[1] in Concilio Oecumenico, vel omnes confessiones non-christianae nominandae sunt, vel nulla. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

5

BEAT.MUS P. D. IGNATIUS PETRUS XVI BATANIAN
Patriarcha Ciliciae Armenorum

Em.mi Praesides ac Moderatores, venerabiles Patres conciliares,

Valde gaudemus eo quod, inter argumenta proposita examini et disceptationi Patrum, in hoc Concilio Vaticano II, habeatur schema *de Oecumenismo.*

Perpulchrae relationes, quas de illo audivimus heri, ab em.mo card. Cicognani et ab exc.mo arch. Martin, illud luculenter commendant.

Gravissima sane obligatio incumbit Ecclesiae catholicae adlaborandi ut oratio Christi Domini « ut sint unum » habeat suum exspectatum effectum, et finis ponatur tandem scandalo separationis christianorum.

Ideo Ecclesia invitat hierarchiam, clerum et fideles ad preces fundendas et ad dialogum instituendum cum fratribus seiunctis ea intentione ut via praeparetur ad attingendum finem quem ipsi et nos ardenter prosequimur, ut simus omnes unum in Christo Domino, formantes « unum ovile sub uno Pastore ».

Haec videtur esse genuina Oecumenismi notio, qui, iuxta dicta in schemate, « motus est et ordinata actio ad illam unitatem christianorum fovendam, quam Iesus Christus a caelesti Patre flagrantibus postulavit precibus ».

Posita primaria *hac* [1] conditione recurrendi indesinenter ad auxilium divinum quo initium datur, uti dicitur in schemate, « Oecumenismo spirituali, qui tamquam anima totius motus oecumenici revera existimandus est », debemus operam navare ad faciendum quod in nobis est.

Hac de re schema opportune invitat ad interiorem Ecclesiae renovationem ...[2] et opportunissime Ecclesiarum orientalium peculiarem considerationem prae oculis habet.

Haec omnia permeari debent caritate, ut « caritate fraternitatis invicem diligentes » ...[3], induamus nosmetipsos « benignitatem et humilitatem » ...[4], cuius mirabile exemplum dedit nobis Summus Pontifex Paulus VI, gloriose regnans, qui, hanc secundam sessionem aperiens, humili rogatu a Deo veniam petiit et ab ipsis fratribus « si iniuriam a nobis se recepisse putent ».

Ipsa autem gratissima praesentia dilectissimorum Observatorum, in hac aula conciliari, iam luculenter probat illorum rectam comprehensionem declarationis eiusdem Summi Pontificis dicentis, eadem occasione: « Ad nos quod attinet, omnino parati sumus ad condonandas

iniurias catholicae Ecclesiae illatas et ad relinquendum maerorem, quo confecta est, diuturnarum dissensionum atque separationum causa ».

Dum ergo caritate procedimus, attendendum est monitum S. Pauli: « Veritatem facientes in caritate »...[5]

Ideo, in dialogo oecumenico, caritas primarie debetur veritati quae nullimode laedi, minui, mutari vel obnubilari potest. Nam, ut optime dicit schema ...[6]: « Fides nostra integre et lucide exponatur oportet omnino. Nil ab oecumenismo tam alienum est quam ille falsus irenismus, quo puritas doctrinae catholicae detrimentum patitur vel eius sensus genuinus et certus obscuratur ».

Hoc exspectant a nobis Fratres seiuncti, idemque exspectamus ab illis. Dialogus noster debet esse caritate plenus; unusquisque tamen debet sincere et clare proponere doctrinam suam.

Hac de causa, fateor quod, in uno vel alio loco schematis principia theologiae catholicae non videntur mihi sat clare exposita.

Pag. 8, lin. 6, sermo est de « regiminis fraterna concordia » ut medium ad perficiendam et manifestandam unitatem Ecclesiae. Porro haec expressio potest intelligi de pluribus regiminibus aequalibus, quae non necessario uniuntur sub uno Capite, sed ex simplici amore concordiae, ex humana consensione.

Meo humili sensu clarius et verius esset dicere: « In unitate magisterii et regiminis ».

Idem dicendum est quando asseritur ...[7] quod fratres seiuncti illa unitate non fruuntur, quam Iesus Christus omnibus dilargiri voluit. Perpulchre Leo XIII in Litteris Encyclicis *Satis cognitum* dicit: « Exquirendumque non sane quo pacto Ecclesia una esse queat, sed quo unam esse is voluit, qui condidit ».

Eadem observatio valet de elementis essentialibus requisitis ad unitatem Ecclesiae, i. e., unitas fidei, cultus divini et regiminis, quae omnia per Primatum iurisdictionis et charisma infallibilitatis Romani Pontificis servari possunt, integre et indefectibiliter.

Arguet forte quis: « Si hoc modo proceditur, dialogus oecumenicus periculo interruptionis exponitur ».

Meo humili iudicio et propria modestissima experientia, haec difficultas non videtur respondere realitati. Etenim saepe saepius audivimus fratres seiunctos nobis dicere: « Vos catholicos beatos; quia, in dissensionibus, possidetis auctoritatem Supremam de qua potestis dicere, iuxta notum axioma, " Roma locuta est, causa finita est " ».

Oecumenismus dialogus est qui ostendere debet viam perveniendi ad terminum. Sapientis autem et prudentis est, inde ab initio viae, terminum prae oculis habere.

Porro, in colloquio permeato maxima caritate et aestimatione erga fratres seiunctos, nulla est offensio si dicitur quod debemus pervenire ad terminum, i. e., ad unionem omnium christianorum in Ecclesia Christi, quae una tantum esse potest. Atqui, haec unica Ecclesia, cum sit societas visibilis perfecta, divinitus fundata et tendens ad finem supernaturalem omnium hominum assequendum, necessario ditata esse debet illo essentiali elemento, quod omnis societas perfecta habeat oportet, auctoritate scil. suprema quae modo definitivo et securo indicet media ad finem assequendum, nec sinat ut errores causa sint deviationis a fine assequendo.

Ratio hoc exigit, omnesque scientiae iuridicae hoc supponunt. Non solum, sed in dialogo cum fratribus seiunctis, praesto sunt nobis argumenta apodictica, ut iam optime notavit em.mus card. Bea, quando disceptabatur de vocatione ad sanctitatem, ex Novo Testamento et ex communi ipsis et nobis traditione, quae in primis conciliis habetur et in scriptis Patrum, praesertim orientalium, priorum saeculorum.

Per haec tria liceat mihi concludere:

a) Rogo ut, in dialogo oecumenico, semper prae oculis habeantur verba prolata a Summo Pontifice Paulo VI, initio huius secundae sessionis Concilii: « Nos, ut oportet, fidei nostrae, quam divinam esse plane credimus, apertissime ac firmissime adhaeremus. Attamen pro certo habemus eam minime impedimento esse, quominus ad exoptatam consensionem inter nos et fratres a nobis seiunctos deveniatur; agitur enim de veritate, quae est principium unitatis, non discriminis et separationis ».

b) *Respectu habito desiderii Ioannis XXIII veneratae memoriae, necnon attentis doctis rationibus allatis in relatione ab em.mo card. Bea, loquendum est certe de materia cap. IV, sed in alio loco. Ideo*[8] plene adhaereo *maiori parti rationum*[9] quae heri propositae fuerunt circa inopportunitatem adiungendi cap. IV « De Iudaeis » huic schemati.

c) Salvis observationibus superius factis, meum assensum huic schemati exprimo, iisdem verbis quibus concluditur cap. I, ubi praesertim directio Oecumenismi episcopis reservatur: « Qua de causa — dicitur — Sacra Synodus gaudet in Ecclesia catholica in dies huiusmodi Oecumenismum augeri, eumque episcopis ubique terrarum commendat, ut sollerter et prudenter ab ipsis dirigatur ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] ad conversionem cordis, ad sanctitatem vitae, ad fratrum mutuam cognitionem, ad instructionem oecumenicam ad cooperationem cum fratribus seiunctis. [3] (*Rom.* 13, 9). [4] (*Col.* 3, 13). [5] (*Eph.* 4, 15). [6] (pag. 17, n. 10). [7] (pag. 8, lin. 37). [8] deest. [9] rationibus.

6

Exc.mus P. D. GABRIEL GARRONE
Archiepiscopus Tolosanus

Venerabiles Patres,

Vellem, ...[1] de hoc schemate, quod quidem placet, *duo* [2] proponere: *unam alteram animadversionem* [3] de « locis oecumenicis » in theologia, alteram de « caritate oecumenica » et de beneficio quod fidei nostrae affert.

Haec mihi videntur ad firmandum spiritum oecumenicum conferre, cui semper denuo minatur aequivocatio *illa, qua plus minusve reducitur* [4] ad quamdam sollicitudinem non offendendi, et etiam quam clementissime semper agendi cum fratribus seiunctis.

Si ad hoc reduceretur Oecumenismus indignus esset tanto proposito, ut obscurum quoddam consilium insinuans, ut condescendentiam odiosam vel etiam indicens sentimentalismum. Oecumenismus fundatur in fide, et quidem firma et inflexibili, et in spe intrepida; nec oppositiones fugit, nec lumen timet, a Deo omnia exspectat. Quibus dictis:

1. *De locis oecumenicis in theologia, sit verbum.* Ad Oecumenismum promovendum non aliqua verba tantum, sed *ipsa integra revelatio* invocanda est.

Ubicumque enim voluntas Dei in revelatione se manifestat, unitate praegnans apparet. *Tot sunt loci oecumenici in theologia, quot sunt fidei Mysteria.* Ad quos locos oportet ut conveniant omnes christiani ...[5] ut a voluntate Dei, quam diligunt, virtutem accipiant ad unitatem diligendam quam Deus diligit.

Deus utique, in admirabili actu creationis suae, cum « ex uno omne genus hominum inhabitare fecit super universam faciem terrae » ...[6]; Deus Filium suum unigenitum *in terram introducens,* ut omnia in ipso recapitulentur; Deus ...[7] in cruce brachia extendens et in altari oblatus ut universum mundum inter brachia comprehendat; Deus tandem « omnia in omnibus », quando Christus sibi omnia subiecerit.

In omnibus fons unitatis Deus et in omnibus filios reconcilians sibi et inter se.

2. *De caritate oecumenica.* Caritas oecumenica, nedum sit vaga quaedam et mollis benevolentia, est ipsa Caritas Dei quae « diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis » ...[8]. Haec autem caritas est fidei veluti natalis et vitalis ambitus: « Qui facit veritatem venit ad lucem »...[9]

Non tantum enim ex caritate lumen fidei in nobis intensior fit sed purior. Caritas enim diluit et solvit nonnullos defectus qui fidei in nobis tenaciter adhaerent, tristes sequelas et reliquias ex praeteritis et miseris *controversiis,*[10] quae veritates olim disputatas quasi « parasitantur ». Sive adsint fidei nostrae aspectus inconscie superadditi, remanentes ex temporibus certaminum et qui ipsi fidei nobis *essentialiter*[11] falso creduntur. Sive elementa sint quae ex veritate quidem sunt, sed, dum ab aliis *separatis*[12] fideliter custodiuntur, iam non ut plene nostra sentimus vel nostra sentire audemus, ita ut inde thesaurus noster detrimentum patiatur.

Caritas oecumenica in nobis opportune thesaurum istum quasi denuo agnoscere et mirari permittit. Fovet insuper, et praeprimis, istam paupertatem, fidei *essentialem,*[13] qua ab ea excluditur omnis excaecans proprietatis sensus: veritatem, Deo favente, habemus, et veritati credimus, sed haec veritas non nostra est, sed Dei, *et omnium.*[14]

Significatio igitur istius gratiae oecumenicae providentialis omnino dicenda est. Verbum hoc non fortuito in usum nostrum venit, saecularia praeiudicia et parietes evertens. Tot homines in mundo iam Deum paulatim amittunt: « Venit nox, quando nemo potest operari » ...[15]. Et ideo Deus, *ut videtur,*[16] sicut fit in nocte, stellas suas omnes oculis nostris revelat usquemodo *nobis*[17] quasi non exsistentes, ut pedes hominum *sic*[18] usque ad diem dirigat. Christum igitur ubicumque adest agnoscamus, ut tandem ad omnes reveletur, ex ipsa communione suorum omnium.

In textu scripto tradito: [1] quadam tamen aequivocatione praeventa. [2] duas animadversiones. [3] alteram. [4] quae iudicium laedit secreto et argumentorum intelligentiam pervertit. Spiritus enim oecumenicus pluribus reducendus videtur plus minus. [5] in contemplatione. [6] (*Act.* 17, 26). [7] Christus. [8] (*Rom.* 5, 5). [9] (*Io.* 3, 21). [10] pugnis. [11] essentiales. [12] deest. [13] consortialem. [14] deest. [15] (*Io.* 9, 4). [16] deest. [17] deest. [18] deest.

7

Exc.mus P. D. ARTURUS ELCHINGER

Episcopus tit. Antandrinus, coad. c.i.s. Argentinensis

Venerabiles Patres, Fratres dilecti Observatores,

Decretum hoc *de Oecumenismo* favor est et gratia Dei pro his nostris temporibus. Quaecumque in decursu temporum pro unitate Ecclesiae iam facta vel dicta sunt, et praesertim conatus persaepe ardui Oecumenismi catholici praecursorum, in hoc decreto culmen attingere videntur...[1]

Sed tantum est momentum huius sanctae rationis Oecumenismi, quod omnes nos ad hoc schema adhuc perficiendum adlaborare debemus. Pro mea vice, coadiutoris scil. episcopi cuius in terris christianorum Reformatorum qui sunt in Gallia tertia pars viget, in meditatione schematis huius meam in mentem venit quod conditio vere fundamentalis progressus et, Dei cum gratia, successus Oecumenicae causae sit sincera et profunda reformatio morum nostrorum in Ecclesia, circa investigationem et servitium divinae Revelationis seu veritatis.

Apud Concilii secretariatum *aliquas emendationes vel additiones* [2] circa hoc deponam. Vobis autem, venerabiles Fratres, quatuor considerationes de conditionibus proponere vellem, quibus deficientibus Oecumenismus, ut mihi videtur, in praesenti Ecclesia nostra Romana proficere non valebit.

1. *Usque modo,* historica facta pro Ecclesiae ...[3] fama minus honesta, confiteri saepe non ausi sumus. *Nunc tempus est,* sicut iam dixit Leo Papa XIII cum aperuit Vaticanum Archivium, *nunc tempus est* [4] agnoscendi et confitendi historicam veritatem, licet sit amara.

Credimus certe omnes quod Ecclesia sit sancta, sicut credimus quod sit una, catholica et apostolica. Sed scimus etiam quod Deus dona sua sancta in vasis fictilibus posuit ...[5], i. e. in hominibus peccatoribus. Iam confiteri peccata nostra recusare non debemus, *nuperrime* [6] testante Ss.mo Papa nostro *Paulo.*[7] Et hoc non tantum in genere; sed in omnibus quaestionibus vel factis particularibus in quibus diversimode defecimus, vel in quibus veritas divinitus revelata maiore cum fervore a fratribus nostris seiunctis honorata fuit. Sit venia hic tria exempla dandi:

Est veritas historica certa quod in initio divisionum nostrarum, initiatores earum non primum et simpliciter contra unitatem agere voluerunt, sed primum aliquas veritates ut fundamentales in divina Revelatione perceperunt; e. g.: apostolica iura Ecclesiarum, in schismatibus saec. XI, vel etiam in Reformatione saec. XVI, dogma in primo Concilio Apostolorum in Ierusalem definitum de Iustificatione per fidem in Dominum Iesum Salvatorem nostrum, vel personalis responsabilitas in adhaesione fidei, vel etiam pondus Sacrae Scripturae in divina dispensatione Revelationis, *vel adhuc libertas Spiritus Sancti libertatem generans filiorum Dei.*[8] Quis homo in historia istorum duorum temporum versatus dubitare vel negare auderet quod aliqui, et forsan multi christiani et etiam pastores Ecclesiae nostrae catholicae veritates istas, quamvis certas, parvi ponderis tunc fecerunt et diversimode adversus earum testes peccaverunt?

Iterum, est veritas historica certa quod, hoc in nostro tempore, ardentiores et certe plerique virorum peritorum *et quidem efficacium* [9] in

Oecumenismi motu, ex Ecclesiis ab Ecclesia nostra seiunctis evenerunt, cum e contra initiatores illius motus in Ecclesia nostra persaepe et etiam quam frequentius odiosa obstacula invenerunt, sicut evenit, e. g., etiam purpurato card. Mercier in suis oecumenicis conatibus cum sancto viro anglicano Halifax.

Iterum, in investigandis et enucleandis veritatibus divinae Revelationis in Scripturis Sacris contentae — quamvis incommensurabile sit beneficium Magisterii Ecclesiae Romanae et quamvis in eius sollicitudine prudentia, sapientia innixa, omnino necessaria sit —, est tamen veritas historica certa quod fratres nostri seiuncti maiore fiducia fraterna in suis Ecclesiis donati sunt quam exegetae nostri catholici qui, e contra, a fratribus vel etiam a pastoribus multum passi sunt, sicut e. g., eximiae memoriae Pater Lagrange in schola sua biblica hierosolymitana.

2. *Usque modo,* tempore controversiarum inter christianos seiunctos, frequenter doctrinas quae a nobis falsae aestimabantur, reiciebamus tamquam integriter falsas. *Nunc tempus est,* maiori cum reverentia, in omni doctrina a fratre nostro seiuncto professa, veritatem etiam partialem et persaepe profundam recognoscere et cum eo profiteri...[10]

3. *Usque modo,* multi catholici, etiam inter clericos et pastores, in Ecclesia sua veritatem tenebant Revelationis modo, ut ita dicam, passivo et stativo, et quaestiones doctrinales a divisionibus nostris suscitatas considerare negligebant. *Nunc tempus est* pro omnibus, unicuique secundum conditionem suam, veritatem divinam in fide viva profundius semper investigare.

Certitudo enim fidei in hoc consistit quod Verbo Dei et divinae veritati eius firmiter adhaereamus. Sed investigatio seu intelligentia illius Verbi Dei, quamdiu in itinere sumus numquam in finem evenire potest, firmis semper veritatibus iam definitis. Fides quaerit intellectum...[11]

4 et ultimo. *Usque modo,* praesertim his ultimis temporibus Ecclesiae nostrae latinae, *uniformitatem* tam in ritibus liturgicis quam in theologicis doctrinis divinam Revelationem exprimentibus, persaepe cum *unitate* fidei, caritatis et christianae religionis cultus confundebantur. *Nunc tempus est,* docente apostolo Paulo diversiones gratiarum esse ...[12], libertatem filiorum Dei, tam personarum quam mentium coetuum, in Ecclesia Christi melius agnoscere, venerari et fovere.

In hac aula Concilii, Fratres carissimi, iam profundius persaepe experti sumus quanta diversitas, non tam linguarum (unica enim lingua latina instrumentum verborum praebente!), sed opinionum, aspirationum et votorum, profundiusque adhuc theologicarum doctrinarum sit inter nos. Et tamen plus etiam experti sumus unitatem nostram profundam fidei, caritatis et divini cultus.

Fratres nostri seiuncti ius stricte habent in Domino, ut in illis etiam differentias — non in fide divinae Revelationis, sed in legitimis theologicis doctrinis hanc fidem exprimentibus; non in communione fraternae caritatis, sed in legitimis ecclesiasticis institutis; non in baptismate et Eucharistia aliisque sacramentis fidei a Domino institutis, sed in ritibus precibusque pietatem suam et gloriam Dei melius foventibus — *dico: fratres nostri seiuncti ius habent ut in illis istas differentias* [13] non certe ignoremus vel recusemus, sed fraterne, admiranter et concordi zelo foveamus.

Concludo. Aiunt forsitan quidam: nonne Oecumenismus iste ad falsum irenismum vel ad errorem relativismi doctrinalis ducere potest? Respondeo: Oecumenismus, sic in firma fide evangelica intellectus, ad relativismum quemdam verborum et etiam personalium notionum forsan ducere potest, sed nullo modo ad relativismum fidei in divinam Revelationem et sanctam Veritatem, quae mentium vires hominum indesinenter transcendit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Sicut scripsit peritus aliquis Pater (P. Congar O.P.), in servitio veritatis aliqua sunt in Ecclesia facta seu eventus efficaciora quam enuntiationes mere doctrinales. De hoc schemate affirmare possumus illud esse aliquod huiusmodi factum. [2] aliquam emendationem vel additionem. [3] nostrae. [4] deest. [5] (cf. *2 Cor.* 4, 7). [6] deest. [7] in oratione sua die 29 septembris hic data, vel in receptione nostrorum fratrum Observatorum die 17 octobris. [8] E contra. [9] efficaciumque. [10] In ephemeridis conferentia primae Sessionis huius Concilii, aliquis professor, egregius Observator, anno praecedenti dixit (Oscar Cullmann) quod catholici saepe non vident, in aliquibus denegationibus seu restrictionibus protestantismi, positivam consequentiam « concentrationis fidei in aliquas veritates vere fundamentales divinae Revelationis, sicut, exempli gratia, personalis responsabilitas in adhaesione fidei, vel pondus Scripturae Sacrae in divina dispensatione Revelationis; vel libertas Spiritus Sancti libertatem generans filiorum Dei, etc. ». Tempus est, in conversatione nostra cum fratribus seiunctis, ut primum consideremus has positivas veritates christianas de quibus et in quibus ferventer vivunt, ut nos ipsi cum illis melius et profundius de eisdem veritatibus vivamus. Tunc possibile erit, cum gratia Dei, testimonium eisdem dare de veritatibus revelatis quas nos, in Traditione catholica, firmiter tenemus, et quibus ipsi, nostro sensu, non adhaerent vel non satis adhaerent.

Similiter, magis reverentem, fraternam et confidentem attentionem et, si fieri potest, collaborationem praebere debemus christianis operibus sive scientificis, sive caritativis fratrum nostrorum disiunctorum, sicut, exempli gratia, oecumenicae collectae pro pauperibus tam catholicis quam reformatis, in annua septimana pro unitate, mense ianuarii. [11] In ista investigatione, quae a caritate procedit, ducente magisterio apostolico a Domino Iesu pro Ecclesia sua instituto, et uniuscuiusque prudentia recta tam praesumptionem quam pusillanimitatem renuente, conversatio fidei cum fratribus seiunctis, tam pro nobis quam pro eis, maxime

fructuosa esse potest. Magnum est amicitiae opus simul quaerere veritatem, in fidelitate sua propria, et in reverentia aliorum libertatis.

Fide nostra sic vivida in possessione et in investigatione divinae Revelationis, tunc tantummodo sperare poterimus, gratia Dei opitulante, in integram unitatem fidei denuo tandem convenire. [12] (cf. *1 Cor.* 12, 4-11). [13] deest.

Animadversiones additae:

Pag. 16, lin. 5 addatur novus paragraphus et etiam numerus:

(*De libera et fideli investigatione divinae Revelationis*): Divisiones praesentes inter christifideles primum fundamentum habent in diversas interpretationes divinae Revelationis in Scripturis Sacris contentae et in sancta apostolorum traditione transmissae. Valde ergo necesse est ut ista sancta traditio, et istae Sacrae Scripturae divinitus inspiratae, et etiam illa divina Revelatio magis ac magis a credentibus, et praesertim a theologis diversisque peritis sacrarum scientiarum adlaborentur et scrutentur. Labor iste tam ad oecumenismum quam etiam ad omnium christianorum semper revirescentem profundioremque fidem in sanctissimum verbum Dei necessarius est.

Oportet ergo ut, remotis ab Ecclesia, tam in mentibus quam in institutionibus sive ecclesiasticis officiis, omni timore vel praematura et iniusta et odiosa suspicione, theologi peritique omnes libere et confidenter et gaudiose arduum suum laborem prosequantur ad investigandas veritates divinae Revelationis. Talis enim Revelatio sola capax est omnes nos a divisionibus erroris liberare, sicut dixit Dominus: « Veritas liberabit vos » (*Io.* 8, 32), et adhuc: « Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est » (*Io.* 17, 17).

Episcopus ergo et omnes pastores Ecclesiae vehementer exhortamus ut omni conatu suo liberum studium veritatis christianae inter theologos et peritos promoveant et defendant. Necesse est certe, ad praeservandam integram fidem Ecclesiae, ut prudentiae pastoralis normae adhibeantur circa divulgationem sive oralem sive maturorum nondum investigationum. Attamen, etiam in usu istarum necessariarum normarum, non tantum firma iustitia erga personas earumque famam, sed etiam fraterna caritas et dilectio sedulo et semper serventur.

8

EXC.MUS P. D. IOANNES McQUAID
Archiepiscopus Dublinensis

Em.mi Praesides et Moderatores, em.mi, exc.mi Patres,

Schema *de Oecumenismo* in genere placet, quatenus ad sanam doctrinam quod attinet, multa perpulchre exprimuntur.

Velim tamen, qua par est reverentia, hoc tantum adiungere.

Teste experientia, permulti catholici, etiam exculti, hodierno tempore signa quaedam *ex parte acatholicorum* [1] benevolentiae sincerae erga Ecclesiam saepius confundunt cum animo et voluntate bene fundatis accipiendi integram Ecclesiae doctrinam.

Nos autem episcopi, qui inter acatholicos per tot annos versati, iam diu neoconversos, forte non libros scribendo, sed labore personali, instruimus, compertum habemus, acatholicos neoconversos, qui fidei catholicae se subiciant, in ultima analysi, nihil aliud velle, nihil aliud quaerere, nisi doctrinam catholicam certam, terminis non nebulosis sed praecisis propositam, doctrinam, non a theologis mere privatis, sed a Sancta Sede Romana, modo sereno et pastorali, propositam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

9

EXC.MUS P. D. CAROLUS DE PROVENCHÈRES
Archiepiscopus Aquensis in Gallia

Venerabiles Patres, carissimi Observatores et Auditores,

Schema, in genere, *valde placet.* Placet multiplici ratione, praesertim scil. quia:

1. Mysterium Ecclesiae considerat tamquam *communionem* in fide, regimine et vita sacramentali, et non tantum neque principaliter tamquam societatem ordine iuridico regulatam.

2. Problema re-unionis christianorum, a nobis et inter se seiunctorum, *modo positivo* proponit: agnoscit enim id quod in communi nobiscum ab aliis tenetur — per quod inter nos et illos, necnon inter ipsos, spiritualis communio in Christo realis, etsi incompleta, efficitur — ut ex eo procedatur ad pleniorem communionem, spiritualem simul ac visibilem, gradatim, Deo favente, attingendam in hoc triplici campo: fidei scil., regiminis et vitae sacramentalis.

3. Distinctionem proponit inter coetus christianorum qui episcopatu inde ab apostolis sine intermissione accepto fruuntur, ideoque in sensu proprio Ecclesias locales seu particulares constituunt, et eos qui hanc sacramentalem hierarchicam structuram ad ipsum *esse* Ecclesiae non pertinere arbitrant. Inter hos et illos, etenim, magna viget differentia quae pertinet ad naturam communionis spiritualis non obstante canonica separatione remanentis. Nam si incorporatio fundamentalis radicalisque Corpori Christi quod est Ecclesia per sacramentum baptismi efficitur, per sacramentum Eucharistiae, quod est sacramentum unitatis, completur et manifestatur; quod sacramentum, deficiente episcopatu, in pleno utique sensu, plenaque realitate, secundum fidem catholicam haberi non potest, quamvis omni spirituali significatione fructuque privari dici nequeat.

His gratulanti animo agnitis, aliquid tamen gravis momenti in hoc schemate, prout iacet, desiderari videtur.

Conatus, enim, ad unitatis inter omnes rite baptizatos instaurationem, quasi tres gradus amplectuntur.

Primus gradus pertinet ad dispositionem animi erga fratres ...[1] seiunctos. Evangelicam caritatem debitumque sensum iustitiae erga eos manifestare debemus, omnem duritiam cordis reiciendo, affabiliter eos alloquendo et recipiendo, iniurias decursu temporis mutua vice illatas, mutua vice deplorando benigneque parcendo. Hic primus gradus in schemate luculenter exprimitur.

Secundum gradum eloquenter exposuit exc.mus D. De Smedt, ep. Brugensis, in hac aula, primae sessionis tempore. Hic gradus dicitur *dialogus* quo conamur fratres dissentientes recte et obiective intelligere et ab ipsis eodem modo intelligi. Quam magni momenti sit in hodierno mundo illa attentio ad fratres ut se mutuo adiuvent ad fidei testimonium praebendum, Concilium per illum interventum clare percepit. Quod etiam in schemate feliciter indicatur.

Sed omnibus patet quantum ad viam unitatis patefaciendam conferre potest et debet *renovatio* intima et profunda ipsius Ecclesiae nostrae catholicae. Schema, vero, *explicitam* mentionem non facit de renovatione Ecclesiae nisi spirituali et ad mores pertinenti. Quando tractatur de motibus biblico vel liturgico, etc. ... (*n. 4*),[2] agitur in primis de quodam aspectu personali vel potius individualistico, sed non de aspectu sociali totius Ecclesiae ad Mysterium Christi in se operans profundius se convertentis. Haec renovatio spiritualis pars tantum est, etsi gravis momenti, illius renovationis a Papa Ioanne XXIII ut finis principalis Concilii nostri assignatae, et hoc quidem intuitu unitatis omnium christianorum fovendae.

Concilium, revera, viam a Ioanne XXIII apertam sequens, favente nunc Summo Pontifice Paulo VI f. r., hoc opus profundae renovationis Ecclesiae libenti animo aggressum est. Sufficiat hic in mentem revocare, exempli causa, venerabiles Patres, renovationem liturgicam, in brevi promulgandam, doctrinam de laicorum statu expositam et in primis maiorem aestimationem episcopalis collegialitatis, inde a non paucis saeculis in quadam oblivione apud nos relictae, non sine detrimento ipsius Ecclesiae nostrae catholicae, nec sine admiratione sororum nostrarum Ecclesiarum orientis seiunctarum apud quas collegialitas haec in magno honore iure habetur et inde ab apostolicis temporibus exercetur. Ad reconciliationem cum eis futura instauratio sanae debitaeque collegialitatis localium Ecclesiarum, in doctrina et praxi Ecclesiae catholicae maximi momenti maximaeque utilitatis erit.

Valde optandum est, ergo, in ipso schemate de illo tertio gradu sani oecumenismi accurate et explicite sermonem fieri; qui gradus, non solum ad renovationem spiritualem, seu morum, ut iam dictum est, sed, ut exemplis allatis patet, ad renovationem cultus, institutionum, quandoque etiam *ad ipsius theologicae doctrinae expositionem*[3] se extendit...[4]

Quomodo autem textus schematis emendari deberet ut nostro praesenti voto satis fieret, in scriptis generali secretariatui propono. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] a nobis. [2] (pag. 15, § 4, linn. 14-17). [3] ipsius theologicae doctrinae. [4] In hoc campo explorando, quam prudenter procedere conveniat omnibus nobis persuasum est. Sed de hoc etiam persuasum iri debemus quod, infra istum gradum, oecumenismus non datur *nisi incompletus* ideoque inefficax.

Animadversiones additae:

Ad cap. I, n. 3, pag. 9, lin. 21, post verbum « reddant » addatur: « Ecclesia catholica incessanter intendere debet ad veritatem revelatam magis ac magis exacte et profunde percipiendam, exprimendam necnon in usum vertendam; ita ut, si quae, decursu temporis sub influxu rerum adiunctarum, sive in moribus sive in ecclesiasticis institutis, sive etiam in doctrina proponenda minus accurate servata fuerint, opportuno tempore recte debiteque instaurentur ».

Ad cap. II, pag. 15, par. 4 ita compleri debet ut non tantum de spirituali renovatione tractet.

Moderator: Proxima congregatio generalis: crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LXXI
20 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXXI

20 novembris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur disceptationem circa principia generalia *de Oecumenismo,* in hac LXXI congregatione generali, em.mus ac rev.mus D. Petrus Gregorius Agagianian.

Velitis attendere, Patres venerabiles! In hac congregatione subicientur suffragationi modi respicientes cap. II schematis *de sacra Liturgia.* Vos iam videre et examinare commode potuistis. Fient circa hoc caput quinque suffragationes, omnes hoc mane. Modi legentur singillatim et clare, cum debitis explicationibus si necesse erit, postquam exc.mus D. Iesus Enciso, ep. Maioricensis, illustraverit relationem circa hos modos. Suffragatio circa modos fiet per *placet* et *non placet.* Si suffragatio fuerit positiva, nempe habita sit maioritas duarum tertiarum partium, ut Ordo praescribit, modus inseretur in textum priorem.

Si omnes suffragationes circa modos propositos, et si suffragatio circa quaesitum generale, quod postremo positum est, fuerint positivae, etiam hoc mane procedetur ad suffragationem circa cap. II integrum. Aliae explicationes, si necesse erit, dabuntur quando legentur modi suffragandi.

In hac congregatione generali distribuentur duo fasciculi. Primus continet modos super cap. III *de sacra Liturgia,* qui modi suffragationi subicientur crastina, eodem modo ac hodie. Alius fasciculus continet modos circa cap. IV, « De Officio divino ». Circa hoc cap. IV proponitur suffragationi Patrum quaesitum generale, ut factum est pro cap. I. Et pariter fiet pro ultimo fasciculo, qui distribuetur crastina. Ergo, ut omnia resumamus: hodie fient suffragationes circa cap. II, modo explicato; crastina fient suffragationes circa cap. III, modo explicato; feria autem VI fient suffragationes circa reliqua capitula, respondendo nempe quaesitis propositis, ut factum est pro cap. I; exeunte autem congregatione generali feriae VI, fiet suffragatio generalis super integrum schema, cum formula *placet - non placet,* et erit ultima pro congregationibus generalibus, si omnia bene succedent.

Nunc lego nomina eorum qui verbum facere petierunt circa schema

de Oecumenismo in genere: em.mi DD. cardd. Albertus Meyer, arch. Chicagiensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Antonius Bacci; exc.mi DD. Angelus Jelmini, adm. ap. Luganensis in Helvetia; Andreas Sapelak, ep. visit. ap. pro Ucrainis in Argentina; Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus in Hispania; Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifatii in Canada; Ioannes Heenan, arch. Vestmonasteriensis in Anglia; Ioannes Weber, arch.-ep. Argentinensis in Gallia; Sergius Méndez, ep. Cuernavacensis in Mexico; Robertus Chopard-Lallier, praef. ap. Parakuensis in Dahomey; Andreas Jacq, ep. tit. Cerasenus in Vietnam; Antonius Ferreira, ep. Portugallensis in Lusitania; Bonaventura De Uriarte, vic. ap. S. Raymundi in Peruvia; Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania; Hermenegildus Florit, arch. Florentinus in Italia; Ioannes Carolus Aramburu, arch. Tucumanensis in Argentina; Iosephus Höffner, ep. Monasteriensis in Germania; Ioannes Hervás, ep. Cluniensis in Hispania; Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum; Andreas Hamvas, ep. Csanadiensis in Hungaria; Fortunatus Da Veiga, ep. coad. Belgaumensis in India; Emmanuel Pius López, arch. Ialapensis-Veracrucensis in Mexico; Ioseph Attipetty, arch. Verapolitanus in India; Ceslaus Sipovič, ep. visit. Bielorussorum in Anglia; Ioseph Pont, ep. Segobricensis in Hispania; Hyacinthus Gad, ep. exarcha ap. pro Byzantinis in Graecia; Ambrosius Senyshyn, arch. Philadelphiensis Ucrainorum in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

Moderator: Antequam prosequatur disceptatio circa schema *de Oecumenismo* in genere, velint Patres audire illustrationem quam exc.mus D. Iesus Enciso, ep. Maioricensis, commissionis conciliaris *de sacra Liturgia* sodalis, dabit circa modos cap. II schematis constitutionis *de sacra Liturgia* respicientes.

SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA [3]

1 – MODI

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA
EXAMINATI

Hic fasciculus Patribus distributus est die 19 novembris 1963, in congregatione generali septuagesima.

CAPUT II

DE SACROSANCTO EUCHARISTIAE MYSTERIO

I

Modis accurate expensis, prouti in sequenti Relatione exponitur, Commissio unam tantum textus mutationem proponendam esse censuit circa art. 57 (*de Concelebratione*), quae proinde Patrum suffragationi submittitur:

An placeat in articulo 57 (pag. 23 huius fasciculi, lineis 5 et 12) *textus, ob rationes in « Relatione » expositas* (p. 20) *mutetur prout sequitur*:

loco	*legatur*
2° Praeterea, accedente licentia Ordinarii, cuius est de opportunitate concelebrationis iudicare, *eiusque disciplinam moderari*:	2° Praeterea, accedente licentia Ordinarii, cuius est de opportunitate concelebrationis iudicare:
. . . . .	. . . . .
	§ 2. 1° *Ad Episcopum vero pertinet concelebrationis disciplinam in dioecesi moderari.*
§ 2. Salva tamen semper sit cuique sacerdoti facultas Missam singularem celebrandi, non tamen eodem tempore in eadem ecclesia, nec Feria V in Cena Domini.	2° Salva tamen semper sit cuique sacerdoti facultas Missam singularem celebrandi, non tamen eodem tempore in eadem ecclesia, nec Feria V in Cena Domini.

[4] II

Insuper Commissio censuit sequentem emendationem mere formalem esse introducendam, quin Patrum indigeat suffragatione:

Pag. 22 huius fasciculi, linea 36

loco	*legatur*
Concelebratio ... in Ecclesia *tam Orientali quam Occidentali* usque adhuc in usu remansit.	Concelebratio ... in Ecclesia usque adhuc in usu remansit, *tam in Oriente quam in Occidente.*

III

Praeterea, circa art. 54 (*De lingua vernacula in Missa*) et art. 55 (*De Communione sub utraque specie*), Commissio, rationibus in Relatione expositis, censuit mutationem textus non esse necessariam; at, cum plus quam centum Patres modum proposuerint, Commissio censuit quaesitum esse proponendum an placeat responsio in Relatione adducta ad modos hos articulos respicientes.

Proinde sequentia Quaesita proponuntur:

1. *An placeat responsio data a Commissione circa art. 54* (cf. p. [18]).

2. *An placeat responsio data a Commissione circa art. 55* (cf. p. [19]).

IV

Denique quaesitum generale proponitur:

An placeat expensio facta a Commissione circa modos reliquos articulos Caput II respicientes.

2 – TEXTUS SCHEMATIS [21]

Caput II

DE SACROSANCTO EUCHARISTIAE MYSTERIO

47. Salvator noster, in Cena novissima, qua nocte tradebatur, Sacrificium Eucharisticum Corporis et Sanguinis sui instituit, quo Sacrificium Crucis in saecula, donec veniret, perpetuaret, atque adeo Ecclesiae dilectae Sponsae memoriale concrederet mortis et resurrectionis suae: sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum caritatis [36] convivium paschale, in quo Christus sumitur, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur.[37]

48. Itaque Ecclesia sollicitas curas eo intendit ne christifideles huic fidei mysterio tamquam extranei vel muti spectatores intersint, sed per ritus et preces id bene intellegentes, sacram actionem conscie, pie et actuose participent, verbo Dei instituantur, mensa Corporis Domini reficiantur, gratias Deo agant, immaculatam hostiam, non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso offerentes, seipsos offerre discant, et de die in diem consummentur, Christo Mediatore,[38] in unitatem cum Deo et inter se, ut sit tandem Deus omnia in omnibus.

49. Quapropter, ut Sacrificium Missae, etiam rituum forma, plenam pastoralem efficacitatem assequatur, Sacrosanctum Concilium, ratione habita Missarum, quae concurrente populo celebrantur, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto, ea quae sequuntur decernit.

50. Ordo Missae ita recognoscatur, ut singularum partium propria ratio necnon mutua connexio clarius pateant, atque pia et actuosa fidelium participatio facilior reddatur.

Quamobrem ritus, probe servata eorum substantia, simpliciores fiant; ea omittantur quae temporum decursu duplicata fuerunt vel minus utiliter addita; restituantur vero ad pristinam sanctorum Patrum normam nonnulla quae temporum iniuria deciderunt, prout opportuna vel necessaria videantur.

51. Quo ditior mensa verbi Dei paretur fidelibus, thesauri biblici lar- [22]
gius aperiantur, ita ut, intra praestitutum annorum spatium, praestantior pars Scripturarum Sanctarum populo legatur.

37

[22] 52. Homilia, qua per anni liturgici cursum ex textu sacro fidei mysteria et normae vitae christianae exponuntur, ut pars ipsius liturgiae valde commendatur; quinimmo in Missis quae diebus dominicis et festis de praecepto concurrente populo celebrantur, ne omittatur, nisi gravi de causa.

53. « Oratio communis » seu « fidelium », post Evangelium et homiliam, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto, restituatur, ut populo eam participante, obsecrationes fiant pro sancta Ecclesia, pro iis qui nos in potestate regunt, pro iis qui variis premuntur necessitatibus, ac pro omnibus hominibus totiusque mundi salute.[39]

54. Linguae vernaculae in Missis cum populo celebratis congruus locus tribui possit, praesertim in lectionibus et « oratione communi », ac, pro condicione locorum, etiam in partibus quae ad populum spectant, ad normam art. 36 huius Constitutionis.

Provideatur tamen ut christifideles etiam lingua latina partes Ordinarii Missae quae ad ipsos spectant possint simul dicere vel cantare.

Sicubi tamen amplior usus linguae vernaculae in Missa opportunus esse videatur, servetur praescriptum art. 40 huius Constitutionis.

55. Valde commendatur illa perfectior Missae participatio qua fideles post Communionem sacerdotis ex eodem Sacrificio Corpus Dominicum sumunt.

Communio sub utraque specie, firmis principiis dogmaticis a Concilio Tridentino statutis,[40] in casibus ab Apostolica Sede definiendis, tum clericis et religiosis, tum laicis concedi potest, de iudicio Episcoporum, veluti ordinatis in Missa sacrae suae ordinationis, professis in Missa religiosae suae professionis, neophytis in Missa quae Baptismum subsequitur.

56. Duae partes e quibus Missa quodammodo constat, liturgia nempe verbi et eucharistica, tam arcte inter se coniunguntur, ut unum actum cultus efficiant. Sacra proinde Synodus vehementer hortatur animarum pastores ut, in catechesi tradenda, fideles sedulo doceant de integra Missa participanda, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto.

57. § 1. Concelebratio, qua unitas sacerdotii opportune manifestatur, in Ecclesia usque adhuc in usu remansit tam in Oriente quam in Occidente. Quare facultatem concelebrandi ad sequentes casus Concilio extendere placuit:

1° *a*) feria V in Cena Domini, tum ad Missam chrismatis, tum ad Missam vespertinam; [23]

b) ad Missas in Conciliis, Conventibus Episcopalibus et Synodis;

c) ad Missam in Benedictione Abbatis.

2° Praeterea, accedente licentia Ordinarii, cuius est de opportunitate concelebrationis iudicare:

a) ad Missam conventualem et ad Missam principalem in ecclesiis, cum utilitas christifidelium singularem celebrationem omnium sacerdotum praesentium non postulet;

b) ad Missas in conventibus cuiusvis generis sacerdotum tum saecularium tum religiosorum.

§ 2. 1° Ad Episcopum vero pertinet concelebrationis disciplinam in dioecesi moderari.

2° Salva tamen semper sit cuique sacerdoti facultas Missam singularem celebrandi, non tamen eodem tempore in eadem ecclesia, nec Feria V in Cena Domini.

58. Novus ritus concelebrationis conficiatur, Pontificali et Missali Romano inserendus.

NOTAE

[36] Cf. S. AUGUSTINUS, *In Ioannis Evangelium Tractatus XXVI,* cap. VI, n. 13: *PL* 35, 1613.

[37] *Breviarium Romanum,* In festo Sanctissimi Corporis Christi. Ad II Vesperas, antiphona ad Magnificat.

[38] Cf. S. CYRILLUS ALEX., *Commentarium in Ioannis Evangelium,* lib. XI, capp. XI-XII: *PG* 74, 557-564.

[39] Cf. *1 Tim.* 2, 1-2.

[40] Sessio XXI, 16 iul. 1562. *Doctrina de Communione sub utraque specie et parvulorum,* capp. 1-3: CONCILIUM TRIDENTINUM. *Diariorum, Actorum, Epistularum, Tractatuum nova collectio,* ed. Soc. Goerresiana, t. VIII, Friburgi in Br. 1919, pp. 698-699.

[5]

3 – RELATIO

Exc.mi D.ni Iesu Enciso, Episcopi Maioricensis, Commissionis Conciliaris de sacra Liturgia Sodalis

Venerabiles Patres,

Die 14 octobris nuper elapsi suffragium Vestrum postulavimus circa totum caput II schematis de sacra Liturgia. Cui nostrae petitioni, hoc modo respondistis:

Praesentes votantes	2242
Placet	1417
Non placet	36
Placet iuxta modum	781

Quia vero plures Patres aliquando eundem modum proposuerunt, de facto modi propositi numerantur 105. Nonnullos tamen ex eis, qui inter se conveniunt, in unum collegimus in responsionibus afferendis.

Commissio de sacra Liturgia omnes modos, cum rationibus adductis, attento etiam numero Patrum eos proponentium, diligenter collegit et accurate examinavit, iuxta ea quae in Ordine Concilii Vaticani II celebrandi statuuntur.

Quibus prae oculis habitis, expensio maximae partis modorum nobis visa est clara, et facile atque humaniter ab omnibus Patribus admittenda. Tres autem modos, sive ob eorum momentum sive ob numerum Patrum eos proponentium, speciali consideratione dignos iudicavimus. Ideo horum trium modorum expensionem ad finem nostrae Relationis remittentes, de ceteris singillatim et ordinate nostrum iudicium Vestrae approbationi proponimus...[1]

[6]

PARS PRIOR *

MODI IUXTA ORDINEM ARTICULORUM DISPOSITI ET EXPENSI

AD ARTICULUM 47
(Prooemium)

1 — *a*) Introducantur verba « Hoc facite in meam commemorationem » ne desit enuntiatio praecepti a Domino Apostolis dati (*1 Pater*).

---

[1] *In oratione*: Si vultis, venerabiles Patres, transeamus ad pag. 18, in qua datur altera pars relationis. Illa pars tractat de modis qui peculiari consideratione digni visi sunt, ad pag. 18.

* Relator hunc textum usque ad « Pars Altera », pag. [18] non legit.

b) Addatur: « ad maiorem Dei gloriam et ad universi mundi salutem » (*1 Pater*). [6]

R. — Scopus huius articuli non est omnia tradere quae ad Eucharistiam referuntur, sed tantum doctrinam Tridentini breviter recolere tamquam fundamentum eorum quae in sequentibus statuenda sunt.

2 — Pag. 21, linea 3, loco verbi « perpetuaret », dicatur: « vere et incruenter renovaret » (*1 Pater*).

R. — Commissio consulto dixit « perpetuaret », ut indicaret unitatem cum Sacrificio Crucis et quaestiones inter theologos disputatas non tangeret. Leo XIII ad Episcopos Scotiae scripsit: « ... ut Sacrificium in Cruce consummatum perpetuum et perenne fieret. Huius autem ratio perpetuitatis inest in sacratissima Eucharistia, quae non similitudinem tantum inanem memoriamve tantum rei affert, sed veritatem ipsam, quamvis specie dissimili » (Litt. Encycl. *Caritatis studium*: *A.S.S.*, 31, 1898-1899, p. 12). Finis autem huius perpetuitatis indicatur per verba « donec veniat ».

AD ARTICULUM 48
(PROOEMIUM)

3 — Pag. 21, lineis 12-13, non placent verba « non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso offerentes », quibus timendum est ne insinuetur aliqua aequalitas inter sacerdotem et fideles (*2 Patres*).

R. — At haec verba doctrinam referunt Litt. Encycl. *Mediator Dei* (*A.A.S.*, 39, 1947, p. 546) et nituntur verbis quae in Canone Missae leguntur: « Pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt ». [7]

4 — Pag. 21, linea 14, substituatur verbum « mediante » loco verbi « mediatore » secundum ipsum textum S. Cyrilli (*1 Pater*).

R. — Sed textus graecus S. Cyrilli dicit: « *διὰ μεσίτου Χριστοῦ* », quod latine sonat: « per Christum mediatorem ».

AD ARTICULUM 49
(PROOEMIUM)

5 — *a*) Pag. 21, linea 18, post verba « ratione habita », addatur: « praesertim » (*1 Pater*).

b) Pag. 21, linea 19, post verba « in festis de praecepto »,

[7] addatur: « necnon aliis diebus magni fidelium concursus » (*2 Patres*).

R. — Textus minime excludit Missas cum concursu populi, diebus qui non sunt de praecepto, celebratas. Mens enim est ut speciali modo ratio habeatur de Missis concurrente populo celebratis *praesertim* diebus dominicis et festivis, at aliis diebus non exclusis.

AD ARTICULUM 50

(DE INSTAURATIONE ORDINIS MISSAE)

6 — Non placet articulus (*3 Patres*).

R. — Totus autem articulus approbationem saltem implicitam obtinuit, cum ipsius altera pars, quae nihil aliud est nisi explicatio prioris partis, directe fuerit per suffragationem approbata.

7 — Expresse dicatur « semper intacta forma ipsius Canonis (*3 Patres*).

R. — Hoc autem aliquo modo iam innuitur verbis schematis « probe servata eorum substantia ». Ceterum illud transmittimus Commissioni postconciliari.

8 — *a*) Mutationes ne fiant in rebus venerabilibus (*1 Pater*).
b) Non clare apparet qualis futura sit recognitio Ordinis Missae (*2 Patres*).

R. — Sufficienter tamen deprehendi potest ex his quae in Relatione dicta sunt, et ex Appendice ad eandem Relationem.

[8] 9 — Reformatio rituum potius ratione pastorali quam archaeologica fiat (*1 Pater*).

R. — Iam provisum est in cap. I, art. 23, 33-36.

10 — « Possibilitas concedatur eligendi aut variandi iuxta annum liturgicum » (*1 Pater*).

R. — Cf. Cap. I, art. 30 et 35; cap. II, art. 51 et 53; cap. V, art. 107 et 109.

11 — Pag. 21, linea 24, mitigentur verba « vel minus utiliter addita » (*2 Patres*).

R. — Haec verba iam sunt fructus mitigationis, relate ad veritatem historicam, quam aliquo modo exprimere oportebat. [8]

12 — *a*) Verba « Orate, fratres, etc. » elata voce dicantur (*1 Pater*).
b) In Missa aliquid addatur quo deprecemur Dominum messis ut mittat operarios in messem suam (*1 Pater*).

R. — Utrumque ad Commissionem postconciliarem remittitur.

AD ARTICULUM 51

(DE LECTIONIBUS)

13 — Non placet articulus (*1 Pater*).

R. — Sed est unicum votum.

14 — Male sonat dicere « pars praestantior Scripturarum » (*1 Pater*).

R. — Omnia quidem verba S. Scripturae sunt verbum Dei, et ideo praestantissima; attamen aliquae partes praestantiores sunt sive ex ipsa mente hagiographorum, sive ex illustratione a Novo Testamento facta, sive ex traditione Ecclesiae. Conferantur, ex. gr., praecepta ceremonialia Levitici et Epistolae S. Pauli.

15 — Ubi id opportunum videbitur, fieri possit synaxis evangelica sine Eucharistia (*1 Pater*).

R. — Iam provisum est utilitati fidelium per art. 35 n. 4, ubi de verbi Dei celebrationibus.

AD ARTICULUM 52

(DE HOMILIA)

16 — Pag. 22, linea 4, dicatur: « ex textu sacro, ex quo in Missa lectio sumpta est » (*1 Pater*).

R. — Quamvis ex natura rei ita sit, noluit tamen Commissio ita restrictive loqui, quia aliqui SS. Patres etiam ex aliis Missae textibus homiliam facere consueverunt. [9]

17 — Pag. 22, linea 7, obligatio homiliae magis urgeatur addendo: « necnon aliis diebus magni fidelium concursus » (*1 Pater*).

[9] R. — Textus agit de omnibus Missis, sed obligationem circumscribit diebus de praecepto. Si alicubi maior obligationis extensio opportuna videatur, Episcopi est per legem dioecesanam providere.

18 — Pag. 22, linea 4, non dicatur « ex textu sacro » (*4 Patres*).

R. — Tamen textus venerandam Ecclesiae traditionem commendat. Cf. aliunde cap. I, art. 35, n. 2.

19 — *a*) Edatur Directorium pastorale ad doctrinam tradendam populo (*1 Pater*).

b) Severius prohibeatur omissio homiliae (*1 Pater*).

R. — Primum ad auctoritatem dioecesanam pertinet; secundum ad disciplinam.

AD ARTICULUM 53

(De oratione communi)

20 — Non placet articulus (*1 Pater*).

R. — Votum unicum.

21 — Pag. 22, linea 10, addatur: « necnon aliis diebus magni fidelium concursus » (*1 Pater*).

R. — Cum dicatur *praesertim,* non excluduntur alii dies magni fidelium concursus.

22 — Inopportunum est « singulas intentiones in schemate enumerare » (*1 Pater*).

R. — Sic tamen melius adumbratur natura orationis communis. Ceterum formula nostra desumitur ex traditione liturgica, et fundatur in praecepto S. Pauli, *1 Tim.* 2, 1-2.

23 — Pag. 22, linea 13, addatur: « formulis a competenti auctoritate ecclesiastica determinatis » (*1 Pater*).

R. — At clare patet hic agi de oratione liturgica, cuius formulae proinde erunt a competenti auctoritate approbandae.

[10] 24 — Oratio communis brevissima sit (*1 Pater*).

R. — Revera ita esse debet, sed illud remittimus Commissioni postconciliari.

24 — Pag. 22, linea 13, addatur: « pro iis qui variis persecutionibus oppressi sunt » (*2 Patres*). [10]

R. — Hoc iam videtur contineri in textu articuli « pro iis qui variis premuntur necessitatibus ». At nihil impedit quominus in textu orationis exarando competens auctoritas etiam hanc intentionem addere possit.

AD ARTICULUM 54

(DE USU LINGUAE VERNACULAE)

26 — « Non placet concessio linguae vulgaris in Missa » (*6 Patres*).

R. — Hoc contrarium est art. 36 per suffragationem approbato.

27 — Inveniatur formula magis restrictiva de usu linguae vulgaris (*1 Pater*).

R. — Commissio censet tenendam esse viam mediam quae maioritatem suffragiorum facilius possit obtinere.

28 — Pag. 22, linea 14, dicatur: « Concedi potest de iudicio Episcoporum ut linguae vernaculae utantur in tota Missa » (*1 Pater*).

R. — Esset concessio nimis lata, et opposita his quae iam suffragata sunt.

29 — Dicatur: « Lingua vernacula in celebratione Missae adhiberi potest ad normam art. 36 et 40 huius Constitutionis » (*1 Pater*).

R. — Haec formula videtur minus clara quam nostra.

30 — Pag. 22, linea 15, loco « tribui possit », dicatur « tribui potest » (*2 Patres*).

R. — Forma subiunctiva aptior videtur ad exprimendam voluntatem Concilii.

31 — Pag. 22, linea 15, dicatur « tribuatur » (*1 Pater*).

R. — Esset contra id quod expresse suffragatum est in emendatione sexta.

32 — Pag. 22, linea 16, non placet dicere « pro condicione locorum » ob difficultates ex multitudine linguarum in quibusdam regionibus (*1 Pater*). [11]

[11] R. — Sed ideo positum est hoc, ut ipsi Episcopi sint iudices de convenientia vel non convenientia.

33 — Pag. 22, linea 16, non placet expressio « quae ad populum spectant », in quantum insinuat haberi partes Missae quae populi non sint (*1 Pater*).

R. — Mens tamen Concilii clare explanatur in Relatione ad Aulam Conciliarem facta.

34 — Pag. 22, linea 18, loco verbi « provideatur », ponatur « laudandum » (*1 Pater*).

R. — Hoc autem est contra statutum in art. 36 et contra id quod Patres suffragaverunt in emendatione octava, post auditas rationes in Relatione adductas.

35 — Pag. 22, lineis 18-19, loco « partes Ordinarii Missae », dicatur « partes praecipuas Ordinarii Missae » (*1 Pater*).

R. — Sed textus schematis clarior est.

36 — Pag. 22, linea 18, verba « etiam lingua latina » non sunt omnino exacta: nam adsunt in Ordinario Missae etiam aliae linguae, ut graeca (v. gr. *Kyrie, eleison*) et hebraica (*Amen, Alleluia*) (*1 Pater*).

R. — Sed haec verba in omnibus linguis liturgicis assumpta sunt, et uti propria considerantur.

37 — Ab addiscendis partibus Ordinarii Missae linguae latinae, excludantur regiones Missionum, si Episcopi id nimis onerosum vel parum utile iudicent (*1 Pater*).

R. — « Si Episcopi id nimis onerosum vel parum utile iudicent », facultatibus uti possunt, in tertio commate huius articuli indicatis.

38 — Pag. 22, linea 20, post verba « amplior usus linguae vernaculae in Missa », addatur: « excepto Canone » (*22 Patres*).

R. — Sed non videtur opportunum a Concilio formaliter excludi quod in casibus particularibus ab Apostolica Sede concedi possit, uti iam concessum est.

39 — Paragraphus tertia non placet, quia iam continetur in paragrapho prima (*1 Pater*). [12]

R. — Utraque tamen paragraphus omnino differt inter se.

40 — Consilium detur de conficiendis versionibus a Conferentiis Episcopalibus (*1 Pater*).

R. — Iam provisum est in cap. I, art. 36 § 4 huius Constitutionis.

AD ARTICULUM 55

(De Communione sub utraque specie)

Ad paragraphum primam

41 — *a*) Pag. 22, linea 22, deleantur verba « valde commendatur » (*14 Patres*).

b) Pag. 22, linea 22, deleatur expressio « perfectior participatio » (*12 Patres*).

c) Pag. 22, linea 23, deleantur verba « ex eodem Sacrificio » (*3 Patres*).

R. — Haec autem commendatio, quae iam a Concilio Tridentino (Sess. XXII, cap. 6) fiebat, postea iterata est a Benedicto XIV (Litt. Encycl. *Certiores effecti*) a Pio XII (Litt. Encycl. *Mediator Dei*: *A.A.S.*, 39, 1947, p. 565) et nuperrime a S. Rituum Congregatione in Instructione de Musica sacra et sacra Liturgia, diei 3 sept. 1958, n. 22 c.

42 — « Caveatur possibilitas semper communicandi extra Missam » (*4 Patres*).

R. — Expresse dictum est in Relatione, nec videtur explicite dicendum.

43 — « Semper possit, qui vult, Communionem sub una tantum specie recipere » (*1 Pater*).

R. — Hoc evidens est, nec videtur explicite dicendum.

44 — *a*) « Caveatur de perfecta libertate abstinendi sine molestiis a Communione » (*1 Pater*).

b) Pag. 22, linea 24, post verba « Corpus Dominicum sumunt » addatur: « Attentis tamen officiis, quibus homines hodiernis temporibus alligantur, Communionis distributio nullo

[12] temporis spatio restringatur, servatis de iure servandis circa ieiunium eucharisticum » (*1 Pater*).

R. — Haec omnia, quamvis optima, ad nostrum caput non pertinent.

[13] *Ad paragraphum secundam*

45 — Non placet Communio sub utraque specie (*22 Patres*).

R. — Sed si haec vota addantur ad alia 36 vota negativa, adhuc in minoritate remanent.

46 — Exempla allata sint taxativa et non exemplativa (*2 Patres*).

R. — Sed contrarium dictum est in Relatione ad Aulam, et Patres in hoc sensu suffragaverunt totum caput.

47 — Pag. 22, linea 26, dicatur « in paucis casibus » (*1 Pater*).

R. — Hoc autem iudicio Apostolicae Sedis relinquimus.

48 — Communio sub utraque specie limitetur illis casibus in quibus pauci communicandi sunt (*1 Pater*).

R. — Mens Commissionis aperte patet e casibus allatis, in quibus semper pauci sunt communicandi.

49 — Pag. 22, linea 26, dicatur « in casibus et iuxta modum » (*1 Pater*).

R. — Sed res per se satis clara est, nec expressa indigere videtur indicatione.

50 — Communio sub utraque specie non distribuatur in Missa quae celebratur sub divo, aut in locis in quibus difficultas sit ambulandi inter fideles (*1 Pater*).

R. — Res Commissioni postconciliari remittitur.

51 — Facultas sumendi Communionem sub utraque specie vigorem non habeat priusquam proponatur ritus (*1 Pater*).

R. — Iam satis provisum est, siquidem non potest fieri priusquam Apostolica Sedes casus definiat.

52 — Communio sub utraque specie, in casu professionis religiosae, restringatur ad professionem perpetuam (*5 Patres*).

R. — Quia casus allati sunt mera exempla, Apostolicae Sedis erit eos accuratius definire. [13]

53 — Pag. 22, linea 29, deleantur verba « in Missa quae Baptismum subsequitur », ob difficultates magni numeri baptizatorum et deficientiae vini atque instructionis (*2 Patres*).

R. — Casus citati sunt mera exempla, et neminem obligant: nam expresse dicitur « de iudicio Episcoporum ». [14]

54 — *a*) Communio sub utraque specie concedatur tantum ordinatis in Missa suae Ordinationis, exclusis aliis casibus (*2 Patres*).

b) Articulus generaliore modo redigatur et in posterum relinquatur definitio sive casuum sive cautionum sive rituum (*1 Pater*).

R. — Contrarium tamen a Patribus approbatum est cum maxima maioritate.

55 — Latius vel simplicius repetatur doctrina tridentina de Communione sub utraque specie (*2 Patres*).

R. — Hoc extra scopum nostrum versatur; insuper Commissio censet principia Concilii Tridentini, quae ad rem pertinent, satis explicite iam haberi in textu.

56 — Pag. 22, linea 27, loco verborum « de iudicio Episcoporum », dicatur:

a) « de iudicio Episcoporum territorii » (*1 Pater*).

b) « de iudicio Conferentiae Episcopalis » (*1 Pater*).

c) « de iudicio Ordinariorum » (*3 Patres*).

R. — Cum agatur de casibus ab Apostolica Sede definiendis, videtur sufficere iudicium Episcopi pro suo territorio.

57 — Communio sub utraque specie extendatur:

a) omnibus fidelibus, feria V in Cena Domini (*2 Patres*).

b) iuvenibus promissiones Baptismi renovantibus, catechistis et membris Actionis Catholicae missionem canonicam recipientibus (*1 Pater*).

c) ad Missam iubilaeorum tam professionis religiosae quam Matrimonii (*38 Patres*).

R. — Quibus omnibus in mentem revocare liceat casus allatos in schemate esse mera exempla et non enumerationem taxativam.

[14] 58 — Conconsecrantes, in Consecratione Episcopali, concelebrent et communicent sub utraque specie (*2 Patres*).

R. — Rem Commissioni postconciliari remittimus, quae illam considerabit in revisendo Pontificali romano.

[15]

AD ARTICULUM 56

(DE INTEGRA MISSA PARTICIPANDA)

59 — Pag. 22, linea 32, mitigetur expressio « Sacra proinde Synodus vehementer hortatur animarum pastores » (*2 Patres*).

R. — Textus ita emendatus fuerat a Commissione propter rationes a Patribus anno elapso fuse expositas, in quibus petebatur explicita obligatio. Attamen vehemens exhortatio utilior visa est quam explicita obligatio.

60 — Pag. 22, linea 33, deleantur verba « in catechesi tradenda » (*1 Pater*).

R. — Sed non loquimur de catechesi tantum parvulorum, neque ex alia parte intendimus unicum medium proponere.

AD ARTICULUM 57

(DE CONCELEBRATIONE)

61 — Concelebratio:

a) non placet (*18 Patres*).

b) fiat tantummodo in Missa chrismatis (*17 Patres*).

c) non placet in Conciliis, Conventibus Episcopalibus et Synodis (*3 Patres*).

d) non placet in Benedictione Abbatis (*8 Patres*).

e) non placet in Synodis (*1 Pater*).

f) fiat tantum in Cena Domini (*1 Pater*).

g) fiat solummodo dum ipse Episcopus celebrat (*1 Pater*).

h) fiat tantum dum Episcopus vel sacerdos in dignitate constitutus et ad hoc delegatus celebrat (*1 Pater*).

R. — Sed singuli casus concelebrationis suffragati sunt et approbati maxima maioritate votorum.

62 — In Missa Consecrationis Episcopi concelebrent tum Consecratus et Consecrans, tum Episcopi Conconsecrantes necnon et alii Episcopi vel sacerdotes assistentes (*2 Patres*). [15]

R. — Casum proponimus considerationi Commissionis postconciliaris, ut rem videat cum agetur de revisendo Pontificali romano.

63 — *a*) Non possint concelebrare qui iam celebraverunt vel celebraturi sunt aliam Missam (*1 Pater*).

b) Possit concelebrare etiam qui aliam Missam eodem die celebrare debet (*1 Pater*). [16]

R. — Decisio ad disciplinam pertinet.

64 — Concelebratio tantummodo a Conferentia Episcopali permitti valeat (*1 Pater*).

R. — Quod certe esset valde incommodum.

65 — Pag. 22, linea 36, ne dicatur « in Ecclesia tam Orientali quam Occidentali » (*1 Pater*).

R. — Erga hunc Patrem grati sumus de hoc errore detecto, qui iam in alia parte huius schematis emendatus fuit, et proponimus dicere: « in Ecclesia usque adhuc in usu remansit, tam in Oriente quam in Occidente ».

66 — Pag. 22, linea 36, loco « remansit », dicatur « perdurat » (*1 Pater*).

R. — Tamen « remansit », melius exprimit realitatem historicam.

67 — Deleatur:

a) integer n. 2 primae paragraphi (*9 Patres*).

b) tota littera *a*) paragraphi secundae (*6 Patres*).

c) tota littera *b*) paragraphi secundae (*11 Patres*).

R. — Haec omnia a Patribus expresse approbata sunt, maxima maioritate, in suffragatione de singulis casibus concelebrationis.

68 — *a*) Pag. 23, linea 5, post verba « de licentia Ordinarii », addatur: « servatis quae a iure et a rubricis statuentur » (*1 Pater*).

b) Post verba « eiusque disciplinam moderari », addatur: « ad normam instructionum quae a Sancta Sede dabuntur » (*1 Pater*).

[16] R. — Iam provisum est in art. 58, in quo agitur de novo ritu conficiendo.

69 — Pag. 23, linea 5, post verba « de opportunitate concelebrationis », addatur: « in singulis casibus » (*1 Pater*).

R. — Sed hoc esset nimis onerosum, immo aliquando impossibile.

70 — *a*) Supprimatur concelebratio « ad Missam conventualem », quia ei non adest populus (*1 Pater*).

[17] *b*) Supprimatur concessio concelebrationis « ad Missam principalem » (*1 Pater*).

c) Addatur in fine « de consensu Sanctae Sedis » (*1 Pater*).

R. — Duo priora obstant emendationibus expresse, et magna quidem suffragiorum maioritate approbatis; tertium non videtur necessarium.

71 — Pag. 23, linea 7, post verba « in ecclesiis » addatur « in oratoriis sive publicis sive semipublicis » (*12 Patres*).

R. — Satis provisum est in Relatione lecta coram Concilio.

72 — *a*) Pag. 23, linea 8, impugnatur verbum « singularem » (*1 Pater*).

b) Pag. 29, linea 10, loco « in conventibus sacerdotum », dicatur: « occasione conventus sacerdotum » (*1 Pater*).

R. — Emendationes non videntur acceptandae, cum utraque locutio sit bonae latinitatis.

73 — Pag. 23, linea 10, loco « in conventibus sacerdotum », dicatur: « in conventibus religiosorum » (*1 Pater*).

R. — Fortasse Pater intellexit « conventus » in sensu « domorum »; sed textus agit de adunationibus, in quibus plures conveniunt.

74 — Addatur: « tantum in casibus a Conferentia Episcopali definiendis » (*2 Patres*).

R. — Quod videtur nimis restrictivum.

75 — *a*) Pag. 23, linea 15, deleantur verba « non tamen eodem tempore in eadem ecclesia » (*2 Patres*).

b) Pag. 23, linea 15, post verba « in eadem ecclesia », addatur: « tempore concelebrationis » (*6 Patres*).

R. — Timent hi Patres ne quis dicat prohibitam esse celebrationem plurium Missarum singularum in eadem ecclesia, simul. Sed sufficienter patet agi tantum de prohibitione celebrandi Missas singulares eodem tempore quo fit concelebratio. [17]

76 — Pag. 23, lineis 15-16, deleantur verba « nec feria V in Cena Domini » (*8 Patres*).

R. — Haec verba posita sunt ne, qui feria V in Cena Domini prohibentur Missam singularem celebrare, censeant se ex hoc articulo facultatem eam celebrandi accipere.

77 — Pag. 23, linea 16, addatur in fine paragraphi: « nisi necessitas pastoralis aliam Missam exigat » (*1 Pater*). [18]

R. — Hoc tempore concelebrationis admitti nequit. Extra tempus concelebrationis a nemine prohibetur.

PARS ALTERA

MODI QUI PECULIARI CONSIDERATIONE DIGNI VISI SUNT

Quidam Modi circa art. 54, de lingua vernacula in Missa, art. 55, de Communione sub utraque specie, et art. 57, de concelebratione, prolati, peculiari consideratione digni visi sunt; proinde in hac altera parte de ipsis fusius agitur.

AD ARTICULUM 54

(DE LINGUA VERNACULA IN MISSA)

78 — Pag. 22, linea 16, post verba « quae ad populum spectant », addatur: « necnon in orationibus sacerdotalibus extra Canonem quibus populus respondere debet » (*108 Patres*).

R. — Ratio quae adducitur est: quia populus debet intelligere id ad quod respondet *Amen*.

Omnibus perpensis quae a Patribus animadversa sunt in disceptatione Aulae circa hanc quaestionem, Commissioni visum est articulum 54, in genere, sufficientem praevidere concessionem linguae vernaculae in partibus, quae magis directe fideles respi-

[18] ciunt. Et ita satisfacit condicionibus ordinariis. Insuper, in tertia paragrapho, expresse praecaventur necessitates peculiares locorum in quibus « amplior usus linguae vernaculae in Missa opportunus esse videatur »: et ad hoc revocat art. 40 Constitutionis, iuxta quem competens auctoritas territorialis potest ampliores facultates ab Apostolica Sede impetrare.

His ergo prae oculis habitis, Commissio proponit ut articulus prouti iacet servetur.

[19]

AD ARTICULUM 55

(De Communione sub utraque specie)

79 — Pag. 22, linea 29, post verba « in Missa quae Baptismum subsequitur », addatur: « necnon Sponsis in Missa celebrationis Matrimonii » (*120 Patres*).

R. — Rationes quae adducuntur sunt: ex tribus exemplis allatis pro sacerdotibus, religiosis et laicis, duo priora omnia membra illius coetus attingunt, dum tertium quibusdam tantum favet, scilicet iis qui Baptismum in adulta aetate suscipiunt. Aliunde duo priora exempla desumuntur ex actibus cuiusque coetus propriis, dum Baptismus communis est omnibus christianis. Congruentius ergo tertium exemplum sumeretur ex Sacramento quod exclusive laicos respicit, sicuti est Matrimonium.

Revera exemplum propositum pulchrum est, et rationes quibus fulcitur non minoris revera momenti sunt, numerusque Patrum qui illud proponunt attendendus. Attamen, Commissioni de sacra Liturgia visum est huiusmodi exemplum adaequate proponi non posse cum omnibus cautelis necessariis, in brevi textu articuli. Ceterum, cum casus allati sint tantum ad modum exempli adducti, magis opportunum visum est ut competens auctoritas territorialis, prae oculis habitis utilitatibus quae fidelibus suae regionis obvenire possint, utatur suis iuribus illam concessionem proponendo et obtinendo directe ab Apostolica Sede, intra casus ab ipsa Apostolica Sede definiendos. Commissio enim de sacra Liturgia nullam exceptionem contra casum allatum profert.

Unde eadem Commissio proponit ut articulus 55 intactus servetur.

AD ARTICULUM 57 [19]

(De concelebratione)

80 — Pag. 23, linea 5, post verbum « Ordinarii » addatur: « loci » (*558 Patres*).

Aliae formulae circa eandem rem propositae sunt:

81 — Post verbum « Ordinarii », addatur: « loci »; ac sub littera *b*), loco « tum saecularium tum religiosorum », dicatur: « si autem agatur de religiosis in suis domibus, requiritur tantum licentia Superioris maioris » (*1 Pater*).

82 — Post verbum « Ordinarii », addatur: « loci »; sed addatur insuper littera *c*): « In sacellis non publicis religiosorum competens auctoritas est Superior maior » (*1 Pater*).

83 — Ordinario loci submittantur oratoria religiosorum quae de facto habitualiter christifidelibus patent (*1 Pater*). [20]

84 — Distinguatur inter religiosos qui ad solemnem Officii divini celebrationem tenentur et ceteros. Pro prioribus sufficeret licentia Superioris maioris, pro alteris requireretur etiam licentia Episcopi (*1 Pater*).

85 — « Accedente licentia Ordinarii loci, cuius est de opportunitate ... moderari; et tantum in cathedralibus, in ecclesiis paroecialibus et in ecclesiis conventualibus, dummodo concelebratio fiat a saltem sex sacerdotibus » (*1 Pater*).

R. — Commissio unanimiter declarat se numquam voluisse aliquid detrahere de iure quod Episcopo secundum ius vigens competit, moderandi scilicet cultum in sua dioecesi. Ad sensum vero huius articuli clariorem reddendum, Commissio proponit ut de competentia Episcopi in moderanda disciplina concelebrationis magis explicite caveatur addendo novum numerum in paragrapho secunda his verbis: « Ad Episcopum vero pertinet concelebrationis disciplinam in dioecesi moderari ». Textus proinde ita erit:

2° *Praeterea, accedente licentia Ordinarii, cuius est de opportunitate concelebrationis iudicare*:

a) ad Missam conventualem et principalem, etc.

b) ad Missas in conventibus cuiusvis generis sacerdotum, etc.

§ 2. 1° *Ad Episcopum vero pertinet concelebrationis disciplinam in dioecesi moderari.*

2° Salva tamen semper sit, etc.

Ideo sensus articuli est Episcopo competere concelebrationem in ecclesiis quoque religiosorum exemptorum ad normam iuris moderari.

* * *

Venerabiles Patres,

Commissio de sacra Liturgia Modos a Vobis tanta sapientia propositos magna cum diligentia expendere curavit. Huiusmodi vero expensionis Relationem Sodales Commissionis nunc Vobis reverenter submittunt, et fidenti animo Vestram approbationem postulant.

Moderator: Gratias, exc.me Pater.

Continuando nunc disceptationem circa schema *de Oecumenismo* in genere, velit loqui... [*Breve intervallum*]. Exc.mus secretarius generalis leget nunc primum modum.

Secretarius generalis: Patres venerabiles, antequam legam primum modum, vobis communico quod suffragatio super integrum schema *de Instrumentis communicationis socialis,* per *placet* et *non placet,* post debitam relationem circa modos propositos, habebitur feria II proximae hebdomadae.

Nunc lego primum modum. Videatis pag. 3: « Modis accurate expensis, prouti in sequenti relatione exponitur, commissio una tantum textus mutationem proponendam esse censuit circa art. 57 (de Concelebratione), quae proinde Patrum suffragationi subicitur ».

Et hoc est quaesitum cui respondendum est *placet* vel *non placet*: « An placeat ut in art. 57 (pag. 23 huius fasciculi, linn. 5 et 12) textus, ob rationes in " relatione " expositas (videatis pag. 20), mutetur prout sequitur: ... ».

Lego tantum novum textum, qui est in parte dextera [*cf. p. 575*].

Ut videtis, Patres, mutationes sunt duae: abolita est expressio « eiusque disciplinam moderari », quae est notis cursivis in parte sinistra; et addita est haec alia dispositio, quae pariter impressa est notis cursivis, « ad episcopum vero pertinet concelebrationis disciplinam in dioecesi moderari ».

Nunc, vero, suffragatio dicet utrum haec immutatio placeat an non placeat.

Moderator: Circa, igitur, schema *de Oecumenismo* in genere...

PATRUM ORATIONES
(de Oecumenismo in genere)

1

EM.MUS P. D. ALBERTUS GREGORIUS CARD. MEYER
Archiepiscopus Chicagiensis *

Venerabiles Fratres,

Unam brevem *atque generalem* [1] animadversionem vellem facere de hoc schemate in genere.

Schema in genere placet tamquam basis ulterioris disceptationis. Specifice placet structura schematis cum inclusione *duorum capitum, quarti et quinti, nempe de Iudaeis et de libertate religiosa.*[2] Quaestiones de quibus *haec duo capita* [3] tractant omnino a Concilio tractari debent. Necessarium non duco repetere optima argumenta, *quibuscum consentio,*[4] iam allata a duobus relatoribus pro his capitibus. Datur quidem differentia opinionum de loco vel de schemate ubi melius hae duae quaestiones tractandae essent. Mea opinione, et puto me exprimere etiam sententiam multorum aliorum Patrum, praesertim ex Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, hae duae quaestiones intime cohaerent cum tota quaestione de oecumenismo, tam theoretico quam practico.

Schema utique perfici potest et debet iuxta ea quae iam in scriptis emendationibus habentur, atque etiam iuxta ea quae sapienter iam dicta vel dicenda sunt in aula. Vehementer autem opto ut totum schema nobis exhibitum, *capitibus quarto et quinto* [5] inclusis, tamquam basis ulterioris disceptationis accipiatur. Et dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] duarum paragraphorum, quartae et quintae. [3] hae duae paragraphi. [4] deest. [5] paragraphis quarta et quinta.

---

* Die 18 novembris 1963 P. D. Floyd L. Begin, praeses coetus conciliaris episcoporum Americae Septemtrionalis de oecumenismo, secretariae Concilii communicavit: « Die 17 novembris 1963, 110 ex 120 episcopis ex hierarchia episcopatus in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis adunatis approbaverunt interventionem em.mi Alberti card. Meyer ».

2

EM.MUS P. D. ANTONIUS CARD. BACCI

Venerabiles Fratres,

De schemate in universum circa Oecumenismum quam brevissime possum loquar, duas tantum animadversiones proponens.

1. Titulus *de Oecumenismo* non placet, etiamsi adiciatur adiectivum, seu dicatur « de Oecumenismo catholico ». Non placet autem duabus de causis:

a) Quia verbum « Oecumenismus » apud populum immo apud omnes accipitur ut motus ille, quo variae Confessiones acatholicae inter se concordare contendunt, quod ceteroquin usque adhuc numquam reapse contigit. Vox, igitur, « Oecumenismus » apud non paucos ingenerare potest confusionem et intellegi etiam ut « interconfessionalismus », quod omnino vitandum est. Neque remedium adhiberi potest dicendo « de Oecumenismo catholico », quia nobis non licet mutare significationem vocabulorum quam communis usus invexit, secundum sententiam Horatii: « Usus te plura docebit ».

b) Non placet praeterea, quia adiecta sunt duo capita, quae ad Oecumenismum non pertinent, nempe de Iudaeis, et de libertate religiosa; oecumenismus enim pertinet tantum ad unitatem christianorum fovendam. Quae dixit em.mus card. Bea hac in aula de Iudaeis placent admodum, ac *libentissime*[1] assentior; sed non videtur cur, si de Iudaeis agitur, qui christiani non sunt, etiam de aliis populis non dicantur, qui, quamvis non christiani, Deum tamen diversa religione colunt, et qui minore benevolentia ab Ecclesia haberi non possunt.

Propono igitur sequentia: aut efficiatur aliud schema, quod de Iudaeis agat, aut mutetur titulus huius schematis hoc modo: « De christianorum unitate fovenda et de agendi ratione cum aliis religionibus »; ideoque addatur etiam aliud caput, quod de ratione agendi agat *cum*[2] aliarum religionum *sectatoribus*.[3]

Quod autem dixi de Iudaeis (cap. IV), idem dicendum esse puto de cap. V, nempe « de religiosa libertate », quae quaestio doctissime optimeque heri proposita est ab exc.mo episcopo De Smedt. Doctissime quidem et optime, sed quaestio non pertinet tantum ad oecumenismum sed ad omnes religiones, quae huiusmodi libertate frui debent.

2. *Secunda*[4] *animadversio.* Schema *de Oecumenismo* mihi videtur valde verbosum, atque interdum etiam mihi videtur laborare ambiguitate verborum in rebus sane gravissimis. Unum exemplum affero, seu cum

agitur de primatu Summi Pontificis, ut iam praeclare notavit ...[5] Patriarcha orientalis, cuius nomen ex mea memoria excidit. V. g., in pag. 7, v. 27, dicitur Dominum elegisse Petrum « ut fratrum suorum collegio praeesset », quod iterum suscitare videtur quaestionem de collegialitate, non eo sensu, quo ab omnibus admittitur, sed de collegialitate ut congubernatione totius Ecclesiae, quae sententia est saltem *periculosa*.[6]

Praeterea, in pag. 23, v. 2, dicitur « officium Romanae Sedis (esse) praesidere in caritate », nihil adiungendo de vera iurisdictione primatus Romani Pontificis.

Atqui, venerabiles Patres conciliares, si volumus, si cupimus — ut reapse vehementer cupimus — allaborare omnes ad unitatem omnium christianorum fovendam, primo loco pernecesse est ut doctrina catholica clare et integre pateat ante oculos dilectissimorum fratrum, qui a nobis — proh dolor — seiuncti sunt. Si haec doctrina timido et involuto modo tantum affulgeat, optatissimus *ille*[7] dialogus haberi non potest, quia oecumenismus permanet res incerta, manca, ne dicam inanis. Caveatis igitur, venerandi Patres!

Liceat mihi brevem parenthesim facere. Die XXX octobris, antequam quinque illi famosi articuli ad suffragationem vocarentur, ego, postquam consilium quaesieram a variis Patribus *ex quibus non paucis em.mis cardinalibus*,[8] facultatem loquendi petii.* Sed haec facultas mihi denegata fuit; et articuli illi, sine necessaria disceptatione ad *suffragationem*[9] vocati sunt. Quamobrem ego, ex officii *mei*[10] conscientia, Summum Pontificem appellavi, causam referens Sanctitati Suae.

Haec habui quae meditationi, *quae*[11] prudentiae, *quae*[12] sapientiae vestrae proponerem.

In textu scripto tradito: [1] libenter. [2] circa. [3] sectatores. [4] Altera. [5] venerabilis. [6] periculosissima. [7] deest. [8] inter quos em.mus card. Cicognani a Publicis Ecclesiae Negotiis. [9] suffragia. [10] deest. [11] deest. [12] ac.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis leget nunc secundum modum *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis: Secundus modus, venerabiles Patres, est sub n. III. Nam quae habentur sub n. II, pag. 4, scripta sunt tantum explicationis causa. Nihilominus lego, sed circa haec suffragatio fieri non debet: [*cf. p. 576*]. Ut videre potestis, mutatio est pure accidentalis

* Cf. Vol. II, pars III, pag. 672.

et formalis. Sed suffragatio facienda est sub n. III, qui ita sonat: « Praeterea, circa art. 54 (De lingua vernacula in Missa) et art. 55 (De Communione sub utraque specie)... [*cf. p. 576*].

« Proinde sequentia quaesita proponuntur... » [*cf. p. 576*]. Quae tamen quaesita seorsim suffragationi subicientur. Ergo, primo quaeritur: « An placeat responsio data a commissione circa art. 54 ». Nunc, tantummodo circa hoc quaesitum suffragandum est. Et claritatis causa, ne vos, venerabiles Fratres, nimio taedio affecti sitis, lego ipse quae continentur in pag. 18, quamvis exc.mus relator hoc iam fecerit. Videatis pag. 18... [*cf. p. 595-596*].

Ideo, respondeatis, quaeso, Patres venerabiles, ad hoc quaesitum: « An placeat responsio data a commissione circa art. 54 », quam modo legi.

3

EXC.MUS P. D. ANGELUS IOSEPH JELMINI

Episcopus tit. Thermensis, adm. apost. Luganensis

Helvetiae episcopi, in quorum nomine loquor, venerabiles Patres, nec ea quae in schemate *de Ecclesia* dicta fuerunt, repetere, nec ea quae in praesenti schemate iam miro in modo dicuntur parvi pendere, intendunt; sed solummodo, si fieri potest et licet, maiorem clarificationem afferre optant.

1. Nemo est qui in Ecclesiam intret qui non aliquo modo in Ecclesia iam vivat. Quo fit, ut Ecclesia non sit societas in seipsa clausa, sed societas aperta dimensionibusque totius generis humani semper et ubique extensa. Omnes, enim, quos Ecclesiae dat Pater, ad Ecclesiam veniunt, et nullus eiicitur foras...[1] Ambulant gentes in lumine Ecclesiae. Omnes ad eam congregantur. Filii et filiae de longe veniunt. Dilatabitur cor Ecclesiae quando conversa fuerit multitudo maris, quando fortitudo gentium eam operiet ...[2]. Sed haec verba Isaiae prophetae de Ecclesia vere dici possunt non nisi prout Mater Ecclesia luminis fulgoribus Christi mortui et resurgentis adornetur. Ideo, ad oecumenismum catholicum melius proponendum, sub quodam aspectu centrali Ecclesia contemplari debet, praecise sub illo aspectu quo Paulus VI hanc sessionem inchoando, instabat: « Christum, Christum dicimus principium nostrum esse ».

Etenim Christus est alpha et omega spiritus oecumenismi. Ecclesia aut est Christi, aut nihil est, ita ut Ecclesia Christi iam aliquo modo omnes qui in Christum credunt comprehendit, et est iam communis do-

mus omnium christifidelium, immaculata quidem ex praesentia Christi, maculata autem ex nostris schismatibus. Ideo plenitudine unitatis ex praesentia Christi Ecclesia Christi gaudet, sed, ut bene in nostro schemate dicitur, illa plenitudo unitatis perfectius manifestanda est, et omnibus magis accessibilis reddenda est. Ita ut unitas et unicitas Ecclesiae nec sit aliqua uniformitas sed unitas in diversitate, nec diversitas sit aliqua confoederatio Ecclesiarum sed diversitas in unitate.

2. Valde placet ut enumerentur ea quae pertinent ad renovationem catholicorum mediante conversione cordis etc., sed requiritur etiam, ad oecumenismum catholicum fovendum, ut structura non divina quidem, sed humana, sed ecclesiastica, sed latina, renovetur in sensu...[3] dicto « aggiornamento », quod a Concilio Vaticano II tam diligenter, tam patienter in omnibus schematibus prosequitur. Ita ut spiritus oecumenismi sit simul spiritus pastoralis et clare appareat finem Ecclesiae et unionem cum Christo unum esse.

3. Optime iam in schemate nostro distinguitur inter Ecclesias orientales et communitates a saec. XVI exortas, Valdensibus non omissis; sed in his omnibus tanta diversitas invenitur, ut necesse sit ostendere quomodo Ecclesiae separatae plus minusve ad solam communionem catholicam Ecclesiae Christi sese appropinquent, sive quoad sacramenta, sive quoad verbi praedicationem et hierarchiam. Potestne Vaticanum II fratrum nostrorum oblivisci qui post Vaticanum I a nobis discesserunt, qui sunt veteres catholici, « vieux catholiques », « Altkatholiken »? Quibus autem Ecclesiae catholicae porta aperta est et cor magis.

4. Non solum de Iudaeis nobis videtur esse loquendum, sed de Mahometanis et quidem in diebus nostris atheismi, de omnibus illis qui in Deum credunt et propter suam fidem in Deum persecutionem patiuntur. « Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet eum et operatur iustitiam, acceptus est illi ...[4]. Ideo Ecclesia Christi sese offerre debet ut amica omnium in Deum credentium.

5. Denique, agendum videtur non solum de libertate conscientiae personae humanae, sed etiam de libertate omnium communitatum credentium ita ut omnes communitates libertatem obtineant in omnibus quae spiritualem hominis vitam foveant. Sicut de cetero bene affirmatur in relatione cap. V de libertate religiosa *heri*[5] lecta.

Nec dicatur illa conscientiarum libertas tum singularium personarum tum earundem communitatum ad schema nostrum non pertinere. Quinimmo libertas sic intellecta est conditio sine qua non oecumenismi. Neque dicatur quaestio de Iudaeis schemati nostro aliena esse. Haec quaestio maxime attinet ad elaborandam unionem inter omnes christifideles quia, 1. schisma inter Synagogam et Ecclesiam est fons omnium

aliorum schismatum, et, 2. ut S. Paulus ait, totius Israel conversio et adsumptio erit vita ex mortuis ...[6]. Sed de his omnibus secundum singula capita emendationes ad secretariatum mittemus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Io.* 6, 37). [2] (*Is.* 60). [3] sic. [4] (*Act.* 10, 34). [5] nuper. [6] (*Rom.* 11, 15).

Moderator: Exc.mus secretarius generalis nunc proponet aliud quaesitum circa modos *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis: Quaeritur: « An placeat responsio data a commissione circa art. 55 ».

Legam quaesitum et responsionem pag. 19... [*cf. p. 594*].

Respondeatis, ergo, Patres venerabiles: an placeat responsio data a commissione circa art. 55, quam modo vobis legi.

4

Exc.mus P. D. ANDREAS SAPELAK

Episcopus tit. Sebastopolitanus in Thracia

Venerabiles Patres conciliares,

Loquor nomine decem episcoporum Ucrainorum. Primo aspectu schema decreti *de Oecumenismo* videri potest ut aliquid novi in Ecclesia catholica. Saltem ipsa denominatio nova est. Sed, cum definitionem Oecumenismi inspiciamus, quae in ipso schemate invenitur, dicendum est Oecumenismum nihil aliud esse quam traditionalem actionem Ecclesiae ad unitatem christianorum fovendam. Sed ut clare pateat sub nomine Oecumenismi agi de hac traditionali actione Ecclesiae catholicae ad unitatem christianorum fovendam ac restaurandam, praesertim quoad Ecclesias orthodoxas, ita titulum schematis complendum esse videtur: « *De Oecumenismo seu actione ad unitatem christianorum restaurandam* ».

Certe in schemate decreti *de Oecumenismo* ista traditionalis actio Ecclesiae catholicae novum vigorem ac universalitatem obtinet, et ad Communitates quoque christianas separatas, quae saec. XVI exortae sunt, actionem suam dirigit. Consequenter novi ac foecundi fructus ex hac communi actione praevidentur.

In schemate nostro videtur agi potius de principiis generalibus ac theoreticis ad fraternas relationes inter omnes christianos fovendas,

quam de ipsa christianorum unione. Hoc necessarie evenire debuit, quia simul ac aeque considerantur, et quidem in eodem Capite, venerabiles Ecclesiae orientales ac communitates protestanticae. Quinimmo Ecclesiis orientalibus seiunctis solummodo septem numeri in cap. III dedicantur, dum de quadam « peculiari consideratione » loquitur; e contra in aliis capitibus schematis indiscriminatim de omnibus christianis seiunctis agitur. Generatim peculiaris dignitas Ecclesiarum seiunctarum orientis obscuratur, et condicioni communitatum christianarum occidentis favetur: hinc eximium baptismi valorem extollendo, illinc nihil dicendo de sacerdotio sacramentali apud venerabiles Ecclesias separatas orientales, neque de aliis sacramentis.

Relate ad Ecclesias seiunctas Orientales eadem materia in duobus schematibus nobis praesentatur: in schemate nempe *de Oecumenismo* et in schemate decreti *de Ecclesiis orientalibus*. Post accuratum examen duorum textuum relate ad Ecclesias orientales, respective a commissione conciliari pro Ecclesiis orientalibus ac a secretariatu ad unitatem christianorum fovendam exaratorum, mihi videtur non posse acceptari textus in schemate decreti *de Oecumenismo* propositus *relate ad Ecclesias orientales* [1] propter has principaliores rationes:

1. Primum grave defectum nostri schematis est carentia fundamentalis distinctionis inter venerabiles Ecclesias seiunctas orientis et communitates protestanticas occidentis, quae distinctio in sacerdotio sacramentali principaliter consistit. Sub hoc respectu Ecclesiae orientales separatae cum Ecclesia catholica eadem fide, eodem sacerdotio Christi, iisdem sacramentis uniuntur. Unicum impedimentum ad perfectam communionem est carentia unionis cum Sede Romana, quod relationes sacramentales cum Ecclesia catholica — praesertim Eucharistiae — suspendit, quia hae relationes unionem perfectam praesupponunt. Ideo alius sermo erit de unione instauranda cum fratribus orthodoxis, alius cum fratribus communitatum seiunctarum occidentis. Hic defectus deest in schemate *de Ecclesiis orientalibus,* quia de sacerdotio sacramentali apud orientales expresse fit mentio.

2. Secundus defectus schematis *de Oecumenismo* consistit in carentia claritatis dum « de necessariis condicionibus ad unionem feliciter restaurandam » loquitur. Post genericam affirmationem « ad communionem et unitatem restaurandam opus esse nihil ultra imponere oneris quam necessaria », sermo est de quadam « praesidentia in caritate » Romanae Sedis relate ad Ecclesias orientales ante separationem vigente. Sed haec « praesidentia » significare potest « primatum honoris », quod ab omnibus Ecclesiis orientalibus seiunctis Romanae Sedi agnoscitur.

De hoc fundamentali argumento multo clarius exprimitur parallelus

textus in schemate *de Ecclesiis orientalibus* cum de necessariis ad unionem restaurandam fit sermo.

3. Schema decreti *de Oecumenismo* ignorare videtur plurisaecularem Ecclesiae catholicae actionem pro unione Ecclesiarum seiunctarum orientis, cuius fructus constituunt circiter 12.000.000 fidelium orientalium in sinu Ecclesiae catholicae viventium, cum 120 episcopis in communione perfecta cum Sede Romana. Nihil in schemate de hac praesentia fidelium orientalium in Ecclesia catholica, qui quemdam pontem naturalem ad unionem generalem restaurandam constituunt saepe proprio sanguine causam Unionis firmantes ac culpas separationis lavantes, duce S. Iosaphat cum plurimis pastoribus orientalibus, qui etiam hodierno tempore pro fidelitate Ecclesiae catholicae in carcere obierunt. Ignorare hanc traditionalem actionem Ecclesiae ad unionem cum fratribus orientalibus fovendam cum uberrimis eiusdem actionis fructibus, idem est ac viam novam potius theoreticam quam practicam sequi.

Multo magis oecumenicam viam sequitur schema decreti *de Ecclesiis orientalibus,* quia a praesentia fidelium orientalium in Ecclesia catholica tamquam a probato fundamento ad ulteriores progressus procedit; et actualem statum rerum orientalium in Ecclesia catholica perfectibilem considerat in quantum « disciplina ecclesiastica et ordo hierarchicus, mutationem ac perfectiorem valent recipere formam, quae omnium christianorum orientalium unitati magis respondeat et dignitati melius consulat ».

Ecclesiae enim orthodoxae diligenter scrutantur quem locum in Ecclesia catholica fratres orientales teneant, qui locus post unionem cum Sede Romana, etiam eorum condicionem in Ecclesia catholica constituere deberet. In structura hierarchica praesertim maiores difficultates inveniunt, quia nunc temporis ne quidem 2.000.000 fidelium orientalium in Ecclesia catholica viventium Patriarchas habent, et circiter 10.000.000, secundum disciplinam orientalem, in statu quodam acephalo vivunt.

Conclusio. Propter has principaliores rationes humiliter proponere audeo:

1. Ut una cum schemate decreti *de Oecumenismo* etiam secunda pars schematis *de Ecclesiis orientalibus,* sub titulo « De unione christianorum orientalium », iam in congregatione generali die 1 decembris probata, denuo in hac disceptatione resumatur.

2. Ne considerentur in eodem capite simul omnes christiani ab Ecclesia catholica seiuncti; sed in altero capite venerabiles Ecclesiae orientales, et in altero autem, communitates christianae inde a saec. XVI exortae.

3. Caput venerabiles Ecclesias orientales respiciens, constet ex secunda parte schematis *de Ecclesiis orientalibus* sub titulo « De unione christianorum orientalium », iam quoad substantiam approbatum, claris principiis constans, ac Ecclesias orientales digna consideratione pertractans.

Nec obstet difficultas differentiae styli. Haec differentia necessaria est, quia de duabus mentalitatibus agitur, quae toto caelo inter se differunt.

4. Materia schematis *de Oecumenismo* communitates inde a saec. XVI exortas respiciens, in capite separato collocetur.

Cum hac substitutione ac ulteriori perfectione textus schematis *de Oecumenismo*, ab orientalibus, praesertim fratribus separatis, accipi potest.

Quoad autem cap. V, de libertate religiosa, haec solummodo dicam: Si de hoc gravi argumento in schemate *de Oecumenismo* loqui debemus, ante omnia elevetur vox clara, firma, huius Concilii contra persecutiones religiosas atheismi militantis. In hac condemnatione atheismi militantis solidarietatem fratrum orthodoxorum ac protestantium ut signum christianae solidarietatis petamus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

[*Subsignaverunt etiam*] Ivan Prasko, ep. tit. Zygritanus, exarcha ap. pro Ucrainis in Australia; Plato Kornyliak, ep. tit. Castrae Martis, exarcha ap. pro Ucrainis in Germania; Nilus N. Savaryn, ep. Edmontonensis Ucrainorum; M. Hermaniuk, arch. Vinnipegensis Ucrainorum; Borecky Is.; Bučko Ioannes, Malanczuk Vl., Segedi Ioachim.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis leget nunc quaesitum circa schema *de sacra Liturgia*.

Secretarius generalis: Videatis adhuc pag. 4 sub n. IV. Quaesitum generale proponitur: « An placeat expensio facta a commissione circa modos reliquos articulos cap. II respicientes ».

Etiam hic, suffragatio est per *placet* et *non placet*.

Attendatis, Patres venerabiles: si suffragationes fuerint omnes positivae, hora circiter undecima cum dodrante, nempe cum tribus quadrantibus, fiet suffragatio super integrum caput. Rogamini, igitur, ut illa hora omnes vestris locis sedeatis. Hora undecima cum tribus quadrantibus.

5

EXC.MUS P. D. CASIMIRUS MORCILLO
Archiepiscopus Caesaraugustanus

Venerabiles Patres, Observatores et Auditores dilectissimi,

1. Vere gaudentes *hoc thema oecumenismi* salutamus in Vaticanum II insertum. Nunc primo simile argumentum in Concilio oecumenico disceptatur.

Non quia Ecclesia praetermiserit neque suum officium fidelem sese praebendi unitati essentiali, quotidie in manibus Sponsi confisae quem orat « coadunare digneris », vel sollicitudinem maternam neglexerit qua ulnas suas aperit omnibus e suo gremio avulsis. Sint huic testimonio preces liturgicae feriae VI Maioris Hebdomadae.

Sed quia, cum in aevo maxime ecclesiologo nunc vivamus et diligentem descriptionem Ecclesiae Vaticanum II sibi susceperit, silere non poterat adspectum vere notabilem proprietatis naturae eius, et in dynamismum unitatis ecclesialis vergentem, quod est proprie oecumenismus.

2. Aliud vere mirandum schema nobis servat. Eius *tenorem dico positivum* unde multae cautiones cunctaeque damnationes disparuerunt, quibus adsueti ob textus superiores huius quaestionis eramus. Quid accidit? Non ignorabat Ecclesia pondera christiana in confessionibus disiunctis latentia. Ex suis visceribus proveniunt, « vestigia Ecclesiae » servant, sunt in illis veluti nuclei aurei fodinam referentes. Sed pericula vitabat librationis dogmaticae, neglegentiae, pan-christianismi, qui cavendus erat in primordiis motionis oecumenicae.

Hodie imminuta vel fere omnino superata haec pericula videntur. Et Ecclesia, quae divisionem semper plorans ploravit, *nostrorum fratrum disiunctorum optata impugnandi divisionem laudat gaudens.*[1]

Optime ordinationi Concilii quadrat aspectus positivus huius decreti. Sunt in hodierno conatu oecumenico quam plurimae virtutes aptae ad commune propositum « unum sint » perficiendum. Nonne ineptum esset in solutione huius maximae quaestionis, cooperationem a nostris fratribus disiunctis oblatam renuere?

3. Magnum est thematis propositio eiusque tenor positivus in aula conciliari. Est autem quo ultra *in ordine methodologico* progrediamur?

Novimus fratres disiunctos invitationem « reditus » plane reiicere. Nullius culpae divisionis sontes se vident, credunt se Ecclesiae Christi adhaereri et nucleum christianum servare perfectissime. « Reditus » propositio illis intractabilis est, et arescit ipsas collaborationis radices.

Verum est aliunde quod, suae unitatis et veritatis conscia, nequit

Ecclesia proprio muneri repugnare, quo est « columna et fundamentum veritatis ». Prudentiores fratres disiuncti conscii sunt dogmatis catholici. Quamvis durum sibi videatur, sunt certe persuasi, se in motu oecumenico hoc factum inventuros. Neque eis displicet ut memoremus; potius exigunt ut non celemus, tum ob dignitatem, tum ut non vitetur aspera problematis divisionum propositio.

Sed haec est ulterior quaestio in hac hora Concilii quod vias sternit unitati: *Estne possibile sermonem verum conferre* qui, colloquentibus fideliter sua conservantibus, progressum ad veritatem ducat, quin sit « non » quiddam aprioristicum ex quo cuncta inefficientia iaceant?

Ego quidem ita censeo. Possibilis est verus sermo ...[2], quin dogma prodatur, neque omnis doctrina ad amussim protendatur. Immo censeo Concilium Vaticanum II, si possibile est, suis statutis constans, hoc munus suscipere debere. Non hic quaeritur ut principia fundamentalia cuiusdam methodologiae proiiciantur, sed hoc suspicor constitus duplici obsequio: *a*) in primis veritati, quae nostra non est sed Christi, Evangelii, Ecclesiae; *b*) dein imae observantiae erga colloquentem qui nos adesse sinit nostro dogmati integro, sine censuris; ex quo tenemur vicissim conscientiam sinceram ecclesialem nostri fratris agnoscere.

His fraternis relationibus cognitis, quae dogmata non aequiparant, cognitio perfectior, praeiudiciorum suppressio atque collaboratio arctior, in dies evenire potest.

Denuo: singula non quaerimus, sed tantum possibilem esse methodum statuere: hoc non improbat S. Thomas propugnator progressionis a situ communi ad alium perfectiorem; hoc probant RR. Pontifices, tum hodierni suo exemplo, cum maiores doctrina earum rerum quae « vestigia Ecclesiae » dicuntur.

Ab hac actitudine ad methodum, ulterius iudicium schematis pendet. Unde maximum momentum huius quaestionis procedit: Estne possibile, qua mensura, quove modo dialogum sincerum cum fratribus disiunctis conserere qui conatus oecumenicos christianitatis contineat?

Forsitan Concilium malit conatum inchoare et patienter occasionem propitiam expectare. Sed interea, atque en meum votum, propono:

1. Ut prooemium quoddam intentionem praemonstret decretum constituendi intra limites prudentiae, adiunctis hodiernis penitus perspectis, atque apertis viis ad tempus futurum.

2. Ut fulciatur praeoccupatio methodologica, principiis ordinationis practicae communicata.

3. Ut innovetur titulus cap. I schematis et loco « principia oecumenismi catholici », « principia catholica oecumenismi » inscribatur. Et rationes meae propositionis sunt hae:

a) commodius est ex nostris principiis catholicis elementa vera motionis oecumenicae ut nunc est probare, quam innovare oecumenismum quemdam catholicum ab integro;

b) obsequentius est vocabulario servare oecumenismo notionem habitualem quae in documentis magisterii exponitur;

c) vicinius est indoli conciliari quae adsentit et roborat in quantum fieri potest ea quae idonea nunc sunt. Nunc vero: Oecumenismum catholicum proponere, hoc significare videretur « motionem oecumenicam » plane dissuadere; facultates oecumenismi nondum sufficienter exploratas et evolutas praetermittere; simultatem duplicis oecumenismi suscitare, loco vires augendi cooperatione quadam concorde.

4. Et ultimum verbum rationibus methodologicis fulcitum: De Iudaeis, fratribus Christi secundum carnem, fratribus nostris, hic agere inopportunum censeo. De illis ac de ceteris qui verum Deum colunt agatur in schemate *de missionibus* aut *de praesentia Ecclesiae in mundo*. Illis ex hoc schemate *de Oecumenismo* loqui, nec fratribus christianis seiunctis nec musulmanis, diversa quidem ratione, arridere potest. Methodus oecumenica diversimode procedere debet pro christianis et pro non christianis, etiamsi filii sint Abrahae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] laudat nostrorum fratrum disiunctorum optata eam impugnandi. [2] (« dialogus »).

6

Exc.mus P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifacii

Venerabiles Fratres,

Schema hoc *de Oecumenismo* non parvam exspectationem universis christianis attulit, et nunc ab omnibus felicis exitus maximam spem confert, quia Oecumenismo praestabit evolutionem propitiam (climat favorable), ideoque in Ecclesiae ulteriorem missionem adimplendam influxum permagnum praebebit. Quare non mirandum est quod Summus Pontifex Paulus VI, voluntatem premens praedecessoris sui, qui unitatem fovendam inter proposita Concilii maiora unam assignavit, coniunctionem inter Concilium et oecumenicitatem his verbis plane asseveravit: « Tertia est causa Oecumenico huic Concilio... quae in spiritualium rerum ordine gravissima sane est existimanda: causam dicimus, quae " ad alios christianos spectat "... ».

Has ob causas liceat mihi aliqua dicere: 1. De votis oecumenicis in

mundo christiano hodie praestantibus. 2. De progressu in Oecumenismo ex hoc schemate fauste oriundo.

1. Votum oecumenicum nota peculiaris est nostrorum temporum, et quidem sub specie quadam nova. Iam aetas polemica temporis anteacti expleta est, cum christiani sese ad invicem cognoscere et amare cupiunt, et eis praeprimis importat fidelitatem relate ad fidei mysterium una simul servare.

Christiani a nobis seiuncti in hac re magna a nobis expectant, et recte quidem, ac precibus suis nos adiuvare toto corde volunt. Liceat mihi haec verba referre ex epistola a Synodo Anglicano Canadensi missa ad Conferentiam Catholicam: "... the Executive Council of the Anglican Church of Canada send a word of greeting and good wishes to the Canadian Roman Catholic Bishops at the Vatican Council now in session, together with the assurance of our prayers that God will use this Council for the increase of brotherhood and unity within Christendom ".

Colloquium nostrum cum fratribus seiunctis non sistit in rationibus ordinis mere humanitatis, sed est conversatio vere supernaturalis sub ductu Spiritus Sancti, quem nos omnes audire debemus. Agitur de consensione in fide, nec ullum aspectum relativismi prae se fert dialogus oecumenicus. Audiatur iterum Paulus VI, feliciter regnans, in oratione sua inaugurali: « Nos, ut oportet, fidei nostrae, quem divinam esse plane credimus, apertissime ac firmissime adhaeremus. Attamen pro certo habemus eam minime impedimento esse, quominus ad exoptatam consensionem inter nos et Fratres a Nobis seiunctos deveniatur... ».

Media principalia huius occursus oecumenici, a mundo universo exoptati, resident penes mutuam veniam, amicitiam, fiduciam, orationem ad invicem, dialogum sincerum et authenticum cum communitatibus christianis. Ad rem sunt verba haec Summi Pontificis ad Observatores, die 17 octobris prolata: « L'espérance est notre guide, la prière notre force, la charité notre méthode, au service de la vérité divine, qui est notre foi et notre salut ».

2. Iam in Concilio, voti oecumenici adimpletio inchoatur, et eius faustae evolutionis pignus datur. Etenim:

a) In Concilio Ecclesia catholica publice agnoscit communionem, non equidem perfectam, sed realem tamen, inter nos et alios nostros fratres existere. Schematibus *de Ecclesia* et *de Oecumenismo* confitemur eodem baptismo nos *omnes* in Christum inserere, ideoque ad Dei familiam pertinere. Item nostram communem professionem in nomine Christi Iesu et adspirationem ad unitatem agnoscimus. Urget nos omnes adimpletio missionis Evangelii praedicandi.

Loquendo de nexibus quibus Ecclesia catholica et aliae christianae

communitates in quadam sphera uniuntur, haud theologiae catholicae traditionalis principiis infideles sumus. Nam communiter et semper docuit Ecclesia homines baptismo valide collato in Christo regenerari et a Deo per fidem caritate formatam in suo Filio iustificari. Haec omnia de omnibus christianis vera sunt, et dicenda sunt.

b) Fructus e Concilio et schemate oriturus profundior nostra communio erit, in quantum Concilium ambos in viam ad perfectam reconciliationem simul ambulare docebit. Dixerat Ss.mus Pater Ioannes Fratribus de Taizé: « Le chemin de l'unité, nous ne le voyons plus comme auparavant: nous devons marcher ensemble ».

c) Quomodo, quaeritur, simul ambulabimus, et in viam unitatis incedemus? Per maiorem fidelitatem Christo et Spiritui eius eveniet. In Ecclesia catholica, Spiritus Sanctus sine dubio iugiter operatur. Nihilominus, factis certis docemur eundem Spiritum etiam aliis Ecclesiis uti tamquam instrumentis quibus earum fideles ad Christum attrahuntur et ei uniuntur. Communis ergo via nostra Christus est. Quam optime ait Pastor supremus Paulus VI: « Christum dicimus, principium nostrum esse, Christum ducem et viam esse nostram, Christum esse spem nostram nostrumque finem ». Hac fidelitate erga Christum impulsi, ad cordis necessariam conversionem et ad Ecclesiae Christi corporatam renovationem ducemur.

Conclusio. Quia ista oecumenica orientatio in schemate de quo nunc disceptatur sat exprimitur, pluribus Patribus Conciliaribus Canadensibus et mihi valde placet. Dixi.

7

Exc.mus P. D. IOANNES HEENAN
Archiepiscopus Vestmonasteriensis

Venerabiles Fratres,

Nomine loquor totius hierarchiae Angliae et Cambriae.

Hierarchia Angliae et Cambriae schema *de Oecumenismo* libenter approbat et gaudens recipit. Gaudens dico quia schema nobis mentem Ecclesiae aperit, et directionem pro futuro offert. Illam directionem a suprema auctoritate Ecclesiae omnes nos expectavimus: qua deficiente actio oecumenica apud nos vix florescere potuit.

Sunt qui censebant catholicos Angliae indifferentes esse ad motum oecumenicum. Immo aliqui ex fratribus nostris seiunctis ...[1] ad catholicos extra Angliam ad dialogum oecumenicum instituendum se verterunt. Nunc quidem patet nos nullo modo velle coarctare eorum libertatem

conventus ...[2] oecumenicos in quavis regione mundi adeundi. Attamen summi momenti censemus ut Concilium hoc commendet ut plerumque, quasi ad normam, dialogus inter catholicos et alios christianos intra fines patriae vel regionis ubi degunt fiat. Commendet insuper ut dialogus, quod ad catholicos attinet, sub auctoritate episcoporum illius nationis vel regionis fiat. Et ratio est duplex:

1. quia convenit ut dialogus fiat in contextu conditionum localium in quibus ...[3] catholici et alii christiani ...[4] degunt;

2. quia tandem aliquando, si unitas christiana attingatur, illos omnes simul vivere oportebit.

Ceteroquin[5] quod ad Angliam et Cambriam attinet promissum fratribus seiunctis facimus nos humaniter huiusmodi dialogum promoturos esse.

Libenter affirmamus fidem nostram in Spiritum Sanctum omnes christianos bonae voluntatis ad unionem visibilem inspirantem et adiuvantem. Spiritus Dei opere deficiente actio oecumenica nec incipi potuisset, nec continuari poterit. Suadet Spiritus Dei, et suadet bonus sensus christianus ut omnes qui Christi gloriantur nomine (ut verbis Papae Ioannis utar) inter se uniantur, considerantes magnitudinem hereditatis nostrae communis, et obliviscentes iniurias in praeterito collatas, ita ut in omnibus caritas regnet, et expellatur spiritus dissensionis. Haec unio est praesertim hodie necessaria cum tam multi sint inimici Christi Regnum eius destruere conantes.

Omnes ergo, tum catholici tum fratres seiuncti, ut Papa Paulus VI in initio sessionis II innuit, sincere unitatem quaerere debent corde humili et contrito. Recte schema dicit primum gressum versus unionem esse in renovatione vitae spiritualis propriae. Unio non obtinebitur per argumenta, sed merebitur per bonam vitam.

In hoc spiritu caritatis et humilitatis, et nullo modo crisim instituere volentes, aliquam difficultatem nostram Concilii Patribus aperire volumus. Lacuna enim in schemate *nobis*[6] videtur existere. Natura actionis oecumenicae nondum est omnino clara, et finis eius parum *est*[7] determinatus. Necesse est *ergo*[8] ut omnibus clare luceat motivum vel intentio nostra in dialogo oecumenico; necesse est ut clarus sit et finis proximus et finis ultimus dialogi.

Dialogus oecumenicus (si finem proximum consideramus) non *dirigitur ad animas individuas*.[9] Dialogus *quidem*[10] debet esse conatus sincerus intelligendi fidem fratrum, et fidem nostram illis patefaciendi. Est communicatio fraterna, non dimicatio hostilis. Locum habet principaliter inter communitates, i. e. inter Ecclesiam catholicam et ecclesias vel communitates christianas non catholicas. Fundatur in fiducia mutua,

in caritate plena et non in desiderio victoriam in aliqua argumentatione obtinendi.

Finis ultimus actionis oecumenicae ut patet est unio visibilis omnium christianorum in una Ecclesia Christi ...[11]. In praesenti *autem* [12] ad finem proximum adlaborare debemus, assecutio enim finis ultimi non est in potestate nostra, *sed in manibus Dei.*[13]

Recte schema commendat dialogum oecumenicum. Nobis tamen videtur necessarium ...[14] ut affirmet etiam obligationem praedicandi totam veritatem omnibus hominibus qui illam non cognoscunt. Obligatio illa exsurgit ex praecepto Christi apostolis dato, et debet impleri firmiter, suaviter et magna cum humilitate ab illis qui gratiam plenitudinis doctrinae Christi *perceperunt.*[15]

Optamus ergo ut schema clare dicat *et* necessitatem dialogi oecumenici, *et* obligationem totam veritatem ex voluntate Christi praedicandi. Illam praedicationem nec fratres nostri seiuncti aegre ferent, quia procedit ex bona et honesta, *dico honesta,*[16] conscientia; fidelitatem nostram ad Christi praeceptum demonstrat. Tali modo satisfit *tum* [17] caritati *tum* [18] veritati christianae.

Tali declaratione schemati addita adiuvabitur etiam *ipsa* [19] causa oecumenismi. Sunt enim catholici qui de actione oecumenica ancipites haerent, de felici eius exitu dubitant et de ...[20] periculo quod ex oecumenismo derivare posset *saepius* [21] cogitant. Illi volunt simul cum fratribus in campo sociali adlaborare et ...[22] opera caritatis simul exercere, *sed praeterea nihil.*[23] Haec omnia tamen non sufficiunt. Renovatio Ecclesiae requirit verum dialogum religiosum: haec postulat Summus Pastor, haec optat ipsa *Mater* [24] Ecclesia.

Conclusio. Christiani qui in Anglia vivunt dies in memoriam revocare possunt in quibus amara dissensio illos dividebat, vita eorum erat dimicatione plena, catholici et protestantes putaverunt officium proprium fuisse alteram partem in pugna quadam superare. Gratias Deo ex corde agimus propter amicitiam et bonam voluntatem quae nunc inter christianos regnat. Libenter declaramus in nomine totius hierarchiae Angliae et Cambriae nos ad omnia paratos esse, praeter negationem fidei, ad finem unionis christianorum obtinendum. In specie, nos velle dialogum pleniorem et frequentiorem cum omnibus christianis cuiuscumque denominationis instituere.

Christus in hora sua suprema in ultima Coena Patrem rogavit ut omnes discipuli unum sint. Oratio Christi vana esse non potest. Laboremus ergo omnes, catholici et fratres seiuncti dilectissimi, ut regnum Christi in unitate Ecclesiae sub protectione Mariae Matris Dei quamprimum adveniat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] in Anglia. [2] internationales. [3] in communi. [4] illius regionis. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] instituitur ad animas singulas, nec ad meliorem partem in aliqua argumentatione obtinendam. [10] deest. [11] Finis tamen proximus est cognitio et amor mutuus inter illos qui baptismate uniuntur, professione tamen doctrinae dividuntur. [12] deest. [13] deest. [14] esse. [15] receperunt. [16] deest. [17] et. [18] et. [19] deest. [20] quodam. [21] deest. [22] forsitan. [23] deest. [24] deest.

8

Exc.mus P. D. IOANNES IULIANUS WEBER
Archiepiscopus-episcopus Argentinensis

Ut bene nostis, em.mi Patres et carissimi Fratres, schema praesens *de Oecumenismo* velut synthesis est trium documentorum, scil. schematis *de Ecclesiae unitate* quod continebatur in primo volumine schematum, schematis de Oecumenismo catholico confecti a Secretariatu pro christianorum unione, et cap. XI primitivi schematis « De Ecclesia », sub titulo « de Oecumenismo ».

Atqui, in hoc cap. XI, par. 54, « de Oecumenismo in sacris Liturgiis », legebantur verba a commissionibus praeparatoriis approbata, cum omni sapientia ponderata et prudenter enuntiata, de possibilitate alicuius communicationis in sacris, aut saltem humanioris interpretationis principii de communicatione in sacris non ineunda, praesertim erga orthodoxos. Haec verba in praesenti schemate de Oecumenismo non inveniuntur et de hoc vehementer doleo.

Tempus non permittit singula legere. Audiamus tamen initium paragraphi de sollicitudine Matris Ecclesiae erga omnes suos filios.

« Quia in communitatibus ab Ecclesia separatis, praeter baptismum nonnunquam valide conferuntur sacramenta, et fieri potest ut filii Ecclesiae iure rogare possint ac debeant a ministris separatis eorumdem dispensationem; quia ex altera parte pia Mater Ecclesia maxime desiderat fratres separatos, quantum potest et ipsi indigent, participes facere multorum bonorum, quae Christus Sponsae suae unice concredit ...[1]; quia tandem Ecclesia licet invito animo, tolerat matrimonia mixta, in quibus ineundis pars catholica et pars baptizata acatholica sunt ministri sacramenti: hac de causa non omnis assistentia activa, ea videlicet qua christiani dissidentes in liturgia catholica concursum quemdam effectivum praestant, vel catholici modo simili activo in fratrum seiunctorum liturgia assistunt, de se intrinsece mala dicatur oportet, etsi plerumque huiusmodi participatio graves ob rationes prohibenda sit ».

Principium sic clare exponitur. Quod vero ad applicationes principii, liceat mihi tria excerpta referre:

1. In pag. 83 s., redactor, postquam incommoda et etiam pericula intercommunionis exposuit, addit: « Unde tantum graves ob causas et remotis periculis assistentia activa christianorum separatorum in ipso cultu Ecclesiae admitti potest; dum imprimis pro gravitate necessitatis vel magnae utilitatis spiritualis eorumdem diiudicandum est, an et sub quibusnam conditionibus Ecclesia eos qui non actu proprio ab ea desciverunt, sacramentis succurrere possit »...[2]

2. In pag. 84 s., post similem exhortationem de non-participatione catholicorum cultui non catholico, textus addit: « Ubi autem extrema necessitas spiritualis vel magna saltem utilitas urget, susceptio et petitio sacramentorum a ministro talis communitatis separatae admitti potest, conditionibus modo enumeratis impletis. Agitur enim de sacramentis Ecclesiae propriis quae in cultu obiective vero exhibentur; quare non necessario cum hac receptione adhaesio errori, huius communitatis proprio, coniungitur »...[3]

3. Tandem pag. 85 ...[4] legimus: « Quod vero ad sacramentalia, preces, loca sacra, funera et alia huiusmodi attinet, in quibus ipsa doctrina unitatis Ecclesiae prohibitionem communicationis de se non exigit, Ecclesia ea praescribit quae pro animarum utilitate, tum catholicorum, tum christianorum dissidentium, secundum circumstantias loci et temporis rogantur ».

Haec principia, pastorali sapientia et vero oecumenico spiritu referta, resumenda essent, *forsitan sub forma additionis ad schema praesens,*[5] sub titulo: « De communicatione in sacris, saltem in quibusdam casibus permittenda ». Do rationem meae postulationis.

a) Ultimus textus quem legi viam parat solutioni, per episcopum, multorum problematum quae interveniunt, e. c., in dioecesibus, ut nostra, ubi mille millia catholicorum cum ducentis et quinquaginta millibus protestantium commixti sunt, cum quibus in caritate et concordia vivere debemus et volumus.

b) Priores textus quos vobis legi, respondent religiosis necessitatibus tam catholicorum qui, v. g., in medio orthodoxorum vivunt, ubi nulla assistentia catholici presbyteri inveniri potest, exceptis fortasse magnis urbibus, ut in Russia; tam fidelium ad Ecclesiam orthodoxam pertinentibus qui inter nos degunt, in numero satis magno, et saepe sine praesentia sacerdotis suae confessionis. Non esset caritati conforme, immo saluti animarum nocivum, hos pauperes christianos, qui omnes aeque valorem sacramentorum agnoscunt, relinquere sine receptione poenitentiae et Eucharistiae, quae necessariae sunt ad vitam christianam

ducendam ...[6] et speciatim in hora exitus de hoc mundo maxime optabiles.

c) Haec tolerantia, quae non est restringenda et a multis episcopis, specialiter orientalibus, desideratur, nihil novi affert, cum in praeteritis saeculis communicatio in sacris inter orientales catholicos et dissidentes, v. g., in Libano, non stricte vetabatur, et sine periculo confusionis (cf. Rivista « Istina » *huius anni,*[7] p. 13. Cf. etiam notam 12 in primitivo schemate *de Ecclesia* ...[8]). Etiam nostris temporibus periculum confusionis vitari potest.

Concludo cum verbis primi schematis *de Ecclesia,* quae significationem oecumenicam huius disciplinae bene notant: « Minime... veram communicationem in sacris considerare licet velut *medium universaliter adhibendum* quod ad unitatem omnium christianorum in unica Ecclesia Christi restituendam conducere valeat. Non autem excluditur *aliqua manifestatio religiosa conscientiae multiplicis coniunctionis nostrae cum christianis separatis,* salvis principiis datis, et approbatione praesulum pro loci atque temporis adiunctis »...[9] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] etenim utpote rite baptizati iidem, si bona fide sunt, per se capaces sunt fructuose accipiendi alia sacramenta. [2] (pag. 84, linn. 4-11). [3] pag. 84, lin. 39 ad pag. 85, lin. 4. [4] linn. 15-20. [5] forsan amplius explicanda, et addenda ad pag. 16 praesentis schematis *de Oecumenismo,* post n. 7 aut ad calcem schematis. [6] (cf. *Io.* 6, 53). [7] 1963. [8] pag. 89. [9] (pag. 85, linn. 21-27).

Secretarius generalis: Rogantur Patres qui extra sua loca versantur, ut ad sedes redeant quisque suas. Suffragatio circa modos fuit positiva, et propemodum legetur. Interim, redeant ad suas sedes Patres.

9

Exc.mus P. D. SERGIUS MÉNDEZ ARCEO
Episcopus Cuernavacensis

Venerabiles Patres,

« Benedictus Deus et Pater Domini Nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo » ...[1] Inter bona enim quae nos episcopi in Concilio adunati experimur, excellentissimum locum occupat sic dictus oecumenismus, fructus uberrimus fidei, spei, caritatis, humilitatis, compunctionis, sinceritatis, et via ad

plenitudinem unitatis in veritate, ad quam *ducet* [2] nos omnes Spiritus veritatis... [3]

Decretum ... [4] valde placet. Attamen, quia prima vice Ecclesia catholica oecumenismum suum systematice ... [5] solemniter fratribus christianis non catholicis et universo mundo avide exspectantibus definit, ... [6] quaedam liceat mihi humiliter notare... [7]

1. Schema prae oculis habet communitates — dicendum esset Ecclesias, vel communitates ecclesiales — fratrum non catholicorum organizatas; non vero attingit alias, qui potius motus considerari possunt, e. g. Pentecostales, qui maxima vitalitate sunt praediti, caritate activa imbuti, liturgiam apprime adaptatam habentes, sociologice quasi perfecti, qui generatim aggressivi sunt et magis sentimentalismo quam fide ... [8] aluntur; sed ignorari nequeunt et ceteri fratres non catholici per totam Americam tam Septemtrionalem quam Centralem, Meridionalem et Insularem, attentione magna eos considerant. Solutionem non habeo, sed propono quaestionem.

2. Non dicam bonum esset, sed, ut puto, prorsus necessarium est ut in schemate ... [9] in lucem ponatur specialissimus locus quem pro fovenda unitate cum fratribus non catholicis tenent motus liturgicus et motus biblicus, ambo tamen pastoraliter in actum reducti.

Quid significent christologicus cultus et Scriptura luce clarius omnibus patet: ... [10] ambo ad essentiam cuiuscumque veri nominis christianismi pertinent.

In schemate tamen quasi per transennam citantur. E contra, aestimatio ... [11] Scripturarum, et fructus spirituales inde exorti inter fratres non catholicos laudibus cumulantur, etsi omittatur *quidem* [12] mentio renovationis liturgicae *eorum* [13] quae a renovatione liturgica Ecclesiae ... [14] procedit, et nos christianos omnes ... [15] intime coniungit.

Quia in pastoralibus rebus valde conferunt experientiae, ... [16] duo vobis propono:

a) Oecumenismus radices habet in ... [17] Newman et *Tractarianis* [18] qui, inter alia, valde liturgiam colebant. Aliunde, *Dominus* [19] Lambertus Beauduin, emeritissimus pater liturgiae pastoralis, in urbe Sophia suggestor fuit in animo Angeli Roncalli momenti motus oecumenici.

b) Liceat mihi hic in aula meminisse, me in mea dioecesi liturgicam et biblicam renovationem aedium ecclesiae cathedralis et sacrarum actionum *funditus* [20] aggressum esse. Tunc, quin speciali modo adhuc oecumenismum colerem, ad me venerunt fratres nostri non catholici, cum quibus amicaliter et peramanter colloquimur.

3. Cum anno elapso quasi timide et quasi furtim de antisemitismo damnando in hac aula locutus fuissem, spem certam nutriebam quod

aliquando haec materia tractaretur, sicut nunc videmus fieri in cap. IV. Optandum tamen esset ut haec materia omnino scinderetur a quaestione de hominibus non christianis, propter specialem et arctam coniunctionem qua cum Iudaeis vinculamur, sicuti ibi agnoscitur. Dolendum est aliud vinculum omitti, *quod nos cum eis coniungit* [21]: electio nempe adhuc vigens huius populi quam S. Paulus maxime extollit et ego optarem exprimi in fine penultimae paragraphi, his vel similibus verbis: « et (Ecclesia) non obliviscitur " mysterium " conversionis futurae ...[22] quod magna spe exspectat, " nam plenitudo eorum divitiae nobis erunt " »...[23]

Nullo modo excludendi igitur sunt Iudaei de hoc schemate, quo oecumenismus catholicus locupletatur, nec ceteris fratribus ingratum erit, cum fundamentum commune, Scripturam et historiam salutis anteactam, praesentem et eschatologicam, prae se ferat.

4. Hoc confirmatur aliunde sequenti consideratione. Integratio schematis capitibus de Iudaeis et illo de libertate religiosa, necnon additione aliorum capitum valde congruentium, suggerit mutationem ordinis interni huius decreti, ita scil. ut a libertate religiosa initium sumatur ut perspectiva vera huius decreti habeatur; nam libertas religiosa non est corollarium, vel appendix, vel concessio mentalitati hodiernae, sed principium fundamentale eminenter catholicum.

Visio progressiva exsurgeret logica: Ecclesia Christi et mundus atheisticus, Ecclesia et homines religiosi extra religionem, Ecclesia et religiones non christianae, Ecclesia et Islamismum, Ecclesia et Iudaei, Ecclesia et omnes christiani.

Progressus igitur versus unitatem, nam si ab unitate proficiscitur difficile esset vitare intolerantiam. Aliunde unitas sine libertate non est religiosa.

Ecclesia praesentaretur perspicue ut sacramentum unitatis in mundo, sicut Eucharistia est sacramentum unitatis in Ecclesia.

Vera Christi Ecclesia est enim fermentum unitatis in mundo, etiamsi non omnes in ipsam congregentur, etiamsi propter explosionem sic dictam demographicam appareat et remaneat pusillus grex. Ecclesia, ut sacramentum unitatis, medium est ad consequendam unitatem...[24]

5. Haec alia capita quae proposuimus omittenda non esse videntur. Et in his capitibus quaestio illa, prout anno elapso dicebam, maxime convenit quae agit de hominibus plurimarum religionum congregatis in societatem, cuius initia christiana prorsus fuisse historia nos docet et ex parte adhuc permanet et renovatur christiana, contra quam poenas Ecclesiae non semel decretas, ad trutinam revocare deberemus, ne ab Ecclesia seiungamus malum et bonum contra doctrinam Domini qui zizaniam docuit conservandam esse ne triticum simul evellatur. Societas inquam

Francomuratorum inter quos numerantur quidem antichristiani non pauci, sed quam plurimi adhaerent Deo revelanti et christiano nomine decorantur vel saltem nec contra Ecclesiam nec contra auctoritatem civilem conspirant. Inter quos sunt qui verba Ecclesiae desiderant.

Venerabiles Patres: oecumenismus est motus vere novus, eminet tamquam praecipuum elementum in « aggiornamento » a sanctissimo viro, Spiritu Dei tam intime tamque evidenter ducto, Ioanne XXIII, cuius hereditatem efficacissime et structurate Paulus VI, caput collegii episcopalis, petra super quam fundatur Ecclesia, indesinenter promovet.

Non satis umquam dolenda carentia spiritus oecumenici in anteactis temporibus, nunc sananda nobis proponitur; nos omnes corde carneo ...[25], mente renovata ...[26], omnibus viribus conemur ut quamprimum hoc decretum tamquam pignus pacis in unitate hominibus proponamus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Eph.* 1, 3). [2] ducit. [3] (*Io.* 16, 13). [4] quod nostrae pastorali considerationi submittitur, quam longe perfectius sit decreto anno elapso nobis sublato, nemo est qui primo intuitu non videat, et. [5] et. [6] pro gaudio quo afficior, postquam Oecumenismi bonos fructus multiformiter iam diu gustavi et in aula conciliari anno elapso auspicatus sum. [7] ut decretum sollerter a secretariatu unitatis apparatum, ad salutem animarum adhuc perficiatur. [8] generatim. [9] melius. [10] nam. [11] et usus. [12] deest. [13] ipsorum. [14] catholicae. [15] feliciter et. [16] haec. [17] actione. [18] Tractarianorum. [19] deest. [20] deest. [21] deest. [22] (*Rom.* 11, 25). [23] (*ibid.* 12 et 14). [24] Nec dicatur hoc iam non esse Oecumenismum christianum. Oecumenismi finis est per testimonium propriae fidei quaerere unitatem cum iis qui testimonium nobis dant suiipsorum religionis. Unitas cordium, quae ducat ad unitatem mentium totius mundi. Praeterea methodus semper est idem: denudatio structurarum humanarum ut Evangelium Christi quam maxime et nos in praxim reducamus et aliis praebeamus. [25] (*Ez.* 36, 26). [26] (*Eph.* 4, 23).

10

Rev.mus P. D. ROBERTUS CHOPARD-LALLIER

Praefectus Apostolicus Parakuensis

Patres venerabiles, Fratres et venerabilium Ecclesiarum Observatores,

Pacem oecumenicam affluentem et uberos fructus in hoc schemate non velim tangere, nisi cum prudenti et ardenti studio missionarii et dulci desiderio, ut ait Papa Ioannes, ad talia incepta, si possibile est, complenda.

Cum nonnullis episcopis conferentiae in Africa Occidentali, duo notanda sequuntur[1]:

1. *Ad principia.*[2] Ecclesiae doctrina fulget in prooemio, quae priora melius audiretur in capite principali « de mysterio Ecclesiae », ut loco proprio, in constitutione dogmatica potiusquam in decreto. Ad illa fundamenta rursus devenire coacti, redactores remittunt quod attinet ad actuosam operationem Spiritus Sancti. Definitio oecumenismi non est nisi per gradus: *aut Ecclesia ipsa sine ruga renovanda,*[3] aut ordinata actio ad unitatem fovendam, aut sollicitudo unionis instaurandae; *ubi est plena motio quae non satis intenditur.*[4]

2. Principaliter *venio*[5] ad *partes quae defuerunt in schemate.* Velint Patres notare quod semper loquimur de illis tantum communitatibus et ecclesiis quae christianam traditionem servant post eorum aliquo modo dignam reformationem et non de sectis quae ceciderunt...

Non agitur in cap. II de unitate fovenda in circumstantiis familiae: nativitates, matrimonia et caeremoniae mortuorum.

...[6] Licet nobis addenda proponere quorum rationes sunt de hodiernis rebus, tum in genere, tum in ecclesia particulari.

Primae rationes.

a) Facile est scribere: « in re sociali cooperatio *latissime* instauratur », sed videtur difficillime, quando deest *coniunctio*[7] coram Deo.

b) Item concedo affirmationem sequentem non ad affectum deductum: « nonnullae actiones sacrae apud fratres separatos peraguntur... qui procul dubio vitam gratiae reapse generare possunt ». Cur nihil aliud dicere quam *Pater Noster* et nostras proprias preces approbatas?

c) Tandem non est spernendum quaesitum a fratribus separatis et quidem cum aliqua veneratione eucharistica quando proponunt signum eucharisticum introducendum non tamen in initio, sed non sine nimia expectatione. Quomodo delenda est ruga, seu « macula quem non refecerunt pura et sancta sacramenta »?

Sic in paragrapho, pag. 16, unica considerationis digna est ea oratio quae fit ad unitatem et modo stricto « in oecumenicis conventibus », i. e. non ultra permissionem acceptam a Sancto Officio in decisione relata ad notam pag. 18, vigente iure contra « communicationem in sacris ».

Secundae rationes (in statu missionis).

a) Interest *sensus fidei* in populo christiano. Non comprehenderunt, fideles in Africa, cur missionarii occidentales, seu Ecclesiae latinae, attulerint tantam curam ad impediendam quamvis communicationem in cultu. Sic *ii*[8] missionarii laborant nescientia gravi de propriis consuetudinibus apud alios christianos.

b) Si facultas orandi restringenda est ad oecumenicos conventus,

non difficile est praevidere quod populus religiosus manebit extra motum oecumenicum. Nostri christifideles habent debita inter se occasione nativitatis et baptismi, matrimonii et praesertim caeremoniarum mortuorum. Ibi est vera occasio pacis, concordiae et paedagogiae oecumenicae.

c) Interest respondere obiectioni valde communi de periculo indifferentiae in novellis ecclesiis, quasi oecumenismum non esset articulum importationis.

Sed nonne rationes multae sunt religiosae indifferentiae, quae hodiernis diebus ad altiorem gradum societatis defluent? Et non attinent ad hoc periculum, sed ad periculum dissidentiae propter scandalum nostrae divisionis importatae.

Ergo non solum in *oecumenicis conventibus,* sed *nonnullis occasionibus* unitas populi christiani fovenda est coram non christianis, *favente hierarchia locali,*[9] secundum votum em.mi card. Léger: « Aperire omnes vias possibiles ».

De altera parte quae defuit in schemate quantum ad operarios missionum breviter loquar.

Hoc schema hortationem impertit ad totam Ecclesiam, non omissis episcopis, et sane fit. Nonne vobis videtur, Patres conciliarii, aeque necessaria hortatio specifica ad missionarios, seu ad omnes qui incrementum regni evangelii in terris serviunt, ut non obscuretur vultus Christi divisionibus augendis.

Non vana hortatio, quia iamvero testimonium huiusmodi inchoatum est *tum ex parte monasteriorum recenter in Africa tum* [10] ex parte novarum congregationum et saecularium institutum, e. g., quorum signum est: Fraternitas - Iesu - Caritas ...[11]; « *Petits Frères et petites Sœurs de Jésus* ».[12] Testimonia huius generis sunt inter *fratres nostros cuius invitati sunt inter* [13] observatores. Visitavi enim fratres « de Taizé » in Abidjan.

Viam aperiunt ii missionarii, *salvo* [14] traditionali instituto missionario in paroeciis et dioecesibus condendis, et Sacra Synodus oculos nostros debet intendere ad illum campum ubi fit simplex et mirabilis concordia in evangelio.

Conclusio. ...[15] Responsio urget nostris temporibus, non remota tamen sine die responsione facienda de aliis a longe Christi, e. g., mahometanis... sed materia *quadam* [16] debet relinqui ad ulteriora Concilia Oecumenica in saecula.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Ad prooemium. [3] deest. [4] Laudando tamen ex nostra parte conatu in ipsa Ecclesia catholica renovanda. [5] deest. [6] Sub eodem titulo « de oratione communi ». [7] coniunctionis. [8] iidem.

[9] deest. [10] deest. [11] seu caritas Christi. [12] deest. [13] deest. [14] salva. [15] Ecclesia interrogata de seipsa, fit altera interrogatio: « Ecclesia, quid dicis de tuo proximo seu de fratre sic dicto separato, sed quodammodo coniuncto ». [16] aliqua.

Animadversiones additae:

Ad cap. II. De oratione communi: « non solum in conventibus oecumenicis, sed nonnullis occasionibus, praesertim vitae familiae ».

Ad cap. I. Hortatio addatur ad omnes qui incrementum regni Dei serviunt (sive catholicos sive non catholicos, sed non nominentur).

Moderator: Exc.mus secretarius generalis nunc leget quaesitum circa integrum cap. II *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis: Antequam legam quaesitum, ex mandato em.morum moderatorum rogo Patres, si aliquid habeant dicendum circa cap. I *de Oecumenismo,* nempe de principiis generalibus oecumenismi catholici, iam hoc ipso die significent nostrae secretariae.

Lego exitus suffragationum peractarum.

Modus I	- Praesentes votantes	2.182
	Dixerunt *placet*	2.057
	non placet	123
	Vota nulla	2
Modus II	- Praesentes votantes	2.182
	Dixerunt *placet*	2.047
	non placet	131
	Suffragia nulla	4
Modus III	- Praesentes votantes	2.143
	Dixerunt *placet*	2.014
	non placet	128
	Suffragium nullum	1

Responsum ad quaesitum generale circa modos expensos:

Praesentes votantes	2.091
Dixerunt *placet*	2.056
non placet	31
placet iuxta modum (nullum)	1
Suffragia nulla	3

Nunc proponitur quaesitum: « An placeat Patribus cap. II integrum *de sacra Liturgia?* ». Responsio erit tantum *placet, non placet.*

Moderator: Velint attendere Patres! Ut Patres sciant de quanam re locutus sit hodierna die em.mus card. Antonius Bacci, moderatores hanc elucidationem dari censent:

In congregatione generali, die 30 octobris, em.mus card. Bacci statim antequam votatio de quinque notis propositionibus haberetur, venit in aulam conciliarem ad tabulam moderatorum ut indigitaret defectum quemdam latinitatis. In textu a nobis proposito, ius Romani Pontificis per adiectivum « primatiale » enunciabatur. Em.mus card. Bacci suggerebat ut clarius enunciaretur per genitivum « Primatus ». Moderatores unanimi consensu existimaverunt textum iam esse clarum et evidenter « ius primatiale » — uti dicebatur — in pastores et fideles, in illo contextu significare « ius Primatus »; quod ceteroquin constare clarum erat adhuc ex explicita mentione in alia propositione de Primatu prout in Vaticano I definito. Non videbatur igitur cur amplius in hac re mere linguistica esset immorandum.*

11

Exc.mus P. D. ANDREAS JACQ

Episcopus tit. Cerasenus

Venerabiles Patres, carissimi Observatores et Auditores,

Dictum est, nec immerito, vocem « Oecumenismus » novam esse, et insuper a Protestantibus prima vice in usum introductam fuisse. Sed debemus considerare semper voces novas introducere nos debere ad significandum res novas. Atqui Oecumenismus revera aliquid novum est, non in sensu alicuius pravae novitatis, sicut sunt haereses, sed sicut sunt res noviter a Deo inceptae in historia salutis. Etenim, nemo dubitare potest quin Deus, nostrarum divisionum miserans, novam et usque adhuc inauditam unionis gratiam miserit. In corda innumerorum hominum omnibus regionibus mundi et omnibus communionibus christianis pertinentium, immisit Deus voluntatem restaurandi unitatem, « ut credat mundus », et eos vocabit ad strenue laborandum ut tandem unum fiant omnes discipuli Christi. Oecumenismus ex hoc facto divino procedit, quod nostris temporibus proprium est, ita ut, quando historici historiam saec. xx scribebunt, certo certius dicent hoc nostrum saeculum, sub aspectu religioso, per Oecumenismum specialiter signatum fuisse. Faciat Deus ut tantae vocationi nos impares non inveniamur.

---

* Cf. pag. 599.

Ideo schema *de Oecumenismo* nobis propositum, *sicut*[1] se habet ...[2], absque dubio maximi momenti est, tum quoad instaurationem vitae interioris Ecclesiae catholicae in eius plena varietate, tum quoad habitudines cum christianis a nobis seiunctis. Quamvis adhuc accipere potest aliquas emendationes, iam praestat optimum terminum a quo pro discussione. En rationes huius approbationis:

1. *Schema respondet fini ultimo Concilii.* Summus Pontifex Ioannes XXIII ...[3] ab initio assignavit tamquam finem huius Concilii non tantum instaurationem interioris vitae Ecclesiae catholicae, sed insuper restaurationem unitatis christianae iam a multis saeculis confractae ...[4]. Etiamsi « aggiornamento » Ecclesiae semper consideratur tamquam finis maxime immediatus, mens Ioannis XXIII eiusque successoris Pauli VI minime intendit hunc finem immediatum separari ab illo magis remoto, nempe a reconciliatione omnium christianorum ...[5]. Ergo, inter opera conciliaria schema *de Oecumenismo* est omnino necessarium ...[6].

2. *Schema fores restaurationis interioris Ecclesiae catholicae aperit.* Si verum est quod adunatio christianorum seiunctorum inter se est fructus renovationis interioris uniuscuiusque communitatis christianae, item, sicut schema sublineat, quamvis nimis caute, aeque valet sensus inversus.

a) *Quoad theologiam,* dialogus cum orthodoxis dat occasionem theologiae catholicae melius percipiendi momentum traditionis orientalis ...[7]. Dialogus cum illis communitatibus e reformatione ortis similem utilitatem habet, praecipue in quantum theologia catholica classica ultimorum saeculorum erat nimis unilateralis ...[8]. Citari potest per modum exempli momentum theologiae biblicae et Sacrae Scripturae in tota reflexione theologica, vel affirmatio sacerdotii universalis populi Dei, vel etiam, sicut animadvertit Summus Pontifex Paulus VI in allocutione sua ad observatores, theologia historiae salutis.

b) *Quoad vitam spiritualem,* haud dubitandum est quin testimonium intensae vitae spiritualis orientalis, praecipue monasticae, sicut vita interior multorum protestantium vel anglicanorum, sit pro omnibus catholicis invitatio urgens ad renovationem interiorem, per modum sic dictae « aemulationis spiritualis » ...[9].

3. *Schema respondet expectationi christianorum a nobis seiunctorum.* Praesentia observatorum delegatorum ex diversis ecclesiis et communitatibus christianis ...[10] et ex Concilio Oecumenico probat quantum pondus suscitatum est apud mundum christianum non-catholicum conatu renovationis de qua nunc in Concilio tractamus. Sed hoc pondus suscitatum magnas comportat exigentias. Christiani a nobis seiuncti sperant ut nunc ingrediamur in statum dialogi; schema conditiones et nor-

mas praestat. Modo particulari voces tam numerosae audiebantur in mundo christiano *non-catholico* [11] ut specificaremus ...[12] quales sint oculis nostris ecclesiae et communitates christianae seiunctae necnon ut proclamaremus solemniter iura fundamentalia conscientiae religiosae omnium hominum in quam nulla coactio inferri deberet ...[13] Maxima ergo deceptio esset, et regressus magnus, si non consideraremus nunc quaestiones istas, et in ipso spiritu in quo schema nobis propositum eas considerat.

4. *Schema dat fundamenta spiritualia atque theologica activitatis oecumenicae.*

a) Quia christiani a nobis seiuncti, etiam ipsi vivunt de Christo, *cum eis possumus orare* ita ut restauratio unitatis perfectae nobis data sit « sicut Christus vult, quando Christus *vellet* [14] ». Unitas inter christianos esse non potest nisi donum Dei quod nos omnes oratione unanimi quaerimus. Ergo, *fundamentum spirituale* oecumenismi est *communis oratio fraterna.*

b) *Fundamentum theologicum* est *fides in Christum Iesum,* Deum et Salvatorem, secundum Scripturas professa ...[15]. In illa fide in Iesum Christum, Deum et Salvatorem, totum « Credo » christianum implicite et dynamice continetur. Ipsa realitas baptismi incorporationem efficit in corpus Christi, et in christianum ponit germen plenitudinis vitae Christi. Quoad « Ecclesias orientales » nobis non coniunctas, adhuc adiungere oportet structuram episcopalem et omnia sacramenta.

c) Deinde, schema *fundamentum dat collaborationis practicae.* Unitas inter christianos separatos talis est ut debeat hinc sese manifestare mundo per communem actionem caritatis et testimonii « ut credat mundus ». Schema magna cum felicitate varia principia collaborationis affirmat ...[16]. Hoc est magni momenti, praecipue in territoriis missionalibus ubi, sicut iam dictum est, factum divisionis et aemulationis christianorum est hominibus non christianis magnum scandalum.

5. Denique, *schema praebet spem et optimismum.*

Iam a multis saeculis consueti sumus desperare de unitate christiana ...[17]. Gaudendum est ut ...[18] iterum et nobis et omnibus christianis spes detur. Certe manent « difficultates praegraves », sicut recenter notavit ipse Summus Pontifex Paulus VI, difficultates praesertim dogmaticae adhuc insuperabiles, quae certe minui vel ignorari non debent. Sed nos iam viam ingredimur et paulatim ad optatum finem progredimur. Nulla porta claudatur. Oecumenismus non est munus facile; proinde, immo dicam a fortiori, Ecclesia, fiduciam ponens in illo Domino cui « omnia possibilia sunt », debet annuntiare mundo suam spem.

Conclusio. Schema *de Oecumenismo* approbare debemus. Caveamus, venerabiles Patres, ne spem et expectationem tot christianorum frustremus.

In textu scripto tradito: [1] prout sic. [2] in quinque suis capitibus. [3] Concilii convocandi ideam proposuit in fine hebdomadae orationis pro unitate christiana, die 25 ianuarii a. D. 1959. [4] In praeparatione Concilii eiusque statibus primitivis hic finis semper prae oculis habebatur. [5] Ipse Summus Pontifex Paulus VI hoc commonefecit, modo ab omnibus cognito, in sua allocutione in initio huius sessionis alterae. [6] Hoc modo integrum Concilium omnibus, imprimis christianis acatholicis, manifestare potest intentionem profundam huius convocationis. [7] atque detegendi magis exacte eius originalitatem. [8] ob metum penetrationum protestanticarum. [9] Amplius, studium unitatis christianae potest esse pro multis catholicis motivum auxiliare ad vitam spiritualem profundiorem reddendam, uti accidit apud religiosas Ordinis Cisterciensis strictioris observantiae Grottaeferratae. [10] ex organisationibus confessionalibus. [11] non-Romano. [12] vel saltem inciperemus specificare. [13] speciatim in ordine politico. [14] vult. [15] ad gloriam Patris, Filii et Spiritus Sancti. [16] licet omnes consequentias doctrinales atque practicas pro attitudine catholico-romana erga christianos acatholicos non elucidavit. [17] Pro magna parte fuimus consentientes, saltem aequivalenter, huic conditioni divisionis. [18] proposita mundi evangelisatione.

12

Exc.mus P. D. ANTONIUS FERREIRA GOMES
Episcopus Portugallensis

Em.mi Praesides ac Moderatores, venerabiles Patres ac Fratres,

Laudes plurimas huius schematis dignum et iustum esset praedicare, sed forsan non admodum iuvaret.

Ideo tantum duo merita bona dicam, quae, ni fallor, exemplar et stimulum esse possint ad alia plura documenta huius Concilii.

Praeprimis schema innititur fundamentis atque elucet sensu biblico, re certe magis quam verbis, ut par est causae atque inceptis oecumenicis promovendis; scopus utique suus peculiaris, sed numquam obliviscendus in Concilio quod ad viam sternendam unionis christianorum indictum est. Invenire christiani nos invicem tantum poterimus, Spiritu Dei afflante, in Evangelio Ecclesiae tradito et in frugi naturali ratione.

Et haec est praecise altera laus qua hoc schema praecellit et in qua videtur omne tulisse punctum, nempe in servanda semper et adamussim utenda recta theoria cognitionis, cum consequenti, ut ita dicam, orthodoxa notione orthodoxiae fidei. Omnibus considerandis rebus atque rationibus concinnandis semper subest vera gnoseologia, quae universam

cogitationem discursumque informat, quin immodice aut impudenter se prodat.

Si hoc criterium totius doctrinae, maxime theologicae, enucleandae atque norma omnis discursus rationaliter eliciendi semper indesinenterque in usum venirent multa atque multa discrimina vitarentur; et plurima, si non omnia, conamina disceptationum nostrarum in pacem et bonam frugem nos concorditer duxissent ac ducerent.

In prima sessione nostri Concilii fuse atque vivaciter quamplurima prolata sunt de scholasticismo schematum, quum in vituperium tum postea in laudem. Salva reverentia et pace omnium qui verbum protulerunt, mihi videbatur et videtur in illis non peccari per excessum, immo vero per defectum disciplinae scholasticae: nempe, sub fuco verborum immodice scholasticorum, deficere rectam cognitionis theoriam sive gnoseologiam illam scholasticam quae a S. Thoma ad expolitiorem formam ducta est, sine qua, motu quidem proclivi — scil. illa quae, non iure quidem, dicebatur et dicitur « via modernorum » — ad methodum cogitandi devenimus rationalisticam, etiam si et cum rationalismum impugnare et fidem orthodoxam tueri intendimus. Sed in hac etiam sessione, cum controversia facta est, quae rursus atque rursus oboritur, de collegialitate episcopali, quae certe est in ipso nucleo problematis oecumenismi, tota res expediri et enucleari posse videbatur si accurate distingueretur inter modos loquendi, scil. inter gradus abstractionis, tum formalis tum metaphysicae, v. g. inter essentiam Ecclesiae — utique ab actu Dei libero in Christo promanantis, sed ex hoc vera essentia praeditae — et eius exsistentiam in tempore historico sub diversis culturalibus et sociologicis incarnationibus, ac tandem actus determinationesque concretas hic et nunc: quod, ni fallor, Summus Pontifex noster, tunc card. arch. Mediolanensis, significare intendit cum distinguit *responsabilitatem* totius episcopatus in universa Ecclesia — quod est utique de essentia ipsius — et *exercitium*...[1]

Moderator: Exc.me Pater, velis redire ad argumentum... Velis loqui de argumento, *de Oecumenismo,* de schemate in genere.

Orator: Nunc unam tantum observationem afferam: nonne bonum esset, cum loquitur de separatione orientales inter et Ecclesiam nostram atque de communitatibus inde a saec. XVI exortis, verbum apponere de conditionibus politico-socialibus tunc vigentibus, nempe de caesaro-papismo, ab imperio pagano hereditato, ac de « republica christiana », conceptione utique miranda et, quoad bona pacis atque humanitatis unae, adhuc nunc desideranda, sed tunc temporis super vires humanas et quae corrumperet veram notionem societatis tum ecclesialis tum civilis et

opprimeret, sicut oppressit, conscientiam personalem, libertatem humanam atque ipsum voluntarium religiosum? Hoc evidenter non ad vulnus exacerbandum, sed ad afferendam potissimam causam, et utique exteriorem, separationis, quin maxime ut spes eluceat et lux prima affulget fore ut, obsoletis ac demptis causis, effectus lugendus tollatur ...[2]. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quod erit unitarium et personale — scil. modus concretus hic et nunc in actum singularem deducendi illam essentiam collegialem, quae, qualiter omnis essentia absoluta, non potest esse ut sic in concreto (sed tandem aliquando, quid est collegialitas quaecumque si non ad *unitatem plurimorum* tendit ut *per unum* exprimatur?!...); quod, ni rursus fallor, idem est ac illud quod in Vaticano I, expresse ac laute, dicebat Deputatio Fidei de *episcopis congregatis* « cum capite in concilio oecumenico, quo in casu ecclesiam repraesentant, aut *dispersi,* sed cum suo capite, *quo casu sunt ipsa ecclesia* ». Hic evidenter forma loquendi a claro episcopo Zinelli usurpata est metaphysica, ontologica seu essentiam Ecclesiae respiciens, quo sensu esset omnino absonum, immo contra fidem, loqui de *Papa solo* aut de *episcopatu separato,* quod quidem esset ipsa defectio Ecclesiae; sensu autem practico et positive iuridico nihil prohibet quominus consideretur, ut ipse Kleutgen, Papam solum aut episcopatum a suo capite contradistinctum.

Haec autem obiter dicta sunt, et ita intelligantur oportet, in laudem huius praesentis schematis. Ut. [2] Nunc autem ad aliud punctum quam breviter indicandum transeam. Sub lumine nostri schematis et consideratione habita primarii finis Concilii, omnia ad trutinam erunt pensanda ne scandalum aut scrupulum immittamus in viam unionis christianorum; quin potius omnia removenda removeamus.

Nunc, vero, ut ad unum tantum sermonem perstringam, multa dicta sunt de cessatione a munere episcopo et quidem sui compoti *imponenda,* ob aetatem aut infirmam valetudinem. Plures hic locuti de Summo Pontifice, in diversum quidem sensum; sed ne verbum quidem de imponenda nec immo de commendanda renuntiatione. Et optime quidem. Nunc vero res ipsa et comparatio mihi videntur ad trutinam pensandae, rursus atque rursus, sub respectu oecumenico.

Omnes scimus maiores difficultates contra Ecclesiam a separatis et ab aliis motas attingere structuram gubernativam et exercitium auctoritatis in Ecclesia. Hae autem difficultates agitantur a pluribus non contra personam et munus Papae sed contra organa eum adiuvantia. Non est offensivum, ut reor, commemorare hic in aula quod praedicatur super tecta: fas, nefas? parum refert. Nec sensus quorundam in hoc amplissimo consessu aperti, et non retractati, erunt obliviscendi...

Suspicio a multis, extra Ecclesiam et in Ecclesia, est utrum auctoritas a Christo collata ad unitatem in caritate et fraternitate tuendam sit in Petro *confirmante* Fratres suos, sc. in illo qui *seniores,* presbyteros aut episcopos, suaviter verbo et opere suadet ipse « cumpresbyter et testis Christi passionum qui et eius quae in futuro revelanda est gloriae communicator: pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum... voluntarie, neque ut dominantes in cleris sed forma facti gregis ex animo » (*1 Pt.* 5, 1-3) suspicio dico

— fas, nefas... non dico — utrum auctoritas sit in successore Petri mansuetudine et amore vultum Christi praeseferenti aut in aliqua organizatione impersonali, irresponsabili, burocratica (sub nota lege burocratiae de potestate, complicatione et numero officialium semper augendis). Immo nonnulli, dicaces utique et generatim malevoli, non verentur innuere et suggerere verba Domini ad Petrum (*Io.* 21, 18) adhuc manere, « cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget et ducet quo tu non vis »; quin immo, postquam natura iura sua super omnem carnem, etiam Pontificum, exegit, ille idem *alius* curare ut non mutentur quae defunctus nolens fecerat.

Si vero nunc hanc tam evidentem comparationem atque conflictum, in re et sub ratione quae est utique communis, inter Papam, episcopum Romae, et alios omnes episcopos proponimus, nonne quasi pugnum in os publicae opinionis impingimus rem ita se habere, non sicut in Evangelio et in Actibus Apostolorum, sed sicut in ephemeridibus et libris, in sussurrationibus piorum et in praedicationibus et conviciis aliorum?!...

Caveamus in omnibus et singulis et circumspiciamus ad respectus oecumenicos: ad oecumenismum scil. interiorem ipsius catholicitatis, oecumenismum inter omnes Fratres christianitatis, oecumenismum denique ad extra ad universam humanitatem!

Sensus quidam communis, tum apud catholicos tum acatholicos, autumat — credant ipsi necne — nos aliquid sacrum in episcopatu agnoscere, quod sit ratio ordinationis et missionis in dies vitae: et revera talis sensus non videtur alienus a sententia, apud theologos et canonistas iamdudum accepta et nescio utrum a suffragio huius Concilii apodictice confirmata, nempe *officium* episcopale regendi — scil. docendi, sanctificandi et pascendi — in Ecclesia subiecto concreto conferri per consecrationem episcopalem, ex quo oritur potestas exercendi idem officium, concrete determinanda a Summa Auctoritate.

Si vero nunc *illud quid* sacrum, quod ad usum theologorum declaramus, insimul explodimus apud publicam opinionem per *impositam abdicationem,* quid speramus in mente communi quoad structuram gubernativam Ecclesiae — Papa an Curia? — cum pro Papa vitalitio, praeter episcopatum Romanum et ius itidem episcopale in universam Ecclesiam, nullae sint rationes nisi illae quae apud mentem hodiernam, quoad gubernationem effectivam, iam obsoletae et non amplius comprehensibiles sint, cum tamen admittant Ecclesiam *quid aliud* esse, sub ratione sacri et sacrorum?! Et non tantum apud opinionem indoctorum aut inimicorum Ecclesiae; quia iam inde ab a. 1954 in lucem exiit atque in linguis frequentioribus legitur liber de exercitio auctoritatis, ab exc.mo archiepiscopo in aula sedente edito, in quo permagna movetur admiratio de uno tantum Pontifice muneri sponte renuntiante, et ille ipse nullam aliam rationem aliquomodo validam invenit praeter characterem episcopalem. Caveamus igitur ne, ob rationes practicas, in se ipsis controversiae obnoxias, officiamus tum theologiae tum praxi interni atque externi Oecumenismi!...

13

EXC.MUS P. D. BONAVENTURA LEO DE URIARTE BENGOA

Episcopus tit. Madaurensis, vic. ap. S. Raymundi

Venerabiles Patres, dilecti Fratres,

Parcite mihi si quid insipienter vel indocte audeam verbum facere coram tantorum virorum coetu, quia quinquaginta et octo anni sunt ex quo missus sum a benignitate Dei, ex Hispania in Collegium Missionariorum de Propaganda Fide S. Mariae Angelorum Limae in Peruvia apud Sudamericam, et a pluribus annis longe sunt a me scholae theologicae et earumdam disceptationes. Meus enim liber est equidem essentialis, infallibilis, insubstituibilis atque ineffabilis: Verbum Dei, « Substantia Sacerdotii nostri », ait Hieronymus.

Ideoque, innixus in hoc Verbo Dei loquar de Oecumenismo: verbum valde significativum sed cuius definitionem non inveni in schemate *de Oecumenismo,* saltem praecisis verbis et aliunde video illud accipi non raro in diversis sensibus. Ac cum saepe saepius videtur quaestiones inter studiosos agitari ex non praecisione verborum atque conceptuum, interrogare mihi liceat: quid sit *Oecumenismus?* Videtur hoc verbum venire a verbo « oecumene », quod ni fallor, significat: « omnis terra habitata », i. e. omnes homines. Nos hic sumus in Concilio oecumenico quod vult dicere: in concilio universae terrae, seu omnium ecclesiarum mundi nomine.

Itaque enucleare mihi liceat verbum hoc *oecumenismus* vel *oecumenicum,* loquens quam brevissima potero (*5 minuta*[1]) de Oecumenismo Dei, de Oecumenismo Christi, de Oecumenismo Mariae, de Oecumenismo apostolorum, de Oecumenismo episcoporum, de Oecumenismo sacerdotum et omnium nostrum, ut ita in luce appareat universa huius schematis *de Oecumenismo Ecclesiae* doctrina.

Ac 1. *De Oecumenismo Dei,* qui creavit omnes homines, ideoque est Pater omnium hominum absque ulla exceptione et possumus et debemus omnes homines invocare eum atque honorare cum omni iure atque obligatione ...[2].

Moderator: Exc.me Pater, velis loqui *de Oecumenismo* prout est in schemate.

Orator: Loquor de nomine oecumenismi, ut ita intelligatur quid dicendum sit de oecumenismo!

Est ergo Deus Pater oecumenicus i. e. pater et quidem maiori iure quam patres qui nos genuerunt quia a Deo accepimus non solum corpus

sed etiam animam, non tantum instrumentaliter sed essentialiter. Sequitur quod si filius habet mandatum honorandi patrem, omnes homines habent maiorem obligationem honorandi Deum Patrem nostrum oecumenicum ...[3]. In ipso schemate videtur aliqua confusio, saltem pro me, quia in pag. 7, par. 1 dicitur: « quod Filius Dei unigenitus a Patre in mundum missus est, ut homo factus, totum genus humanum redimendo regeneraret atque in unum congregaret », i. e., Missio oecumenica Christi totum genus humanum redimendo. Sed in eadem pagina atque paragrapho subditur: quod Iesus oravit Patrem pro fidelibus tantum, dicens: « Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te », immediate subiungens: « ut credat mundus quia tu me misisti ». Nunc quaero: quare affirmatur quod Christus oravit pro fidelibus tantum quando dicit: « *omnes* », et « ut credat *mundus* », quando Iesus orasse videtur pro omnibus hominibus et pro universo mundo, i. e., vere oecumenice?

2. *De Iesu oecumenico.* « Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret ». En Deus oecumenice dans universo mundo Filium suum unigenitum. Vere etenim Iesus venit in mundum ut omnes homines faceret salvos, i. e. cum missione oecumenica, quia cum dilexisset suos qui erant in mundo, i. e. omnes homines, ideoque oecumenice, in finem dilexit eos, hoc est absque ulla limitatione.

3. *De Maria oecumenica.* Quia Maria cum libero consensu suo protulit verbum « *fiat* » facta est Mater Iesu et Mater omnium hominum, h. e. Mater oecumenica, ideoque longe amplissime patet Maria quam Ecclesia quae est Mater fidelium tantum, sed Maria Mater etiam infidelium immo omnium hominum.

4. *De apostolis oecumenicis*: quia quando Iesus ascendit in caelum dedit illis hoc mandatum: Euntes docete omnes gentes. Ergo apostoli sunt apostoli oecumenici, i. e., ad salvandas omnes gentes absque distinctione nationum vel temporum.

5. *De episcopis oecumenicis*: episcopi cum sint successores apostolorum habent idem mandatum quam apostoli Christi docendi omnes gentes ergo sunt etiam oecumenici omnes. Quia omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Ergo omnis pontifex oecumenicus, omnis sacerdos oecumenicus, sacrificia oecumenica, Missa oecumenica, sicut mors Christi in Cruce oecumenica pro omnibus hominibus. Quid dicemus de parochis qui praeter Missam oecumenicam quam dicunt, sunt brachia episcoporum et dispensatores mysteriorum Dei, non tantum pro fidelibus sed etiam pro adducendis ovibus quae non sunt ex *hoc ovili,*[4] nisi quod sunt etiam oecumenici in Ecclesia Dei? Idem dicendum de religiosis et de sororibus praesertim missionariis qui

sub dependentia Summi Pontificis evangelizant universum mundum, ideo iure meritoque oecumenici.

6. Christifideles maiorem curam habere debent de ceteris hominibus, quia maiora dona accipiunt a Patre nostro, ideoque obligatione tenentur distribuendi dona Dei inter fratres suos, quia fratres divites qui non distribuunt inter fratres suos pauperes dona non sua sed Dei, iniusti sunt et caritas Dei quae est lex suprema in eis non est, et absque caritate neque ipsi sunt cum Deo neque Deus cum eis.

7. Denique omnes homines quicumque illi sint ex eo quod sunt filii Dei et fratres ceterorum hominum, habent obligationem curandi de ceteris hominibus absque ulla exceptione neque discriminatione quin possit dicere quisquam, velut infelix Cain: Numquid custos fratris mei sum ego? Ideoque iure meritoque dicit Scriptura: Unicuique dedit Deus curam de proximo suo. Et quid proximius quam frater? Ergo omnes homines sumus oecumenici a natura et curam habere debemus de fratribus nostris, cura vere oecumenica.

Conclusio. De *Oecumenismo Ecclesiae* videtur ex dictis vocari posse hoc schema, quia Oecumenismus vult dicere universalismus sed non videtur dici posse: Oecumenismus catholicus, quia idem esset ac dicere: Universalismus universalis, quod quidem videtur esse quid reduplicativum. Ideoque dicendum etiam videtur in cap. I schematis: De principiis Oecumenismi Ecclesiae, quae fundata est ad salvandas omnes gentes, hoc est vere oecumenica; sufficit enim quod agatur de filiis Dei seu de hominibus universis redemptis a Domino Nostro Iesu Christo, sive fideles sint sive infideles, sive iudaei sint sive graeci. Dixi et gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] cum verbis doctis atque dictis a Iesu Christo: Pater noster qui es in caelis. [3] immo unicum qui est in caelis. [4] ovili Christi.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis nunc communicabit exitum suffragationis ultimae peractae.

Secretarius generalis: Super integrum cap. II schematis *de sacra Liturgia*:

Praesentes votantes	2.152
Dixerunt *placet*	2.112
non placet	40

Ergo cap. II a Patribus probatum est. [*Plausus*].

Moderator: Proxima congregatio generalis: crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LXXII
21 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXXII

21 novembris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderabitur disceptationem de principiis generalibus schematis *de Oecumenismo,* in hac 72 congregatione generali, em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Nunc audiant attentissime Patres. Haec *notificatio,* quae legitur hodie, crastina distribuetur omnibus Patribus typis impressa.[1]

In hunc finem ut commissionum conciliarium labores expeditius et alacrius procedant, Summus Pontifex, accipiens etiam multorum Patrum postulata, dignatus est concedere ut numerus membrorum uniuscuiusque commissionis ad triginta adducatur. Quinque igitur membra in commissionibus omnibus addenda sunt, exceptis commissione pro Ecclesiis orientalibus, quae iam numerat viginti septem sodales, et secretariatu ad christianorum unitatem fovendam, qui tantummodo duodeviginti membra ex Patribus conciliaribus habet: pro illa itaque tria tantum membra eligenda sunt, pro hoc, scil. secretariatu, duodecim.

Statuit Summus Pontifex ut ex quinque membris eligendis in commissionibus, unus Ipsi reservetur, quatuor a Patribus eligantur. In commissione pro Ecclesiis orientalibus, cum duo iam nominati sint a Summo Pontifice durante intersessione, electio aliorum trium committitur Patribus. In secretariatu ad christianorum unitatem fovendam, octo a Patribus, quattuor a Summo Pontifice eligentur. Pro commissione *de sacra Liturgia,* cum haec iam expletura sit feliciter, ut speramus, suum munus, nullus alius sodalis eligendus est.

Novi sodales eligendi sunt inter Patres, qui vere competentes sint in materiis, quae commissionum studio sunt subiectae, et possint Romam, durante intersessione, facile convenire, et sedulo etiam.

Ut electio expeditissime, quantum potis est, fiat a Patribus, rogantur vehementer praesides conferentiarum episcopalium — *rogantur praesides conferentiarum episcopalium* — ut suam quisque conferentiam congreget et nomina indicet, non plus quam tria (et pro secretariatu non plus quam sex) Patrum — tria pro qualibet commissione, ut patet, et pro secretariatu non plus quam sex — qui proponi possint eligendi in congregatione generali.

---

[1] Cf. vol. II, pars I, pp. 78-79.

Valde optandum est, ut plures conferentiae in unum coalescant, ita ut elenchum unicum exhibeant.

Manet tamen Patribus libertas alios quoque Patres eligendi.

Terminus ultimus pro exhibendis secretariae generali elenchis statuitur feria II proxima, dies scil. 26 novembris.

Omnes elenchi distribuentur Patribus feria IV sequenti (tempus requiritur ut typis imprimantur elenchi), ita ut electio fiat feria V successiva.

Velint igitur praesides conferentiarum episcopalium, inde ab hoc vespere, congregare suas conferentias, quamvis exemplar typis impressum huius notificationis detur crastina.

Ut patet, eligi non possunt qui iam sunt sodales in alia commissione (ut videre est in libello cui titulus « Commissioni Conciliari ») vel munus obeunt in coetibus directivis Concilii.

Postquam novi sodales omnes electi fuerint, sive a Patribus, sive a Summo Pontifice, Summus Pontifex concedit pariter ut novum Vice-Praesidem et novum Secretarium *additum* praeter iam exsistentes, commissiones sibi eligant.

Aliae instructiones vel explicationes pro electionibus agendis dabuntur tempore suo.

Uti dixi, huius notificationis exemplar crastina typis impressum omnibus Patribus dabitur: crastina.

In hac congregatione generali, distribuetur libellus continens modos circa capita V, VI, VII schematis *de sacra Liturgia,* nempe « De anno liturgico », « De musica sacra », « De arte sacra deque sacra supellectile ». Etiam circa haec capita unicum quaesitum propositum est. Hoc quaesitum, una cum quaesito circa cap. IV, suffragationi dabitur crastina die. Hodie fient suffragationes, prout heri dictum est, circa cap. III, in quo modi singuli expressi sunt, ut studere potuistis, venerabiles Patres.

Lego nunc nomina omnium eorum qui verba facere postulaverunt circa schema *Oecumenismi* in genere: exc.mi DD. Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania; Hermenegildus Florit, arch. Florentinus in Italia; Ioannes Carolus Aramburu, arch. Tucumanensis in Argentina; Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis in Germania; Ioannes Hervás, ep. Cluniensis in Hispania; Ignatius Ziadé, arch. Berytensis Maronitarum; Andreas Hamvas, ep. Csanadiensis in Hungaria; Fortunatus Da Veiga, ep. coad. Belgaumensis in India; Emmanuel Pius López, arch. Jalapensis-Veracrucensis in Mexico; Ioseph Attipetty, arch. Verapolitanus in India; Ceslaus Sipovič, ep. visitator Bielorussorum in Anglia; Ioseph Pont, ep. Segobricensis in Hispania; Hyacinthus Gad, ep. exarcha ap. pro

Byzantinis in Graecia; Ambrosius Senyshyn, arch. Philadelphiensis Ucrainorum in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Aloisius Lorscheider, ep. Angelopolitanus in Brasilia; Paulus Yü-Pin, arch. Nanchimensis in Sinis; Nicolaus Verhoeven, ep. Manadoënsis in Indonesia; Ioseph Souto, ep. Palentinus in Hispania; Ioseph Melas, ep. Nuorensis in Italia; Stephanus Leven, ep. aux. S. Antonii in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Samuel Ruiz, ep. Chiapasensis in Mexico; Ioseph Bascuñana, ep. Civitatensis in Hispania; Maximus Hermaniuk, arch. Vinnipegensis pro Ucrainis in Canada; Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus in Italia; Aemilius Blanchet, rector Instituti Parisiensis in Gallia; Vincentius Brizgys, ep. coad. Kaunensis in Lituania; rev.mus P. Aegidius Gavazzi, Abbas coad. Sublacensis in Italia; exc.mi DD. Irenaeus Chelucci, ep. Ilcinensis in Italia; Andreas Makarakiza, ep. Ngoziensis in Burundi; rev.mi PP. Christophorus Butler, Superior Generalis Congregationis Anglicae Ordinis S. Benedicti; Ioannes Hoeck, praeses Congr. Bavaricae O. S. B.; exc.mi DD. Aurelius Del Pino, ep. Illerdensis in Hispania; Paulus Butorac, ep. Ragusinus in Iugoslavia. Et satis!

Moderator: Nunc exc.mus D. Otto Spülbeck, episcopus Misnensis, velit legere vel illustrare relationem circa modos in cap. III schematis *sanctae Liturgiae* quod est « De ceteris sacramentis et de sacramentalibus ».

SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA [3]

1 – MODI

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA
EXAMINATI

Hic fasciculus Patribus distributus est die 20 novembris 1963, in congregatione generali septuagesima prima.

CAPUT III

DE CETERIS SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS

Commissio, cunctis Modis propositis mature perpensis, unanimi sententia in consilium venit textus mutationes non esse proponendas. Attamen, attento numero quandoque ingenti votorum iuxta modum circa articulum 63 (de lingua vernacula in administratione Sacramento-

[3] rum et Sacramentalium) et circa articulum 79 (de reservatione Benedictionum et de nonnullorum Sacramentalium administratione laicis concedenda), praeter *Quaesitum generale* an placeat expensio Modorum, tria *peculiaria Quaesita* Patribus proponenda esse censuit circa supra memoratos articulos 63 et 79.

Sequentia proinde Quaesita Patribus proponuntur:

QUAESITA PARTICULARIA

1. *An placeat ut textus art. 63 a)* (in hoc fasciculo, pag. 23, linea 31, et pag. 24, lineis 1-3) *ita immutetur ut*

loco	*legatur*
In administratione Sacramentorum et Sacramentalium lingua vernacula adhiberi potest, sed quoad formam Sacramentorum, exceptis Matrimonio et aliis casibus expresse probatis, lingua latina generatim servetur.	In administratione Sacramentorum et Sacramentalium lingua vernacula adhiberi potest ad normam art. 36.

Conferatur « Relatio », pp. 6-7.

[4] 2. *An placeat expensio facta a Commissione circa art. 79, comma 2* (cf. « Relatio », p. 7).

3. *An placeat expensio facta a Commissione circa art. 79, comma 3* (cf. « Relatio », pp. 7-8).

QUAESITUM GENERALE

An placeat expensio facta a Commissione circa modos reliquos articulos Caput III respicientes.

2 – TEXTUS SCHEMATIS [23]

Caput III

DE CETERIS SACRAMENTIS ET DE SACRAMENTALIBUS

59. Sacramenta ordinantur ad sanctificationem hominum, ad aedificationem Corporis Christi, ad cultum denique Deo reddendum; ut signa vero etiam ad instructionem pertinent. Fidem non solum supponunt, sed verbis et rebus etiam alunt, roborant, exprimunt; quare fidei sacramenta dicuntur. Gratiam quidem conferunt, sed eorum celebratio fideles optime etiam disponit ad eandem gratiam fructuose recipiendam, ad Deum rite colendum et ad caritatem exercendam.

Maxime proinde interest ut fideles signa Sacramentorum facile intellegant et ea Sacramenta impensissime frequentent, quae ad vitam christianam alendam sunt instituta.

60. Sacramentalia praeterea sancta Mater Ecclesia instituit. Quae sacra sunt signa quibus, in aliquam Sacramentorum imitationem, effectus praesertim spirituales significantur et ex Ecclesiae impetratione obtinentur. Per ea homines ad praecipuum Sacramentorum effectum suscipiendum disponuntur et varia vitae adiuncta sanctificantur.

61. Itaque liturgia Sacramentorum et Sacramentalium id efficit ut fidelibus bene dispositis omnis fere eventus vitae sanctificetur gratia divina manante ex mysterio paschali Passionis, Mortis et Resurrectionis Christi, a quo omnia Sacramenta et Sacramentalia suam virtutem derivant; nullusque paene rerum materialium usus honestus ad finem hominem sanctificandi Deumque laudandi dirigi non possit.

62. Cum autem, successu temporum, quaedam in Sacramentorum et Sacramentalium ritus irrepserint, quibus eorum natura et finis nostris temporibus minus eluceant, atque adeo opus sit quaedam in eis ad nostrae aetatis necessitates accommodare, Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur de eorum recognitione decernit.

63. Cum haud raro in administratione Sacramentorum et Sacramentalium valde utilis esse possit apud populum linguae vernaculae usurpatio, amplior locus huic tribuatur, iuxta normas quae sequuntur:

a) In administratione Sacramentorum et Sacramentalium lingua

[24] vernacula adhiberi potest, sed quoad formam Sacramentorum, exceptis Matrimonio et aliis casibus expresse probatis, lingua latina generatim servetur;

b) Iuxta novam Ritualis romani editionem, Ritualia particularia, singularum regionum necessitatibus, etiam quoad linguam, accommodata, a competenti ecclesiastica auctoritate territoriali de qua in art. 22 § 2 huius Constitutionis quam primum parentur, et, actis ab Apostolica Sede recognitis, in regionibus ad quas pertinet adhibeantur. In iis autem Ritualibus vel peculiaribus Collectionibus rituum conficiendis, ne omittantur instructiones, in Rituali romano singulis ritibus praepositae, sive pastorales et rubricales, sive quae peculiare momentum sociale habent.

64. Instauretur catechumenatus adultorum pluribus gradibus distinctus, de iudicio Ordinarii loci in usum deducendus; quo fiat ut tempus catechumenatus, aptae institutioni destinatum, sacris ritibus successivis temporibus celebrandis, sanctificari possit.

65. In terris Missionum, praeter ea quae in traditione christiana habentur, illa etiam elementa initiationis admitti liceat, quae apud unumquemque populum in usu esse reperiuntur, quatenus ritui christiano accommodari possunt, ad normam art. 37-40 huius Constitutionis.

66. Uterque ritus baptizandi adultos, tum simplicior, tum, ratione habita catechumenatus instaurati, solemnior, recognoscatur; et Missali romano Missa propria « In collatione Baptismi » inseratur.

67. Ritus baptizandi parvulos recognoscatur et verae infantium condicioni accommodetur; partes etiam parentum et patrinorum eorumque officia, in ipso ritu, magis pateant.

68. In ritu Baptismi ne desint accommodationes, de iudicio Ordinarii loci adhibendae, pro magno baptizandorum concursu. Conficiatur item Ordo brevior quo, praesertim in terris Missionum, catechistae, et generatim, in periculo mortis, fideles, absente sacerdote vel diacono, uti possint.

69. Loco ritus qui « Ordo supplendi omissa super infantem baptizatum » appellatur, novus conficiatur quo apertius et congruentius indicetur infantem, qui ritu brevi baptizatus fuerit, iam receptum esse in Ecclesiam.

Item novus ritus conficiatur pro valide iam baptizatis, ad sacra catholica conversis, quo significetur eos in Ecclesiae communionem admitti.

70. Aqua baptismalis, extra tempus paschale, in ipso ritu Baptismi [24]
probata formula breviore benedici potest.

71. Ritus Confirmationis recognoscatur etiam ut huius Sacramenti [25]
intima connexio cum tota initiatione christiana clarius eluceat; quapropter renovatio promissionum Baptismi convenienter ipsam Sacramenti susceptionem praecedet.

Confirmatio, pro opportunitate, intra Missam conferri potest; ad ritum autem extra Missam quod attinet, paretur formula ad modum introductionis adhibenda.

72. Ritus et formulae Poenitentiae ita recognoscantur, ut naturam et effectum Sacramenti clarius exprimant.

73. « Extrema Unctio », quae etiam et melius « Unctio infirmorum » vocari potest, non est Sacramentum eorum tantum qui in extremo vitae discrimine versantur. Proinde tempus opportunum eam recipiendi iam certe habetur cum fidelis incipit esse in periculo mortis propter infirmitatem vel senium.

74. Praeter ritus seiunctos Unctionis infirmorum et Viatici, conficiatur Ordo continuus secundum quem Unctio aegroto conferatur post confessionem et ante receptionem Viatici.

75. Unctionum numerus pro opportunitate accommodetur, et orationes ad ritum Unctionis infirmorum pertinentes ita recognoscantur, ut respondeant variis condicionibus infirmorum, qui Sacramentum suscipiunt.

76. Ritus Ordinationum, sive quoad caeremonias sive quoad textus, recognoscantur. Allocutiones Episcopi, initio cuiusque Ordinationis aut Consecrationis, fieri possunt lingua vernacula.

In Consecratione Episcopali impositionem manuum fieri licet ab omnibus Episcopis praesentibus.

77. Ritus celebrandi Matrimonium, qui exstat in Rituali romano, recognoscatur et ditior fiat, quo clarius gratia Sacramenti significetur et munera coniugum inculcentur.

« Si quae provinciae aliis laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat ».[41]

Insuper competenti auctoritati ecclesiasticae territoriali, de qua in

41

[25] art. 22 § 2 huius Constitutionis, relinquitur facultas, ad normam art. 63, exarandi ritum proprium usibus locorum et populorum congruentem, firma tamen lege ut sacerdos assistens requirat excipiatque contrahentium consensum.

[26] 78. Matrimonium ex more intra Missam celebretur, post lectionem Evangelii et homiliam, ante « orationem fidelium ». Oratio super sponsam, ita opportune emendata ut aequalia officia mutuae fidelitatis utriusque sponsi inculcet, dici potest lingua vernacula.

Si vero Sacramentum Matrimonii sine Missa celebratur, Epistola et Evangelium Missae pro sponsis legantur in initio ritus et benedictio sponsis semper impertiatur.

79. Sacramentalia recognoscantur, ratione habita normae primariae de conscia, actuosa et facili participatione fidelium, et attentis nostrorum temporum necessitatibus. In Ritualibus recognoscendis ad normam art. 63, etiam nova Sacramentalia, prout necessitas expostulat, addi possunt.

Benedictiones reservatae perpaucae sint, et in favorem tantum Episcoporum vel Ordinariorum.

Provideatur ut quaedam Sacramentalia, saltem in specialibus rerum adiunctis et de iudicio Ordinarii, a laicis congruis qualitatibus praeditis, administrari possint.

80. Ritus Consecrationis Virginum, qui in Pontificali romano habetur, recognitioni subiciatur.

Conficiatur praeterea ritus professionis religiosae et renovationis votorum, qui ad maiorem unitatem, sobrietatem et dignitatem conferat, ab iis qui professionem vel votorum renovationem intra Missam peragunt, salvo iure particulari, assumendus.

Professio religiosa laudabiliter intra Missam fiet.

81. Ritus exsequiarum paschalem mortis christianae indolem manifestius exprimat, atque condicionibus et traditionibus singularum regionum, etiam quoad colorem liturgicum, melius respondeat.

82. Recognoscatur ritus sepeliendi parvulos, ac propria Missa donetur.

NOTAE

[41] Concilium Tridentinum, Sessio XXIV, 11 nov. 1563, *De reformatione,* cap. 1. Cf. *Rituale Romanum,* tit. VIII, c. II, n. 6.

3 – RELATIO [5]

EXC.MI D.NI OTTONIS SPÜLBECK, EPISCOPI MISNENSIS, COMMISSIONIS CONCILIARIS DE SACRA LITURGIA SODALIS

Venerabiles Patres,

Die 18 octobris 1963, in Aula Conciliari facta est suffragatio de integro capite III schematis de sacra Liturgia per vota *Placet, Non placet* et *Placet iuxta modum.* Exitus suffragationis fuit sequens:

Praesentes votantes	2.217
Maioritas requisita	1.578
Placet	1.130
Placet iuxta modum	1.054
Non placet	30
Vota nulla	3

Commissio de sacra Liturgia magna cum sollicitudine modos consideravit, ut de eis Vobis rationem redderet, ad normam art. 65 § 5 Ordinis Concilii celebrandi.

Haec Relatio duabus partibus constat, quarum prior modos respicit qui de rebus maioris momenti tractant, quique proinde fusiorem explicationem postulare videntur. In altera vero parte ceteri Modi singillatim recensentur, servato ordine articulorum, et addita Commissionis responsione...[1]

PARS PRIOR

MODI QUI PECULIARI CONSIDERATIONE DIGNI VISI SUNT

AD ARTICULUM 63

MODI PRO AMPLIORE USU LINGUAE VERNACULAE (*640 Patres*)

1 — Usus linguae vernaculae fiat etiam in administratione Sacramenti Poenitentiae (*1 Pater*).

2 — Adhibeatur etiam in Confirmatione (*2 Patres*).

3 — Adhibeatur etiam in Unctione infirmorum (*5 Patres*). [6]

---

[1] *In oratione*: Ne taedeat vos perlongae lectionis huius relationis, liceat mihi tantum istam partem maioris momenti, quae suffragationes respicit, vobis proponere.

[6] 4 — Admittatur usus de iudicio Conferentiarum Episcopalium, approbante S. Sede (*1 Pater*).

5 — Simpliciter dicatur: « etiam in administratione Sacramentorum » (*28 Patres*).

6 — Pag. 23, linea 31 et pag. 24, lineis 1-3, paragraphus *a*) sic mutetur: « in administratione Sacramentorum et Sacramentalium lingua vernacula adhiberi potest ad normam art. 36 ». Cetera verba eiusdem paragraphi supprimantur (*601 Patres*).

7 — Idem, sed cum additione: « sed servetur lingua latina in forma Eucharistiae, Poenitentiae, et Ordinis » (*2 Patres*).

R. — Quoad hos modos unanimis sententia Commissionis sequens fuit:

a) Textus schematis data opera suffragatus fuit die 17 octobris 1963 in emendatione secunda, et obtinuit duas ex tribus partibus votorum validorum.

b) Attamen:

1) attento magno numero Patrum (640) qui his non obstantibus petunt ut usus linguae vernaculae in administratione Sacramentorum et Sacramentalium amplificetur;

2) attento insuper quod 601 ex istis Patribus proponunt formulam: « In administratione Sacramentorum et Sacramentalium lingua vernacula adhiberi potest ad normam art. 36 »;

3) Commissio, eo fine ut omnis incertitudo quoad textum huius articuli tollatur et, in quantum fieri potest, omnes Patres concurrant ad optatissimam unanimitatem moralem efformandam in approbatione solemni huius Constitutionis, exoptat ut adhuc sequens quaesitum suffragationi Concilii proponatur. Nempe:

An placeat ut textus art. 63 *a*) ita immutetur ut loco: « In administratione Sacramentorum et Sacramentalium lingua vernacula adhiberi potest, sed quoad formam Sacramentorum, exceptis Matrimonio et aliis casibus expresse probatis, lingua latina generatim servetur », legatur: « *In administratione Sacramentorum et Sacramentalium lingua vernacula adhiberi potest ad normam art. 36* » ...[2]

N. B. *a*) Vota fiant per *placet* et *non placet*.

b) Qui dicit *placet* vult ut novus textus propositus recipiatur

---

[2] *In oratione*: Pro commoditate Patrum, liceat mihi in memoriam revocare art. 36 (cf. p. 506).

loco hodierni textus schematis; qui vero dicit *non placet* vult ut textus schematis maneat sicuti nunc *est.*[3] [6]

c) Si illi qui volunt ut novus textus recipiatur non obtinebunt duas ex tribus partibus votorum validorum, textus schematis remanebit sicuti nunc est. [7]

AD ARTICULUM 79, COMMA 2

(DE RESERVATIONE BENEDICTIONUM)

8 — Pag. 26, linea 4, omittantur verba « vel Ordinariorum »; vel dicatur « Episcoporum vel Ordinariorum loci »; vel dicatur tantum « Ordinariorum locorum » (*121 Patres*).

9 — In fine dicatur « Ordinariorum et Episcoporum », ne videantur omnia Sacramentalia quae Episcopis reservantur pariter Ordinariis religiosorum reservari (*1 Pater*).

10 — In fine dicatur « Ordinariorum pro subditis suis » (*1 Pater*).

R. — *a*) Sensus huius commatis per verba « vel Ordinariorum » non est ut Superioribus maioribus religiosis reserventur quaedam benedictiones quae nunc in usu communi Christifidelium sunt, uti Viae Crucis, scapulariorum B. Mariae Virginis de Monte Carmelo et huiusmodi. Sed solum ut ipsi Ordinarii religiosorum retineant facultates quas habent ex iure vigenti pro subditis suis et pro locis suae religionis tantum, v. g., benedicendi loca sacra ad religionem clericalem exemptam pertinentia.

b) Quia tamen Patres qui hunc modum petierunt sunt numero notabili 121, Commissio opportunum existimat de sua hac interpretatione suffragium petere.

Quare ponit sequens quaesitum:

An placeat expensio facta a Commissione circa art. 79, comma secundum.

AD ARTICULUM 79, COMMA 3

(DE PARTE ORDINARII IN CONCEDENDIS QUIBUSDAM SACRAMENTALIBUS LAICIS)

Pag. 26, linea 16, ad verba schematis « de iudicio Ordinarii » multi Patres sequentia adnotaverunt:

11 — Reservetur uni Sanctae Sedi (*1 Pater*).

[3] *In oratione*: iacet.

[7] 12 — Ponatur « de iudicio Conferentiae Episcopalis » (*11 Patres*).

[8] 13 — Ponatur « de iudicio Ordinarii loci vel Conferentiae Episcopalis » (*1 Pater*).

14 — Ponatur « de iudicio Ordinarii loci » (*162 Patres*).

R. — Quoad vocem *Ordinarii* sensus textus semper fuit agi hic de Ordinario loci, cum sermo sit de illis laicis qui solum Ordinarium loci habent.

Quia tamen Patres qui modum huiusmodi petierunt sunt numero notabili 175, Commissio opportunum existimat de sua hac interpretatione suffragium petere.

Quare ponit sequens quaesitum:

An placeat expensio facta a Commissione circa art. 79, comma tertium.

Pars altera *

MODI IUXTA ORDINEM ARTICULORUM DISPOSITI

Caput III constat 23 articulis. Ex his 4 tantum absque ulla observatione approbati sunt, reliqui 19 cum variis modis. Modi autem fuerunt totidem 108; cum vero nonnulli, ob materiae affinitatem, in unum coadunati fuerint, in praesenti expensione reducuntur ad numerum 94.

AD ARTICULUM 59

(Prooemium)

15 — Pag. 23, lineis 1-2, mutetur ordo rerum dictarum, ponendo primo loco « ad cultum Deo reddendum », quia videtur primarius finis Sacramentorum (*12 Patres*).

R. — Finis Sacramentorum immediatus est sanctificatio hominis. Cultus vero Dei in eis est solus finis mediatus et ultimus. E contra in sacrificio finis immediatus est cultus Dei, et sanctificatio hominis intenditur solum mediate uti praeparatio ad cultum. Cf. S. Thomas, *Summa Theol.,* III, q. 60, a. 2; prol. ad q. 72.

---

* Relator hunc textum usque ad conclusionem pag. [21] non legit.

16 — Pag. 23, linea 1, ponatur primo loco « ad aedificationem Corporis Christi » (*1 Pater*). [8]

R. — Homo Corpori Christi aggregatur per sanctificationem in Baptismo.

17 — Pag. 23, linea 2, addatur « mystici » post verba « Corporis Christi » (*1 Pater*). [9]

R. — Inutilis videtur additio. Est terminologia S. Pauli. Cf., v. g., *Eph.* 4, 12.

18 — Pag. 23, lineis 4-5, expungantur verba « Quare fidei sacramenta dicuntur » (*1 Pater*).

R. — Formula est traditionalis. Cf., v. g., S. Thomas, *Summa Theol.,* III, q. 49, a. 3 ad 1; q. 62, a. 6; q. 72, a. 5 ad 1.

19 — Pag. 23, linea 3, addantur verba « fidei virtus infunditur in parvulis », nedum ea supponatur (*1 Pater*).

R. — Inutilis videtur haec additio; immo Baptismus parvulorum supponit fidem Ecclesiae, quia parvuli credunt per fidem Ecclesiae. Cf. S. Thomas, *Summa Theol.,* III, q. 68, a. 8; a. 9 ad 2, ubi citantur textus S. Augustini.

20 — Pag. 23, linea 4, dicatur « fidem mediantibus verbis et rebus alunt » (*1 Pater*).

R. — Ablativus indicat instrumentum, sine verbo « mediantibus ».

21 — Pag. 23, linea 5, proponitur alia redactio: « gratiam ... et eorum celebratio » loco « gratiam quidem conferunt sed eorum celebratio » (*1 Pater*).

R. — Sensus sententiae schematis non differt a modo proposito.

22 — Pag. 23, lineis 9-10, ultima sententia (« quae ad vitam christianam alendam sunt instituta ») superius collocetur, scilicet quando dicitur « Sacramenta ordinantur ad ... », ut superflua repetitio vitetur (*1 Pater*).

R. — Ista ultima sententia addita vel mutata iam est ad evitandam ambiguitatem, quia tria sunt Sacramenta quae impensissime frequentari non possunt.

[10]

AD ARTICULUM 60

(PROOEMIUM)

23 — Proponitur definitio Sacramentalium aliquatenus differens (*1 Pater*).

R. — Textus iam suffragatus est. Ceteroquin definitio proposita vix differt a textu schematis.

24 — Pag. 23, lineis 14-15, disiunctive dicatur, « vel ad Sacramenta disponuntur, vel in variis vitae statibus ... » (*1 Pater*).

R. — Non videtur conveniens tanta distinctio inter diversa Sacramentalia, quia omnia Sacramentalia plus minusve directe ad utrumque effectum ordinantur. Insuper multa Sacramentalia non ordinantur directe ad sanctificandum aliquem « statum » vitae uti facit consecratio virginum et huiusmodi, sed potius ad sanctificandum « varia vitae adiuncta » uti melius dicit textus schematis.

25 — Pag. 23, lineis 11-12, non placet usus duorum verborum « quae » et « quibus » in eadem sententia (*1 Pater*).

R. — Lingua latina non repugnat huic repetitioni. Primum « quae » habet sensum demonstrativum.

26 — Pag. 23, linea 11, in initio articuli proponitur additio: « Sed ut consecratio mundi a Verbo incarnato procedens et per Sacramenta in homines propagata latius in dies progrediatur atque fidelium vitam tam socialem quam individualem intimius penetret, Sancta Mater Ecclesia instituit sacra signa, quae dicuntur Sacramentalia; si fiunt modo solemniori potissimum in connexione cum Sacrificio Eucharistiae exercentur » (*3 Patres*).

R. — Textus iam suffragatus est. Propositio egregie explicitat aspectum doctrinae iam contentum in textu schematis et magni momenti praesertim pro terris Missionum. De cetero iam provisum est in art. 79, commate primo, ubi agitur de novis Sacramentalibus.

27 — Servetur ordo consuetus, separando tractationem de Sacramentis ab illa de Sacramentalibus, ita ut habeantur duo capita distincta (*1 Pater*).

R. — Ratione sui, Sacramentalia intime cum Sacramentis coniunguntur et mos est ut de utrisque in eodem libro agatur.

AD ARTICULUM 61 [11]

(PROOEMIUM)

28 — Pag. 23, linea 18, non placet mentio Resurrectionis in sententia « ex mysterio paschali Passionis, Mortis et Resurrectionis Christi », quia Sacramenta non derivant suam virtutem ex Resurrectione, sed ex Passione et Morte Christi (*3 Patres*).

R. — Verum est Christi Passionem et Mortem solam esse meritoriam, quod non convenit Resurrectioni ipsius. Attamen sive in ordine causae exemplaris, sive in ordine causae efficientis virtus Resurrectionis Christi operatur in Sacramentis, ad mentem S. Thomae, *Summa Theol.,* III, q. 56, a. 2 ad 4: « In iustificatione animarum duo concurrunt, scilicet remissio culpae et novitas vitae per gratiam. Quantum ergo ad efficientiam quae est per virtutem divinam tam passio quam resurrectio est causa iustificationis quoad utrumque. Sed quantum ad exemplaritatem, proprie passio et mors est causa remissionis culpae per quam morimur peccato: resurrectio autem Christi est causa novitatis vitae, quae est per gratiam sive iustitiam. Et ideo Apostolus dicit, *Rom.* 4, 25, quod " traditus est " scilicet in mortem " propter delicta nostra tollenda " et resurrexit propter iustificationem nostram ».

Sed Passio Christi est etiam causa meritoria ut dictum est q. 57, a. 1 ad 4, et q. 48, a. 1. Cf. etiam pro Sacramentis q. 62, a. 4 ad 3.

AD ARTICULUM 63

(DE LINGUA)

A) *Modi minoris momenti*

29 — Pag. 23, linea 29, loco verborum « utilis usurpatio », ponatur: « fructuosus usus » (*1 Pater*).

R. — Verba « utilis usurpatio » desumpta sunt a Litt. Encycl. *Mediator Dei* (*A.A.S.,* 39, 1947, p. 545).

30 — Pag. 24, linea 2, loco « lingua latina » ponatur: « lingua liturgica » (*4 Patres*).

R. — Quaelibet lingua, etiam vernacula, quae legitime in Liturgia adhibetur, est liturgica.

[12] *B*) *Modi contra usum linguae vernaculae* (23 Patres)

31 — Supprimatur tota paragraphus *a*) in art. 63 (*1 Pater*).

32 — Usus linguae vernaculae restringatur (*1 Pater*).

33 — Lingua vernacula adhibeatur tantum in lectionibus et admonitionibus (*1 Pater*).

34 — Servetur lingua latina in exorcismis et in orationibus in quibus mentio fit de actione daemonum (*1 Pater*).

35 — In forma Sacramentorum lingua latina semper adhibeatur, praeterquam in Matrimonio (*18 Patres*).

R. — Hae propositiones admitti non possunt, quia opponuntur generali approbationi articuli emendati, qui a Patribus expresse suffragatus est per 2103 vota « placet » ex 2152 votis validis.

C) *Modi pro ampliore usu linguae vernaculae* (640 Patres)

Modi ad hanc sectionem spectantes, una cum responsione Commissionis inveniuntur in priore parte Relationis pag. 5-6 sub nn. 1-7.

AD ARTICULUM 64

(De Baptismo)

36 — Initio paragraphi sic dicatur: « Baptismus omnibus gratis omnino conferatur. In ritu administrationis nihil inseratur quo differentia inter divites et pauperes appareat » (*1 Pater*).

R. — Iam provisum est in Capite I huius Constitutionis, art. 32.

AD ARTICULUM 68

(De Ordine breviore Baptismi)

37 — Accommodationes de iudicio Ordinarii solummodo in regionibus Missionum fiant (*4 Patres*).

R. — Textus emendatus iuxta petitiones quorundam Episcoporum ex America Latina, iam suffragatus est. Similes necessitates possunt passim occurrere.

38 — Non placet ut accommodationes in ritu de iudicio Ordinarii fiant: [13]
« Tollatur simpliciter additio » (*1 Pater*); «Non placet quia dicitur " de iudicio Ordinarii " » (*1 Pater*).

R. — Eadem responsio ut supra.

39 — Accommodationes fiant a S. Rituum Congregatione (*1 Pater*); vel a Sancta Sede (*1 Pater*).

R. — Ad mentem art. 63 *b*), accommodationes conficiuntur a competenti auctoritate territoriali, actis ab Apostolica Sede recognitis, at adhibentur de iudicio Ordinarii.

40 — Accommodationes specificandae atque determinandae sunt (*1 Pater*).

R. — Iam provisum est in textu schematis, secundum art. 63 *b*).

41 — Pag. 24, linea 28, tollatur verbum « catechistae » (*1 Pater*).

R. — Textus agit de terris Missionum.

42 — Videtur sufficere iudicium ministri Baptismi et non requiri iudicium Ordinarii loci, si accommodationes adsunt in ritu (*1 Pater*).

R. — Cultus est semper sub iudicio et moderamine Episcopi.

43 — Pag. 24 deleantur lineae 26-27 et addatur in fine articuli: « Item ordo brevior pro magno baptizatorum concursu » (*1 Pater*).

R. — Agitur de emendatione tertia iam suffragata.

AD ARTICULUM 69

(De Ordine supplendi omissa in Baptismo)

44 — Redeatur ad textum priorem schematis non emendati (*1 Pater*).

R. — Mutationes factae sunt tantum ad textum clariorem reddendum et ambiguitatem tollendam, non mutato sensu totius articuli.

AD ARTICULUM 70

(De Benedictione aquae baptismalis)

45 — Pag. 24, linea 36, substituantur verba « extra tempus paschale » per verba « extra Sabbatum Sanctum » (*2 Patres*).

R. — Non convenit, quia tunc tantum in nocte paschali aqua solemniter consecrata adhiberi posset.

[14]

AD ARTICULUM 71

(DE RITU CONFIRMATIONIS)

46 — Non placet ut nihil in hoc articulo dicatur de aetate requisita ad Confirmationem suscipiendam. Sacramentum Confirmationis non impertiendum esset ante decimum saltem aetatis annum ac semper seiunctum a Prima Communione (*1 Pater*).

R. — Pertinet ad disciplinam Sacramentorum, non ad Constitutionem de sacra Liturgia.

47 — Sermo fiat in hoc articulo de ministro extraordinario Sacramenti Confirmationis (*1 Pater*).

R. — Eadem responsio ut supra, et necessitatibus propriis quarundam regionum per indulta Apostolicae Sedis iam provisum est.

48 — Omnes orationes in ritu Confirmationis ante unctionem dicantur, ut, in adiunctis extraordinariis quarundam regionum cum permulti simul confirmantur, confirmati relinquere ecclesiam possint iam ante finem totius ritus (*1 Pater*).

R. — Remittatur ad Commissionem Postconciliarem.

49 — Confirmatio intra Missam non placet, quia practice impossibilis fere evadit (*1 Pater*).

R. — Dicitur in schemate « pro opportunitate ».

50 — Confirmatio intra Missam tunc tantum detur quando agitur de pueris post septem annos vel de adultis (*1 Pater*).

R. — Eadem responsio ut supra.

51 — Pro collatione Confirmationis intra Missam conficiatur Missa propria (*1 Pater*).

R. — Optandum est, et remittatur ad Commissionem Postconciliarem.

52 — Renovatio promissionum Baptismi ante Confirmationem non facultativa sed obligatoria evadat (*1 Pater*).

R. — Provideatur per legem dioecesanam.

53 — Non placet formulam introductionis, quando Confirmatio extra Missam administratur, esse obligatoriam. Loco « adhibenda » dicatur: « adhiberi possit » (*1 Pater*). [14]

R. — Introductio in casu indicato necessaria videtur. De forma vero Commissio Postconciliaris providebit.

AD ARTICULUM 72 [15]

(De Poenitentia)

54 — Simpliciter deleatur hic articulus, propter diversas rationes (*3 Patres*).

R. — Articulus supprimi non potest quia in suffragatione ad totum Caput III placuit fere omnibus Patribus.

55 — Pag. 25, linea 9, post verba « effectum Sacramenti clarius exprimant » addantur verba: « Ita tamen ut difficilior non fiat accessio ad Sacramentum » (*1 Pater*); vel verba « secundum probatam doctrinam » (*1 Pater*); vel verba « ut naturam et effectum Sacramenti ... » substituantur per verba: « simpliciores reddantur, demptis iis quae superflua sunt vel ad poenitentiam praesentem non pertinent, et ea sola quae theologice certa sint » (*1 Pater*).

R. — Omnia haec patent, Commissio autem Postconciliaris providebit.

56 — Attendatur ut in recognitione ritus Poenitentiae nihil de natura Sacramenti obnubiletur (*1 Pater*).

R. — Res evidens videtur, et ideo nullam mutationem in textu requirit.

AD ARTICULUM 73

(De nomine et de tempore recipiendi Unctionem infirmorum)

57 — Redeatur ad textum prioris schematis, reiecta emendatione (*6 Patres*).

R. — Emendatio iam placuit Patribus suffragatione peracta.

58 — Redeatur ad textum prioris schematis, attamen addatur: « aut propter senium infirmatur » (*2 Patres*).

[15] R. — Eadem responsio ut supra. Additioni propositae iam provisum est in dicta emendatione suffragata.

59 — Proponitur textus omnino emendatus, scilicet: « Extrema Unctio quae melius Unctio infirmorum vocari potest ... Proinde tempus opportunum id recipiendi iam certe habetur cum prudens seu probabile adsit periculi mortis iudicium propter infirmitatem vel senium » (*1 Pater*).

R. — Textus emendatus iam suffragatus est.

[16] 60 — Proponitur alius textus emendatus, scilicet: « Unctio infirmorum, quae apud latinos inde a quibusdam saeculis etiam Extrema Unctio nuncupatur, est Sacramentum infirmorum, illorum vero praesertim qui ita graviter decumbunt ut in periculo vel exitu vitae constitui videantur (cf. Conc. Trid.: Denzinger, n. 910). Opportune ergo iam conferri debet cum de aegroti vitae discrimine timetur » (*1 Pater*).

R. — Textus schematis ita exaratus est ut, stante disciplina actuali, latior interpretatio possibilis fiat.

61 — Saltem supprimatur nomen « Extrema Unctio », retento unice nomine « Unctionis infirmorum », propter rationes pastorales (*9 Patres*).

R. — Dicendo « et melius » suaviter omnes alliciuntur ad nomen mutandum quin obligatio fiat. Immo textus emendatus iam placuit Patribus.

62 — Emendetur pars articuli in qua describuntur conditiones administrationis Sacramenti Unctionis: « Sacramentum graviter aegrotantium et non morientium » (*2 Patres*); « in gravi infirmitate » (*1 Pater*); « statim ac fidelis in gravem morbum inciderit vel senuerit », cum additione, « damnato capitis » (*2 Patres*); addatur casus morbi gravis, v. g., operatio chirurgica (*1 Pater*).

R. — Textus emendatus iam suffragatus est. Insuper necessarium est ut servetur formula quae adhuc a magisterio consuevit adhiberi usque dum quaestio theologica definiatur. Schema non debet casuisticam proferre circa casus particulares adductos.

63 — Pag. 25, linea 10, expungantur verba « et melius » (*2 Patres*).

R. — Emendatio iam placuit Concilio.

AD ARTICULUM 74 [16]

(De ritu Unctionis infirmorum)

64 — Pag. 25, linea 17, loco « ante receptionem Viatici » legatur « ante receptionem Eucharistiae » (*1 Pater*).

R. — In textu non agitur de Communione infirmorum in genere, sed de Viatico in relatione ad Unctionem infirmorum.

POST ARTICULUM 75

(De iteratione Unctionis infirmorum)

65 — Reintroducatur articulus olim 60 de iteratione Unctionis infirmorum (*18 Patres*).

R. — Suppressio istius articuli explicite suffragata est.

AD ARTICULUM 76 [17]

(De ritu Ordinationis)

66 — Non placet impositio manuum omnium Episcoporum praesentium (*4 Patres*).

R. — Textus suffragatus est in emendatione septima.

67 — Pag. 25, linea 25, post verba « impositionem manuum » addatur « necnon prolationem verborum formae » (*1 Pater*).

R. — Providebit Commissio Postconciliaris.

68 — Si Episcopi Conconsecrantes sunt vere ministri Sacramenti — quod clare indicare oporteret — tunc etiam formam sacramentalem pronuntiare deberent » (*1 Pater*).

R. — Eadem responsio ut supra.

69 — Pag. 25, linea 25, loco « licet » dicatur: « convenit » (*1 Pater*).

R. — Textus iam suffragatus est in emendatione septima.

[17]

AD ARTICULUM 77

(De ritu Matrimonii)

70 — Laudabiles consuetudines et caeremoniae in celebrando Matrimonio, retineantur in regionibus quae iisdem utuntur. Ideo necessarium non videtur ut auctoritati ecclesiasticae territoriali facultas relinquatur exarandi ritum proprium. In terris tantum Missionum, ubi ritus proprius non habetur, haec potest facultas dari (*6 Patres*).

R. — Iam provisum est in articulo per citationem textus Tridentini, qui allegatur etiam in Rituali romano tit. VIII, cap. II, n. 6.

71 — Facultas auctoritati territoriali data videtur nimis ampla. Verbum « vehementer » in paragrapho superiore videtur superfluum (*1 Pater*).

R. — Est allegatio ad litteram textus Tridentini qui immutari nequit.

72 — Unica classis pro omnibus promulgetur, ut omnino nulla appareat diversitas inter divites et pauperes. Pro omnibus debet esse gratuita (*1 Pater*).

R. — Iam provisum in Capite I huius Constitutionis, art. 32.

[18] 73 — Benedictio anuli nuptialis ad sponsum et sponsam referatur. Item formula hoc modo mutetur: « Ego declaro vos coniunctos in Matrimonium. In nomine Patris ... » (*1 Pater*).

R. — Hae mutationes pertinent ad Commissionem Postconciliarem.

AD ARTICULUM 78

(De celebratione Matrimonii)

74 — Pag. 26, linea 1, post verbum « Matrimonium » addatur « inter catholicos »; et linea 7, post verbum « sponsis » addatur « catholicis » (*3 Patres*).

R. — Rem intactam relinquamus cum sit in promptu schema de Matrimonio, in quo expresse agitur de Matrimoniis mixtis.

75 — Non placet benedictio sponsis impertienda extra Missam (*1 Pater*). [18]

R. — Iam suffragatum est in emendatione octava.

76 — Pag. 26, lineis 6-7, verbum « semper » in sententia, « benedictio sponsis semper impertiatur », tollatur (*2 Patres*).

R. — Iam suffragatum est in emendatione octava.

77 — Oratio super sponsam non indiget emendatione, quia pulcherrima est, immo perfecta est, sed potest utilius inculcare, breviter et fervide, « aequalia officia mutuae fidelitatis utriusque sponsi » (*1 Pater*).

R. — Iste est etiam sensus ipsius articuli.

78 — Articulus sic mutetur: « Matrimonium ex more ante Missam celebratur ». Deleantur omnia alia verba huius sententiae (*9 Patres*).

R. — Verba « ex more » eundem sensum habent ac « ordinarie », et ideo nullam obligationem inducitur. Inde provisum est difficultati ab his Patribus motae.

AD ARTICULUM 79

A) AD COMMA 2 (DE RESERVATIONE BENEDICTIONUM)

Modi ad hoc comma spectantes inveniuntur, una cum responsione Commissionis, in priore parte Relationis (p. 7) sub nn. 8-10.

B) AD COMMA 3 (SACRAMENTALIA A LAICIS ADMINISTRANDA) [19]

79 — Totum comma supprimatur (*153 Patres*).

R. — Emendatio iam suffragata est et a Concilio accepta.

80 — Ad verba « quaedam Sacramentalia »:

a) Specificentur Sacramentalia (*14 Patres*).

b) Taxative enumerentur in recognitione (*1 Pater*).

c) Addatur: « Exceptis semper illis in quibus benedictio adest » (*1 Pater*).

d) Ponatur tantum « distributio rerum a sacerdote iam benedictarum » (*1 Pater*).

[19] 81 — Ad verba « in specialibus rerum adiunctis »:
a) Dicatur « in specialissimis rerum adiunctis » (*1 Pater*).
b) Specificentur circumstantiae (*6 Patres*).

N. B. *Modi ad verba « de iudicio Ordinarii » inveniuntur, una cum responsione Commissionis, in priore parte Relationis* (p. 8), *sub nn. 11-14.*

82 — Ad verba « a laicis congruis qualitatibus praeditis »:
a) Specificentur laici (*1 Pater*).
b) Dicatur « a fratribus laicis religiosis » (*1 Pater*).
c) Dicatur « a laicis et religiosis non clericis » (*1 Pater*).
d) Dicatur « a Superioribus Religionum et Institutorum laicalium, a parentibus pro respectivis domibus subditis familiis » (*1 Pater*).
e) Dicatur « deficiente aliquo in Ordinibus constituto » (*1 Pater*).
f) Dicatur « a diaconibus et (quaedam) a clericis » (*1 Pater*).

83 — Addatur « amoto periculo admirationis » (*1 Pater*).

84 — Addatur « specialis libellus ritualis pro laicis conficiatur » (*1 Pater*).

R. — Ad haec omnia sic respondendum Commissioni videtur:
a) In textu admittitur principium quod Sacramentalia non ex natura sua clericis reservantur, sed quod Ecclesia potest deputare laicum ad dandam benedictionem nomine Ecclesiae.

Ex eo quod lectores panem et fructus iam benedicere possunt, patet potestatem sacerdotalem non exigi ad omnem benedictionem perficiendam.

[20] *b*) Quoad cautelas necessarias de quibus plures Patres locuti sunt, Commissio censet sufficere illas iam plures cautelas in textu praevisas, nempe:
1) « provideatur »
2) « quaedam Sacramentalia »
3) « saltem in specialibus rerum adiunctis »
4) « de iudicio Ordinarii »
5) « a laicis congruis qualitatibus praeditis »
6) « possint ».

Cum in Constitutione de sacra Liturgia agi oporteat de altioribus principiis, specificatio tum Sacramentalium tum circumstantiarum vel adiunctorum relinquitur Commissioni Postconciliari. [20]

AD ARTICULUM 80

(De ritu professionis religiosae)

85 — Pag. 26, linea 23, verba « salvo iure particulari » ita explicentur ut quidam ritus particulares non excludantur, non eo sensu ut indultum aliquod vel ius particulare acquirendum sit ut illo ritu professionis religiosae sodales possint uti (*12 Patres*).

R. — Textus iam suffragatus est. Explicatio pertinet ad Commissionem Postconciliarem.

86 — Non placent verba « salvo iure particulari » (*8 Patres*).

R. — Eadem responsio ut supra.

87 — Non placet additio (*2 Patres*).

R. — Textus iam suffragatus est.

88 — Non placet professionem religiosam haberi in Missa (*4 Patres*).

R. — Dicitur « laudabiliter »; ergo provisum est.

89 — Professio religiosa tum intra tum extra Missam peragi possit (*2 Patres*).

R. — Provisum est per verbum « laudabiliter ».

90 — Schema ritus conficiatur ut unitas servetur, sed libertas concedatur in applicatione particulari (*1 Pater*).

R. — Iam provisum est in textu articuli.

91 — Ad approbandum ritum peculiarem requiratur auctoritas Ordinarii loci (*1 Pater*); et non remittatur arbitrio uniuscuiusque eorum qui professionem et votorum renovationem emittunt (*2 Patres*). [21]

R. — Ritus conficiatur, ex sensu articuli, auctoritate Apostolica a Commissione Postconciliari.

[21] 92 — Circa Consecrationem Virginum addantur verba: « ad formam breviorem simplicioremque reducatur » (*1 Pater*).

R. — Principium iam affirmatum est in Capite I huius Constitutionis, art. 34. De cetero recognitio pertinet ad Commissionem Postconciliarem.

AD ARTICULUM 81

(De Ordine exsequiarum)

93 — Unica sit classis pro omnibus absque ulla differentia inter divites et pauperes, quibus omnia debent esse gratuita (*1 Pater*).

R. — Iam provisum est in Capite I huius Constitutionis, art. 32.

94 — Pag. 26, linea 25, verba « paschalem mortis christianae indolem » requirunt clariorem modum dicendi (*1 Pater*).

R. — Sensus articuli explicatur in Appendice fasciculi Emendationum, p. 29.

* * *

Haec sunt, venerabiles Patres, praecipua quae notanda erant. Plurimas gratias agimus pro benevolentia et patientia Vestra optantes ut opus nostrae Commissionis a Vobis ratum habeatur.

Moderator: Nunc exc.mus secretarius generalis legat quaesitum primum in cap. III *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis: Videatis, Patres venerabiles, pag. 3. Primum quaesitum: « An placeat ut textus art. 63 *a*) (in hoc fasciculo, pag. 23, lin. 31, et pag. 24, linn. 1-3) ita immutetur ut legatur: « In administratione sacramentorum et sacramentalium lingua vernacula adhiberi potest ad normam art. 36 ».

Non inutile erit iterum legere art. 36, quamvis iam lectum sit a relatore [*cf. p. 506*].

Moderator: Resumitur disceptatio circa schema *de Oecumenismo* generatim sumptum.

PATRUM ORATIONES

(*De Oecumenismo in genere*)

1

EXC.MUS P. D. IACOBUS FLORES MARTIN
Episcopus Barbastrensis

Venerabiles Patres conciliares, Observatores dilectissimi, Auditores humanissimi,

Viam ingredimur Oecumenismi amplam et spatiosam, in quam nos introducere voluit, felicis recordationis amantissimus Pater Ioannes XXIII.

Iam a pluribus annis Ecclesia Sancta contactus inivit et tractationes et dialogos, *Romae et alibi,*[1] sed quasi tentamina incerta sentiens spinas et tribulos in via. Ideo cum hodie magno corde et animo *oecumenicum ingrediamur iter, a Spiritu Sancto flagitamus*[2] ut non patiatur nos perturbatores esse iustitiae, qui summam diligit aequitatem...[3]

Gaudio permagno afficimur quod prima vice de Oecumenismo in Concilio sermo sit. Nec mirum cum in hoc Concilio non agatur de damnandis erroribus, sed de positiva doctrina exponenda, non de seiungendis sed de uniendis...[4]

Optime *igitur*[5] videtur hoc schema post schema de Ecclesia *tractari.*[6] Postquam enim de illa ut mysterio, de eius imaginibus a Christo pro illa adhibitis, de membris diversis, hierarchia, fidelibus, sanctitate, hodie de nostra connexione cum separatis fratribus loquamur et quidem spiritu unitatis et caritatis.

Sunt enim omnes christiani nobiscum in Christo per characterem baptismalem qui est indelebilis coniuncti, sunt hac ratione etiam participantes Christi sacerdotium regale, quod pariter eadem ratione indelebile est. Habemus *ergo cum illis*[7] coniunctionem, laborem, vitalitatem aliquam communem quae clamat ut hoc apud omnes in lucem ponatur et omnes alliciat ad opus commune efficiendum. Quidni si alia sacramenta, Eucharistiam e. g., etiam admittunt et exercent *et vera consecratione Christi Corpus realiter praesens habent*[8]?

Cum igitur in schemate de Ecclesia ...[9] iam *declaraverimus*[10] Ecclesiam missam ad omnes homines, pro quibus Dominus sanguinem suum fudit ut eos ad Regnum suum vocet et dirigat, opportunum est ut optimismo christiano ducti illum undequaque seminemus, hac spe freti quod

sanguis Christi non *est frustra versatus,*[11] nec labor noster *inanis*[12] est in Domino ...[13]. Ideo Oecumenismus venit ut sincere et dilatato corde vias aperiamus exercitui filiorum Dei, omnium scil. *christianorum*[14] bonae voluntatis, sine ulla invidia, sine ullo timore.

Hac via nos etiam agit Romanus Pontifex Paulus VI in sermone habito die 29 mensis septembris *iam toties citato.*[15] Probe noverit mundus se peramanter ab Ecclesia aspici, quae in ipsum sincera fertur admiratione sinceroque proposito movetur, non eum dominandi, sed serviendi, non eum contemnendi, sed dignitatem ipsius augendi et salutem *deferendi.*[16]

Haec est ad oecumenismum vocatio quae omnes nos urget, quo fiat alacrior et fiduciosior optimisticus noster labor, ad « oecumenicitatem plenam et universalem », *ut ait ipse Summus Pontifex.*[17]

Dialogum ergo possumus et debemus admittere sine ullo timore, cum in ipso dialogo possimus nostram doctrinam plene sustinere, nec quodpiam dogma tacere *nos debeamus.*[18] Nam ex una parte et ipse Pontifex asseveravit: « Nos, ut oportet, fidei nostrae, quam divinam esse plane credimus, apertissime ac firmiter adhaeremus. Attamen pro certo habemus eam minime impedimento esse, quominus ad exoptatam consensionem inter nos et Fratres a nobis seiunctos deveniatur ».

Ex sua parte fratres qui oecumenismum propugnant omnino admittunt illas omnes confessiones quae oecumenismo adhaerent et in illo labore uniuntur « plene manent seipsis fideles, quin renuntiare debeant cuicumque doctrinae ipsis propriae », attamen in dialogo sincero uniuntur, *collaboratione sincera doctrinam pervestigantes et collaborationem in apostolatu aedificantes.*[19] Agitur enim *in hoc dialogo*[20] de vera penetratione doctrinae in Christo, in evangelio, de sincero communi studio ad perveniendum ad radices veritatis et caritatis, Christum in omnibus per multas realitates sentientes, ea quae nos uniunt exaltantes et vivificantes, ea quae nos separant quaerentes solvere donec occurramus in unitatem fidei perfectam.

Hoc ab omnibus exigit[21] ut omnes laboremus amore fraternitatis, non luctantes alii contra alios, sed vires omnes unanimiter conferentes in bonum fidei et caritatis. Sic vitabimus pacifico et fraterno spiritu invidiosum proselytismum et nos *convertemus ad laborem missionarium. Ita incepimus facere cum nostris sacerdotibus pro dilectissima nobis America, pro iuvandis fratribus ubique gentium.*[22]

...[23] Optime *etiam*[24] in cap. II (*de exercitio oecumenismi*[25]) proclamatur primatus *interioris Ecclesiae renovationis et conversionis*[26] cordis; primatus orationis *et sacrificii, orationis unanimis, et mutuae comprehensionis.*[27] Quo etiam fiet ut vitetur indifferentismus, insistendo in

spiritu caritatis et sanctitatis, et ut collatis viribus, vitato luctae et invidiae spiritu ...[28], vitato scandalo divisionis inter christianos, simus vera lux mundi et sal terrae.

Necessarium tamen est omnino praeparare Directorium, quod iam nobis nuntiatum est; non esset enim prudens quoscumque etiam impraeparatos dialogos oecumenicos statuere per vicos et plateas, confusionem generantes. Agitur enim de stabiliendo climate unionis, non discussionis; studii communis, non sermonis *solemnis,*[29] sed verae et profundae pervestigationis communis veritatis, quaerentes ad radicem, qui est Christus, pervenire, ubi nos inveniemus paulatim omnes unum esse.

Hoc etiam modo fiet ut mutua observantia nos prosequentes et respectum maximum ad invicem servantes nos convertamur ad *commune opus*[30] renovationis mundi. Sincera bona voluntate, fideli nobilitate cooperantes, ad veram pietatem fovendam, ad veritatem et sinceritatem christianam seminandas, ad bonos mores elevandos, ad iustitiam, specialiter socialem, instaurandam et perficiendam, de qua tot, tantaque, tamque perbelle Ioannes XXIII tam in *Mater et Magistra* quam in *Pacem in terris*. Quanta bona viribus collatis in unum facere poterimus pro Regno Christi et Dei, omnes christifideles, si intelligentias, voluntates, vires, pecunias, ...[31] ad missiones, ad caritatem — ad sublevandos egenos faceremus, et Christum ostenderemus ut fontem supremum omnium bonorum cogitationum et operum...[32] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] et Romae et alibi fovit. [2] aggredimur iter Spiritum Sanctum adivimus et ab eo petimus ut « Sit solus suggestor et effector iudiciorum nostrorum. [3] ut non in sinistrum nos ignorantia trahat, ut a Deo in nullo dissentiat sententia nostra ». [4] de his scil. quae possint facere ut omnes *unum sint,* ut omnes christiani in unum congregati possimus efficere ut omnes homines in unum se sentiant a Deo congregati ut in Christo et per Christum sit Deus omnia in omnibus. [5] deest. [6] deest. [7] hac de re. [8] Immo non possumus oblivisci illa admirabili hortatione Papae Ioannis XXIII ad omnes homines bonae voluntatis, quippe qui omnes creati a Deo sunt entia per participationem, et generati a Deo ei iusta et debita obsequia praebere debent, iuxta illam quam omnes habemus inclinationem, quia « fecisti nos Domine ad Te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te ». [9] cap. I, n. 10. [10] declaravimus. [11] esse frustra versatum. [12] inutilis. [13] (*1 Cor.* 15, 58). [14] hominum. [15] « Nunc caritate flagrat animus noster, sicut flagrat Ecclesia in Concilium coacta. Aetatem hanc nostram eiusque varias et pugnantes significationes summa benevolentia prosequimur, simulque summo afficimur studio, ut amoris et salutis et spei nuntium, quod Christus attulit mundo, nostrorum temporum hominibus deferamus: Non enim misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum sed ut salvetur mundus per ipsum (*Io.* 3). [16] afferendi.

Omnes certiores facere vult, catholicam religionem debita aestimatione iudicare quidquid veri, boni et humani apud ipsos reperitur, itemque ut moneat, ad tuendum in hominibus huius temporis religionis sensum et Dei cultum — quod civilis cultus necessitas et officium postulant — se in prima acie stare utpote quae Dei iura in homines validissime defendat. [17] deest. [18] deest. [19] tam in doctrina quam in communi apostolatu. [20] deest. [21] Tunc vero faciemus. [22] convertemur ad non christianos in labore missionario. [23] Propterea. [24] deest. [25] deest. [26] interior Ecclesiae renovatio et conversio. [27] communis, et mutua comprehensio. [28] aucto inter omnes spiritu apostolico. [29] solemni et triumphali stylo declamati. [30] opera. [31] loco divisiones fovendi. [32] Immo si sequentes exhortationem Ioannis XXIII ad omnes homines bonae voluntatis ascenderemus quo appareat visio sublimis unionis omnium hominum in Christo: catholicorum inter se per augmentum caritatis; catholicorum et fratrum separatorum per perfectiorem cognitionem Christi et Evangelii praesentis in Ecclesia; catholicorum et hebraeorum ex individuatione Christi quem hebraei futurum credunt nos vero praesentem; catholicorum et omnium religiosorum hominum qui salutem quaerunt, qui solus est Christus.

Ad hoc tamen necessaria est pastoralis praeparatio, tam pro sacerdotibus quam pro laicis, tam in nobis quam etiam in fratribus, per laborem humanissimum et divinissimum caritatis flagrantis.

Praeparatio autem debet esse praecipue de his tribus: primo de fundamentis realibus oecumenismi; de methodo dialogandi; de modo procurandi collaborationem in caritate.

Hoc modo instaurabimus « pacem in terris, quam homines universi cupidissime quovis tempore appetiverunt, quaeque condi confirmarique non posse constat, nisi ordine quem Deus constituit sancte servato ». Scil. nisi Christus sit in omnibus nobis et nos simus unum: ergo Domine Iesu ut sint unum omnes fideles tui.

Moderator: Nunc exc.mus secretarius generalis legit secundum modum constitutionis *de sacra Liturgia,* ad cap. III.

Secretarius generalis: Videatis, Patres venerabiles, pag. 4. Secundus modus sic sonat: « An placeat expensio facta a commissione circa art. 79, comma 2 ». Expensio facta circa hunc articulum potest videri in pag. 18 fasciculi. Lego tantummodo responsionem quam commissio dedit ad omnes indicationes Patrum. Non est necesse legere omnes indicationes. Responsio haec est: « Modi ad hoc comma spectantes inveniuntur, una cum responsione commissionis, in priore parte relationis ». Cum relatio iam facta sit, non est necesse legere, sed videatis ad claritatem nn. 8 et 10 in pag. 7.

Igitur respondendum est *placet* vel *non placet* ad quaesitum: « An placeat expensio facta a commissione circa art. 79, comma 2 ».

2

Exc.mus P. D. HERMENEGILDUS FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

Venerabiles Patres,

Admisso schemate veluti basi pro disceptationibus,[1] audeo quaedam adnotare quae ad idem schema adhuc perficiendum aliquatenus conferre possent.

...[2] 1) *Affirmatio,* in pag. 7 ...[3], qua dicitur Christum Dominum Ecclesiam aedificasse super fundamentum apostolorum et prophetarum, non statim acceptabilis apparet, si praesertim in suo contextu consideretur.

Nam citatio *in nota*: *Epist. ad*[4] Eph. 2, 20, in illas sat dispares interpretationes denuo incidere videtur, quas iam occasione discussionis schematis *de Ecclesia* experti sumus.

Cavendum est, praesertim hic ne ulla Concilio accusatio moveatur de quadam exegesi sic dicta « situationis », inspirata scil. a doctrina vel placitis quae probare intendimus. Si enim adhibentur textus biblici, qui omnino perspicui non sint, certo causae oecumenicae parum iuvabitur.

2) ...[5] *Affirmatio,* in pag. 8 ...[6], qua dicitur quod nonnulla elementa extra Ecclesiam, apud fratres separatos exstantia, Ecclesiae unitatem manifestant, *videtur*[7] nimis optimistica. Si autem magis theologice rem *consideremus,*[8] dicendum est quod illa elementa, eo ipso quod etiam extra unicam Ecclesiam exstant, divisionem christianorum manifestant potius quam unitatem.

...[9] In pag. 16, ...[10] asseritur quod communes precationes habendae sunt perefficax medium supplicationis pro unitate. Id quidem pulchre dicitur sed veritati non omnino respondet.

Considerare enim debemus quod precationes illae communes sunt exterius tantum; interius autem, scil. in intentione orantium, sunt omnino personales. Etenim unusquisque petere debet unitatem secundum lucem qua gaudet. In concreto, catholicus petere debet ingressum vel reditum omnium christianorum in unam Ecclesiam catholicam. Quod si hanc suam intentionem manifestaret, forsan et vinculum externum communis precationis quam cum acatholicis ad Deum fundit, facile dirumperetur.

...[11] 1) Rationes historicae separationis orientalium ab Ecclesia, quae

proponuntur pag. 20, ...[12] certo completae non videntur. Separatio enim, factum adeo complexum constituit ut periculosum sit paucis lineis illud describere. De cetero, opportunum videtur ne Concilium de factis historicis iudicium pronuntiet, ad periculum vitandum displicendi sive catholicis sive separatis.

2) Quae dicuntur de fundamentalibus dogmatibus definitis in Conciliis in oriente celebratis, in pag. 20 *in fine, et initio subsequentis paginae,*[13] videntur unice spectare adiunctum geographicum. Quare nihil dicitur de elemento theologico ex quo omnis honor et vis, illis Conciliis orientalibus obvenit? Quod elementum theologicum nonnisi in eo est quod in eisdem Conciliis partes decisivas habuerunt Romani Pontifices.

3) In pag. 23 *et sequentibus* [14] fit altum elogium Protestantium. Hac in re saltem facienda esset debita distinctio. Elogia enim non omnibus ...[15] pari modo conveniunt, *salva caritate.*[16] Insuper aliquid etiam dicendum esset de iis quae protestantibus desunt vel in quibus certe deficiunt.

Melius forsan via ad unitatem sternitur si sancta inquietudo apud ipsos promoveatur ostendendo quae non habent potiusquam ...[17] tranquillitatem conscientiae *fovere* [18] insistendo quasi in eis tantum quae *possident.*[19]

Quoad cap. IV. Quae de Iudaeis dicuntur, fortasse in schemate *de Ecclesia* aptiorem locum obtinerent, ubi de « non christianis ».

Rationes prorsus singulares inter Ecclesiam et filios Israel legitimam reddunt tractationem etsi breviorem huius quaestionis.

Oriuntur imprimis *ex praeparatione* historico-prophetica operis Redemptoris ipsiusque Ecclesiae in Vetere et per Vetus Testamentum; *ex fundatione et prima propagatione* Ecclesiae in mundo facta per membra populi Israel, profecto instrumentaliter; ex pergrandi perspectiva paulina in longa sectione Epistolae ad Romanos (cap. 9-11) circa futuras sortes Israel et quidem iterum in relatione ad Ecclesiam.

Et ultimum. *Caput V* « De libertate religiosa » assignandum esse schemati ultimo seu XVII, cum aliis Patribus opinor, quia *thema* [20] respectum dicit essentialem ad argumentum de iuribus personae humanae potiusquam ad illud de Oecumenismo.

Utcumque quaestio fere centralis manet haec (*et fortasse melius est iam nunc anticipare propter characterem delicatum quaestionis* [21]): Existitne ius naturale diffundendi religionem falsam quam quis sincere esse veram putat?

...[22] Si hoc ius naturale fundatur in sola dignitate personae, *negatur,* quia: *a*) ex una parte diffundere errorem est in se malum et haberi

nequit ius naturale ad faciendum malum; et *b*) ex altera parte pertinet ad dignitatem hominis diffundere verum, non falsum.

Si autem in determinatis adiunctis ista diffusio bono communi non nocet, vel nocet bono communi minus quam publica prohibitio huius diffusionis, *conceditur*; nam iure naturae servanda est libertas ubi non obstat bonum commune.

Notandum est tamen quod *per se* error est contra bonum commune. Sic videtur intelligenda Encyclica *Pacem in terris* in locis ad hoc...[23]

Denique cum bonum commune variari possit secundum contingentes loci et temporis circumstantias, intelligi potest mutatio quaedam in modo iudicandi Ecclesiae circa libertatem religiosam.

Relatio exc.mi De Smedt conferre poterit ad uberem disceptationem circa hanc salebrosam quaestionem.

Venerabiles Patres, *reverenter unus e nostris laicis auditoribus hic praesentibus scripsit*: « *In Concilio neque victores neque victi habentur, quia si quis devincitur ab aliqua veritate aut ab aliquo aspectu veritatis nondum antea perspecto victor appellandus erit* ». *Ergo fidenti animo procedamus usque ad finem sessionis*.[24] Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] Schema decreti examini conciliari propositum, certe ab omnibus iamdiu exspectabatur, cum de argumento agat quod cuivis pastori summo cordi est. Logicum ergo omnino est, si cum illa exspectatione desiderium perfectionis plenae dicimus necessario esse coniunctum. Huiusmodi desiderio motus. [2] Quod attinet cap. I. [3] linn. 22-24. [4] deest. [5] Quae de Petro, pag. 7, linn. 27 ss., dicuntur, pauca sunt et insufficientia. Verba enim *Mt.* 16, 18 multo plus inferunt quam ut Petrus « Fratrum suorum collegio praeesset ». Immo veram exprimunt rationem fundamenti quae uni Petro competit respectu ad totam Ecclesiam, apostolis inclusis. Etiam munus supremum magisteriale Petri debilitatur cum dicitur « singulos etiam in fide confirmando ». Nam ut docuit Vaticanum I, Petro eiusque successori Romano Pontifici competit non solum singulos pastores, sed etiam omnes simul sumptos in fide confirmare (Denz. 1827). 3) [6] lin. 25. [7] est. [8] consideramus. [9] Quoad cap. II. [10] linn. 25-28. [11] Quoad cap. III. [12] n. 12. [13] lin. 30, pag. 21 lin. 2. [14] -25. [15] protestantibus. [16] deest. [17] si. [18] foveatur. [19] ab ipsis possidentur. [20] deest. [21] deest. [22] Respondeo. [23] (pag. 6 et 19 ed. Polyglottis Vaticanis). [24] ex hucusque dictis, liceat nunc inferre conclusionem. Si nomine « pastoralitatis » transcendere possumus categorias iuridicas, si nomine « spiritus oecumenici » habitudinibus psychologicis fratrum separatorum attendere debemus, nomine tamen veritatis categorias dogmaticas praeterire prohibemur.

3

EXC.MUS P. D. IOANNES CAROLUS ARAMBURU
Archiepiscopus Tucumanensis

Venerabiles Patres et dilecti Fratres,

Pergratum est hic manifestare progressum factum in expositione materiae oecumenismi inter schema oblatum in prima sessione Concilii, vocatum « De unitate Ecclesiae » et hoc actuale « De Oecumenismo ».

In hoc schemate actuali Ecclesia in stylo magis synthetico offert maiorem copiam punctorum circa oecumenismum, quia includit non solum fratres orientales, sed etiam alios fratres in Christo credentes, agnoscendo simul ipsorum valores christianos, et etiam alios, quamvis non in Christum credentes, tamen bona voluntate animatos Deum colentes.

Attamen agendo de oecumenismo videretur desiderari in schemate quaedam praevia introductio, seu prooemium in quo convocentur, modo generali, homines bonae voluntatis, et ut sit sicut quaedam resonantia seu continuatio illius primae declarationis a Patribus Concilii, anno transacto, prolatae mundo in initio primae sessionis Concilii.

Cum enim hic sermo sit de fovenda unione diversorum coetuum hominum ideologice *diversorum,*[1] videretur valde conveniens ut in hac introductione seu prooemio schematis *de Oecumenismo,* antequam loquatur directe, sicut n. 1 « de Ecclesiae unitate et unicitate », inscribantur alia puncta praevia themati sub titulo « de unitate propria Ecclesiae catholicae ».

Agitur enim hic de quaerenda via proximioris relationis et unionis cum fratribus separatis, et proinde, antequam exhibeatur Ecclesia catholica tamquam « mirabile unitatis sacramentum » (ut sunt verba n. 1), necesse est praevio innuere et statuere concrete principium aequo distans pro ambabus partibus, seu basis acceptabilis vel coincidentiae inter nos catholicos et illos, quae sit etiam via seu fundamentum ad quaerendam et obtinendam optatam et possibilem unionem.

Hoc schema in suo initio, *videretur*[2] esse *non tam*[3] pastorale. Nam quasi ex abrupto incipit tractare materiam pro unione offerendo statim ab initio solutionem quaestionis, sed solutionem nostram et non ipsorum, nempe praesentando Ecclesiam catholicam tamquam « mirabile unitatis sacramentum » institutum a Iesu Christo.

Attamen pastoraliter consideratum videretur magis opportunum lo-

qui in primis de notione oecumenismi in se. Praeterea facere convocationem hominibus bonae voluntatis, christianis et non christianis sed Deum colentibus, ad studium et praxim veritatis et amoris.

Deinde exhibere Iesum Christum, qui testimonium efficax dedit se esse veritatem et amorem, tamquam instrumentum et basim unionis omnium hominum cum Deo et mutuo inter seipsos.

Et denique sub luce et directione huius fundamenti accepti ab ambabus partibus, intra et extra Ecclesiam degentibus, i. e. sub ductu Domini Nostri Iesu Christi, facere invitationem ad dialogum.

In hoc puncto maxime convenit praecisare quod dixit quidam auctor, nempe quod quaestio debet statui « non in situ simplicis *problematis,* sed elevari debet usque ad dignam altitudinem *mysterii* ». Quia in hac materia non simpliciter agitur de solutione ad stylum officii burocratici, vel de mero superando problemate alicuius externae organizationis, sed de obtinenda unione fundata in Christo orante, qui rogavit unitatem fundatam in amore « ut sint consummati in unitate et ut cognoscat mundus quia Tu me misisti; et illos dilexisti sicut et Tu dilexisti me ».

Haec principia exposita in introductione seu prooemio valde iuvabunt ad permanentem dialogum cum fratribus separatis et praesertim ad elaborandam theologiam sic dictam « oecumenicam », i. e. ad elaborandam theologiam biblicam non polemicam, plene fundatam in puritate revelationis; theologiam faciendam per duplicem seu analogam viam tam ex parte fratrum separatorum, quam ex parte catholicorum. Illi, ut ipsi aiunt, ex sola Biblia, et nos ex Biblia et sub luce traditionis. Et, ut innuitur in schemate, quin « faciamus falsum irenismum quo puritas doctrinae catholicae detrimentum patiatur, vel eius sensus genuinus et certus obscuratur ».

Et haec « oecumenica theologia » debet esse non cum actuali signo polemico, sed tantum cum signo magnae fidelitatis Christo et eius Evangelio. S. Pontifex, f. r., Paulus VI, die 29 septembris dixit fratribus separatis: « nolumus fidem nostram esse causam ob quam cum illis concertemus ».

Et hic stylus nostrae theologiae non erit occasio confusionis vel amissionis verae fidei, sed erit naturalis via ad dialogum cum fratribus separatis, et via ad mutuam et meliorem comprehensionem, aestimationem et ad optatam unionem, fundatam in Christo orante.

S. Pontifex Paulus VI in allocutione inaugurationis secundae sessionis Concilii, cum sapientissimis verbis oecumenicis, facit convocationem plenam fiduciae, ad dialogum theologicum. Ait enim: « Libenter sane eorum (i. e. fratrum separatorum) studia probamus, qui honeste in sua luce et honore ponere nituntur germanos veritatis vitaeque

spiritualis thesauros eorundem fratrum seiunctorum, ea mente, ut rationes, quae inter nos et illos intercedunt, in melius mutentur. Fore autem confidimus, ut et ipsi, pari voluntate permoti, nostram doctrinam altius cognoscere velint, et perspicere quam rationabiliter e divinae revelationis deposito ea proficiscatur; atque etiam nostrae historiae nostraeque vitae religiosae uberiorem notitiam sibi comparare conentur ».

Concludendo dicam ut antequam in hoc schemate exhibeatur Ecclesia catholica sicut in n. 1 ut « mirabile unitatis sacramentum a Christo institutum », et ad fovendum mutuum dialogum tamquam viam ad meliorem contactum et comprehensionem cum fratribus separatis, in initio huius schematis praeponatur introductio ad modum pontis exstructum ad unionem, in qua exponantur: *a*) notio oecumenismi; *b*) necessitas unionis mutuae hominum, et horum omnium cum Deo; *c*) invitatio ad omnes homines bonae voluntatis ad investigationem et praxim veritatis et amoris; *d*) exhibitio Iesu Christi praebendo efficax testimonium se esse veritatem et amorem; *e*) sub hoc fundamento Iesu Christo, communiter acceptato, invitatio ad dialogum prosequendo doctrinam Ipsius Salvatoris. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] dispersorum. [2] videtur. [3] magis doctrinale quam.

Moderator: Exc.mus D. secretarius velit legere tertium modum de cap. III schematis *S. Liturgiae*.

Secretarius generalis: Tertius Modus: « An placeat expensio facta a Commissione circa art. 79, comma 3 ».

Hunc articulum et hoc comma potestis videre in pag. 19, ubi referuntur desideria et expressiones Patrum et refertur etiam responsio data a commissione. Quae responsio sic sonat ... [*cf. p. 658*].

4

Exc.mus P. D. IOSEPH HOEFFNER
Episcopus Monasteriensis

Venerabiles Patres,

Ad mentem schematis propositi Oecumenismus motus quidam et ordinata actio est ad unitatem fovendam cum illis fratribus separatis, qui per dissensiones saeculis elapsis exortas a communione Ecclesiae catholicae seiuncti sunt.

Attamen etiam hodie seiunctionem multorum christianorum a communione Ecclesiae deplorare debemus, ita ut duplex genus omnino diversum fratrum separatorum distinguendum sit. Nam:

Saeculis elapsis separatio ab Ecclesia coincidebat cum transitu ad aliam communitatem christianam in Christum credentem et eum amantem.

Hodie autem separatio ab Ecclesia transitus est ad indifferentismum et infidelitatem. Inde sequitur quod fratres nostri separati hodie non tantum illi sunt, qui in Christum credunt et baptismum rite receperunt, sed etiam illi, qui — quamvis baptizati sint — non iam in Christum credunt et Ecclesiae tergum obvertunt, quorum numerus de die in diem miserandum in modum accrescit, praesertim inter operarios, sed etiam inter sic dictos intellectuales.

Gravissima crux et summa cura episcoporum in nostris dioecesibus neque reformatio Curiae Romanae est, neque nova circumscriptio dioecesium ...[1], sed deplorandus ille motus multorum christianorum ad infidelitatem, qui motus cum progressu civilizationis sic dictae industrializatae cohaerere videtur et in quibusdam regionibus violenta vexatione atheismi militantis insuper augetur et acceleratur.

Etiam cum his fratribus separatis indifferentismo adhaerentibus ...[2], quorum numerus multis in regionibus maior est quam numerus fratrum separatorum in Christum credentium, etiam cum his dialogum incipere oportet: Kairòs Ecclesiae in saec. XX alius est quam in saec. XVI. Non ita se gerere licet proinde ac si usque adhuc in saec. XVI viveremus. Typus fratris separati mutatus est.

Quapropter propono quod in schemate *de Oecumenismo* peculiare caput de catholicorum habitudine ad fratres separatos *saecularizatos* — sit venia verbo — inseratur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] neque status episcoporum auxiliarium. [2] et saecularizatis — sit venia verbo —.

5

EXC.MUS P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, praelatus nullius Cluniensis

Venerabiles Patres et Fratres omnes,

In Concilio loquimur, non ad contradicendum, sed ad investigandum, id est ut eluceat veritas, et speciatim, ut modus — *modus* inveniatur quo haec veritas exponenda est hominibus nostrae aetatis.

Non sumus contradictores, sed *collaboratores*,[1] collaboratores fra-

terni, ut fructum afferamus in patientia — sicuti in schemate *de sacra Liturgia* feliciter evenit — et, nostro sudore, assistentiam Spiritus Sancti mereamur obtinere.

Hoc animo collaborationis motus, mihi placet affirmare schema *de Oecumenismo* magni momenti esse, et nos debere — quia maxime exspectatum est — illud non praecipitanter, sed lente — lenta festinatione — conficere.

Aliqui Patres dixerunt optimum esse schema Oecumenismi, sed cap. IV et V ad illud proprie non pertinere.

His humiliter adhaereo, et quasdam ideas complementarias de loco et distributione materiae Vobis proponere audeo, si forte alicuius utilitatis sint.

Et hoc votum ita posset esse[2]: Thema *concrete*[3] de libertate religiosa pertractari debet, partim et fundamentaliter, in schemate « De praesentia Ecclesiae in mundo hodierno »; partim et per modum applicationis tantum, in cap. II schematis *de Oecumenismo,* quando agitur de oecumenismi exercitio.

Non proprium videtur quod thema de libertate religiosa tractetur ut caput separatum in schemate *de Oecumenismo.*

Rationes:

1. In omni *processu methodologico,* quaestio de loco insertionis alicuius materiae momentum habet. Locus enim iam indicat aliquid quod rei naturae conveniens vel non conveniens est; aliquo modo rem configurat et definit...[4]

a) Libertas religiosa proprie et essentialiter refertur ad iura personae humanae, sed non ita essentialiter ad Oecumenismum.

b) Libertas religiosa multum confert ad Oecumenismum, sed non ita principaliter. Est enim unum tantum ex elementis necessariis ad *exercitium* oecumenismi, de quibus in cap. II schematis agitur.

c) Si doctrina de libertate religiosa in unum congeritur, et inseritur schemati *de Oecumenismo* tamquam capiti separato, confusio methodologica, ut modeste opinor, inducetur. Tunc enim haec doctrina deerit, *i. e. non erit*[5] (nisi iterum repetatur, quod absurdum est), ubi proprie pertractanda esset, scil., in constitutione « De iuribus personae humanae ».

Satis ergo est ut libertas religiosa inseratur nunc, per modum applicationis et sua propria mensura, cap. II schematis *de Oecumenismo,* in quo exponitur Oecumenismi exercitium.

2. *Commoda quae sequuntur,* si quaestio de libertate religiosa tractetur in schemate « De Ecclesiae praesentia in mundo hodierno » et intime connectatur cum doctrina de iuribus et officiis personae humanae:

a) tunc *sensus positivus* rectae notionis de libertate religiosa in propria luce *poneretur*.[6]

b) *Etiam*[7] perspicue appareret respectus necessarius libertatis religiosae ad ordinem obiectivum Dei, ad societatem, et ad responsabilitatem, ut ita dicam, uniuscuiusque in libertate exercenda.

3. *Incommoda quae sequerentur,* si libertas religiosa exponitur in capite separato schematis *de Oecumenismo.*

a) Si quaestio exponitur separatim *ut nunc, Concilium videretur, saltem aliquo modo, in genere, videretur deviari a traditione Ecclesiae et etiam, certo quodam modo,*[8] favere « effectismo propagandistico » ut ita dicam.

b) Videretur etiam approbare lineam illam negativam, a Rousseau receptam, quae placuit liberalismo, et hodie ab existentialismo extollitur. Ab his enim libertas consideratur tamquam bonum absolutum in homine, consistens in liberatione mere negativa a quocumque vinculo extra-subiectivo.

Sunt etiam rationes congruentiae:

1. Encyclica « Pacem in terris », *iuxta nostrum clarissimum relatorem,*[9] considerari potest et debet tamquam exemplar iuxta quod doctrina de libertate religiosa exponenda est.

Iam vero Encyclica ...[10], quae libertatem religiosam praeclare vindicat, agit de hac re in prima parte, quando iura et officia personae humanae exponit. Tunc loquitur de iure honorandi Deum iuxta testimonium propriae conscientiae.

2. *Ex alia parte*[11] schema « De praesentia Ecclesiae in mundo hodierno » certe doctrinam de libertate religiosa explanare debet.

Quando enim agat « de persona humana in societate » et recenseat iura fundamentalia hominis, oportet ut hanc libertatem exponat et vindicet.

Item in capite « De communitate gentium et pace » expedit libertatem religiosam pro gentium communitatibus vindicare...[12]

Conclusio et votum. Doctrina catholica de libertate religiosa non exponatur in capite separato, schemati *de Oecumenismo* inserto.

Locus proprius in quo haec doctrina exponenda est, videtur esse schema « De Ecclesiae praesentia in mundo hodierno », ubi agitur de fundamentalibus personae humanae iuribus, et de his quae requiruntur ad pacem inter communitates gentium. Hic est enim locus in quo opportune asserere et firmare oportet principia doctrinalia quae ad libertatem religiosam spectant.

Per modum autem applicationis, *et sua propria mensura,*[13] libertas

religiosa recenseatur inter ea quae requiruntur ad oecumenismi exercitium, in cap. II schematis *de Oecumenismo...*[14]

Emendationes modo concreto introducendas, si placet, trado secretariatui pro commissione conciliari.[15] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] Quaerendum ergo nobis est ubi sit locus in quo, proprie et logice, exponenda sit doctrina de libertate religiosa. [5] deest. [6] ponitur: est enim facultas operandi verum et bonum obiective propositum in lege aeterna, in conscientia recte efformata manifestatum, atque ab Ecclesia catholica authentice declaratum. Sic semper a traditione catholica haec libertas intelligitur. [7] deest. [8] et sub titulo « de libertate religiosa », et non modo positivo tanquam ius quod ad dignitatem personae humanae spectat, *a*) Concilium deviaretur a traditione catholica, ut antea diximus, et videretur. [9] deest. [10] illa. [11] deest. [12] 3. Liceat etiam mihi modeste opinando, notare *saporem* quemdam *liberalismi,* quo expositio in Capite separato et quidem Oecumenismo connexa signari videretur. Contradictio adesset pro Ecclesia catholica, si dum mundus hodiernus paulatim incipit sese eximere ab ideis proprie liberalibus (non a vera libertate), nunc Ecclesia catholica talem modum procedendi et exponendi doctrinam amplecteretur? 4. Nimia videretur *imitatio alienorum.* Bonum est quod Ecclesia aptetur necessitatibus uniuscuiusque aetatis: unde nunc postulatur renovatio quae nominibus « aggiornamento », « mise au point », « puesta al día » significatur. Haec, ubique laudata, Ecclesia, semper pro munere habuit.

Sed legitima aptatio nullo modo debet esse servilis imitatio institutionum laicalium et politicarum, quae decurrente tempore senescunt et transeunt. Sic monarchiae illae, quae despotismum « illustratum » professae sunt; sic totalitarismus, anarchismus revolutionarius et exaggeratus democratismus, qui propriis coloribus historiae paginas tingunt.

Quae eo minus imitari licet, si talis imitatio supponat deviationem a traditione catholica, quam magisterium pontificium et episcopale semper tenuit; et ita gentibus videatur Ecclesia nunc invenisse notionem libertatis religiosae et ab hodiernis hanc doctrinam mutuasse, quod non est verum. [13] deest. [14] Id postulat ordo logicus, qui in omni processu methodologico servari oportet.

Notio positiva et recta libertatis, quae non est solutio a quocumque vinculo extra-obiectivo hominis, sed facultas, quae essentialiter competit operandi rectum et bonum intra limites legis aeternae, iuxta testimonium conscientiae recte efformatae, qualiter ab Ecclesia catholica authentice proponitur.

Haec est via quam secutus est Summus Pontifex Ioannes XXIII in Encyclica *Pacem in terris,* quae tanquam exemplar et norma habenda est, quando hae quaestiones tractantur.

Vitandus est sapor liberalismi et omnis nimia imitatio alienorum, cum in traditione catholica vera et authentica libertas semper vindicata sit, et in magisterio pontificio et episcopali feliciter exponatur. [15] *Emendationes introducendae.* In textu, quem prae manibus habuimus, ex quo cap. V schematis *de Oecumenismo* efformandum videbatur, duo sunt distinguenda:

A) Quae spectant ad rectum exercitium libertatis religiosae inter christianos; et haec sunt:

1. in prologo, paragraphus « Mater Ecclesia... libere accedant »; quae rectius et aptius collocabuntur in cap. II « De Oecumenismi exercitio », prooemio, pag. 15, lin. 5.

2. n. 1: « Hac de causa adiurat... effusionem »; quae aptius dicentur in eodem cap. II, n. 1, pag. 17, lin. 33.

3. n. 2: « Quamdiu tamen sunt... tribuuntur », dicenda videntur in cap. II « De Oecumenismi exercitio », n. 11, pag. 18, lin. 13.

B) Quae in supradicto textu manuscripto « De libertate religiosa », ad ipsam doctrinam libertatis spectant, haec sunt:

1. De libertate interiori seu « conscientiae », in nn. 2 et 3.

2. De libertate exteriori seu « sociali », in nn. 4 et 5.

3. De libertate sive interiori sive exteriori relate ad Statum, in altera parte n. 5.

Haec autem omnia, ex rationibus supra allatis, melius et aptius dicentur in schemate *de Ecclesiae praesentia in mundo hodierno.*

Moderator: Exc.mus D. secretarius generalis velit legere quaesitum generale circa expensionem modorum respicientium cap. III schematis *Sanctae Liturgiae.*

Secretarius generalis: « An placet expensio facta a commissione circa modos reliquos articulos cap. III respicientes ». *Placet* vel *non placet.*

6

EXC.MUS P. D. IGNATIUS ZIADÉ
Archiepiscopus Berytensis Maronitarum

Venerabiles Patres, carissimi Observatores et Auditores,

Super schema *de Oecumenismo* in genere, duo dicere mihi liceat, nempe de maximis meritis huius schematis, quae approbationem nostram omnino vocant ac de quibusdam punctis perficiendis.

A) Schema mihi valde placet et laudandum est, quia reapse servat tria principia, in Oecumenismo fundamentalia:

Primum principium: *Inter christianos amplianda sunt communia magis quam contraria.* Haec est veritas in caritate, sine periculo « falsi irenismi ». Unitas divisionem ita praecedit ut a divisione perfectius oriatur. Sub luce enim unitatis iam habitae, in meliorem lucem ponere possumus rationes hodiernas divisionum. Agitur de unitate hodie, non iam in praeterito.

Secundum principium: *Ab omnibus accipienda sunt incrementa traditionis Ecclesiarum particularium.* Haec integratio feliciter incepta est non solum in schemate sed etiam in tota activitate nostri Concilii,

quando Ecclesia exprimitur ut Communio, quod est fundamentale in oriente, aut quando de facto respondetur maximis quaestionibus saec. XVI, de quibus, v. g., fides salutaris, ...[1] Sacra Scriptura in Ecclesia, conversio cordis, laici in Ecclesia, linguae vernaculae ad enarranda magnalia Dei.

Tertium principium: *Unitas servanda est in diversitate legitima.* Quotiescumque enim legitima diversitas reiecta est, statim divisio orta est. Sic evenit in saec. V, quando diversitas in formulatione eiusdem fidei in Christum, verum Deum et verum hominem, non agnita fuit. Sic in saec. XI, quando modus particularis disciplinae occidentalis in oriente imponi conatus est. Sic tandem in saec. XVI, quando particularitates regionum non latinarum ignotae manserunt. Certo certius non forte ortae sunt divisiones quotiescumque evenit in Ecclesia nova expansio maioris momenti. Ideo Concilium primum, in Hierusalem celebratum, manere deberet exemplar nostrum usque ad consummationem saeculi.

B) Consequenter cum illis tribus principiis, schema adhuc perfici potest:

1. De elementis communibus ampliandis, dicendum esset quod scopus oecumenicus hodie imprimis *pastoralis* est, tum in *explanatione* fidei, magis ac magis a fontibus purificata, tum in *praxi* fidei in Ecclesia semper reformanda. Quamobrem hoc Concilium potius renovationem quaerit quam unionem.

2. De tota traditione integranda in vita nostra, dicendum esset quod nos omnes, ex quacumque traditione christiana orti sumus, indigemus accipere *divitias ceterarum traditionum.* Omnes illae divitiae omnium sunt! Tempus est de plenitudine catholica vivere, et non tantum de quadam traditione...[2] recentiore. Hic labor non est materia optionis pro doctis sed necessitas vitalis pro omnibus christianis.

3. De unitate in diversitate, dicendum esset quod mysterium *unitatis* et mysterium *missionis* in Ecclesia idem est. Unitas tantum in esse definiri nequit quia in fieri exercetur. Ecclesia enim missio est Verbi incarnati et Spiritus Sancti ad adunandas omnes gentes in communionem Patris. Ubi vera missio, ibi vera unitas. Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] gratuitas salutis. [2] latina.

Moderator: Velint Patres in locis suis manere, vel ad illa redire. Item assignatores.

7

EXC.MUS P. D. ANDREAS HAMVAS
Episcopus Csanadiensis

Venerabiles Fratres conciliares, Observatores venerabiles,

1. Quid sit oecumenismus? Ad hanc quaestionem schema optime respondet.

Patria nostra Hungaria oecumenismo valde favet. Sita enim in confinibus occidentis et orientis, inde a S. Stephano influxum utriusque partis subiit. Ipse S. Stephanus videtur oecumenismum in sensu moderno haud promovisse.

Quando enim princeps quidam, in australi parte regni dominans, ritum orientalem introducere tentavit, misit ducem Csanad ad unitatem regni et religionis, respective ritus, vindicandam. Dux Csanad expulit recalcitrantes et S. Gerardum episcopum, episcopum latinum, post aliquot annos martyrem, in sede sua consolidavit. Nomen ducis Csanad remansit in nomine regionis et dioecesis Csanadiensis.

S. Stephanus, a Spiritu Sancto inspiratus egisse iure supponitur. Servans enim unitatem ritus latini in toto suo regno, praedestinavit nationem ad vocationem suam adimplendam, nempe, ut una cum Croatis et Polonis antemurale christianitatis evadat.

Observandum est, reapse, S. Stephanum, dum ritum latinum unicum in confinibus regni sui et imperii Constantinopolitani ex ratione politica urgeret, in medio Regno, in civitate scil. Vezprimiensi, claustrum religiosarum orientalium sustentasse.

Successores quoque S. Stephani, reges nempe ex stirpe Arpad, frequenter uxorem ex familiis imperatorum orientalium ducebant.

Nec reformatores, quod per se intelligitur, oecumenismo locum dabant. Tempore recenti autem asseclae eorum, animo catholicis appropinquant. Communis adversarius enim, omnes qui in Deum credunt, ad communem defensionem coadunat.

2. Si pro oecumenismo laborare intendimus, bene novisse debemus mentalitatem fratrum separatorum, cum quibus unionem intendimus ...[1]. Et hi sunt, apud nos, prima in linea, Calvinistae. Mentalitas Calvinistarum in Hungaria catholicis bene innotuit. Adhaerent religioni suae pertinaciter — ipsi gloriantur se esse durae et pertinacis cervicis.

Nutritur fides eorum memoria persecutionum, quas tempore imperii *Habsburgensis* [2] in saec. XVII subierunt. Post insurrectionem Rakoczia-

nam tales persecutiones quidem cessarunt, immo Calvinistae ante bellum, non obstante sua minoritate, officia principalia sibi quasi expropriabant et propriam ecclesiam *iuvare* [3] et promovere non cessabant.

Si iter facimus a sede residentiali mea, Szeged, ad sic dictam « Romam Calvinistam », i. e. Debrecen, admirari possumus templa superba calvinistarum, dum catholici sanctuariis modestis contenti esse debent. Verum quidem est ista templa diebus dominicis haud frequentata esse.

Imbuti erant insuper praeiudiciis adversus catholicos, quos idolatras reputabant, propter adorationem Eucharistiae, ob venerationem imaginum et cultum sanctorum imprimis *Beatissimae* [4] Virginis Mariae.

Quomodo in talibus circumstantiis in nostra patria collaboratio oecumenica cum fratribus separatis imaginari potest? Valde difficulter.

Et tamen, non est desperandum de progressu unionis saltem initialis. Signa prospera se manifestant, imprimis pastoribus protestantibus praeeuntibus. Inter tales pastores et inter sacerdotes catholicos relatio amicalis fere ubique praevalet. Accidit ut catholici, in dispersione viventes, templum Calvinistarum requisierunt, ut ibidem diebus dominicis Missam celebrare eis liceret — annuente naturaliter vel saltem tolerante expresse Sancta Sede. Pastor Calvinista perlibenter huic petitioni annuit. Urgenda tamen est in casibus similibus catholicorum instructio firma de divina origine et veritate religionis nostrae, alioquin indifferentismo via sternitur. Conscius enim sum, et sacerdotes nostri etiam conscii sunt, periculi, quod fideles incurrere possunt locum cultus communem habendo, nec statum hunc definitivum sed tantum transitorium intendimus.

3. Alia norma in promovendo oecumenismo est bonum exemplum catholicorum. Sectarii, praecipue anabaptistae, fideles sibi attrahunt eo quod non blasphemant, bibulos excludunt, tributum ecclesiasticum grande quoque solvunt, etc. Et gloriantur his suis virtutibus, immo admirationem catholicorum quoque sibi acquirunt, qui nonnumquam coram me quoque eos exaltare ausi sunt. « Num tu, catholice, tales virtutes exercere et te a vitiis abstinere non obligatum sentis? », respondi: « Num exemplo haereticorum tibi opus est ut bonus evadas? Nonne religio nostra sancta et vera urget honestam et sanctam vitam, et nonne sancti nostri tibi optimum exemplum praebent vitae probae et vere christianae? ».

Conscios facere debemus fideles nostros obligationis severae ut vita sua exemplari apostolatum inter fratres separatos exerceant. Exemplum christianorum antiquitatis eis prae oculis ponendum est, qui non tam verbo, quam potius vitae puritate et honestate ethnicos ad conversionem movebant.

Praeter Calvinistas habemus multos inter nos schismaticos et quidem Rumenos et Servianos. De his scire debemus religionem eorum cum nationalitate confundi, ita ut pro Rumeno vel Serviano conversio ad Romanam Catholicam Ecclesiam fere idem est, ac renegare nationem suam, quod eos certe deterret. Verum quidem est inter Rumenos multos unitos exstitisse, quae unio autem proh dolor recentissimo tempore in discrimen vocata est.

Inter orientales habemus ecclesiam orientalem hungaricam unitam, cum dioecesi propria a S. Pio X anno 1912 erecta, et episcopo proprio. Ritus unitorum horum celebratur in lingua vernacula, i. e. Hungarica, *tota missa,*[5] exceptis verbis consecrationis, quae lingua graeca pronuntiantur. Sacerdotes horum unitorum matrimonium inire possunt ante ordinationem et fraterna in communione cum latinis vivunt.

4. Problema speciale est et manet apud nos quaestio iudaica. Antisemitismus virulens erat in Hungaria, praecipue...[6]

Moderator: Pater, tempus tuum elapsum est.

Orator: Iam finis appropinquat.

Moderator: Gratias.

Orator: Sed iam antea aversionem fortem in gente iudaei excitabant potentia sua oeconomica et intellectuali...[7]

Pro[8] feminis iudaeis conversis sorores Congregationis « Notre Dame de Sion » magna cum caritate auxilium spirituale praestabant. Fundatores huius Congregationis, ut notum est, ipsi quoque Iudaei erant, fratres scil. Theodorus et Alphonsus Ratisbonne, ambo sacerdotes.

Iudaei in Europa centrali et orientali fere extincti sunt. Pro eorum persecutoribus quoque valeat precatio sororum « Notre Dame de Sion », quae in omni Missa communitatis ter post elevationem, voce semper elatiore, cantant: « Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt ».

Moderator: Velis, Pater, concludere... Gratias!

In textu scripto tradito: [1] (Schema cap. I, 2). [2] Habsburgiani. [3] adiuvare. [4] Sanctissimae. [5] deest. [6] sub influxu nazismi. [7] Antisemitismum autem Ecclesia catholica in Hungaria semper repugnabat, et antistites catholici, sic v. g. card. Seredi, primas Regni, et praedecessor meus episcopus Csanadiensis Glattfelder, necnon nuntius apostolicus Angelus Rotta, Iudaeos contra persecutores vehementer protegebant, et multos eorum ab interitu salvabant. Sodalitas specialis quoque organizata est pro Iudaeis baptizatis in fide confirmandis, cuius fundatores et moderatores, assistentibus sacerdotibus, ex ipsis conversis eligebantur, qui munus suum ferventi cum zelo adimplebant. [8] deest.

Animadversiones additae:

In hoc sacro Concilio nobis praecipitur instantissime: — onerata nostra conscientia — « successores apostolorum praeparate viam unionis desideratissimae ».

Nostra Patria dilecta, Hungaria, antiquam suam culturam, immo in fluctibus temporum in Europa Centrali etiam suam existentiam, Sacrae debet Romanae Ecclesiae; primus rex noster apostolicus coronam a Silvestro Papa II expostulavit, et per saecula adagium quoddam in usum veniebat: « gladius acquisivit regnum nostrum sed Crux Christi id sustentavit ». Sed in nostra quoque patria inde a saec. XVI catholici fideles ad novatores transibant. Et etiam nunc in nostra republica praeter catholicos in notabili numero inveniuntur calvinistae et evangelistae (protestantes). In eadem civitate, in eadem via, in eadem domo immo persaepe in eadem familia permixti catholici vivunt cum fratribus separatis.

Desiderio desideramus ut aliquando unitas sanctae religionis nostrae restituatur et fratres cum nobis uniti, laeti dicere valeant: « Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum ».

Beatissimus Pater — quem Deus diu vivificet — in oratione introductoria sapientissime dixit: ex utraque parte, ergo ex nostra quoque, adesse defectus et responsabilitatem.

In nostra regione — si ad particularia transire licet — adest murus quasi ferreus: sic dictum « matrimonium mixtum », quod tristissime dividit multas familias (hoc institutum ii, qui Dei speciali gratia illud propria experientia ignorant, haud intelligere valent).

Omnibus notum est iure vigenti (can. 160 s.) matrimonium mixtum tantum praeviis cautionibus praestitis valide coram facie Ecclesiae contrahi posse. Universa ergo proles nascitura in religione catholica baptizanda et educanda est. *Utinam haec norma Sanctae Ecclesiae realizari in vita posset.* Sed, proh dolor, permagna est hominum fragilitas et debilitas, ideo multis in casibus, sic dictae cautiones de universa prole in catholica religione educanda denegantur, et his deficientibus validum matrimonium iniri nequit.

Videte, Patres venerabiles, huius facti consequentias tristissimas! Homo hypermodernus et technocratiae indulgens, sibique sufficiens, qui semetipsum sui ipsius deum esse putat, paulatim taedio affectus religionis supernaturalis, contentus erit matrimonio mere *civili,* immo non semel simplici concubinatu! Exinde sequitur ut hoc tristi, immo tristissimo statu animarum partes catholicae — denegatis Ecclesiae sacramentis — imprimis poenitentiae, sacrae communionis, in extremis conscientiae angustiis crucientur. Et qualis erit conditio et religio liberorum, qui ex his contuberniis nascuntur!

Qui ex fratrum separatorum adhuc religiosum se esse credit, quando ab ipso cautiones requiruntur, instantissime provocat ad religionem vel confessionem patrum, quam inde ab 400 annis sequuntur, bona fide, antenati et ipse. Sunt nonnulli, qui in conditionibus requisitis libertatem conscientiae aliquo modo laesum iri contendunt.

Aegre ferunt etiam, nos eosdem « haereticos » in sensu peiorativo nominare. Patet ad quodlibet delictum committendum, etiam ergo ad delictum haeresis, contumaciam requiri. Ergo ii tantum haeretici essent vocandi, qui *formali* aversione a vera religione separantur. Non vero ii, qui bona fide per saecula antecessorum confessionem sequuntur.

Venerabiles Patres! Videamus quid nobis faciendum sit! Nos *pontifices* im-

primis in supremo hoc corpore legislativo coadunati, *pontem praeparare* debemus inter Ecclesiam catholicam interque fratres separatos. Sed quomodo, quaeritur? Iuxta nostram humilem opinionem: rigor disciplinae hodiernae circa matrimonia mixta mitiganda esset.

Hac in re adsunt quoque exempla historica. Praedecessor meus, Iosephus Lonovics, quondam episcopus Csanadiensis, hic Romae per tractatus sex mensium a Sancta Sede obtinuit facultatem, iuxta quam in Hungaria matrimonia mixta absque cautionibus sine forma Tridentina *valida,* etsi illicita, habebantur. Hoc indultu quod die 30 mensis aprilis 1840 editum est a Secretario Status Lambruschini, in historia « Instructio lambruschiana » nuncupatur.

In nostra patria iuxta legem antiquam absentibus cautionibus praeviis proles ex matrimoniis mixtis natae parentum religionem sequebantur iuxta illud principium: « Sexus sexum sequitur ». Haec disciplina apud nos usque ad novum Codicem editum (1918) immutata fere remansit.

In disciplina hodierna mitiganda duplex via adhiberi potest: vel

1. Obligatio formae canonicae quoad matrimonia mixta tollitur seu aufertur (canon 1099), vel

2. Episcopis seu Ordinariis a Sacro Concilio facultas daretur ut *in singulis casibus,* quando cautiones nullo modo praestari possunt, a forma canonica in matrimonio mixto partibus dispensationem concedere valeant.

Nos, episcopi Hungarici, in Concilio praesentes hanc alteram solutionem praeferimus.

Venerabiles Patres Conciliares! In via difficili oecumenismi veritatem in caritate et caritatem in veritate quaerere oportet iuxta mentem Ioannis Papae XXIII immemorabilis memoriae! Et sic aliquando Deo adiuvante gratia verificabitur illud Domini desiderium sanctissimum: « Ut omnes unum sint ».

Cetera vero, satis importantia, secretariatui S. Concilii tradere non omittam.

Moderator: Velint Patres audire! Ad normam art. 57 § 6 *Ordinis Concilii Oecumenici Vaticani II*, moderatores censent iam posse interrogari Patres de conclusione disceptationis circa schema *de Oecumenismo* in genere.

Ideo, Patribus hanc quaestionem subiciunt: An placeat Patribus concludi disceptationem circa schema *de Oecumenismo* in genere, ita ut fiat transitus ad disceptationem circa singula capita.

Patres quibus placet concludi, velint surgere. Assignatores velint videre.

[*Intervallum. Fere omnes surgunt*].

Velint Patres audire! Conclusa disceptatione circa schema *de Oecumenismo* in genere, manet facultas loquendi de eodem iis de quibus in praedicto art. 57 § 6.

Iidem Patres rogantur ut nomina sua hodie secretariatui tradant, ut si casus ferat, moderatores examen possint instituere ut celerior evadat eventualis ulterior disceptatio.

Nunc autem, attentis interventionibus plurium Patrum eorumque animadversionibus, audito etiam praeside secretariatus ad fovendam christianorum unionem, moderatores quaestionem de merito schematis, nempe ut assumi valeat pro utili fundamento ulterioris examinis, proponunt Patribus seorsim pro tribus prioribus capitibus quae *de Oecumenismo* proprie agunt, scil. de habitudine Ecclesiae ad christianos noncatholicos. Postea eadem quaestio seorsim proponetur de cap. IV, quod est *de Iudaeis*; et postea, ulterius, item seorsim, quaestio proponetur de cap. V, quod est *de libertate religiosa.*

Igitur, nunc haec quaestio ponitur Patribus: An placeat Patribus tria priora capita schematis *de Oecumenismo* globatim sumpta, ita probari ut assumantur quasi utile fundamentum ulterioris disceptationis.

Suffragatio fiet per *placet* vel *non placet* in schedulis.

Secretarius generalis: Quaesitum modo propositum ab em.mo moderatore respicit tantummodo tria priora capita schematis *de Oecumenismo,* nempe utrum possint esse utile fundamentum ad ulteriores discussiones.

Idem quaesitum postea ponetur, sed non hodie, proximis diebus, circa IV et deinde circa V caput. Hodie, tantummodo pro tribus prioribus capitibus schematis *de Oecumenismo,* cum formula sueta *placet* vel *non placet.*

Moderator: Velit loqui exc.mus D. Ioseph M. Martin, arch. Rothomagensis, relator.

EXC.MUS P. D. IOSEPH M. MARTIN
Archiepiscopus Rothomagensis

Venerabiles Patres,

Ut relator Secretariatus ad Christianorum unitatem fovendam loquor. Secretariatus iam attentissime examinavit emendationes omnes antea propositas in scripto. Si vestra votatione statuitur tria priora capita nostri schematis considerari posse ut basis ulterioris disquisitionis, summa cura satagemus ut schema ad perfectiorem adhuc formam redigatur.

Gratias agimus pro vestris propositionibus et suggestionibus. Multae earum nobis apparent ut valde utiles ad textum magis clarificandum aut perfectiorem reddendum. Volumus esse vestri auditores attentissimi.

Auditis vestris verbis sapientia ductis et experientia vestra pastorali inspiratis, lumen S. Spiritus implorabimus eo fine ut Concilium statuere possit qua via in motione oecumenica in posterum incedendum est.

Scopus noster manet ut, una cum fratribus nostris seiunctis, attingamus illam unitatem in fide, in vita sacramentali et in regimine quam Iesus Christus pro una sua Ecclesia a Patre imploravit. Dixi.

Secretarius generalis: Rogantur imprimis Patres ut suis sedibus stent — melius: sedeant, hora 11,45, ut suffragatio fiat circa integrum cap. III *de sacra Liturgia,* ut heri factum est.

Nunc lego nomina eorum qui loqui postulaverunt circa cap. I schematis *de Oecumenismo*: exc.mi ac rev.mi DD. Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia; Hermannus Volk, ep. Moguntinus in Germania; Emmanuel Talamás, ep. Civitatis Juarezensis in Mexico; Aloisius Maria Carli, ep. Signinus in Italia; Antonius Abed, arch. Tripolitanus Maronitarum in Libano; Ioannes Mazur, ep. aux. Lublinensis in Polonia; Gerardus Huyghe, ep. Atrebatensis in Gallia; Felix Romero, ep. Giennensis in Hispania; Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis in Germania; Claudius Flusin, ep. S. Claudii in Gallia; Vitus Chang, ep. tit. Cyanitanus in Germania; Thomas Holland, ep. coad. Portus Magni in Anglia; Gordonius Gray, arch. S. Andreae in Scotia; Aemilius Guano, ep. Liburnensis in Italia; Ioseph Tawil, arch. vic. patr. Melchitarum in Syria; Anicetus Fernandez, mag. gen. O.P.; Ioannes Gahamanyi, ep. Butarensis in Ruanda; Andreas Pangrazio, arch. Goritiensis in Italia.

8

Exc.mus P. D. HENRICUS NICODEMO
Archiepiscopus Barensis

Venerabiles Patres,

Nemo est qui non perpendat, ut ex disceptatione generali hucusque habita patet, summum momentum decreti *de Oecumenismo,* potissimum huius cap. I. Agitur enim de statuendis principiis atque de exquirendis, parandis ac ponendis diversi ordinis condicionibus ut via explanetur ad optatissimam unitatem omnium qui christiano nomine decorantur et gloriantur ad effectum, sub Spiritus S. influxu, adducendam secundum supremam Divini Redemptoris orationem ad Patrem: « Ut sint unum ». In mea potissimum civitate permultae sunt voces quae, ex historia, ex traditione, ex ipsis vitae praesentis adiunctis, ad unionem

cum fratribus nostris seiunctis orientis invitant. Sufficiat Concilium illud unionisticum commemorare, quod a. 1098 in Crypta Basilicae S. Nicolai habitum est, praeside B. Urbano Papa II, 180 Patribus adstantibus, inter quos S. Anselmus, Cantuariensis archiepiscopus, qui enixe de Spiritus Sancti a Filio processione disseruit. Nos omnes ergo nobis persuasum habemus munus oecumenicum, cum munere pastorali et munere missionario, unum esse ex maximis Concilii Oecumenici Vaticani II muneribus, cum quibus arcte connectitur intima Ecclesiae renovatio.

At, cum de re tanti momenti loquimur, illud — puto — S. Pauli prae oculis est a nobis religiose habendum: « Veritatem facientes in caritate ».

In caritate in primis dico, quemadmodum praeclarissimum nobis dedit exemplum B.mus Pater noster Paulus VI in oratione inaugurali huius Concilii Sessionis. In caritate semper, cum omnibus, praesertim cum nostris fratribus seiunctis, sed veritatem in caritate facientes.

Si enim ad unionem cum fratribus seiunctis assequendam parum clare aliquando loquimur vel aliqua tacemus, nec veritatem facimus nec in caritate agimus.

Haec ideo considerans, humiliter quae sequuntur vestro iudicio submitto:

a) Optime quidem in n. 1 huius cap. I nostri schematis agitur de Ecclesiae unitate et unicitate, cum haec sit basis oecumenismi catholici. Tamen non videtur sat clare hic de unitate loqui nec videtur integra proferri doctrina cum affirmatur: « Hanc sanctam suam Ecclesiam aedificavit (Christus) super fundamentum apostolorum et prophetarum atque collegio Duodecim universale mandatum docendi, regendi et sanctificandi concredidit ». Iamvero, quin hic adhuc de interpretatione textus S. Pauli in Epistula ad Ephesios (2, 20) loquar, de quo iteratas disputationes audivimus in hac aula, et quidquid sit de mandato collegio *concredito,*[1] certum omnino est — et idcirco hoc loco explicite quam maxime asserendum — Christum Dominum Ecclesiam suam aedificasse supra petram, quae est Petrus. Additur utique in textu: « inter quos (scil. Duodecim) B. Petrum, post eius fidei confessionem et maioris dilectionis professionem, elegit, ut fratrum suorum collegio praeesset, singulos etiam in fide confirmando et universum gregem in perfecta unitate pascendo », sed hoc — ut omittam quae animadverti possent de locutionibus *singulis*[2] hic adhibitis — nullo modo sufficit, cum, ex alia parte, explicite affirmatum sit Ecclesiam a Christo aedificatam esse super fundamentum apostolorum et prophetarum. Nec praetermittendum Concilium Vaticanum I, in Constitutione dogmatica *Pastor aeternus* perlucidum esse in recognoscendo in Petro dumtaxat Ecclesiae fundamentum:

« B. Petrum ceteris apostolis praeponens, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium et visibile fundamentum, super cuius fortitudinem aeternum exstrueretur templum ». « Et quoniam portae inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam, contra eius fundamentum divinitus positum etc. ». Videtur igitur, quod, ad integram doctrinam de unitate et unicitate Ecclesiae uti oecumenismi catholici basilare principium hic proponendam, haec nullatenus relinquenda sint: quod, ceterum, munus oecumenicum omnino expostulat.

b) Item in n. 2 (linn. 15-16) dicitur: « communitates haud exiguae a communione Ecclesiae catholicae seiunctae ». Et optime quidem. Haeretici enim et schismatici sunt simpliciter extra Ecclesiae communionem. Cur ergo post duas lineas subiungitur: « *perfecta* Ecclesiae communione non fruuntur » et « *quadam* tamen communione nobiscum coniuncti sunt »? Si extra communionem Ecclesiae sunt, uti verum est, et uti semper habitum est, confusionem gignit loqui hic de *non perfecta communione* et de *quadam communione*. Etiamsi schema, ut affirmatum est in relatione, manuale theologiae vel titulus Iuris Canonici non sit, verba tamen, non possunt et non debent adhiberi extra universe notam theologicam et iuridicam significationem. Dicatur potius: « quodammodo coniuncti sunt », quod certo verum est, cum baptismum receperint et in Christum Redemptorem credant, quin de aliis dicam quae orientales spectant (sacerdotium, Eucharistia, omnia sacramenta, cultus erga Deiparam), sed non adhibeatur verbum « communio ».

c) Desideratur denique aliqua descriptio — *non dico definitio, sed descriptio, et quidem aliqua, aliqua descriptio saltem* [3] — oecumenismi catholici. Cum prima vice de hoc in decreto conciliari agatur, non sat est quod ex multis, quae non perfecto ordine dicuntur, erui debeat quid oecumenismus sit. Dicitur enim in lin. 32 ss. n. 3: « Quae omnia — *quae omnia* [4] — sub voce oecumenismi veniunt, quippe qui motus sit et ordinata actio ad illam unitatem fovendam etc. ». E contra videtur paucis verbis indicandum esse quid sub voce oecumenismi veniat (et hoc ante omnia), quibus fundamentis theologicis oecumenismus fulciatur, quinam sit finis concretus specificus oecumenismi. Ita genuina oecumenismi notio, de qua in relatione dicitur, haberi poterit. Considerare insuper oportet neque clerum neque populum, saltem in *nostris* [5] regionibus catholicis, assuetos esse ad loquendum vel tractandum de oecumenismo. Unde ad omnes difficultates obeundas necessarium est maxima claritate sive principia statuere sive consectaria trahere sive lineas actionis absque ulla ambiguitate signare. Quod utique in Directoriis fiet, *uti dixit relator,*[6] sed iam in decreto, quod est documentum conciliare, haec clare videntur indicanda...

Moderator: Velis, Pater, concludere.

Orator: Ita causae oecumenicae revera favebimus, « veritatem facientes in caritate ». Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] collato. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest.

Moderator: Nunc exc.mus D. secretarius velit legere exitum suffragationum circa modos in cap. III schematis *sacrae Liturgiae*.

Secretarius generalis:

Modus primus:

Praesentes votantes	2.185
Dixerunt *placet*	1.848
non placet	335
placet iuxta modum (nullum votum, igitur)	2

Modus secundus:

Praesentes votantes	2.182
Dixerunt *placet*	2.084
non placet	96
placet iuxta modum (nullum)	1
Suffragium nullum	1

Modus tertius:

Praesentes votantes	2.106
Dixerunt *placet*	1.972
non placet	132
Suffragia nulla	2

Quaesitum generale:

Praesentes votantes	2.031
Dixerunt *placet*	1.999
non placet	29
Suffragia nulla	3

Cum ergo suffragationes omnes positivae fuerint, post decem momenta fiet suffragatio circa integrum cap. III.

Patres venerabiles, velitis ad vestra loca redire.

9

Exc.mus P. D. HERMANNUS VOLK

Episcopus Moguntinus

Em.mi et rev.mi Patres, dilectissimi Observatores, Periti et Auditores,

Conceptus « oecumenicus » duplicem habere sensum ...[1] notum est. Primo idem dicit ac « universalis », quo sensu hanc vocem adhibemus e. g. distinguendo concilia oecumenica a particularibus. Alio sensu hac voce utimur pro intentione et activitate unitatem christianorum spectante. Huius activitatis initium et ratio in eo est, quod cognoscitur separatio christianorum obstare voluntati Christi neque absque peccatis christianorum orta atque vulnus esse Ecclesiae eamque efficacitatem minuere secundum verbum Domini: « Omnes unum sint, ... ut credat mundus, quia tu me misisti » ...[2]. Oecumenismus sensu catholico intellectus persuasione niti debet, unice in Ecclesia catholica essentialiter omnia ea impleri, quae Christus suae Ecclesiae promisit. Oecumenismus suam actionem non tantum erga christianos seiunctos dirigere debet, sed attendere debet etiam ad ipsam Ecclesiam catholicam. Unicitas Ecclesiae enim includit catholicitatem seu universalitatem eo sensu, quod omnia, quae sunt vere christiana, in Ecclesia catholica suum habeant legitimum locum. Etsi haec universalitas est donum Ecclesiae a Christo capite datum, tamen obligat Ecclesiam, ut servare intendat et in doctrina et in praxi semper et in omnibus veram universalitatem. Ecclesia Christi capax est et parata esse debet ad agnoscendum et recipiendum omnia, quaecumque vere sunt christiana.

Haec actualis Ecclesiae catholicitas difficiles in se continet quaestiones. In Ecclesia enim, cum sit historica, non omnia, quae sunt possibilia, aeque immediate etiam sunt realia. Ipse Christus, Verbum Dei incarnatum, historico decursu opus suum peregit; quid mirandum, quod a fortiori Ecclesia historico decursu vivit. In hoc decursu historiae magis magisque potentiae Ecclesiae a Christo inditae in actum deduci debent, ita ut e. g. vera habeatur evolutio dogmatum.

Iamvero multi, qui christiano nomine gloriantur, non sunt neque esse volunt catholici, quia Ecclesiam romano-catholicam, aut omnino non, aut saltem non unicam esse Ecclesiam Christi dicunt eamque universalem esse negant. Inde maximi est momenti oecumenici, quod Ecclesia veram et concretam exhibet catholicitatem omnia elementa chri-

stiana comprehendentem. Secus impossibile est christianos seiunctos nostram Ecclesiam ut unicam Christi Ecclesiam agnoscere. Partem esse partem solummodo cognosci potest eo, quod pars cum toto comparatur et revera tamquam pars alicuius totius apparet. Uni parti veritatis christianae alteram partem opponere neque iuvat ad cognoscendum totum neque, experientia teste, ducit ad unitatem christianorum. Nisi Ecclesia universalitatem suam, omnis veritatis et bonitatis capacem manifestat, timendum est, ne appareat ut una ex variis possibilibus Ecclesiae formis. Elementum essentiale partis est relatio et recta proportio ad totum *depositum fidei.*[3]

Contra falsas ...[4] opiniones Ecclesia catholica suam universalitatem ita ostendere debet, ut fratres seiuncti nihil suorum bonorum vere christianorum propter veritatem catholicam amittere debeant. Apud christianos enim ex reformatione provenientes, multo magis apud orthodoxos orientales inveniuntur non solum rudimenta quaedam fidei christianae, sed tanta fides in Sacra Scriptura et primis quattuor conciliis fundata, ut e. g. baptisma, quod est secundum Concilium Tridentinum sacramentum fidei, valide conferatur et fructuose recipiatur, ideoque in virtute Spiritus Sancti iustificatio et promissio vitae aeternae recipiatur. Utique ex altera parte eorum bona christiana non sunt tam completa, ut apud eos habeatur Ecclesia pleno sensu huius verbi. Si ostendere volumus, tam multa vere christiana esse partem tantum totius Ecclesiae a Christo institutae, debemus concretam manifestare veram catholicitatem Ecclesiae romano-catholicae, et quidem semper et ubique. Haec universalitas cogitandi, docendi et agendi officium est gravissimum et nobilissimum Ecclesiae, quod non ad istos paucos tantum spectat, qui dialogum scientificum cum seiunctis colunt, sed ad omnia Ecclesiae membra, praesertim officialia. Seiuncti enim intendunt in totam Ecclesiam omnesque suae vitae manifestationes.

Sequentibus punctis fortasse comprehendere possumus istud munus nostrum oecumenicum:

1. Semper et expressis verbis intendere debemus totalitatem doctrinae et praxis Ecclesiae, etiamsi hic et nunc loquimur de quibusdam partibus. Et hoc non tantum propter fratres separatos, sed propter ipsos nostros fideles. Qui enim partem tantum praedicat, minuit opus salvificum Christi et nimis difficilem reddit fidem christianam.

2. Catholicitas manifestatur virtute servandi unitatem in multiplicitate. Non uniformitas Ecclesiam reddit catholicam, sed eius virtus ad continendum in unitate Ecclesiae Christi diversas formas vitae christianae, quatenus in eis apparet una et tota Christi doctrina et gratia.

Modicae fidei esse videmur, quando principia spiritualia unitatis in uniformitate fundamus. Ipse ...[5] unus Christus praedicatur quattuor *variis*[6] evangeliis. Ecclesiae unitas non opponitur diversis formis vitae christianae Ecclesiae, sed eas possibiles reddit. Ecclesia ex una parte non omnia sibi insita eodem tempore efformare potest; ex altera parte autem non debet, ut uniformitatem servet, ulli formae vitae christianae *verae*[7] locum negare, dummodo illa forma manet vere christiana.

3. Quaecumque historice exsistunt, ideoque etiam Ecclesia, suam exsistentiam fluctuantibus et variantibus formis prae se ferunt. Propterea neque Ecclesia ea, quae mutabilia sunt, debet considerare ut essentialia. Quo magis Ecclesia ostendit se paratam esse ad seipsam reformandam suamque essentiam clarius manifestandam, eo credibilius fit eius testimonium. Omnia autem facienda sunt, ut fiat Ecclesia credibilior. Verus oecumenismus intendit *etiam*[8] quam clare adimplere quae sint Ecclesiae Iesu Christi ...[9].

4. Oecumenicam se exhibet Ecclesia iam in hoc Concilio praebendo locum in celebranda Missa linguae vernaculae. Ne enim essentialia videantur, quae de facto intacta essentia mutari possunt. Oecumenicam se exhibet Ecclesia describendo munus suum pastorale etiam collegio episcoporum cum suo capite Summo Pontifice unito.

Oecumenici esset momenti, quod Concilium laicos esse potentias spirituales Ecclesiae non tantum obiecta ministerii ecclesiastici. Oecumenicum desiderium demum esset Concilio proponi ab eoque decerni...

Moderator: Velis, Pater, concludere; tempus tuum exactum est.

Orator: ... schema quoddam de verbo Dei eiusque momento pro vita Ecclesiae. Tale schema pro ipsa Ecclesiae vita interna non minoris esse videtur momenti quam pro catholicitate coram fratribus seiunctis exhibenda. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] omnibus. [2] (*Io.* 17, 21). [3] deest. [4] tales. [5] etiam. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] Ecclesiae non minuitur eo quod interdum abstinet a quibusdam possibilitatibus, ne offensionem praebeat. Sic ipsum Christum imitatur, qui secundum apostolum « non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit » (*Phil.* 2, 6), propterea Pater caelestis « exaltavit illum ». Huius Christi exinanitionis participem esse signum Christi esse potest etiam pro Ecclesia Christi. Propter rationes expositas peto, ut in perficiendo schemate clare enuntietur, Ecclesiam catholicam in doctrina et praxi sua ad id attendere debere ut etiam veritates partiales et formae singulares vitae ecclesiasticae semper appareant in nexu cum toto mysterio Christi et Ecclesiae eius.

Secretarius generalis: Lego Patribus venerabilibus exitum suffragationis circa schema *de Oecumenismo,* nempe an tria priora capita possint esse utile fundamentum ad ulteriorem disceptationem.

Praesentes votantes	2.052
Dixerunt *placet*	1.966
non placet	86

Et nunc velint Patres respondere: Utrum placeat integrum cap. III *de sacra Liturgia.* Responsio dabitur per *placet* et *non placet.*

10

EXC.MUS P. D. EMMANUEL TALAMÁS CAMANDARI
Episcopus Civitatis Juarezensis

Venerabiles Patres, carissimi Observatores,

Reverenter, et, qua par est modestia, propono ut textus huius cap. I decreti *de Oecumenismo* sic immutetur in pag. 10, lin. 29: « Deinde iidemque catholici, quando plene conscii sibi sint doctrina a Deo revelata, quae integra tamquam depositum fideliter custodiendum unicae Ecclesiae Christi tradita fuit, se sufficienter instructos esse ita ut de ea cuicumque rationem reddere possint, una cum fratribus separatis efficaciter inquirant quomodo se melius mutuo cognoscere valeant, etc. ». Rationes:

1. Agentes de sano rectoque oecumenismo quo ad optatam a Christo unitatem pro suis ovibus aestu cordis incredibili pervenire omnes volumus, accurate vitare debemus confusiones omnes quae praefatae unitati omnino obstant. Iamvero, si catholici invitantur ab hac Sacrosancta Synodo ad fovendam cum fratribus seiunctis mutuam cognitionem necnon aestimationem, omnino non decet ut hoc fiat sine illa sufficienti instructione in doctrina revelata quae requiritur ut rationem de ea reddere possint, ad hoc ut fratres seiuncti, in quantum fieri possit, perspicuam notitiam et motivationem accipiant eorum quae revera catholicus credere debet et credit, sine ullo admixto ex ignorantia personali quorundam catholicorum errore, vel sine ulla falsa veritatis cuiusdam revelatae interpretatione.

2. Adnectendo textui verba a nobis proposita de sufficienti instructione religiosa in catholicis requisita ad mutuam cum fratribus seiunctis fovendam cognitionem, remedium affertur periculo ne quidam catholici notabilem partem verae fidei christianae ex propria negligentia aliave

causa ignorantes, occasione oecumenismum promovendi, damnum patiantur adhaerentes erroribus qui, proh dolor! ubique serpent, quique possunt eos a via salutis avertere.

3. ...[1] Si verba a nobis proposita, vel alia similia, in textu non includuntur, putamus ea quae dicuntur in pag. 10 linn. 29-31 a quibusdam fautoribus motuum religiosorum nuper in America Septemtrionali exortorum, et quidem sub quadam specie novissimi christianismi, adhiberi posse — sensum, ut patet, extorquendo, sicut accidit cum nonnullis textibus Sacrae Scripturae — ad catholicos avertendos a via veritatis, ad eosque novis erroribus imbuendos. Quod omnino nefas esset.

Immo, omnia in caritate Christi tentanda sunt a nobis, una cum fratribus seiunctis hoc perpulchro spiritu oecumenico spe pleno imbutis, ut etiam illae communitates religiosae de quibus hic agimus se submittere velint huic fere universali christianorum conspirationi versus unitatem, mediante dialogo inter communitates, qui primum ducat ad mutuum respectum, ut vitetur verum chaos et obscuratio mentium et animorum acrimonia quae iam multis in locis, proh dolor, verificatur, et quae non raro spiritum inimicitiae promovent necnon rixas et contentiones. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Immo.

11

Exc.mus P. D. ALOISIUS M. CARLI
Episcopus Signinus

Venerabiles Patres,

Schema *de Oecumenismo,* quod mihi in genere et iuxta modum placet, tamquam basis discussionis, nullo tamen prolato iudicio de cap. IV et V quae extra suum naturalem locum mihi videntur, ad perfectiorem formam in cap. I et ad accuratiorem substantiam, *mea opinione,*[1] reduci posset si, inter alias, hae quas suggero emendationes acciperentur.

I emendatio. Titulus totius schematis aptior esse deberet: « De Oecumenismo catholico », ut recte in cap. I scribitur, nam non eodem modo hodie oecumenismus intelligitur ab Ecclesia catholica et ab acatholicis, et schema solos catholicos directe alloqui intendit.

II emendatio. Habeat insuper, sicut cetera schemata, prooemium quoddam seu introductionem generalem ad quam quaedam quae in art. 1 et plura quae in art. 3 continentur transferantur, ceteris de art. 3

amandatis, quatenus superflua non sint, ad cap. II et III. Ceterum, non satis logicum videtur dare notionem descriptivam oecumenismi, et quidem ultimo loco, in capite quod eiusdem oecumenismi principia considerat. In *hoc prooemio* [2] sequentia evolvi deberent:

a) Breviter commemorandus esset lugendus, isque voluntati Christi Domini contrarius, status divisionis nunc vigens inter christianos, eiusdemque infausta consectaria;

b) fortiter ac suaviter affirmanda esset materna caritas Ecclesiae catholicae erga filios separatos, eiusque vehemens ac sincerum desiderium unionis omnium christianorum componendae, necnon omnia media ad unionem capessendi quae non sint contra ius divinum;

c) clara et completa danda esset notio oecumenismi, prout illum intelligit atque ad actum deducere intendit Ecclesia catholica, bene definiendo conceptus, hodie saepe saepius confusos, « unicitatis » Ecclesiae, «unitatis » Ecclesiae, et « unionis » christianorum.

III emendatio. Cap. I deberet continere, breviter quidem at maxima cum claritate et ordine logico rite servato, *omnia,* et non quaedam tantum, principia doctrinalia quae praesunt recti oecumenismi exercitio. Principia autem quae in cap. I aut desunt ...[3], ni fallor, aut non plene ac clare statuuntur, haec quae sequuntur, mihi esse videntur:

a) *Unicitas* verae Ecclesiae Christi, eiusque a ceteris distinguibilitas ope criteriorum obiective validorum. Quae Ecclesia, seu Corpus Christi mysticum, in concreto unum idemque est ac catholica romana (cf. ...[4] *Myst. Corp.* et *Human. gen.* ...[5]), « in qua una Christus integra perfectaque fide creditur ». *Ita Pius XI.*[6]

b) *Voluntas absoluta Christi* ut omnes homines unicam hanc suam Ecclesiam ingrediantur, quippe cui plenitudinem gratiae ac veritatis ipse custodiendam omnibusque impertiendam concrediderit. Hic fortasse locus aptus explicandi genuinum sensum antiquissimi axiomatis: « Extra Ecclesiam nulla salus ».

c) Est *de necessitate salutis* pro omnibus ingredi in hanc Christi Ecclesiam, statim ac quis eam, uti talem, cognoverit. Unde gravis pro omnibus obligatio moralis deponendi dubium positivum vertens circa legitimitatem communitatis religiosae in qua vivit et cui adhaeret.

d) In communitatibus christianis separatis, ex miserentissimi Dei permissione, inveniuntur quaedam media sanctificationis (non eadem mensura apud omnes), quae sunt veluti spolia ac reliquiae pristinae communis Matris Ecclesiae. His mediis — non autem communitatibus separatis, reduplicative qua talibus — uti non renuit Spiritus Sanctus ad sanctificandos eos dumtaxat qui *bona fide* extra visibilem Ecclesiae compaginem versantur. Dixi: « non autem communitatibus separatis qua ta-

libus » — et sic omnino corrigendus mihi videtur textus in pag. 8, linn. 33-35 —; secus Spiritus Sanctus videretur recognoscere ac legitimare ipsam separationem, Suam unicam Sponsam legitimam ...[7] prodendo!

e) Ecclesia catholica numquam poterit renuntiare aut substantialiter mutare ea quae de fide vel moribus, per magisterium ordinarium aut extraordinarium, iam proposuit credenda tamquam divinitus revelata; potest tamen admittere, salva semper dogmatum substantia, clarificationem quoad formulationem eorum.

His principiis doctrinalibus suffultus, oecumenismus, adhibita quidem diversa psychologica methodo iuxta diversas fratrum separatorum categorias et opiniones, recte et fructuose et sine periculo confusionis poterit exerceri.

IV emendatio. Funditus recognoscenda mihi videtur propositio in pag. 7, linn. 22-30, quia quaedam adstruit minime probata et probanda, quaedam vero silet omnino hic non silenda. Etenim:

a) Legitur: « ... aedificavit (*Ecclesiam suam*[8]) super fundamentum apostolorum et prophetarum... ». Mire hic siletur aedificatio super unum Petrum, ex qua derivat quod portae inferi non sint contra Ecclesiam praevaliturae ...[9]. Affirmatur, e contra, tamquam res pacifica, aedificatio super apostolos et prophetas, citando in notula *ad Eph.* ...[10]: qui textus, ut alias dictum est, rem non evincit.

b) Prosequitur schema: « ... atque collegio Duodecim universale mandatum docendi, regendi et sanctificandi concredidit ». Supprimatur litigiosa vox « collegii », cum adhuc inter nos non constet... *Supprimatur litigiosa vox « collegii » cum adhuc inter nos non constet*[11] ex actis hucusque et probatis, quae sit istius collegialitatis notio, cumque adhuc ab affirmantibus expectemus validam probationem ex Scriptura aut traditione de existentia, et quidem iuris divini, ipsiusmet collegialitatis. Ceterum potestas *sanctificandi* absurde diceretur data collegio collegialiter exercenda. Insuper hic siletur de singulari atque prorsus amplissimo mandato uni Petro collato, in clavigerum regni caelorum constituto...[12]

c) Pergit schema: « ... inter quos B. Petrum, post eius fidei confessionem et maioris dilectionis professionem elegit... ». ...[13] Supprimatur illud « maioris », quia non congruit cum *Io.* 21, 15. Insuper ne oblivioni mandetur electionem singularem Petri iam esse manifestatam a Christo initio sui ministerii publici ...[14], quando nempe Duodecim nondum erant in apostolos electi per propheticam mutationem nominis Simonis in Cepham; proinde primus « protos » vocari Petrus in ipso actu electionis formalis duodecim apostolorum...[15]

d) ...[16] « ... elegit ut fratrum suorum collegio praeesset, singulos

etiam in fide confirmando et universum gregem in perfecta unitate pascendo » ...[17]. Pro prima parte huius affirmationis citatur in notula 5 « *Mt.* 16, 18 collato *Mt.* 18, 18 ». At ex citato *Mt.* 16 clarissime statuitur Petrus electus ut esset caput et fundamentum totius Ecclesiae — uti Vaticanum I definivit — et solummodo indirecte et implicite ut esset caput et fundamentum etiam apostolorum. Insuper ea quae exhibentur sub forma gerundivi (« Confirmando... pascendo ») viderentur esse quasi *modalia* relate ad praesidentiam sic dicti collegii: quod admitti quidem posset de apostolis in fide confirmandis, minime vero de universo Christi grege pascendo. Nam pascere universum gregem est *causa* ob quam Petrus praesidet apostolis, non autem *effectus* aut *modus* istius praesidentiae.

Concludo. Igitur ita recognoscendus est textus ut collatio muneris capitis apostolorum non videatur esse *causa* collationis primatus iurisdictionalis in universam Ecclesiam; sed, *e contra,*[18] ceteri apostoli indicentur dati Petro tamquam ...[19] auxiliatores « non ad imponendum limitem, sed ad cooperandum supremae ac plenae potestati Petri » *ut dicebat relator deputationis in Vaticano I.*[20] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] meo iudicio. [2] hac introductione. [3] omnino. [4] Pius XII. [5] DB 2319. [6] (Pius XI, *A.A.S.,* 1931, p. 516). [7] (*Apoc.* 22, 17). [8] deest. [9] (*Mt.* 16, 18). [10] 2, 20. [11] deest. [12] (*Mt.* 16, 19). [13] Atqui. [14] (*Io.* 1, 42). [15] (*Mt.* 10, 2). [16] Prosequitur schema. [17] Sed contra: de « collegio » repeto quae supra. [18] vicissim. [19] subordinati (cf. can. 108, § 3, C.I.C.). [20] (Ita relator deputationis pro rebus fidei in Vaticano I, Mansi, 52, 715).

12

EXC.MUS P. D. ANTONIUS ABED
Archiepiscopus Tripolitanus Maronitarum

Venerabiles Patres et carissimi Observatores et Auditores,

Principia Oecumenismi catholici, iuxta longaevam experientiam quam habui in dioecesi mea Tripolitana in Libano, ubi fere omnes communitates christianae inveniuntur, videntur mihi ita apparari debere, ut per iisdem, potius patefiant quae vera sunt apud fratres Ecclesiarum separatarum, quam quae apud Ecclesiam nostram catholicam.

Nam, quae vera sunt apud nos, haec nobis bene nota sunt et satis; fratribus vero non catholicis per ipsorum personale conamen, sibimetipsis patefacienda sunt.

Etenim, si nos, qui catholici sumus et veram Ecclesiam Christi constituimus de convictione, orbati *aliquando* [1] inveniemur illa magnanimitate qua, honeste recognoscenda sunt ut vera, quae de facto vera sunt apud ceteros fratres, quomodo exigere aut praetendere possumus quod ipsi, qui certe non eadem quam habemus petrina confirmatione usufruuntur, hac ipsa magnanimitate se moveant ad catholicam domum ingrediendam, quasi ipsi hucusque nullam domum salutiferam habuerint?

Certe, nobis catholicis, magni momenti sunt praesertim primatus iurisdictionis et infallibilitas in Petri successore.

Sed forsan adsunt plurima alia quae, sub angulo vitae practicae, momentosiora sunt et fratribus separatis utiliora, sed et urgentiora ad audiendum ex ore nostro, ac praesertim ex ore sacrosancto huius Concilii Oecumenici!

Unde, praeprimis, valeant tamquam essentialia elementa Oecumenismi catholici, praesertim duo sequentia: 1. conscientia christiana ...[2] 2. et spes christiana in Christo Resurgente...[3] Haec duo, si diu adsunt inter quosdam baptizatos, sufficiant ad illos nobiscum foederandos vinculo substantiali, ita ut ius habeant ad obsequium et caritatem fraternam ex parte omnium catholicorum.

Recognoscamus igitur, venerabiles Patres, quaeso, praesentiam conscientiae christianae apud fratres separatos, et illam firmiter tamquam regulam teneamus, donec contrarium apud singulos singillatim probetur.

Et ita, iisdemque conditionibus, recognoscamus exsistentiam foederis *spei* per Christum resurgentem, apud praefatos fratres.

Tunc, facilius ad nos accedant, qui de nostra aequali conscientia et spe, una cum sinceritate sensus nostri erga illos, certiorati sunt. Tunc, bene dialogari possumus super cetera. Tunc, at non prius, procedere possumus ad unitatem fovendam in ipsa disciplina exteriori et intellectuali.

Quam multae sunt veritates catholicae, modis dicendi sive formulis verbalibus obscuratae, quae per alia verba, aliasve actiones externas, itidem a fratribus nostris retinentur de facto.

Nemini nostratum licet oblivisci, quod fratres separati non sunt pagani, ut locum sit eorum conversioni fovendae, per iteratam praedicationem veritatum christianae religionis, sed *christiani* sunt, qui, proh dolor!, in nos non satis fidunt, et forsan neque in seipsos.

Sunt ergo iterum *amplectendi fratres,* sed non iterum *convertendi.* Hinc est tota ratio theologica Oecumenismi realistici — qui solus dignus est catholica Ecclesia —; et haec est ratio sine qua non datur nisi merum larvatum proselytismum.

Ideoque, sequentes emendationes liceat mihi proponere:

1. Extollenda esset pars illa in par. 1 quae incipit, lin. 11 pag. 7, verbis: « Exaltatus autem in Cruce... etc. » et desinit in pag. 8, lin. 11 inclusive.

2. Cetera vero eadem mente emendentur. Et ita loco verborum: « eosque Ecclesia ut filios agnoscit », in pag. 8, lin. 21, rectius cum Ioanne XXIII felicis memoriae dicatur: « eosque omnes catholici ut fratres agnoscunt ».

3. Periodus vero in linn. 22-26 inclusive in eadem pagina deleatur; quia magis offensam suggerit quam veritatis cuiusdam recognitionem. Et redigatur nova periodus qua declaremus nos recognoscere bonam conscientiam et spem foederantem apud fratres separatos.

Et ita, recognita per prius quae « subiectiva » sunt, quaeque non licet ignorare neque minus denegare, iure meritoque procedatur postea ad recognitionem valoris actionum sacrarum apud eosdem fratres.

4 et ultimo, periodus illa in pag. 8, a lin. 37 ad 3 inclusive in pag. 9, ita expungetur ut fratres ipsi, iuxta modo dicta, per seipsos Spiritu Sancto movente, nobis vero orantibus et poenitentibus adiuvando, recognoscant, vice sua, apud nos esse illos « unum ovile et unum pastorem » quos voluit ipse moriens ac resurgens Christus Jesus! ...[4] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (scil. in moribus subiectivis). [3] (scil. in fide). [4] (*Io.* 10, 16).

Moderator: Nunc exc.mus D. secretarius generalis communicat exitum suffragationis circa integrum textum cap. III schematis *sacrae Liturgiae.*

Secretarius generalis:

Praesentes votantes	2.143
Dixerunt *placet*	2.107
non placet	35
Suffragium nullum	1

Ergo cap. III Patribus placuit. Crastina die, fient suffragationes circa cap. IV et cetera capita schematis *de sacra Liturgia,* deinde, si suffragationes fuerint positivae, procedetur ad suffragationem de integro schemate *de sacra Liturgia.*

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS LXXIII

22 novembris 1963

CONGREGATIO GENERALIS LXXIII

22 novembris 1963

[*Facta inthronizatione S. Evangelii et oratione* Adsumus... *recitata, dum chorus Cappellae Sixtinae processionaliter discedit, magnus plausus fit in Aula, in honorem eiusdem chori*].

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Attendatis, Patres. Moderabitur disceptationem de cap. I schematis *de Oecumenismo,* in hac 73 congregatione generali, em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Hodie, in hac congregatione generali — quae inter maiores reputari debet, quia fiet suffragatio, prima vice in hoc Concilio, circa schema integrum *de sacra Liturgia* —, in hac congregatione generali, distribuentur haec documenta:

Imprimis, *Notificatio* quam heri legi vobis, venerabiles Patres, circa novos sodales eligendos in commissionibus. Et rogo praesides conferentiarum episcopalium, ut tempore statuto elenchos exhibeant, si possint etiam ante; et elenchos deferant ad secretariam generalem, non per tabelliones (posta) sed personaliter (non ipsi praesides, uti patet, sed per aliquem qui hoc munus habebit).

Deinde distribuetur relatio, quam fecit em.mus card. Iacobus Lercaro, de schemate constitutionis *de sacra Liturgia.* Iam promissum est Patribus, et hodie haec relatio generalis distribuitur antequam suffragatio finalis fiat.

Distribuetur, pariter, conspectus redactus a commissione de doctrina fidei et morum, de labore ab eadem commissione hucusque peracto. Hoc valde utile erit Patribus, ut conspiciant quantae molis sit, doctrinam de hoc puncto, gravissimo quidem, adparare.

Denique, distribuetur fasciculus qui continet Modos super schemate decreti *De instrumentis communicationis socialis*; circa quod fiet, ut iam nuntiatum est, suffragatio feria II proxima.

Pariter feria II proxima, distribuetur Patribus libellus ille qui continet Memoriam S. Petri, de qua dixi feria II elapsa. Cum libellus sit

variis linguis exaratus, distributio non fiet in aula, sed ante portas Basilicae, nempe in ingressibus Basilicae, ita ut unusquisque Pater possit habere exemplar lingua quam cupit.

In hac congregatione generali, postquam legero nomina Patrum qui verba facere desiderant, fient suffragationes, post debitas relationes uti patet, de cap. IV schematis *sacrae Liturgiae,* « De Officio divino » nempe, et deinde simul de ceteris capitibus, post debitas relationes.

Denique, hora fere decima cum dodrante — cum tribus quadrantibus — fiet suffragatio super totum schema *de sacra Liturgia,* cum formulis suetis *placet, non placet.* Cum praesertim haec suffragatio maximi sit ponderis, omnes omnino Patres rogantur ut suis locis sedeant. Hora igitur decima cum tribus quadrantibus. Memineritis, Patres venerabiles!

Nunc lego nomina, imprimis eorum qui adhuc loqui petierunt *de Oecumenismo* in genere, ad normam art. 57 § 6 *Ordinis* nostri. Hi sunt exc.mi DD. Fortunatus Da Veiga Coutinho, ep. coad. Belgaumensis in India; Ioseph Pont, ep. Segobricensis in Hispania; Andreas Makarakiza, ep. Ngoziensis in Burundi.

Postea loquentur Patres, qui verba facere postulaverunt circa cap. I eiusdem schematis (priores, de Oecumenismo in genere; nunc, de Oecumenismo, cap. I): exc.mi DD. Ioannes Mazur, ep aux. Lublinensis in Polonia; Gerardus Huyghe, ep. Atrebatensis in Gallia; Felix Romero, ep. Giennensis in Hispania; Laurentius Jäger, Arch. Paderbornensis in Germania; Claudius Flusin, ep. S. Claudii in Gallia; Vitus Chang, ep. tit. Cyanitanus in Germania; Thomas Holland, ep. coad. Portus Magni in Anglia; Aemilius Guano, ep. Liburnensis in Italia; Ioseph Tawil, arch. vic. patr. Melchitarum in Syria; rev.mus P. Anicetus Fernandez, mag. gen. O.P.; Ioannes Gahamanyi, ep. Butarensis in Ruanda; Andreas Pangrazio, arch. Goritiensis in Italia; Ioannes Canestri, ep. aux. em.mi card. Vicarii de Urbe; Anastasius Granados, ep. aux. Toletanus in Hispania; Alexander Scandar, ep. Lycopolitanus in Aegypto; Ioannes Van Cauwelaert, ep. Inongoënsis in Congo; Stephanus Leven, ep. aux. S. Antonii in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Ioseph Cornelis, arch. Elisabethapolitanus in Congo; Ioannes Baptista Zoa, arch. Yaundensis in Camerun; Gabriel Manek, arch. Endehenus in Indonesia.

Moderator: Ne disceptatio circa schema *de Oecumenismo* ulterius interrumpatur, relationes circa capp. IV, V, VI et VII sacrae Liturgiae legentur initio huius sessionis.

Velit ergo exc.mus D. Albertus Martin, ep. Nicoletanus, illustrare relationem suam circa Modos in cap. IV, scil. « De Officio divino », schematis *de sacra Liturgia.*

SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA

1 - MODI [5]

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA EXAMINATI

Hic fasciculus Patribus distributus est die 20 novembris 1963, in congregatione generali septuagesima prima.

CAPUT IV

DE OFFICIO DIVINO

I

Commissio Conciliaris de sacra Liturgia, copiosis Modis a Patribus circa caput IV propositis diligenter perlectis et expensis, tres tantum mutationes mere *formales* introducendas esse censuit, quae sunt:

1. Pag. 25 huius fasciculi, linea 22

loco	*legatur*
operi *etiam* in quo laborant ...	operi *enim* in quo laborant ...

2. Pag. 25 huius fasciculi, linea 24

loco	*legatur*
propterea Apostoli diaconos *instituere decreverunt dicentes*	propterea Apostoli diaconos *instituentes dixerunt*

3. Pag. 27 huius fasciculi, linea 33

loco	*legatur*
Curandum est ut clerici ...	*Suadetur* ut clerici ...

II

[6] Commissio igitur *substantiales* textus mutationes proponendas non esse censuit. Cum vero singulis Modis explicativam responsionem Commissio dare studuerit, generatim brevi, quandoque fusiore sermone, sequens Patribus proponitur

QUAESITUM GENERALE

An placeat expensio facta a Commissione de sacra Liturgia circa Modos Caput IV respicientes.

2 – TEXTUS SCHEMATIS

Caput IV

[25] ### DE OFFICIO DIVINO

83. Summus Novi atque aeterni Testamenti Sacerdos, Christus Iesus, humanam naturam assumens, terrestri huic exsilio hymnum illum invexit, qui in supernis sedibus per omne aevum canitur. Universam hominum communitatem ipse sibi coagmentat, eandemque in divino hoc concinendo laudis carmine secum consociat.

Illud enim sacerdotale munus per ipsam suam Ecclesiam pergit, quae non tantum Eucharistia celebranda, sed etiam aliis modis, praesertim Officio divino persolvendo, Dominum sine intermissione laudat et pro totius mundi salute interpellat.

84. Divinum Officium ex antiqua traditione christiana ita est constitutum ut totus cursus diei ac noctis per laudem Dei consecretur. Cum vero mirabile illud laudis canticum rite peragunt sacerdotes aliique ad hanc rem Ecclesiae instituto deputati vel christifideles una cum sacerdote forma probata orantes, tunc vere vox est ipsius Sponsae, quae Sponsum alloquitur, immo etiam oratio Christi cum ipsius Corpore ad Patrem.

85. Omnes proinde qui haec praestant, tum Ecclesiae officium explent, tum summum Sponsae Christi honorem participant, quia laudes Deo persolventes stant ante thronum Dei nomine Matris Ecclesiae.

86. Sacerdotes sacro pastorali ministerio addicti eo maiore fervore Horarum laudes persolvent, quo vividius conscii erunt sibi observandum

esse monitum Pauli: « Sine intermissione orate » (*1 Thess.* 5, 17); operi [25] enim in quo laborant Dominus solus efficacitatem et incrementum dare potest, qui dixit: « Sine me nihil potestis facere » (*Io.* 15, 5); propterea Apostoli, diaconos instituentes, dixerunt: « Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus » (*Act.* 6, 4).

87. Ut autem divinum Officium, sive a sacerdotibus sive ab aliis Ecclesiae membris melius et perfectius in rerum adiunctis peragatur, Sacrosancto Concilio, instaurationem ab Apostolica Sede feliciter inceptam persequenti, de Officio iuxta ritum romanum ea quae sequuntur placuit decernere.

88. Cum sanctificatio diei sit finis Officii, cursus Horarum traditus [26] ita instauretur ut Horis veritas temporis, quantum fieri potest, reddatur, simulque ratio habeatur vitae hodiernae condicionum in quibus versantur praesertim ii qui operibus apostolicis incumbunt.

89. Itaque, in instauratione Officii, hae normae serventur:

a) Laudes, ut preces matutinae, et Vesperae, ut preces vespertinae, ex venerabili universae Ecclesiae traditione duplex cardo Officii cotidiani, Horae praecipuae habendae sunt et ita celebrandae;

b) Completorium ita instruatur, ut fini diei apte conveniat;

c) Hora quae Matutinum vocatur, quamvis in choro indolem nocturnae laudis retineat, ita accommodetur ut qualibet diei hora recitari possit, et e psalmis paucioribus lectionibusque longioribus constet;

d) Hora Prima supprimatur;

e) In choro, Horae minores Tertia, Sexta, Nona serventur. Extra chorum e tribus unam seligere licet, diei tempori magis congruentem.

90. Cum praeterea Officium divinum, utpote oratio publica Ecclesiae, sit fons pietatis et orationis personalis nutrimentum, obsecrantur in Domino sacerdotes aliique omnes divinum Officium participantes, ut in eo persolvendo mens concordet voci; ad quod melius assequendum, liturgicam et biblicam, praecipue psalmorum, institutionem sibi uberiorem comparent.

In instauratione vero peragenda, venerabilis ille romani Officii saecularis thesaurus ita aptetur, ut latius et facilius eo frui possint omnes quibus traditur.

91. Ut cursus Horarum, in art. 89 propositus, reapse observari possit, psalmi non amplius per unam hebdomadam, sed per longius temporis spatium distribuantur.

[26] Opus recognitionis Psalterii, feliciter inchoatum, quamprimum perducatur ad finem, respectu habito latinitatis christianae, usus liturgici etiam in cantu, necnon totius traditionis latinae Ecclesiae.

92. Ad lectiones quod attinet, haec serventur:

a) lectio sacrae Scripturae ita ordinetur, ut thesauri verbi divini in pleniore amplitudine expedite adiri possint;

b) lectiones de operibus Patrum, Doctorum et Scriptorum ecclesiasticorum depromendae melius seligantur;

c) Passiones seu vitae Sanctorum fidei historicae reddantur.

93. Hymni, quantum expedire videtur, ad pristinam formam restituantur, iis demptis vel mutatis quae mythologiam sapiunt aut chri-
[27] stianae pietati minus congruunt. Recipiantur quoque, pro opportunitate, alii qui in hymnorum thesauro inveniuntur.

94. Praestat, sive ad diem revera sanctificandum, sive ad ipsas Horas cum fructu spirituale recitandas, ut in Horarum absolutione tempus servetur, quod proxime accedat ad tempus verum uniuscuiusque Horae canonicae.

95. Communitates choro obligatae, praeter Missam conventualem, tenentur Officium divinum cotidie in choro celebrare, et quidem:

a) totum Officium, Ordines Canonicorum, Monachorum et Monialium, aliorumque Regularium ex iure vel constitutionibus choro adstrictorum;

b) Capitula cathedralia vel collegialia, eas partes Officii, quae sibi a iure communi vel particulari imponuntur;

c) Omnes autem illarum Communitatum sodales, qui sunt aut in Ordinibus maioribus constituti aut solemniter professi, conversis exceptis, debent eas Horas canonicas soli recitare, quas in choro non persolvunt.

96. Clerici choro non obligati, si sunt in Ordinibus maioribus constituti, cotidie, sive in communi, sive soli, obligatione tenentur totum Officium persolvere, ad normam art. 89.

97. Opportunae commutationes divini Officii cum actione liturgica a rubricis definiantur.

In casibus singularibus iustaque de causa, Ordinarii possunt subditos suos ab obligatione Officium recitandi ex toto vel ex parte dispensare vel id commutare.

98. Sodales cuiusvis Instituti status perfectionis, qui, vi Constitu- [27] tionum, partes aliquas divini Officii absolvunt, orationem publicam Ecclesiae agunt.

Item, publicam Ecclesiae orationem agunt, si quod parvum Officium, vi Constitutionum, recitant, dummodo in modum Officii divini confectum ac rite approbatum sit.

99. Cum Officium divinum sit vox Ecclesiae seu totius Corporis mystici Deum publice laudantis, suadetur ut clerici choro haud obligati ac praesertim sacerdotes conviventes vel in unum convenientes, aliquam saltem divini Officii partem in communi persolvant.

Omnes autem sive in choro sive in communi Officium persolventes munus sibi concreditum quam perfectissime, tam interna animi devotione quam externa agendi ratione, peragant.

Praestat insuper ut Officium in choro et in communi, pro opportu- [28] nitate, cantetur.

100. Curent animarum pastores ut Horae praecipuae, praesertim Vesperae, diebus dominicis et festis sollemnioribus, in ecclesia communiter celebrentur. Commendatur ut et ipsi laici recitent Officium divinum, vel cum sacerdotibus, vel inter se congregati, quin immo unusquisque solus.

101. § 1) Iuxta saecularem traditionem ritus latini, in Officio divino lingua latina clericis servanda est, facta tamen Ordinario potestate usum versionis vernaculae ad normam art. 36 confectae concedendi, singulis pro casibus, iis clericis, quibus usus linguae latinae grave impedimentum est quominus Officium debite persolvant.

§ 2) Monialibus, necnon sodalibus, sive viris non clericis sive mulieribus, Institutorum statuum perfectionis, in Officio divino, etiam in choro celebrando, concedi potest a Superiore competente ut lingua vernacula utantur, dummodo versio approbata sit.

§ 3) Quivis clericus Officio divino adstrictus, si Officium divinum una cum coetu fidelium, vel cum iis qui sub § 2 recensentur, lingua vernacula celebrat, suae obligationi satisfacit, dummodo textus versionis sit approbatus.

[7]

3 – RELATIO

EXC.MI D.NI ALBERTI MARTIN, EPISCOPI NICOLETANI, COMMISSIONIS CONCILIARIS DE SACRA LITURGIA SODALIS

Venerabiles Patres,

Caput IV *De Officio divino* suffragatione generali a Vobis approbatum fuit die 24 octobris 1963 sequenti suffragiorum exitu:

Praesentes votantes	2.236
Maior pars requisita	1.491
Placet	1.638
Placet iuxta modum	552
Non placet	43
Vota nulla	3

Ordo tamen Concilii modos expendere iubet etiam quando pars schematis Concilio placuerit, et quidem merito: uni enim vel paucis Patribus patere potuit incongruentia vel difficultas quae plerosque latuit. Commissio ergo nostra modos de Officio divino a Patribus propositos cum diligentia expendit et de eis Vobis suam sententiam humiliter submittit ...[1].

AD ARTICULUM 83 *

(PROOEMIUM)

1 — Pag. 25, linea 1, dicatur: « Summus atque aeternus Sacerdos », loco « Novi atque aeterni Testamenti Sacerdos » (*1 Pater*).

R. — Formula probata est a subcommissione theologica ad inculcandam aeternitatem Sacerdotii Christi et simul eius novitatem respectu sacerdotii Antiqui Testamenti quod est figurativum Novi.

2 — Pag. 25, linea 6, vocabulum « pergit » male sonat (*1 Pater*).

R. — Hoc vocabulum invenitur apud auctores latinos et in documentis magisterii.

---

[1] *In oratione*: Mihi liceat, venerabiles Patres, legere solummodo quae sunt maioris momenti. Ad pag. 13, sub n. 31. Hic agitur de Hora Matutina. Proponitur ut textui suffragato addatur haec formula: « Extra chorum ... ».

* Relator hunc textum usque ad n. 31, p. [13], non legit.

3 — Pag. 25, linea 7, loco « Eucharistia celebranda », dicatur: « in Eucharistiae sacrificio celebrando » (*1 Pater*). [8]

R. — Formula proposita est a Commissione de latinitate ut melior quam illa contenta in modo.

4 — Pag. 25, linea 8, loco « Dominum sine intermissione laudat ... » dicatur: « Deum... », quia cultus ad Patrem dirigitur (*2 Patres*).

R. — Cultus non solum ad Patrem dirigitur, sed etiam ad Christum, ut iam in Litteris Encyclicis *Mediator Dei* et *Mystici Corporis* fuse animadversum est; immo Deus, in Liturgia, saepissime ex traditione perantiqua, vocatur Dominus.

5 — Pag. 25, linea 9, « pro totius mundi salute », dicatur: « pro omnibus » (*1 Pater*).

R. — Formula schematis in liturgia Missae quotidie recitatur.

6 — Pag. 25, linea 9, addatur in fine « nomine totius creaturae » (*1 Pater*).

R. — Quod nobis videtur non convenire sensui generali totius sententiae. Ecclesia enim orare nequit nisi pro hominibus.

AD ARTICULUM 84

(PROOEMIUM)

7 — Pag. 25, linea 11, in formula « totus cursus » deleatur vocabulum « totus », quia inutile est (*1 Pater*).

R. — « Totus » nobis videtur utilis ad inculcandam necessitatem consecrandi per laudem Dei, sine intermissione, cursum diei et noctis.

8 — Pag. 25, linea 12, loco « illud », dicatur: « hoc » (*1 Pater*).

R. — Demonstrativum « illud » in casu videtur magis conveniens.

9 — Pag. 25, lineis 11 et 12, ne repetatur vox « laus » (*1 Pater*).

R. — Haec repetitio nedum sermonis incongruentiam afferat, iuvat potius ad naturam Officii inculcandam.

[8] 10 — Pag. 25, linea 13, loco « ad hanc rem », dicatur: « ad hoc » vel « ad hoc sacrum munus » (*2 Patres*).

R. — Latinistae iam textum sedulo reviserunt et formula desumitur ex Litt. Encycl. *Mediator Dei* (*A.A.S.*, 39, 1947, p. 573).

[9] 11 — Pag. 25, lineis 13-14, deleatur « una cum sacerdote forma probata orantes ... » (*1 Pater*).

R. — Officium divinum est oratio Ecclesiae ad quam omnibus christifidelibus aditus patere debet, praesertim ad Vesperas dominicales et Officia Hebdomadae sanctae. Et fideles nequeunt orationem publicam et liturgicam agere quin praeeat sacerdos vel diaconus, nisi expresse eis aliqua concessio ab Ecclesia facta sit.

12 — Pag. 25, lineis 14-15, loco « Sponsae quae Sponsum alloquitur », dicatur: « Sponsae quae una cum Sponso Patrem alloquitur » (*1 Pater*).

R. — Iam superius diximus Liturgiam non tantum Patrem sed etiam quandoque Christum alloqui.

13 — Pag. 25, linea 15, locutio « oratio Christi cum ipsius Corpore ad Patrem »:

a) Non placet (*2 Patres*).

b) Addatur « mystico » (*2 Patres*).

c) Dicatur: « oratio Christi simul et Corporis eius ad Patrem » (*1 Pater*).

d) Dicatur: « Vox est ipsius Corporis mystici quod laudes ad Patrem sine fine persolvit » (*1 Pater*).

R. — Haec formula iam a Patribus et a magisterio consecrata est. Additio autem verbi « mystico » post verbum « Corpore », non videtur utilis, quia sensus clarus est.

14 — Haec paragraphus non potest satisfacere Orientalibus, nonobstante additione formulae « vel Christifideles una cum sacerdote forma probata orantes ». Concilium non potest tantum de ritu latino tractare. Normae generales orandi sunt statuendae pro tota Ecclesia.

Omnia quae dantur sub numeris 89-95 et 100-101 sunt normae particulares pro ritu latino. Habeantur ut normae obligato-

riae a Concilio statutae pro Commissione postconciliari et non introducantur in Constitutionem (*1 Pater*). [9]

R. — Verum est Concilium pro Universali Ecclesia et non tantum pro Latina legem ferre oportere. Attamen de Officio divino ritus romani necesse fuit dicere, quia mandatum de hac re dedit Concilio Papa Ioannes XXIII sanctae memoriae, in Motu proprio *Rubricarum instructum,* diei 25 iulii 1960.

AD ARTICULUM 85 [10]

(PROOEMIUM)

15 — Deleatur hic articulus quia nihil novi dicit (*1 Pater*).

R. — Articulus explicat tum Ecclesiae obligationem, tum munus publicum quo fungitur is qui Horas ex officio persolvit.

AD ARTICULUM 86

(PROOEMIUM)

16 — Deleatur articulus, quia nimis prolixus (*1 Pater*).

R. — Articulus expresse suffragatus est a Concilio (Emendatio 3).

17 — Pag. 25, linea 22, loco « etiam », dicatur « etenim » (*1 Pater*).

R. — Recte proponitur. Mendum est, ex inadvertentia inductum, et corrigendum.

18 — Ultimus textus ad Episcopos pertinet et improprie diaconos ab intentu articuli excludere videtur (*1 Pater*).

R. — Allegatio Actuum Apostolorum eo tendit ut orationis necessitas Apostolis asseratur, neque timendae sunt variae interpretationes. Quidquid sit, ad evitandam omnem ambiguitatem, proponimus parvam sermonis mutationem, quae non mutat sensum locutionis, scilicet, ut *loco* « Apostoli diaconos instituere decreverunt dicentes: " Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus " » *dicatur*: « Apostoli, diaconos instituentes, dixerunt: " Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus " ».

[10] 19 — Pag. 25, linea 22, labor sacerdotalis est plus quam oratio propria et ministerium verbi (*1 Pater*).

R. — Textus nihil excludit, sed vult tantum inculcare necessitatem orationis.

AD ARTICULUM 87

(PROOEMIUM)

20 — Pag. 25, linea 27, loco « in rerum adiunctis », dicatur: « in hodiernis adiunctis » (*1 Pater*).

R. — Formula « in rerum adiunctis » est formula latinis consueta et a latinistis Commissionis probata.

[11] 21 — Pag. 25, linea 27, loco « peragatur », dicatur: « recitetur » (*1 Pater*).

R. — Est vocabulum probatum a latinistis.

AD ARTICULUM 88

(DE CURSU HORARUM)

22 — Pag. 26, lineis 3-4, deleantur verba « simulque ratio habeatur vitae hodiernae condicionum in quibus versantur praesertim ii qui operibus apostolicis incumbunt » (*1 Pater*).

R. — Ex disceptatione anno praeterito habita in Aula Conciliari, apparet Concilio placituram fore instaurationem Officiii quae rationem habeat condicionum vitae hodiernae.

AD ARTICULUM 89

(DE CURSU HORARUM INSTAURANDO)

Ad Articulum in genere

23 — Mutentur tituli qui in Breviario et in Missali Sanctis honoris causa dantur, quando isti tituli sunt negativi et dedecent, scilicet « Confessor non Pontifex », « Sancta nec Virgo nec Martyr », « Virgo non Martyr ». Loco « Non Virginum », dicatur, e. g., « Sanctarum Mulierum », « Sanctarum Uxorum », « Sanctarum Viduarum » (*1 Pater*).

R. — Commissio exoptat hanc mutationem, sed ad Commissionem postconciliarem, non ad schema, pertinet. [11]

24 — Tota reformatio Breviarii relinquatur Sanctae Sedi (*1 Pater*).

R. — Normae datae in Constitutione pertinent ad instaurationis altiora principia, quae Concilio definienda concredidit Ioannes XXIII.

Laudes et Vesperae

25 — Pag. 26, lineis 6-7, deleantur verba « ut preces matutinae » et « ut preces vespertinae », quia hoc evidens est (*1 Pater*).

R. — Duo Patres e contra illa verba addenda esse censuerunt, et Commissio eis obsequens textum emendavit. Ideoque non dicitur solum quod Laudes sunt preces matutinae et Vesperae preces vespertinae, quod evidens est ex Traditione et ex indole harum Horarum, sed quod sacerdotes illas debent considerare ut preces matutinas vel preces vespertinas.

Completorium [12]

26 — Pag. 26, linea 9, loco « ut fini diei apte conveniat », dicatur: « ut conclusioni diei » (*1 Pater*).

R. — De sententia Peritorum latini sermonis, hic non convenit *conclusio* cum isto sensu: conclusio enim ex rebus vel rationibus oritur, non autem finem cursus vel temporis indicat.

Matutinum

27 — Non placet hoc comma (*4 Patres*).

R. — Iam suffragatum est.

28 — Modi qui proponunt res non ad altiora principia sed ad Commissionem postconciliarem pertinentes:

a) loco « Hora quae Matutinum vocatur », dicatur: « Hora lectionum quae Matutinum usque modo vocatur » (*1 Pater*); vel: « nocturnum vel lectio divina vocatur » (*1 Pater*).

b) Addatur: « Hora quae Matutinum vocatur constabit Invitatorio, Hymno, 5 psalmis, lectione per decem momenta Novi Testamenti, latine, sine aliquo responsorio, et Te Deum laudamus » (*1 Pater*).

[12] *c*) Addatur: « In Triduo Sacro psalmi et lectiones pauciores et breviores fiant » (*1 Pater*).

d) Dicatur: « et tantum tribus psalmis tribusque lectionibus constet » (*1 Pater*).

e) Addatur: « ad lectiones autem quod attinet, qui soli persolvunt Officium obligantur ad eas legendas, minime vero recitandas » (*1 Pater*).

R. — Hae determinationes non pertinent ad Commissionem Conciliarem, sed Postconciliarem.

29 — Pag. 26, linea 11, proponuntur mutationes in sermone:

a) loco « recitari », dicatur: « legi » (*1 Pater*).

b) loco « dicendae », dicatur: « legendae » (*1 Pater*).

R. — Quaestio de recitatione vocali vel solum mentali pertinet ad rubricas.

30 — Nonnulla proponuntur, quae sunt contra Emendationes expresse suffragatas:

a) Supprimatur « et lectionibus longioribus » (*2 Patres*).

[13] *b*) Deleantur verba « et psalmis paucioribus lectionibusque longioribus constet » (*4 Patres*).

c) Loco « longioribus », dicatur: « brevioribus » (*2 Patres*).

d) Dicatur: « et unica lectione constet » (*1 Pater*).

e) Omittatur « psalmis paucioribus » (*2 Patres*).

R. — Totum comma expresse suffragatum est et magna suffragiorum maioritate approbatum.

31 — « Extra chorum, exceptis festis solemnioribus huic Horae liceat cum eadem obligatione substituere lectionem spiritualem ex Sacra Scriptura »:

a) per viginti saltem momenta (*51 Patres*);

b) per triginta momenta (*1 Pater*);

c) per quindecim momenta (*1 Pater*).

Ratio ab uno Patre adducta sic sonat:

« Haec lectio simul includeret minimum quoddam meditationis seu orationis mentalis sacerdoti in cura animarum occupato necessariae, ne oratio obruatur mechanismo spirituali. Plurimi sacerdotes nostris temporibus non incumbunt meditationi seu

orationi mentali. Hoc est factum. Sed sacerdos qui non meditatur modo sibi accommodato, etiam Breviarium solummodo persolvit et, etiamsi recitat, non orat. Sed sine vita vera spirituali non potest fieri labor apostolicus vere vivens. Digna recitatio totius Officii et meditatio in hodiernis adiunctis non semper simul possibiles sunt. Hac de causa modus propositus est ». [13]

R. — Circa hunc modum, plura consideranda sunt:

a) Oratio mentalis pernecessaria est sacerdoti operibus apostolicis dedito, ad nutrimentum animae et progressum in vita spirituali. Ita totum schema ordinatum est ut sacerdos, Officium divinum celebrans et attente psallens (art. 90), nutrimentum vitae suae spiritualis inveniat et frequentatione Verbi divini melius mentaliter oret, « non iam Breviarium currendo legens » (*Relatio,* p. 14). Haec est ratio cur nihil dicitur in schemate de obligatione recitationis oralis, cum sacerdos privatim psallit, et obsecratur sacerdos ut in eo persolvendo, mens concordet voci (cf. art. 90).

b) Ea mens Commissionis fuit ut Officium divinum melius disponatur, servata tamen eius forma orationis publicae cum psalmis. « Si quid ex cursu traditionali supprimere oportet, hoc caute faciendum est, veritate Horarum ad hoc impellente » (*Relatio,* p. 17).

c) Obligationi orationis mentalis et spiritualis lectionis, tum quoad obiectum et methodum, tum quoad necessitatem, providebitur certe in schemate de disciplina cleri. [14]

d) In casibus peculiaribus et extra communem rerum ordinem, certe provideri potest per commutationem, de quo in articulo 97.

e) Quoad libertatem seligendi vel commutandi pericopas Scripturarum a se legendas ab eo qui Officium privatim dicit (*Relatio,* p. 21), nobis videtur quaestionem relinquendam esse Commissioni Postconciliari.

Prima

32 — Non placet suppressio Horae Primae:

a) Non placet simpliciter (*91 Patres*).
b) Servetur, sed brevior reddatur (*1 Pater*).
c) Modificetur et restructuretur (*1 Pater*).

R. — Suppressio Horae Primae iam suffragata est.

[14] 33 — Orationes quae nunc ad Primam recitantur, transferantur ad aliam Horam:

a) Orationes et preces ad Laudes transferantur (*22 Patres*).

b) Hora Prima melius componatur cum Laudibus (*2 Patres*).

c) Divinum Officium constet Nocturnis, Laudibus cum Prima una factis, etc. (*1 Pater*).

d) Si supprimitur Hora Prima, breviores sint psalmi Laudum et preces matutinae, quae nunc in Hora Prima sunt, transferantur ad Laudes (*1 Pater*).

e) Quaedam preces transferantur ad Tertiam (*1 Pater*).

R. — Optatur a Commissione, ut dictum est in Relatione, ut quaedam preces e Prima transferantur ad aliam Horam, fortasse ad Laudes. Sed hoc pertinet potius ad peritos qui post Concilium adlaborabunt ad exsecutionem Constitutionis, quia quaestiones technicae tanguntur, quae respiciunt Commissionem postconciliarem...[2]

*34 — Hora Prima supprimatur cum approbatione Ordinarii Loci, ad normam art. 97, § 1 (*1 Pater*).

R. — Suffragata est suppressio Horae Primae sine ulla restrictione.

Tertia, Sexta, Nona

35 — Modi qui textui emendato specialiter approbato repugnant:

a) Non placet simpliciter articulus (*105 Patres*).

b) Remaneat textus antiqui schematis (*3 Patres*).

[15] 36 — Modi qui, firmis tribus Horis ut nunc sunt, in eis parvam tamen precum abbreviationem proponunt:

a) « Horae minores breviores reddantur » (*1 Pater*).

b) « Remaneant Horae minores, sed breviores fiant cum antiphona, psalmis et oratione dominica vel diei » (*3 Patres*).

c) « Horae minores serventur, sed supprimantur parva capitula finalia cum responsoriis » (*1 Pater*).

37 — Modi qui firmas quidem retinent tres Horas minores, et libertatem a schemate allatam restringere intendunt:

---

[2] *In oratione*: Et nunc ad pag. 20, sub n. 68. Hic agitur de recitatione Officii in communi pro sacerdotibus conviventibus vel in unum convenientibus.

* Relator hunc textum usque ad n. 68 p. [20] exclusive, non legit.

a) addendo in fine « in dominica et festis de praecepto » [15]
(*2 Patres*).

b) « Horae minores serventur, exceptis diebus de praecepto et festorum pervigiliis » (*5 Patres*).

c) Addatur in fine « quoties mane nequeant omnes recitari » (*1 Pater*); vel « quando mane dici nequeunt » (*1 Pater*).

R. — Quibus omnibus insimul respondendum est, Concilium, per suffragationem, iam clarius decrevisse ut hae sententiae contrariae non accipiantur.

38 — Modi qui parva textus discrimina praebent:

a) Addatur: « extra chorum, pro illis qui Officio chorali non astringuntur », quia secus fovetur negligentia choro assistendi (*1 Pater*).

R. — Quae observatio a nobis consideranda erit infra, cum modos ad articulum 95 appositos expendemus.

b) In fine addatur: « Valde commendatur ut omnes tres Horae minores etiam extra chorum recitentur nullo incommodo interveniente » (*1 Pater*).

R. — Egregie dictum. Attamen in textu legis sufficit quod scriptum est « seligere licet », ne ansam praebeamus scrupulis.

c) Deleatur: « diei tempori magis congruentem » (*1 Pater*).

R. — Quod adversatur menti schematis et praecipue art. 84 et 88.

39 — Modi qui aliam ac schematis reformationem proponunt:

a) « Extra chorum Horae minores supprimantur » (*2 Patres*).

b) « Sola Hora Sexta servetur » (*1 Pater*).

c) « Habeatur una Hora pro omnibus determinata » (*1 Pater*).

d) « Horae minores mutari debent in oratione memoriter cognita, ut tempestive per diem dici possint sine libro » (*1 Pater*).

R. — Quae quidem omnia suas certo habent rationes, et a Commissione
Conciliari sedulo et mature perpensa sunt, dum emendationes [16]
disceptabantur, at, post longam deliberationem, Commissio retinuit illam viam mediam quae simul traditioni et aptationi faveat, quaeque Patribus in suffragatione emendationis 6 placuit.

[16]

AD ARTICULUM 90

(DE OFFICIO FONTE ORATIONIS PERSONALIS)

40 — Articulus 90 coniungatur cum articulo 88 (*1 Pater*).

R. — Ista mutatio seiungeret art. 89 ab articulo 88, cum quo arcte connectitur; art. enim 89 est concreta applicatio principiorum in art. 88 expressorum. Articulus vero 90 ultra progrediens, de attentione et suavi fructu Officii tractat, deque conditionibus ad id assequendum, quod in art. 91-93 continuatur.

41 — « Materia placet, sed dicendi forma non placet: termini frequenter repetuntur, subiecti frequentissime mutantur et oratio non est perspicua » (*1 Pater*).

R. — Subcommissio de latinitate attente revisit omnes articulos schematis.

42 — Pag. 26, linea 19, post verba « melius assequendum », inserantur verba « item obsecrantur ut » (*1 Pater*).

R. — Observare liceat coniunctivum « comparent » sufficere ad optandum vel obsecrandum, eo magis quod eadem verba iam superius dicta sunt.

43 — Pag. 26, lineis 16-17, dicatur « utpote oratio Ecclesiae simulque orationis personalis nutrimentum est fons pietatis » (*1 Pater*).

R. — Quod minus rei ipsi fortasse conveniret.

44 — Pag. 26, linea 16, deleatur « utpote oratio publica Ecclesiae », quia Officium est fons pietatis et orationis personalis in quantum est excellens, non in quantum est oratio publica (*1 Pater*).

R. — Multi Romani Pontifices et pii Auctores saepe docuerunt orationem Ecclesiae esse excellentem utpote vocem Ecclesiae, immo esse fontem spiritus christiani genuini.

45 — Pag. 26, linea 21, addatur, « ob eandem rationem, ut scilicet mens melius concordet voci, curent Ordinarii ut libentissime concedant usum versionis vernaculae ad normam art. 101 » (*2 Patres*).

[17] R. — Haec verba nobis videntur minus necessaria, quia iam rei providetur in art. 101 et in Relatione.

AD ARTICULUM 91 [17]

(De psalmis)

46 — « Supprimantur psalmi imprecatorii » (*2 Patres*).

R. — Responsum est iam in Relatione de Emendationibus, p. 21.

AD ARTICULUM 92

(De Lectionibus)

47 — Pag. 26, linea 34, tollantur verba « et scriptorum ecclesiasticorum » (*1 Pater*).

R. — Mens Commissionis non est, ut passim quicumque scriptores ecclesiastici in Officio legantur, sed iis tantum qui speciali commendatione gaudent, etsi forte nec Patres nec Doctores sint.

POST ARTICULUM 93

48 — « Non omittatur articulus olim 72 » (*2 Patres*).

R. — Omissio iam suffragata est a Concilio ob rationes in Relatione allatas, pag. 20.

AD ARTICULUM 94

(De tempore Officium persolvendi)

49 — « Habetur repetitio materiae saltem secundum quid, et abusus formae » (*1 Pater*).

R. — Certe leges brevissimae sunto; at brevius dicere nescivimus.

AD ARTICULUM 95

(De obligatione chorali)

Ad totum articulum

50 — Reinseratur textus primitivus (*1 Pater*).

R. — Emendationes factae eo tantum tendunt ut melius res dicantur et aptius cum iure vigente congruant.

[18] 51 — Pag. 27, lineis 12-13, mutetur textus hoc modo: « Capitula Cathedralia saltem laudes aut vesperas in choro recitent » (*1 Pater*).

R. — Revera iste textus erat olim in schemate, at post disceptationem mense novembri 1962 peractam, ita emendatus est ut praescindatur omnino ab hac quaestione, sive per ius futurum commune sive per ius particulare solvenda.

52 — Deleatur articulus (*1 Pater*).

R. — Si deleretur, supprimeretur obligatio choralis et personalis nunc vigens, quod certe Concilium non intendit.

53 — Pag. 27, linea 14, addatur: « e choro legitime absentes » (*1 Pater*).

R. — Quod esset aggravatio iuris communis vigentis.

54 — Pag. 27, linea 16, addatur: « etsi absque gravi obligatione » (*1 Pater*).

R. — De gravitate obligationis quoad solemniter professos ad nos non pertinet.

55 — Pag. 27, linea 17, addatur: « ad normam articuli 89 *c*) » (*2 Patres*); *vel*: « salvo tamen art. 89, si iisdem propter ministerium pastorale legitime illis Horis non intersint » (*13 Patres*).

R. — Hanc fatemur esse observationem magni momenti, attamen, cum rationes diversae pensandae sint, cumque diversae sint vocationes Ordinum regularium, non intendimus rem decidere, sed relinquimus ad ius particulare et Constitutiones Regularium.

AD ARTICULUM 96

(DE OBLIGATIONE EORUM QUI CHORO NON TENENTUR)

56 — Ad obligationem Officium recitandi quod attinet:

a) Gravis obligatio clare indicetur (*5 Patres*).

b) Dicatur: « etsi absque gravi obligatione » (*1 Pater*).

c) Nulla obligatio imponatur, ne ex hac impositione Orientales mirentur (*1 Pater*).

R. — De istis omnibus in nostra Commissione disceptatum est, ut refertur in Nostra Relatione pp. 24-25, unde melius erit si intactus, ut iacet, remaneat articulus.

AD ARTICULUM 97 [19]

(De commutationibus et dispensationibus)

57 — *a*) Deleatur articulus (*1 Pater*).
b) Potestas dispensandi vel commutandi reservetur Apostolicae Sedi (*3 Patres*).

R. — Isti duo modi opponuntur suffragationi iam a Concilio peractae, cui placuerunt emendationes 10 et 11.

58 — « Nimis lata: vel enucleetur vel clarior dicatur » (*2 Patres*).

R. — Textus, ut iacet, placuit Concilio.

59 — In prima sententia, exempla dentur commutationum (*1 Pater*).

R. — In Relatione, p. 25, mens Commissionis patet, et ad Commissionem postconciliarem tota res remittenda est.

60 — In secunda sententia, addatur: « sine licentia Sanctae Sedis » (*1 Pater*).

R. — Quod est evidens et non est necessarium expresse addere.

61 — Pag. 27, linea 23, loco « iusta de causa », dicatur: « gravi de causa » (*1 Pater*); *vel* addatur: « nisi gravi de causa et onerata conscientia » (*1 Pater*).

R. — Hi duo modi formulas edicunt quae in nostra Commissione iam antea mature examinatae sunt, consultoque derelictae ne Ordinariis diffidere videamur, qui scient suum ius cum officio componere.

62 — Pag. 27, linea 23, vocabulo « Ordinarii » addatur: « et omnes Superiores maiores » (*3 Patres*).

R. — Quod ad ius Religiosorum recognoscendum relinquimus, rem interim intactam servantes, ne praeiudicemus illi recognitioni.

63 — Pag. 27, linea 23, vocabulo « Ordinarii » addatur: « Parochus et Superior Religiosus » (*1 Pater*).

R. — Quod nimis latum nobis videretur, at facultas fortasse sit Ordinario, si ei placuerit et si casus ferat, delegationem dare iuxta normas generales iuris.

[20]

AD ARTICULUM 99

(DE OFFICIO IN CHORO ET IN COMMUNI)

64 — Deleatur totus articulus (*1 Pater*).

R. — Iam suffragatus est per 2.111 *Placet*.

65 — « Nimis affirmatur in schemate quod Officium est oratio publica Ecclesiae » (*1 Pater*).

R. — Numquam satis erit inculcatum, sed hoc in articulo eo fine dicitur ut ratio detur de fovenda celebratione communi.

66 — Pag. 27, linea 34, loco « praesertim », dicatur « exclusive » (*1 Pater*).

R. — Haec mutatio non videtur utilis, cum recitatio communis laudatur.

67 — « Quid de casu quando plures sacerdotes in eadem domo convivunt et in communi recitantes Officium unus vult dicere Tertiam et alius vult dicere Sextam vel Nonam? » (*1 Pater*).

R. — Hora dicenda est tempori congruens, iuxta art. 89 *e*) et 94.

68 — Pag. 27, linea 33, displicet verbum « curandum », eo quod obligationem aliquomodo sapiat et proponitur ut dicatur: « optandum », « approbandum », « laudandum », « exhortandum », « valde consulendum », « suadendum » (*194 Patres*).

R. — Qui omnes Patres eandem mentem habent ac Commissio nostra, quae nunquam intendit ullam obligationem edicere sed tantum exhortationem facere; lingua latina haud facile utitur verbis exhortatoriis, ideoque « curandum » selegeramus quod recte convenit ex usu auctorum. Cum tamen pateat multos male intellexisse vocabulum « curandum », *libenter id mutamus in « suadetur »*.

AD ARTICULUM 100 * [20]

(De Officio a fidelibus participando)

69 — Pag. 28, linea 3, post verba « curent animarum pastores ut Horae praecipuae » etc., addatur: « iudicio Episcopi vel Episcoporum regionis » (*1 Pater*).

R. — Respondendum est ut supra, scilicet verbum « curent » nullam obligationem inducere, sed tantum exhortationem dicere.

70 — Pag. 28, linea 7, addatur: « Laicis divinum Officium recitantibus [21]
indulgentiae extendantur quae clericis conceduntur » (*1 Pater*).

R. — Quod ad altiora principia non pertinet, sed in recognitione Indulgentiarum a competente auctoritate forte decernendum.

AD ARTICULUM 101 § 1

(De usu linguae vernaculae in Officio pro clericis)

A) *Modi qui opponuntur emendationi suffragatae.*

71 — *a*) Pag. 29, lineis 9-12, non placet clausula « facta tamen Ordinario potestate » etc. (*41 Patres*).

b) « Potestas concedendi licentiam utendi lingua vernacula reservetur Apostolicae Sedi » (*3 Patres*).

c) Clausulae iam suffragatae haec substituatur: « relicta tamen libertate ut bis in hebdomada clerici possint Officium persolvere in aliqua lingua vernacula, quia quotidiana vilescunt » (*1 Pater*).

R. — De quibus omnibus nihil est dicendum, cum Concilium iam suffragio adprobaverit textum.

B) *Modi qui latius extendere volunt concessionem linguae vernaculae.*

72 — Pag. 29, lineis 9-12, dicatur: « Extra chorum Officium persolventibus liceat uti lingua latina aut versione vernacula », id est

---

* Relator hunc textum usque ad Art. 101 § 1 p. [21] non legit.

[21] concedatur universim omnibus sine recursu ad Ordinarium (*4 Patres*); *vel*: « Clericis in recitatione privata Officii divini liceat uti versione vernacula; recitatio autem in choro lingua latina fieri debet » (*1 Pater*).

R. — Omnia eo tendunt ut concedatur universim omnibus sacerdotibus sine recursu ad Ordinarium lingua vernacula in Breviario. Nobis visa sunt latius aequo patere et adversari, ni fallimur, principiis generalibus de lingua in Concilio iam approbatis.

73 — Ius concedendi clericis linguam vernaculam detur quidem Ordinario, at generaliore modo et sine restrictione:

a) « facta tamen Ordinario potestate concedendi usum versionis vernaculae ad normam art. 36 » (*1 Pater*).

b) « concedendi si extra chorum persolvant » (*4 Patres*).

R. — Hoc etiam latius patere nobis visum est quam textus suffragatus.

[22] 74 — *a*) Pag. 28, linea 11, deleantur verba « singulis pro casibus » et mitigetur ratio necessaria ad concessionem: « concedendi iis clericis quibus in suo prudenti iudicio profuturum esse censuerit » (*158 Patres*).

b) deleatur « singulis pro casibus » (*105 Patres*).

R. — De clausula « profuturum esse censuerit » dicendum erit infra. Utrum vero supprimenda sit an non clausula « singulis pro casibus » multum disceptavimus et rationes sive pro sive contra perpendimus.

Ex una parte, lex generalis remanere debet, ideoque selegeramus formulam in iure de dispensatione iam assuetam. Praeterea firma stent oportet principia in Capite primo enunciata et suffragata de lingua liturgica.

Ex altera parte, dari possunt talia adiuncta ut plures clerici alicuius dioecesis idem impedimentum habeant. Hisce in adiunctis nihil prohibet quominus Episcopus pluribus singillatim dispensationem elargire possit. At mens textus est tantum ne passim neve pro arbitrio, vel inconsiderate, Ordinarii subditos dispensent.

Hac interpretatione nostra allata, censemus textum uti prostat remanere posse quin emendetur.

75 — Causae dispensandi ab usu linguae latinae mitiores proponuntur: [22]

a) « ex rationabili causa » (*1 Pater*).

b) « iusta de causa » (*2 Patres*).

c) « iustis de causis » (*5 Patres*).

d) « dummodo adsit causa rationabilis » (*1 Pater*).

e) deleatur verbum « grave » (*14 Patres*).

f) addatur: « aut quominus maiorem fructum percipiant spiritualem » (*1 Pater*).

R. — Perpensis rationibus allatis, Commissio censuit textum immutandum non esse; verba autem « grave impedimentum » esse intellegenda iuxta ea quae in Relatione de capite quarto dicta sunt, nempe ut « iudicium Ordinarii cum magnanimitate feratur sive de condicione physica sive morali, intellectuali vel spirituali eius qui talem petit licentiam » (p. 29). Sic omnis occasio anxietatis a conscientia Ordinarii removetur.

Ex altera parte, nimiam subiectivitatem non decet in lege inscribi; ideoque accipiendam non esse censuimus formulam « quominus maiorem fructum percipiant » vel « quibus profuturum esse censuerit ».

76 — Facultas utendi lingua vernacula concedatur non ab Ordinario in genere, sed ab « Episcopo » (*1 Pater*) « Ordinario loci » (*3 Patres*) vel « Ordinariis totius nationis » (*1 Pater*). [23]

R. — Ista omnia iam a nostra Commissione mature perpensa sunt quando de emendationibus disceptavimus; consulto « Ordinarium » diximus, quia agitur de bono spirituali et de difficultate personali alicuius subiecti in recitatione privata, minime vero de cultu publico.

AD ARTICULUM 101 § 2

(De lingua vernacula in Officio pro monialibus)

77 — Pag. 28, linea 15, loco « a Superiore competente », dicatur: « ab Ordinario loci » (*1 Pater*).

R. — Nobis videtur hanc quaestionem esse regiminis vitae religiosae, etiam si ecclesia fidelibus pateat.

[23]

AD ARTICULUM 101 § 3 *

(De lingua vernacula in Officio pro fidelibus)

78 — Pag. 28, linea 18, Officium « recitari » et non « celebrari » dici debet (*1 Pater*).

R. — E contra Officium, praecipue si populo participante psallitur, *celebratio* dici debet, non mera recitatio, quia est oratio publica Ecclesiae, et aliunde non cursim nec festinanter sed quasi choraliter dicenda, sive canatur, sive minus.

* * *

Venerabiles Patres,

In Commissione de sacra Liturgia multum adlaboravimus ad modos a Vobis propositos expendendos, et rationes conati sumus adducere ad explicandum cur, quamvis eosdem modos saepissime attentione dignos existimaremus, in textum vero schematis introducendos esse non censuimus, in id praesertim attendentes, quod totum Caput magna maioritate iam fuit approbatum.

Speramus Vos responsiones nostras magna humanitate esse accepturos. Gratias interim Vobis reddimus de attentione qua nostros labores semper estis secuti.

Moderator: Gratias, exc.me Pater. Nunc exc.mus D. secretarius generalis proponit quaesitum pro suffragatione circa modos expensos in cap. IV *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis: Quaeritur igitur: An placeat expensio facta a Commissione de sacra Liturgia circa modos cap. IV respicientes. Suffragatio erit per *placet* et *non placet.*

---

* Relator hunc textum usque ad conclusionem non legit.

SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA

1 – MODI [5]

A PATRIBUS CONCILIARIBUS PROPOSITI
A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA
EXAMINATI

Hic fasciculus Patribus distributus est die 21 novembris 1963, in congregatione generali septuagesima secunda.

CAPITA V - VI - VII

DE ANNO LITURGICO
DE MUSICA SACRA
DE ARTE SACRA DEQUE SACRA SUPELLECTILE

Omnibus Modis Capita V, VI et VII respicientibus diligenter perlectis, Commissio de sacra Liturgia censuit textus mutationes non esse proponendas, sed sufficere pro singulis brevem explicationem praebere.

Patribus proinde sequens proponitur

QUAESITUM GENERALE

An placeat expensio facta a Commissione de sacra Liturgia circa Modos Capita V, VI et VII respicientes.

2 – TEXTUS SCHEMATIS

CAPUT V [19]

DE ANNO LITURGICO

102. Pia Mater Ecclesia suum esse ducit Sponsi sui divini opus salutiferum, statis diebus per anni decursum, sacra recordatione celebrare. In unaquaque hebdomada, die quam Dominicam vocavit, memoriam habet Resurrectionis Domini, quam semel etiam in anno, solemnitate maxima Paschatis, una cum beata ipsius Passione, frequentat.

[19] Totum vero Christi mysterium per anni circulum explicat, ab Incarnatione et Nativitate usque ad Ascensionem, ad diem Pentecostes et ad exspectationem beatae spei et adventus Domini.

Mysteria Redemptionis ita recolens, divitias virtutum atque meritorum Domini sui, adeo ut omni tempore quodammodo praesentia reddantur, fidelibus aperit, qui ea attingant et gratia salutis repleantur.

103. In hoc annuo mysteriorum Christi circulo celebrando, Sancta Ecclesia Beatam Mariam Dei Genitricem cum peculiari amore veneratur, quae indissolubili nexu cum Filii sui opere salutari coniungitur; in qua praecellentem Redemptionis fructum miratur et exaltat, ac veluti in purissima imagine, id quod ipsa tota esse cupit et sperat cum gaudio contemplatur.

104. Memorias insuper Martyrum aliorumque Sanctorum, qui per multiformem Dei gratiam ad perfectionem provecti, atque aeternam iam adepti salutem, Deo in caelis laudem perfectam decantant ac pro nobis intercedunt, circulo anni inseruit Ecclesia. In Sanctorum enim nataliciis praedicat paschale mysterium in Sanctis cum Christo compassis et conglorificatis, et fidelibus exempla eorum proponit, omnes per Christum ad Patrem trahentia, eorumque meritis Dei beneficia impetrat.

105. Variis denique anni temporibus iuxta traditas disciplinas, Ecclesia fidelium eruditionem perficit, per pias animi et corporis exercitationes, instructionem, precationem, poenitentiae et misericordiae opera.

Quapropter placuit Sacrosancto Concilio ea quae sequuntur decernere.

106. Mysterium paschale Ecclesia, ex traditione apostolica quae
[20] originem ducit ab ipsa die Resurrectionis Christi, octava quaque die celebrat, quae dies Domini seu dies dominica merito nuncupatur. Hac enim die christifideles in unum convenire debent ut, verbum Dei audientes et Eucharistiam participantes, memores sint Passionis, Resurrectionis et gloriae Domini Iesu, et gratias agant Deo qui eos « regeneravit in spem vivam per Resurrectionem Iesu Christi ex mortuis » (*1 Petr.* 1, 3). Itaque dies dominica est primordialis dies festus, qui pietati fidelium proponatur et inculcetur, ita ut etiam fiat dies laetitiae et vacationis ab opere. Aliae celebrationes, nisi revera sint maximi momenti, ipsi ne praeponantur, quippe quae sit fundamentum et nucleus totius anni liturgici.

107. Annus liturgicus ita recognoscatur ut, servatis aut restitutis [20] sacrorum temporum traditis consuetudinibus et disciplinis iuxta nostrae aetatis condiciones, ipsorum indoles nativa retineatur ad fidelium pietatem debite alendam in celebrandis mysteriis Redemptionis christianae, maxime vero mysterio paschali. Accommodationes vero, secundum locorum condiciones, si quae forte necessariae sint, fiant ad normam art. 39 et 40.

108. Fidelium animi dirigantur imprimis ad dies festos Domini, quibus mysteria salutis per annum celebrantur. Proinde Proprium de Tempore aptum suum locum obtineat super festa Sanctorum, ut integer mysteriorum salutis cyclus debito modo recolatur.

109. Duplex indoles temporis quadragesimalis, quod praesertim per memoriam vel praeparationem Baptismi et per poenitentiam fideles, instantius verbum Dei audientes et orationi vacantes, componit ad celebrandum paschale mysterium, tam in liturgia quam in catechesi liturgica pleniore in luce ponatur. Proinde:

a) elementa baptismalia liturgiae quadragesimalis propria abundantius adhibeantur; quaedam vero ex anteriore traditione, pro opportunitate restituantur;

b) idem dicatur de elementis poenitentialibus. Quoad catechesim autem animis fidelium inculcetur, una cum consectariis socialibus peccati, illa propria poenitentiae natura quae peccatum, prout est offensa Dei, detestatur; nec praetermittantur partes Ecclesiae in actione poenitentiali atque oratio pro peccatoribus urgeatur.

110. Poenitentia temporis quadragesimalis non tantum sit interna et individualis, sed quoque externa et socialis. Praxis vero poenitentialis, iuxta nostrae aetatis et diversarum regionum possibilitates necnon fidelium condiciones, foveatur, et ab auctoritatibus, de quibus in art. 22, commendetur.

Sacrum tamen esto ieiunium paschale, feria VI in Passione et Morte [21] Domini ubique celebrandum et, iuxta opportunitatem, etiam Sabbato sancto producendum, ut ita, elato et aperto animo, ad gaudia dominicae Resurrectionis perveniatur.

111. Sancti iuxta traditionem in Ecclesia coluntur, eorumque reliquiae authenticae atque imagines in veneratione habentur. Festa Sanctorum mirabilia quidem Christi in servis eius praedicant et fidelibus opportuna praebent exempla imitanda.

[21] Ne festa Sanctorum festis ipsa mysteria salutis recolentibus praevaleant, plura ex his particulari cuique Ecclesiae vel Nationi vel Religiosae Familiae relinquantur celebranda, iis tantum ad Ecclesiam universam extensis, quae Sanctos memorant momentum universale revera prae se ferentes.

[22]

CAPUT VI

DE MUSICA SACRA

112. Musica traditio Ecclesiae universae thesaurum constituit pretii inaestimabilis, inter ceteras artis expressiones excellentem, eo praesertim quod ut cantus sacer qui verbis inhaeret necessariam vel integralem liturgiae sollemnis partem efficit.

Profecto sacros concentus laudibus extulerunt cum Sacra Scriptura,[42] tum sancti Patres atque Romani Pontifices, qui recentiore aetate, praeeunte sancto Pio X, munus Musicae sacrae ministeriale in dominico servitio pressius illustrarunt.

Ideo Musica sacra tanto sanctior erit quanto arctius cum actione liturgica connectetur, sive orationem suavius exprimens vel unanimitatem fovens, sive ritus sacros maiore locupletans sollemnitate. Ecclesia autem omnes verae artis formas, debitis praeditas dotibus, probat easque in cultum divinum admittit.

Sacrosanctum igitur Concilium normas ac praecepta ecclesiasticae traditionis et disciplinae servans finemque Musicae sacrae respiciens, qui gloria Dei est atque sanctificatio fidelium, ea quae sequuntur statuit.

113. Formam nobiliorem actio liturgica accipit, cum divina Officia sollemniter in cantu celebrantur, quibus ministri sacri intersint quaeque populus actuose participet.

Quoad linguam adhibendam, serventur praecepta art. 36; quoad Missam art. 54; quoad Sacramenta, art. 63; quoad Officium divinum, art. 101.

114. Thesaurus Musicae sacrae summa cura servetur et foveatur. Scholae cantorum assidue provehantur, praesertim apud ecclesias cathedrales; Episcopi vero ceterique animarum pastores sedulo curent ut in qualibet actione sacra in cantu peragenda universus fidelium coetus actuosam participationem sibi propriam praestare valeat, ad normam art. 28 et 30.

115. Magni habeatur institutio et praxis musica in Seminariis, in Religiosorum utriusque sexus novitiatibus et studiorum domibus, nec-

non in ceteris institutis et scholis catholicis; ad quam quidem institu- [22] tionem assequendam, magistri, qui Musicae sacrae docendae praeficiuntur, sedulo conformentur.

Commendantur insuper Instituta Superiora de Musica sacra pro [23] opportunitate erigenda.

Musicae vero artifices, cantores, imprimis pueri, etiam germana institutione liturgica donentur.

116. Ecclesia cantum gregorianum agnoscit ut liturgiae romanae proprium: qui ideo in actionibus liturgicis, ceteris paribus, principem locum obtineat.

Alia genera Musicae sacrae, praesertim vero polyphonia, in celebrandis divinis Officiis minime excluduntur, dummodo spiritui actionis liturgicae respondeant, ad normam art. 30.

117. Compleatur editio typica librorum cantus gregoriani; immo paretur editio magis critica librorum iam editorum post instaurationem s. Pii X.

Expedit quoque ut paretur editio simpliciores modos continens, in usum minorum ecclesiarum.

118. Cantus popularis religiosus sollerter foveatur, ita ut in piis sacrisque exercitiis et in ipsis liturgicis actionibus, iuxta normas et praecepta rubricarum, fidelium voces resonare possint.

119. Cum in regionibus quibusdam, praesertim Missionum, gentes inveniantur quibus propria est traditio musica, magnum momentum in earum vita religiosa ac sociali habens, huic musicae aestimatio debita necnon locus congruus praebeatur, tam in fingendo earum sensu religioso, quam in cultu ad earum indolem accommodando, ad mentem art. 39 et 40.

Quapropter in institutione musica missionariorum, diligenter curetur, ut, quantum fieri potest, traditionalem earum gentium musicam tam in scholis quam in actionibus sacris promovere valeant.

120. Organum tubulatum in Ecclesia latina magno in honore habeatur, tamquam instrumentum musicum traditionale cuius sonus Ecclesiae caeremoniis mirum addere valet splendorem, atque mentes ad Deum ac superna vehementer extollere.

Alia vero instrumenta, de iudicio et consensu auctoritatis territorialis competentis, ad normam art. 22 § 2, 37 et 40, in cultum divinum

[23] admittere licet, quatenus usui sacro apta sint aut aptari possint, templi dignitati congruant, atque revera aedificationi fidelium faveant.

121. Sentiant musicae artifices, spiritu christiano imbuti, se ad Musicam sacram colendam et ad thesaurum eius augendum esse vocatos.

Modos autem componant, qui notas verae Musicae sacrae prae se [24] ferant atque non solum a maioribus scholis cantorum cani possint, sed minoribus quoque scholis conveniant et actuosam participationem totius coetus fidelium foveant.

Textus cantui sacro destinati catholicae doctrinae sint conformes, immo ex Sacris Scripturis et fontibus liturgicis potissimum hauriantur.

NOTA

[42] Cf. *Eph.* 5, 19; *Col.* 3, 16.

[25]

Caput VII

DE ARTE SACRA DEQUE SACRA SUPELLECTILE

122. Inter nobilissimas ingenii humani exercitationes artes ingenuae optimo iure adnumerantur, praesertim autem ars religiosa eiusdemque culmen, ars nempe sacra. Quae natura sua ad infinitam pulchritudinem divinam spectant, humanis operibus aliquomodo exprimendam, et Deo eiusdemque laudi et gloriae provehendae eo magis addicuntur, quo nihil aliud eis propositum est, quam ut operibus suis ad hominum mentes pie in Deum convertendas maxime conferant.

Alma Mater Ecclesia proinde semper fuit ingenuarum artium amica, earumque nobile ministerium, praecipue ut res ad sacrum cultum pertinentes vere essent dignae, decorae ac pulchrae, rerum supernarum signa et symbola, continenter quaesivit, artificesque instruxit. Immo earum veluti arbitram Ecclesia iure semper se habuit, diiudicans inter artificum opera quae fidei, pietati legibusque religiose traditis congruerent, atque ad usum sacrum idonea haberentur.

Peculiari sedulitate Ecclesia curavit ut sacra supellex digne et pulchre cultus decori inserviret, eas mutationes sive in materia, sive in forma, sive in ornatu admittens, quas artis technicae progressus per temporis decursum invexit.

Placuit proinde Patribus hisce de rebus ea quae sequuntur decernere.

123. Ecclesia nullum artis stilum veluti proprium habuit, sed secundum gentium indoles ac condiciones atque variorum Rituum necessitates modos cuiusvis aetatis admisit, efficiens per decursum saeculorum artis thesaurum omni cura servandum. Nostrorum etiam temporum atque omnium gentium et regionum ars liberum in Ecclesia exercitium habeat, dummodo sacris aedibus sacrisque ritibus debita reverentia debitoque honore inserviat; ita ut eadem ad mirabilem illum gloriae concentum, quem summi viri per praeterita saecula catholicae fidei cecinere, suam queat adiungere vocem. [25]

124. Curent Ordinarii ut artem vere sacram promoventes eique faventes, potius nobilem intendant pulchritudinem quam meram sumptuositatem. Quod etiam intellegatur de sacris vestibus et ornamentis.

Curent Episcopi ut artificum opera, quae fidei et moribus, ac christianae pietati repugnent, offendantque sensum vere religiosum vel ob formarum depravationem, vel ob artis insufficientiam, mediocritatem ac simulationem, ab aedibus Dei aliisque locis sacris sedulo arceantur. [26]

In aedificandis vero sacris aedibus, diligenter curetur ut ad liturgicas actiones exsequendas et ad fidelium actuosam participationem obtinendam idoneae sint.

125. Firma maneat praxis, in ecclesiis sacras imagines fidelium venerationi proponendi; attamen moderato numero et congruo ordine exponantur, ne populo christiano admirationem inficiant, neve indulgeant devotioni minus rectae.

126. In diiudicandis artis operibus Ordinarii locorum audiant Commissionem dioecesanam de Arte sacra, et, si casus ferat, alios viros valde peritos, necnon Commissiones de quibus in articulis 44, 45, 46.

Sedulo advigilent Ordinarii ne sacra supellex vel opera pretiosa, utpote ornamenta domus Dei, alienentur vel disperdantur.

127. Episcopi vel per se ipsos vel per sacerdotes idoneos qui peritia et artis amore praediti sunt, artificum curam habeant, ut eos spiritu Artis sacrae et sacrae Liturgiae imbuant.

Insuper commendatur ut scholae vel Academiae de Arte Sacra ad artifices formandos instituantur in illis regionibus in quibus id visum fuerit.

Artifices autem omnes, qui ingenio suo ducti, gloriae Dei in Ecclesia sancta servire intendunt, semper meminerint agi de sacra quadam Dei Creatoris imitatione et de operibus cultui catholico, fidelium aedificationi necnon pietati eorumque instructioni religiosae destinatis.

[26] 128. Canones et statuta ecclesiastica, quae rerum externarum ad sacrum cultum pertinentium apparatum spectant, praesertim quoad aedium sacrarum dignam et aptam constructionem, altarium formam et aedificationem, tabernaculi eucharistici nobilitatem, dispositionem et securitatem, baptisterii convenientiam et honorem, necnon congruentem sacrarum imaginum, decorationis et ornatus rationem, una cum libris liturgicis ad normam art. 25 quam primum recognoscantur: quae liturgiae instauratae minus congruere videntur, emendentur aut aboleantur; quae vero ipsi favent, retineantur vel introducantur.

Qua in re, praesertim quoad materiam et formam sacrae supellectilis et indumentorum, territorialibus Episcoporum Coetibus facultas tribuitur res aptandi necessitatibus et moribus locorum, ad normam art. 22 huius Constitutionis.

129. Clerici, dum philosophicis et theologicis studiis incumbunt, etiam de Artis sacrae historia eiusque evolutione instituantur, necnon de sanis principiis quibus opera Artis sacrae inniti debent, ita ut Eccle-
[27] siae venerabilia monumenta aestiment atque servent, et artificibus in operibus efficiendis congrua consilia queant praebere.

130. Convenit ut usus pontificalium reservetur illis ecclesiasticis personis, quae aut charactere episcopali, aut peculiari aliqua iurisdictione gaudent.

[28]

APPENDIX

Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani secundi de calendario recognoscendo declaratio

Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Vaticanum secundum, haud parvi momenti aestimans multorum desideria de festo Paschatis certae dominicae assignando et de calendario stabiliendo, omnibus sedulo perpensis, quae ex inductione novi calendarii manare possint, haec quae sequuntur declarat:

1. Sacrosanctum Concilium non obnititur quin festum Paschatis certae dominicae in Calendario Gregoriano assignetur, assentientibus iis quorum intersit, praesertim fratribus ab Apostolicae Sedis communione seiunctis.

2. Item Sacrosanctum Concilium declarat se non obsistere inceptis quae conferant ad calendarium perpetuum in societatem civilem inducendum.

Variorum autem systematum, quae ad calendarium perpetuum stabiliendum et in societatem civilem inducendum excogitantur, iis tantum Ecclesia non obsistit, quae hebdomadam septem dierum cum dominica servant et tutantur, nullis diebus extra hebdomadam interiectis, ita ut hebdomadarum successio intacta, nisi accedant gravissimae rationes de quibus Apostolica Sedes iudicium ferat, relinquatur. [28]

3 – RELATIO [7]

I

EXC.MI D.NI FRANCISCI ZAUNER, EPISCOPI LINCIENSIS, COMMISSIONIS CONCILIARIS DE SACRA LITURGIA SODALIS, CIRCA MODOS CAPUT V SCHEMATIS DE SACRA LITURGIA RESPICIENTES.

Venerabiles Patres,

In suffragatione ad universum caput V schematis de sacra Liturgia die 29 octobris 1963, hoc modo mentem Vestram pandistis:

Praesentes votantes	2.194
Placet	2.154
Non placet	21
Placet iuxta modum	17
Vota nulla	2

Patres qui suffragium suum *iuxta modum* dederunt, fuerunt tantum 17, attamen cum nonnulli ex eis plures modos proposuerint, modi de facto perpendendi fuerunt 28, quos iuxta ordinem articulorum huius Capitis in sequenti Relatione, una cum Commissionis responsione, singillatim exponimus.

AD ARTICULUM 102

(PROOEMIUM)

1 — « Mihi displicet suppressio verborum *prima hebdomadae die qua...,* quia non intellego causam ab Exc.mo Relatore adductam: " Ne quaestiones excitentur de initio et fine hebdomadae ". *Curnam? Si dominica est dies sequens sabbatum* (cf. *Mt.* 28, 1: *Vespere autem sabbati quae lucescit in prima sabbati*) *videtur cer-*

[7] *tum quod dominica, quae venit post septimum diem in qua Creator Dominus requiei se dedit, est prima hebdomadae dies. Recte vere christiani voluerunt diem post sabbatum Domino dedicare, et quia in die illa Iesus a mortuis surrexit et quia dies illa prima erat hebdomadae dies* » (*1 Pater*).[1]

R. — In Relatione, pag. 10, iam illustrata est ratio huius suppressionis. Multum disputatum est in Ecclesia antiqua utrum dominica sit prima an ultima hebdomadae dies, et conveniens non videtur ut Concilium rem definiat.....[2].

[8]

AD ARTICULUM 103 *

(PROOEMIUM)

2 — Supprimantur verba « quae indissolubili nexu cum Filii sui opere salutari coniungitur » (*1 Pater*).

R. — At ratio non affertur. Ceterum agitur de emendatione iam suffragata.

3 — Pag. 19, linea 14, loco « cum Filii sui opere salutari coniungitur », dicatur: « cum Filio suo eiusque opere salutari coniugitur ». *Ratio*: « vinculum ontologicum, quod aliud praesupponit, clare ponendum est » (*1 Pater*).

R. — Totus sermo, in art. 102-103, versatur circa opus salutare, quod anni decursu Ecclesia sacra recordatione celebrat.

4 — Pag. 19, linea 16, videtur sensu analogico dictum « id quod ipsa tota esse cupit et sperat »; ideoque supprimendum (*1 Pater*).

R. — At resurrectio corporum, quam speramus et cupimus, num sensu analogico dicenda est?

AD ARTICULUM 104

(PROOEMIUM)

5 — Addatur mentio de Apostolis (*1 Pater*).

R. — Apostoli ut Martyres initio memorati sunt, quod clare apparet e Cathalogo romano anni 336, a Chronographo conservato.

[1] *In oratione*: deest.
[2] *In oratione*: Ad pag. 9, modus 13.
* Relator hunc textum usque ad n. 13 p. [9] exclusive, non legit.

AD ARTICULUM 105 [8]

(PROOEMIUM)

6 — Pag. 19, linea 26, supprimantur verba « per pias animi et corporis exercitationes » (*1 Pater*).

7 — Tollatur verbum « exercitationes » quod suggerit aliquid gymnicae artis, et dicatur: « per pios animi et corporis actus » (*2 Patres*).

R. — Verbum *exercitatio* legitur in liturgia Vigiliae paschalis, et iam dicebatur a S. Augustino.

8 — Pag. 19, linea 27, loco « poenitentiae et misericordiae opera » dicatur: « ieiunii, orationis et eleemosynae opera » (*1 Pater*). [9]

R. — Melior videtur textus schematis.

9 — « Instructio, precatio, poenitentiae et misericordiae opera » primum locum habere oportet ante « pias animi et corporis exercitationes » (*1 Pater*).

R. — At « pias animi et corporis exercitationes » dicit primum in genere id quod sequentia verba specificant.

AD ARTICULUM 106

10 — Pag. 20, linea 3, loco « convenire debent », dicatur: « conveniant » (*1 Pater*).

R. — Nulla videtur differentia vera inter duas formulas.

11 — Pag. 20, linea 4, loco « et Eucharistiam participantes », dicatur: « et Eucharistiae mysterium participantes », ne intellegatur solummodo de Eucharistiae sacramento, et non de Missae participatione (*1 Pater*).

12 — Loco « et Eucharistiam participantes », dicatur: « et Sacrificium eucharisticum participantes » (*1 Pater*).

13 — Verba « et Eucharistiam participantes » possunt intendi de Communione eucharistica, de qua non est praeceptum (*1 Pater*).

[9] R. — Participatio ad Eucharistiam diversos gradus complectitur, quorum perfectior est participatio per Communionem, et clare patet ex contextu articuli hic participationem non pressius specificari.

14 — Dies dominica est dies laetitiae, sed praecipue est dies Dei adorationi dicata. Vacatio ab opere huic adorationi pertinet, nec est res secundaria, uti e textu apparet (*1 Pater*).

R. — At sive ex historia sive ex unanimi consensu theologorum, praesertim S. Thomae (*Summa Theol.* II-II, q. 122 a. 4 ad 4) constat legem vacationis ab opere, die dominica observandam, esse quidem magni momenti, sed secundariam relate ad potiorem finem.

*15 — Pag. 20, lineis 9-11, omittantur verba « aliae celebrationes... » usque ad finem (*1 Pater*).

R. — At ratio non affertur.

[10] 16 — Circa alias celebrationes, quae nisi sint maximi momenti diei dominicae ne praeponantur, pro aliquibus festis causa dicitur (*1 Pater*).

R. — Cum tamen istud non pertineat ad altiora principia, remittatur ad Commissionem postconciliarem.

AD ARTICULUM 107

(De anno liturgico in genere)

17 — Pag. 20, linea 16, verbum « accommodationes » non placet, et eius loco proponitur: « translationes festorum » (*1 Pater*).

R. — At *accommodatio* latior est; et textus iam suffragatus est per emendationem acceptam.

18 — Pag. 20, lineis 16-17, addatur: « secundum locorum *aut Ordinum et Congregationum religiosarum conditiones* » (*1 Pater*).

R. — At non convenit, quia hic agitur tantum de ea aptatione quae ad normam art. 39 et 40, praesertim in terris Missionum permittitur. Immo annus liturgicus non tantum a fidelibus, sed etiam a Religiosis sedulo observari solet et debet.

---

* Relator hunc textum n. 15 non legit.

AD ARTICULUM 109 * [10]

(DE TEMPORE QUADRAGESIMALI)

19 — « Corrigatur dictio art. 109, quae videtur inintelligibilis » (*1 Pater*).

R. — At Pater nullam indicationem affert.

20 — « Poenitentiae natura non solum peccatum detestatur, sed etiam per mortificationem, Christi Passioni unitam, violatam iustitiam reparat » (*1 Pater*).

R. — At hic non fit tractatus ex professo de Poenitentia, sed definitur tantum indoles Quadragesimae.

AD ARTICULUM 110

(DE PRAXI POENITENTIALI QUADRAGESIMAE)

21 — « Ieiunium, quod non multos ante annos totam Quadragesimam, Quatuor Tempora, et plures Vigilias respiciebat, nunc ad solam feriam VI in Passione Domini reducitur. Propono ut etiam ad diem Cinerum et ad omnes ferias VI Quadragesimae extendatur » [11]
(*1 Pater*).

R. — Schema de Liturgia loquitur de solo ieiunio paschali, quia est magni momenti liturgici, non vero de aliis, quae ad nos non pertinent, sed ad disciplinam.

AD ARTICULUM 111

(DE FESTIS SANCTORUM)

22 — Pag. 21, linea 6, verbum « authenticae » ambiguum videtur (*1 Pater*).

R. — At omnibus notum est quasdam fuisse et adhuc esse reliquias, quae, proh dolor, authenticae non sunt, de quo vide Codicem Iuris Canonici, can. 1283-1284.

---

* Relator hunc textum ad art. 109 non legit.

[11] AD APPENDICEM SCHEMATIS

(DECLARATIO DE CALENDARIO RECOGNOSCENDO)

23 — Non placet additionem ponere quae « Appendix de calendario recognoscendo » intituletur (*1 Pater*).

R. — Sed id expresse suffragatum est, scilicet ut Appendix conficiatur.

24 — Non placent ambo articuli; idem autem Pater queritur quod nulla suffragatione speciali de hac re mens Concilii interrogata fuerit (*1 Pater*).

R. — Suffragatio facta est iuxta Ordinem Concilii celebrandi.

25 — Non placet art. 1 de Paschate certae dominicae assignando, ex quo « consequeretur monotonia » (*1 Pater*).

R. — At suffragatus est...[3]

26 — Emendatio finalis additionem finalem nunc continet, quae tamen suffragationi haud subiecta fuit. Etsi de re concors, Pater queritur de modo procedendi (*1 Pater*).

R. — Commissio censuit hanc emendationem nullam rei mutationem inducere, sed tantum rem fusius et clarius exprimere.

27 — « Saltem *nunc* a Concilio instituenda est Commissio peculiaris de Calendario recognoscendo, et *res non est remittenda* ad quandam Commissionem postconciliarem » (*1 Pater*).

[12] 28 — « Urgens nunc efficitur ut festum Paschatis certae dominicae assignetur... Ergo non sufficit quod Concilium fateatur se non obniti quin... Oportet ut Concilium decernat hanc inquisitionem faciendam esse et exitum huius quaestionis cito citius quaerendum » (*1 Pater*).

R. — Agitur quidem de materia connexa cum Anno liturgico, de qua tamen Concilium nullam decisionem profert, ac reducitur ad mani-

[3] *In oratione*: Etiam dicendum: Ecclesia non intendit, sed permittit, propter alias rationes boni communis et maioris momenti, talem fixationem.

festandam mentem Ecclesiae Catholicae non obstandi fixationi calendarii perpetui, quia ad Ecclesiam non pertinet, sed ad societatem civilem; Ecclesia enunciat tantum condiciones sine quibus Ipsa novo calendario nequit favere. Etiam pro fixatione Paschae, Ecclesia Romana caute debet agere ne fratres separati offendantur, quorum pariter interest celebratio Paschae; ideoque Ecclesia Catholica tantum manifestat ex sua parte nihil obstare quominus fiat. [12]

Venerabiles Patres,

Modis a nonnullis ex Vobis circa hoc Caput propositis, Commissio de sacra Liturgia respondere conata est, difficultates et dubia clariore quo potuit modo solvendo. Confidit ergo has responsiones Vobis esse placituras.

II

Exc.mi D.ni Caesarii D'Amato, O. S. B., Abbatis Ordinarii S. Pauli extra moenia, Commissionis Conciliaris de sacra Liturgia Sodalis, circa Modos caput VI schematis de sacra Liturgia respicientes. [13]

Venerabiles Patres,

Suffragatio generalis in Aula Conciliari circa caput VI schematis constitutionis de sacra Liturgia, die 30 octobris 1963 peracta, hunc exitum habuit:

Praesentes votantes	2.096
Placet	2.080
Non placet	6
Placet iuxta modum	9
Vota nulla	1

En ergo Modi a Patribus propositi una cum responsione a Commissione de sacra Liturgia ipsis tributa.

AD ARTICULUM 119

(De Musica sacra in Missionibus)

1 — Pag. 23, linea 26, post verba « traditionalem earum gentium musicam », addatur: « sensu religioso imbutam, approbante loci Ordinario » (*1 Pater*).

[13] 2 — Pag. 23, linea 27, omittantur verba « quam in actionibus sacris ». Ratio: « Videtur introductio saltationum quae saltem indecorae sunt et possunt degenerare in aliquam voluptatem » (*2 Patres*).

3 — Non placet articulus, quia plerumque et in multis locis musica indigena parum convenit cum sacra Liturgia, testante quoque populo indigena (*1 Pater*).

4 — « Textus prior erat, humili meo iudicio, prudentior » (*1 Pater*).

R. — Norma quae legitur in hoc art. 119 nihil aliud est quam practica applicatio eorum quae approbata sunt in cap. I, art. 37-40, de Liturgiae aptatione ingenio et traditioni populorum. Item praecautiones quae a Patribus postulantur, in iisdem articulis capitis I fusius et sufficienter continentur.

[14] AD ARTICULUM 120

5 — Pag. 23, linea 28, loco « Organum tubulatum in Ecclesia latina *magno in honore* habeatur », dicatur: « Organum tubulatum in Ecclesia latina *magna in aestimatione* habeatur » (*1 Pater*).

R. — Quod idem dicit ac textus schematis.

6 — « Quaestio de organo tubulato et de ceteris instrumentis non videtur argumentum pro Concilio Oecumenico. Nimis arcta et particularis habetur. Propono ergo ut articulus omittatur » (*1 Pater*).

7 — Pag. 23, lineis 32-35, omittatur tota paragraphus « Alia vero instrumenta... ». Aliter mox erimus in statu quo ante reformationem S. Pii X (*1 Pater*).

R. — Omissio non videtur opportuna. Ceterum articulus concordat cum doctrina Litt. Encycl. *Musicae sacrae disciplina* Pii Papa XII.

AD ARTICULUM 121

(DE MUSICAE ARTIFICIBUS)

8 — Supprimatur articulus. Insuper verba « esse vocatos » aut nimis aut parum dicunt in textu conciliari. Valde autem placent verba quibus concluditur articulus: « Textus cantui sacro destinati... » (*1 Pater*).

R. — Articulus ideo compositus est ut sortes Musicae sacrae eleventur, quod nostro tempore valde necessarium est. Insuper textus articuli suffragatione explicita approbatus est; et ideo deleri nequit. [14]

Venerabiles Patres,

Difficultatibus omnibus diligenter collectis et perpensis, Commissio de sacra Liturgia, singulis responsionem ac solutionem opportunam proponere curavit. Liceat ergo humanissimam Vestram approbationem, etiam in hac parte, sperare...[1]

III

Exc.mi D.ni Caroli Rossi, Episcopi Bugellensis, Commissionis de sacra Liturgia Sodalis, circa Modos caput VII schematis de sacra Liturgia respicientes.

Venerabiles Patres, [15]

Exitus suffragationis generalis circa caput VII schematis constitutionis de sacra Liturgia, die 31 octobris 1963 peractae, fuit sequens:

Praesentes votantes	1.941
Placet	1.838
Non placet	9
Placet iuxta modum	94

Ex 94 autem Patribus qui Modos proposuerunt, 93 animadversiones suas protulerunt unice circa art. 130, de usu pontificalium, et de his ergo Modis prius agendum videtur.

AD ARTICULUM 130

(De usu pontificalium)

1 — Pag. 27, linea 4, post verba « charactere episcopali », haec addantur: « aut Benedictione Abbatiali » (*90 Patres*).

R. — Ex textu patet ius pontificalium competere Abbatibus de regimine. Mens autem Commissionis est ut ius legitime acquisitum non auferatur Abbati, qui muneri suo renuntiat.

---

[1] *In oratione*: in hodierna solemnitate S. Caeciliae.

[15] 2 — Usus pontificalium reservetur tantum Episcopis. Ratio: « ne oriatur confusio in mente fidelium » (*1 Pater*).

R. — Modus non videtur accipiendus. Convenit enim ut Abbates et ii qui peculiari iurisdictione gaudent, quodam dignitatis signo uti possint in caeremoniis exsequendis.

3 — « Non videtur congruens ut illi qui non receperunt pontificalia in aliqua caeremonia (sacro vel benedictione) utantur illis in caeremoniis solemnibus (*1 Pater*).

R. — Hic modus, uti apparet, est pro suppressione verborum « aut
[16] peculiari aliqua iurisdictione gaudent ». Modus tamen non videtur accipiendus ob rationem supra allatam.

4 — Supprimantur verba « Convenit ut », et simpliciter dicatur: « Usus pontificalium reservetur illis personis... ». Ratio: ne in vacuum cadat optatum Concilii (*1 Pater*).

R. — Modus videtur non esse accipiendus; cum in hoc casu mens Concilii sit potius votum exprimere quam legem statuere.

II

5 — Praeterea *unus Pater* voto suo proponit 30 Modos: quorum fere omnes minoris momenti videntur.* Agitur enim de minimis emendationibus, quae postulari dicuntur ob elegantiam sermonis.

R. — His animadversionibus respondendum videtur textum iam opportune revisum esse a competenti Commissione « pro latino sermone perpoliendo ».

6 — Pag. 25, linea 13, verba « legibus religiose traditis » contradicere videntur art. 123 (de artis libertate).

R. — Verum est Ecclesiam artibus latam pandere viam, servatis tamen legibus religiose traditis, quibus artis opera subici debent.

7 — Pag. 25, linea 24, loco « omni cura servandum », dicatur: « admiratione dignum », sed nihil de conservatione, ne offendantur qui volunt pulchrum semper cedere utilitati

---

* Relator reliqua usque ad conclusionem non legit.

R. — Quidquid est de novis operibus, absque dubio thesaurus, per decursum saeculorum efformatus, est omni cura servandus. [16]

8 — In art. 123 exprimatur finis artis in Ecclesia, quae non muros et ritus respicit, sed fideles.

R. — Iam satis provisum est in art. 122, ubi dicitur propositum artis sacrae esse « ut operibus suis mentes hominum pie in Deum convertat ».

9 — In art. 124, paragraphi secunda et tertia uniantur hoc modo: « Curent Episcopi ut artificum opera, quae ob formarum depravationem vel ob artis insufficientiam, mediocritatem vel simulationem sive fidei et moribus ac christianae pietati repugnant, sive sensum religiosum offendunt, a sacris locis sedulo arceantur; in aedificandis vero sacris aedibus diligenter curent ut ad liturgicas... ».

R. — E contra, logica est distinctio duarum partium; altera enim de iis agit quae vitanda sunt et arcenda; altera vero exponit criterium positivum, iuxta quod aedificationi sacrarum aedium providendum est. [17]

10 — Pag. 26, linea 14, supprimatur verbum « peritia »; sufficit enim sacerdotes illos esse « idoneos ».

R. — Certe necesse non est ut sacerdotes, qui artificum curam habent, artifices et ipsi sint; attamen non parvi momenti est ut sint etiam *periti,* ut nempe noverint historiam et principia artium.

Venerabiles Patres,

Eadem cura ac pro ceteris Capitibus, Commissio de sacra Liturgia desideria Vestra colligere sategit, etiam pro capite VII schematis, eo tendens ut suffragium Vestrum ipsius laborem simul ac universum schema benigne confirmet...[1]

Moderator: Gratias, exc.me Pater. Nunc exc.mus D. secretarius generalis velit legere quaesitum generale, quod proponitur pro suffragatione expensionis modorum trium capitum, V nempe, VI et VII simul.

---

[1] *In oratione*: Et sic, iuxta votum em.mi D. card. Lercaro, tandem ad optatissimum portum perveniamus, hodie in festo S. Ceciliae, sexagesimo recurrente anno Motus Proprii *Tra le sollecitudini,* quo S. Papa Pius X, auctoritate sua suprema, liturgiae pastorali in nostra aetate feliciter aperuit viam.

Secretarius generalis: Quaeritur itaque: An placeat expensio facta a commissione de sacra Liturgia circa modos capita V, VI et VII respicientes. Suffragatio est per *placet, non placet*.

Venerabiles Patres, cum exspectandus sit exitus suffragationum, suffragatio super integro schemate fiet hora undecima cum uno quadrante.

Moderator: Nunc loquentur Patres qui petierunt loqui de Oecumenismo in genere, iuxta art. 57 *Ordinis*, par. 6.

PATRUM ORATIONES

(*De Oecumenismo, in genere*)

1

EXC.MUS P. D. FORTUNATUS DA VEIGA COUTINHO

Episcopus tit. Sagalassensis, coad. c.i.s. Belgaumensis

Venerabiles Patres,

Parcite mihi si iure in art. 57 § 6 concesso utar. Sed patientia vestra certe non abutar.

Finis oecumenismi est reducere ad unitatem omnes qui se christianos esse profitentur ita ut magis completa et proinde genuina sit incarnatio Christi in mundo et ut omnia elementa depositi fidei apta in luce ponantur.

Sed notandum est in oecumenismo non agi tantum de *doctrina*,[1] sed praesertim de personis et communitatibus. Iudaei vero non ad religionem christianam pertinent. Ergo eorum mentio *primo fronte*[2] facienda non esset in schemate nostro.

Attamen oecumenismus sensu latiore concipere fas est tamquam relatio Ecclesiae ad omnes alias religiones in mundo exsistentes. Si Iudaei in nostro schemate includuntur, mihi videtur, necesse est eodem tempore *et in eodem documento*[3] statuere quae sit relatio Revelationis christianae ad alias religiones in theologica consideratione, et quae sit habitudo practica tolerantiae et cooperationis activae. Responsum ad hanc quaestionem *maximi momenti*[4] in regionibus missionum exspectatur. Necesse est textum *aliquod redigere*[5] ubi agatur simul de religionibus antiquissimae culturae, sicut Hinduismus in cuius libris sacris veritates pretiosissimae continentur quas Ecclesiae ut Mater et Magistra incumbit *praeservare et*[6] apta in luce ponere.

In hoc textu redigendo, statui deberent haec tria: 1) unicam esse oeconomiam salutis pro toto genere humano; 2) omnes religiones generis humani includi in hac unica oeconomia salutis; 3) has religiones, *praesertim perantiquissimae culturae,*[7] tamquam praeparationem esse evangelicam ad perfectam Dei revelationem in Christo.

Rationes cur talis textus *universalior* proponendus sit sunt tres:

a) Eodem modo ac de Iudaeis, in nostro schemate agitur de omnibus religionibus, praesertim antiquissimis *et divitissimis*;[8] religioso modo tractari potest.

b) *Secunda ratio*[9]: sunt rationes tractandi de omnibus. Si cavendum est ne loquamur de « Iudaica perfidia », in praedicatione, in *precibus*[10] et in catechesi, vitanda sunt ...[11] omnino verba ut « tenebrae ignorantiae », « paganismus », « idolatria », et alia similia quae nostris diebus magnam offensionem afferunt iis qui alias religiones bona fide colunt.

c) *Tertia ratio*[12]: verum est scelera gravissima contra Iudaeos his ultimis annis fuisse patrata. Sed haec non est sufficiens ratio cur Concilium de Iudaeis *speciali* textu agat. Nonne melius esset, etiam pro Iudaeis, si de eis non separatim tractetur, tamquam essent problema sui generis, sed in contextu universaliore habitudinis ad alias religiones? Dico talem solutionem etiam pro Iudaeis esse meliorem, quia cap. IV *schematis nostri,*[13] prout scriptum est, quaecumque sint nostrae praecautiones, ad fines politicos adhibitum iri, quod sane nulli prodesse potest.

Unde *concludo*. Necesse est *omnino*[14] ut una simul cum Iudaeis, etsi non necessario in eodem capite, declaratio aliqua fiat de magnis religionibus Asiae et Africae ubi maior quam dimidia pars generis humani vivit.

Opportunum fortasse esset, appropinquante fine huius alterius sessionis Concilii, voto plurium Patrum obsecundando, Secretariatum pro religionibus non christianis instituere qui hunc textum novum redigeret cum collaboratione Secretariatus ad Unitatem christianam fovendam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] doctrinis. [2] stricte loquendo. [3] deest. [4] maxime. [5] aliquem inserere schemati nostro. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] supplicationibus. [11] aequo iure. [12] deest. [13] hoc. [14] deest.

2

EXC.MUS P. D. IOSEPH PONT Y GOL
Episcopus Segobricensis-Castellionensis

Venerabiles Patres, Observatores dignissimi,

Concilium nostrum signa temporum attendens, motus Sancti Spiritus premens atque vestigia Papae Ioannis dulcissimae memoriae prosequens, viam sternere intendit ad auspicatissimam unionem totius familiae christianae. Proinde schema *de Oecumenismo* ut basis disceptationis valde placet.

Aliquas tamen animadversiones notare censuimus, definitivae schematis redactioni cooperans, nempe de titulo schematis, de ipsius desiderata introductione, de capitibus quibus constat, de subiecto ad quod dirigitur, de consociando diversarum commissionum opere. Brevitatis vero causa, ex his duo tantum legam, cetera praetermittam.

1. *De capitibus quibus schema constat.* Ex quinque capitibus schematis, quartum habetur, nempe « De catholicorum habitudine ad non christianos et maxime ad Iudaeos ». Etiam haec praetermitto et tantum addo:

De facto, cum hucusque nulla Concilii commissio vel nullus secretariatus ageret de non christianis, illa quae offerebantur circa non catholicos omnes curare debebat secretariatus pro unione christianorum. Nunc autem, post constitutum secretariatum specialem quo quaestionibus non christianos spectantibus, etiam ad ipsum videtur remittendum cap. IV nostri schematis et tota quaestio de non christianis.

Cap. V « De libertate religiosa » ultimus locus in schemate assignatur, quod nobis perperam fieri videtur, cum solutio quaestionis de libertate religiosa sit inter conditiones dialogi oecumenici adnumeranda. Sed quoad disceptationem de hoc capite proximis diebus est inter Patres dissensio. Quaedam quidem pars exposcit ut de ipso tractetur quam primum; quibusdam non paucis vero videtur disputatio proxima vitanda esse, eo quod tantum tribus abhinc diebus redactionem definitivam prae manibus habeamus, nec suppetat tempus ut parentur studia tantae et ita difficili quaestioni condigna.

Patet quaestionem hanc nullo modo esse praetermittendam, eo quod in mundo hodierno libertatem, propter maiorem et extensiorem gradum culturae et responsabilitatis personalis, videmus fieri in dies individuis et populis bonum pretiosius ac veluti fundamentum vitae communis hominis dignae. Ecclesia, proinde, non potest de hac re tacere. Sed pro

bono pacis, ne post Concilium murmurationes et questus oriri possint contra modum quo de doctrina huius capitis disceptatum fuerit, censeo optandum forsitan esse ut detur sufficiens tempus ad studium quaestionis iis quibus videtur necessarium esse ut ita omnia, bona omnium pace, rite procedant.

2. *De subiecto ad quod schema dirigitur.* Absque dubio et ex toto contextu apparet schema catholicos tantum respicere, quamvis aliquae locutiones, quae corrigendae essent, ambigui sensus se praebeant, v. g. « omnes christifideles » (pag. 16), locutio quae, sensu obvio, etiam seiunctos fratres includeret et tamen de facto non includit. Attamen liceat mihi innuere convenientiam alloquendi quandoque in nostro schemate omnibus christianis, etiam non catholicis, in iis praesertim quae possibilem actuositatem omnibus communem respiciunt, uti v. g. orationem, mutuam cognitionem, conversionem cordis, aptationem vitae ad Evangelii exigentias, etc. Principem forsitan locum obtinere posset, humilis, mutua et sincera oblatio simul ac petitio veniae propter culpas in separatione christianorum commissas, prout Summus Pontifex Paulus VI, trementi verbo et indefessa caritate expressit in ipsius oratione initiali huius sessionis Concilii. Si enim omnes in multis peccavimus, omnes mutua venia indigemus. Dixi.

Textus scripto traditus:

Nostrum Concilium, cuius finis est Ecclesiam iuvenili ac pristino vigore donare, non poterat non attendere quaestionibus unionem christianorum spectantibus, eo quod efficacia actuositatis ipsius in mundo hodierno maximam partem pendet ex unitate christianorum. Tandem omnes Ecclesiae episcopi, signa temporum et moderationem Spiritus Sancti attendentes ac vestigia dulcissimae memoriae Papae Ioannis prosequentes, incumbunt studio principiorum et normarum quibus intra motum oecumenicum ducemur ad mutuam cognitionem, maiorem in dies propinquitatem et, cum Dominus gratiam contulerit, ad plenam « unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*Eph.* 4, 13).

Schema quidem iudicatur indicare viam ad hoc tantum bonum Ecclesiae consequendum, ac proinde, ut basis disceptationis, valde placet. Cum vero tentamen primae syntheseos doctrinae catholicae de Oecumenismo non pervenerit uno tractu ad perfectionem, ea quae sequuntur notare volui, definitivae schematis redactioni cooperans.

1. *Decretum an constitutio.* Titulos schematum conciliarium prae oculis habens, animadverto tres esse denominationes: constitutionem dogmaticam, constitutionem simpliciter et decretum. Quaenam est differentia? Prout videre potui, constitutiones dogmaticae sunt omnes a commissione theologica confectae. Schemata autem nomine decreti insignita, potius continent practicas actuositatis normas:

talium exempla sunto, schema decreti *de Ecclesiis orientalibus* et schema decreti *de apostolatu laicorum*. Sunt denique schemata quae principia doctrinalia proponunt et practicas normas statuunt, e. g., schema *de sacra Liturgia* (cf. n. 3 ipsius). Schema nostrum utrumque etiam continet (cf. *Relatio super schema decreti de Oecumenismo*, p. 5, linn. 2-3): totum cap. I est expositio doctrinalis, nec deest doctrina in aliis capitibus. Caput alterum potius intendit praxim. Unde, sicut documentum conciliare *de sacra Liturgia* vocatur constitutio, etiam praesens videtur constitutio, potius quam decretum, appellandum.

2. *De divisione capitum.* Ex quinque capitibus quibus hodie constat schema, unum videtur demendum, quartum nempe: De catholicorum habitudine ad non christianos et maxime ad iudaeos. Prima ratio: Cum oecumenismus definiatur « motus et ordinata actio ad unitatem christianorum fovendam » (pag. 10, linn. 32-34) exulant a nostro schemate ii omnes qui christiani non sunt eo quod praesentiam oeconomiae salutis definitivam in glorificatione Christi resurgentis non agnoscunt, nec de Spiritu, qui Christum resuscitavit, per validum baptismum participant. Altera ratio: De facto, cum hucusque, nulla Concilii commissio vel secretariatus ageret de non christianis, illa quae offerebantur circa non catholicos omnes, curare debebat secretariatus unioni christianorum fovendae. Nunc autem, post constitutum secretariatum specialem pro quaestionibus non-christianos spectantibus, etiam ad ipsum videtur remittendum cap. IV nostri schematis.

Cap. V « de libertate religiosa » ultimus locus in schemate assignatur quod nobis perperam fieri videtur, cum solutio quaestionis de libertate religiosa sit inter conditiones dialogi oecumenicae adnumeranda. Sed quoad disceptationem de hoc capite proximis diebus est inter nos, Patres, dissensio. Quaedam quidem pars exposcit ut de ipso tractetur quam primum; quibusdam vero videtur disputatio proxima vitanda esse eo quod tantum duobus abhinc diebus redactionem definitivam prae manibus habeamus, nec suppetat tempus ut parentur studia tantae quaestioni condigna. Ipse quidem quaestionem hanc tractandam esse opinor eo quod in mundo hodierno libertas, propter maiorem et extensiorem gradum culturae et responsabilitatis personalis, fiat in dies individuis et populis bonum pretiosius ac veluti fundamentum vitae communis hominis dignae. Ecclesia, proinde, non potest de hac re tacere. Sed pro bono pacis, ne post Concilium murmurationes et questus oriri possint contra modum quo de doctrina huius capitis disceptatum fuerit, censeo optandum esse ut detur sufficiens tempus ad studium quaestionis iis quibus videtur necessarium esse ut ita omnia, bona omnium pace, procedant. Remittatur, itaque, si vobis placet, disceptatio de libertate religiosa ad initium sessionis proximae.

3. *De introductione.* Praeceptum Horatii sequens, schema nostrum prorumpit « in medias res ». Desideratur aliqua, etsi parvae longitudinis, introductio in qua, meo sensu, indicaretur nexus doctrinae nostrae cum doctrina exposita in constitutione dogmatica de Ecclesia ac simul statueretur locus finalitatis unionisticae intra fines Concilii. Postremum censeo magni momenti esse, quatenus praeberet occasionem statuendi modo definitivo quo sensu Vaticanum II tendat ad unionem. Non enim oblivioni dandum est communissimam fuisse, tam inter catholicos quam inter alios fratres a nobis disiunctos, opinionem de Vaticano II ut Concilio unionis. Indicandus quoque esset finis intentus praesenti documento; propter defectum huius indicationis difficilius iudicatur de valore schematis cum nobis non constet qualis praecise fuerit mens secretariatus in elaboratione ipsius. Nec desit iustifi-

catio pastoralis qua asseratur unitatem christianorum necessariam esse ad missionem Ecclesiae in mundo hodierno adimplendam, secundum connexionem iam in Evangelio statutam: « Unum sint, ut mundus credat » (*Io.* 17, 21).

4. *De subiecto ad quod schema dirigitur.* Absque dubio et ex toto contextu apparet schema catholicos tantum respicere, quamvis aliquae locutiones, quae corrigendae essent, ambigui sensus se praebeant, v. g., « omnes christifideles » (pag. 16, lin. 5), locutio quae, sensu obvio, etiam seiunctos fratres includeret et tamen non includit. Attamen liceat mihi patribus innuere convenientiam alloquendi in nostro schemate omnibus christianis, etiam non catholicis, in iis praesertim quae possibilem actuositatem omnibus communem respiciunt, uti, v. g., orationem, mutuam cognitionem, conversionem cordis, aptationem vitae ad Evangelii exigentias, etc. Principem forsitan locum obtinere posset humilis nostra et sincera oblatio simul ac petitio veniae propter culpas in separatione christianorum commissas, prout Summus Pontifex Paulus VI, trementi verbo et indefessa caritate expressit in ipsius oratione initiali huius sessionis Concilii. Si enim omnes in multis peccavimus, omnes mutua venia indigemus.

5. *De consociando diversarum commissionum opere.* Quaedam inveniuntur in capitibus nostri schematis, e. g., de valore ecclesiologico communitatum a nobis disiunctarum (pag. 8, lin. 37), de possibilitate diversarum traditionum spiritualium et ordinis iuridici intra unitatem Ecclesiae (pag. 20, linn. 27-29), etc., quorum fundamenta doctrinalia in schemate de Ecclesia invenienda essent, quod tamen, proh dolor, de iis, saltem in redactione nobis nota, tacet.

Factum istud denuo ob oculos ponit quaestionem de coordinatione inter diversas Concilii Commissiones. Nam prout nobis, qui ab extra rem conspicimus, videtur, cooperatio inter commissiones diversas contulit ad elaborationem *unius* schematis, quin tamen obtineretur coordinatio inter schemata diversa. Optandum in posterum videtur ut quoties duae vel plures commissiones communem operam consociant, curent etiam de mutua coordinatione propriorum schematum, secundum exigentias unitatis doctrinae unius eiusdemque Concilii.

Moderator: Loquatur nunc exc.mus D. Andreas Makarakiza, et accedat ad microphonium exc.mus D. Ioannes Mazur, ep. aux. Lublinensis in Polonia, per quem resumetur disceptatio de cap. I schematis *de Oecumenismo.*

3

EXC.MUS P. D. ANDREAS MAKARAKIZA
Episcopus Ngoziensis

Venerabiles Patres conciliares, carissimi Observatores, Auditores et Periti,

In hoc oecumenismi schemate, vere laude dignum, saepe quaestio est de membrorum Ecclesiae vitae renovatione ad oecumenismo favendum (pag. 9, 15, 16). Sed nobis humillime videtur Ecclesiae membro-

rum vitae renovationem eorum fidei renovatione, praesertim, in Christo ea inhabitante indigere. Utinam vita christiana secundum Patres Ecclesiae ...[1] concipiatur et ducatur!

Liceat nobis, venerabiles Patres conciliares, duos prospectus exponere, nempe Ecclesiae membrorum fidei renovationem in Christo ea inhabitante cum Patre et Spiritu Sancto, ad oecumenismum *properandum*,[2] et secundo, duplex adiumentum ad hanc fidei renovationem.

1. Fidei renovatio in Christo nos inhabitante ad oecumenismum *properandum*.[3] Oecumenismi successus Ecclesiae membrorum vitae renovationem requirit. Et vitae renovatio fidei renovatione indiget, ut diximus. Pro Patribus Ecclesiae gratia est vita Christi, ipse Christus in nobis. Pro *pluribus scholasticis, qui maximis*[4] fideles non semper fuerunt, gratia est ante omnia qualitas accidentalis, cuius, in logicae aut ontologiae terminis, adhaesionem animae substantiae, incrementum et perditionem tractant.

Et haec veritas sine anima, sine calore, in devotionis et catechismi formulis abstractis transiit. Sed christifidelis, baptizatus, ut ipsius caeremoniae baptismatis patefaciunt, est homo a Christo possessus: « Exorcizo te, immunde spiritus..., ut discedas ab hoc plasmate Dei, quod Dominus noster ad templum sanctum suum vocare dignatus est, ut fiat templum Dei vivi, et Spiritus Sanctus habitet in eo ». Et ipsum Evangelium nos docet Christum cum Patre et *Spiritu Sancto*[5] baptizatum habitare: « Si quis diligit me, etc. ». Item S. Paulus loquitur: « Christus vita vestra... Mihi vivere Christus est... Vivo iam non ego, vivit vero in me Christus ».

Huius[6] fidei renovatio magis sanctificat, caritatem fraternam iuvat, et ita oecumenismo favet.

2. Duplex adiumentum ad fidei renovationem.

a) Exemplum Ioannis XXIII. Notum est vobis omnibus, venerabiles Patres, Ioannem XXIII, veneratae et sanctae memoriae, in ordine oecumenismi, totum orbem terrarum vehementer commovisse. Iam aliqui scriptores secretum Ioannis XXIII animadverterunt. Altas realitates supernaturales baptismi et sacerdotii, i. e. suam a Christo possessionem, in simplicitate fidei vivebat. Tunc Christus in Ioanne XXIII, per Ioannem XXIII suo amore mundum calefecit, delectavit et attraxit.

b) Doctrina Summi Pontificis Pauli VI ad oecumenismi exercitium. In sua vere *venerabili*[7] oratione, in initio huius secundae sessionis habita, Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, vitae renovationem ut medium ad oecumenismum nobis monstravit. *Cito*[8]: « Universalis haec synodus eo contendit, ut Ecclesiae augeat venustam illam perfectionem et sanctimoniam, quae nonnisi Iesu Christi imitatio atque

mystica cum eo per Spiritum Sanctum coniunctio eidem tribuere possunt ». Et hoc emisit votum ut hanc unionem nobiscum Christi et vivamus et praedicemus ...[9]: « Utinam — optat Summus Pontifex — hoc Concilium Oecumenicum vinculum illud perspectum...[10] habeat..., quo nos cum Christo coniungimur, quo haec vivens ac sancta Ecclesia, hoc est nos, copulatur cum Christo, a quo procedimus, per quem vivimus, ad quem tendimus » ...[11].

Concludimus, optantes ut pag. 15, his verbis aut similibus, dicatur: « Ad vitae renovationem obtinendam, et sic oecumenismo favendum, pastores animarum et concionatores Christi praesentiae cum Patre et Spiritu Sancto in Ecclesiae membris praedicent. Et christifideles hanc praesentiam in se et in aliis vivant. Ita caritatem fraternam, quae forma pro Christo amoris est, melius colent. Et vivendo in unione cum Christo gratias et benedictiones caelestes super oecumenismum attrahent effuse ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] et. [2] promovendum. [3] promovendum. [4] scholasticis qui S. Thomae Aquinatis. [5] Spiritum Sanctum. [6] Huiusmodi. [7] memorabili. [8] « Concilium ad florentiorem spectat Ecclesiae renovationem ». Et fidei renovationem in unione nobiscum Christi ut medium ad vitae renovationem, et ita ad oecumenismum, his verbis indicavit: «Nostra quidem sententia, huiusmodi renovatio profici debet e conscientia nostra necessitudinis, qua Ecclesia cum Christo coniungitur ». Et alibi: [9] ad vitae renovationem et ita ad oecumenismum. [10] plane. [11] Quae cum ita sunt, christifidelis non potest vivere ut solummodo gratia sanctificante, virtutibus supernaturalibus necnon donis Spiritus Sancti praeditus. Cum Christo, qui ei inest, et per Christum vivere debet.

4

EXC.MUS P. D. IOANNES MAZUR

Episcopus tit. Bladiensis, aux. Lublinensis

Em.mi ac rev.mi Patres conciliares, carissimi Observatores et Auditores,

Loquor nomine episcoporum Poloniae.[1] Liceat mihi pauca verba dicere super cap. I schematis *de Oecumenismo.* Caput istud « De Oecumenismi catholici principiis » in genere quoad res in eo contentas placet, nam problemata capitis titulo correspondent; sed quoad modum expressionis et dispositionis non placet.

Principia enim et motiva, descriptiones et exhortationes inter se

permiscentur. Attamen claritas tractandi hoc problema expostulare ordinem, in quo principia ab aliis « pro posse » discernantur et in primo loco ponantur, videtur. Postea motiva et alia argumenta tradantur.

Meo humili iudicio praemissae oecumenismi catholici expressiori et clariori modo praesentari debere.

In principio capitis ponenda sunt verba de voluntate salvifica Dei, adhibito textu S. Pauli ad Timotheum (Ep. I, cap. 2, v. 4): « (Deus) qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire », et textu prout nunc iacet (*1 Io.,* 4, 9; *Col.* 1, 18-20; *Io.,* 11, 52).

Deinde dicendum est de Bonitate et Sapientia Creatoris qui hominem lapsum non contempsit, eo magis disiunctos, ut ad unitatem redeant, adiuvabit. Et praesertim de principio, fundamento et lapide angulari unitatis, qui est ipse Dominus Iesus, qui etiam istam unitatem quam ardentissime in oratione ad Patrem postulavit. *Scimus haec verba Suae Sanctitatis Pauli Papae VI, feliciter regnantis*[2]: « Repetendum esse Nobismetipsis putamus et universo mundo nuntiandum, scil. Christum, Christum dicimus, principium nostrum esse, Christum ducem et viam nostram esse, Christum spem nostram nostrumque finem » ...[3].

Etenim — mea humili sententia — in principio ponenda esse omnia quae nobis et Fratribus seiunctis communia sunt, ut ab eis incipiendo, ad unum finem communem qui est unitas, in uno Christi ovili omnes perveniamus.

Tunc sequatur in n. 1 huius capitis sermo de Ecclesia Corpore Mystico Christi, manifestans eam non solum Populum Dei, signum levatum in nationes, continuatorem Christi missionis esse, sed etiam unum ovile, quae omnes congreget sub unico Pastore Christo et eius Vicario.

Postea audeo proponere, ut in n. 3 huius capitis a Sacrosancto Concilio expresse declaretur oecumenismum, ex parte filiorum Ecclesiae non esse extenuatio revelatae veritatis, neque indifferentismum catholicorum, sed vitam religiosam fidelium omnium ita ardentem et profundam, ut admirationi simul viventibus sit, secundum Domini verba: « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in caelis est » ...[4]; esse zelum gloriae Dei et salutis animarum apostolicum; esse denique exercitio veritatis in caritate non ficta, tam inter se quam in relationibus cum fratribus seiunctis atque talem praedicationem Evangelii verbo et opere, ut omnes ad Ecclesiam annuntiantem Christum attrahat. Est nihil aliud quam quaedam collaboratio cum universali voluntate Dei salvifica, est etiam realizatio desiderii Salvatoris.

Non est timendum, puto, laesionem Fratrum separatorum, nam « clara pacta faciunt amicos », et ea quae nos ad unitatem perducere

debeant, sunt veritas et caritas ab utraque parte non autem quaedam reticentia.

Ad rem Sua Sanctitas Paulus Papa VI, *ut liceat mihi verba non semel in hac aula audita proferre* [5]: « Nos, ut oportet, fidei nostrae, quam divinam credimus, apertissime ac firmissime adhaeremus. Attamen pro certo habemus eam minime impedimento esse, quominus ad exoptatam consensionem inter nos et Fratres a Nobis seiunctos deveniatur; agitur enim de divina veritate, quae est principium unitatis, non discriminis et separationis » ...[6]. Et hoc in principio n. 3 dicendum, nam mihi videtur, locus iste magis idoneus esse in quo de praxi oecumenismi ex parte catholicorum praecipue dicitur. Nonne oporteat in memoriam omnium revocare, Ecclesiam manus ad omnes et praesertim ad credentes in Christum extendere, non imperandi causa sed serviendi ad maiorem Dei gloriam et salutem animarum?

Postea statim motiva actionis operisque oecumenismi, quae sunt remotio scandali infidelium scissuram christianorum observantium necnon acceleratio evangelizationis mundi, ponenda sunt. Propterea propono ista, quae in pag. 10, linn. 9-18, inveniuntur, post assertionem de oecumenismo catholico in n. 3, pag. 9, collocare.

Praeterea perutile videtur, ut a Sacrosancto Concilio valor et necessitas bonae permanentisque voluntatis cum patientia et mutua magnanimitate utriusque partis, catholicorum nempe et Fratrum separatorum, hinc declaretur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] De hoc ultimo perpulchre dictum est a Sua Sanctitate Paulo Papa VI feliciter regnante, die 29 septembris a. c.: [3] (Pauli VI Pont. Max. Allocutio ad Patres Conc. Oecum. Vat. II, pag. 15). [4] (*Mt.* 5, 6). [5] commemorata superius die concinne dixit. [6] (Pauli VI Pont. Max. Allocutio ad Patres Conc. Oec. Vat. II, pag. 32).

Secretarius generalis: Venerabiles Patres, proxima iam est suffragatio circa integrum schema *de sacra Liturgia.* Velint omnes omnino Patres ad sua loca redire.

5

EXC.MUS P. D. GERARDUS HUYGHE
Episcopus Atrebatensis

Venerabiles Patres,

Optimum illud schema *de Oecumenismo enuntiat* (in cap. I, par. 3, linn. 36-37) quod si catholici propriam fidem plenius vivunt, tunc « ad hanc Ecclesiae catholicam domum omnibus aditus latius patefiet ».

Valde gaudendum est, quod auctores schematis nostri vocabulo « aditus » usi sunt, illud *praeferentes*[1] vocabulo « reditus ». Fatendum est etenim, quod ante aliquot annos, multi ex nobis, dum de unitate christianorum loquebantur, ad praeteritum tempus adspiciebant, et sic aiebant: « Unitas fieri non potest nisi per *reditum* ad Ecclesiam omnium illorum, qui in schisma vel in haeresim lapsi sunt, et sic ab Ecclesia in hoc vel in alio momento historiae discesserunt. Erroribus suis renuntiare debebunt et dogmatibus adhaerere quae vel reiecerunt vel nunquam acceperunt. Ad nos revertentur, pedibus et manibus vinctis catenis, et nos, qui catholico nomine gloriamur, talem reditum seiunctorum animo tranquillo spectabimus, et nihil mutabimus in Ecclesia nostra catholica *et in conscientiis nostris* ».[2] Talis *reditus* revera non aliud erat quam *redditio*.

Hodie autem omnia consideramus modo plane diverso, et in hoc nobis auxilium praebuerunt verba humilitatis plena tum Ioannis XXIII, tum Pauli VI. Hodie etenim sic loquimur: « Utique, fratres nostri a nobis discesserunt, sed etiam nosmetipsi peccavimus », et, ut ait Papa Paulus VI, « veniam humili rogatu a Deo petimus, ab ipsisque fratribus veniam petimus ».

Quales sunt conditiones, in quibus tam exoptata unitas fieri possit? Iam pluries et optime indicatae sunt in hac aula. Mihi tamen liceat duas tantum ex illis in claram lucem fortiter ponere, dum significationem vocabuli « aditus » altiori examini subicio.

Hae duae sunt illae conditiones:

prima conditio: conversio omnium christianorum;

secunda conditio: actio coniuncta omnium christianorum.

Prima conditio est conversio. Habitare in hanc Ecclesiae catholicam domum nullam conscientiae tranquillitatem nobis catholicis dare debet, quia « potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae ». Sed hoc ligamen inter unitatem quam speramus et humilitatem cordis optime fuit pluries elucidatum in hac aula, et nolo attentionem vestram fatigare.

Veniam ergo ad secundam conditionem aditus, quae est actio coniuncta omnium christianorum.[3] Actio *enim*[4] semper praecedit et praecellit verbum. Hoc in Christo plene verificatur, quia coepit facere et docere. Verificatur etiam in nobis, quia viam quae ducit ad unitatem eo facilius inveniemus quanto intimius in actione coniungemur. Ubinam ergo possibile apparet, actionem communem rite perficere?

1. *In oratione oecumenica.* Iam multos abhinc annos christifideles ab invicem seiuncti simul orationes fundunt « pro Unitate quam Deus

vult, et quam ipse perficiet tempore et mediis a semetipso praedispositis » (sic orabat sacerdos Couturier). Quis negare posset quod talis anxietas de unitate perficienda, quae hodie in corde fidelium uniuscuiusque communitatis invenitur, et talis progressus, qui in schemate nostro *de Oecumenismo* clare apparet, non fructus esset huiusmodi orationis? Quando christiani seiuncti in communi orant, eo ipso corda eorum in melius transmutantur et ad fratres late aperiuntur. Oratio communis artifex dicenda est unitatis.

2. *In collecta oecumenica.* Eam stipem intendimus quae apud omnes christianos fit ad adiuvandos pauperes in universo mundo. *Sunt enim in mundo satis pauperum, ut cor nostrum sit apertum et dies nostros sint repletos. Collecta*[5] illa fundamentum habet biblicum, est revera quasi prorogatio communitatis bonorum, prout vigebat antiquitus in Ecclesia et iam per se signum visibile constituit unitatis christianae.

3. *In reflexione theologica de vita vere evangelica instauranda.* V. g., quaestio de paupertate hodie urgentissimo modo ab omnibus Ecclesiis perpendenda est. In hoc campo quasi nihil usque nunc peractum est, et reflexio *theologica*[6] in hac materia a theologis diversarum communitatum in communi perducta, eos vicissim adiuvabit in eo, ut servi pauperum efficiantur.

4 et ultimo. *In actione pastorali communitaria.* Etiam si vires nostras in communi ponimus, tamquam minoritas considerandi sumus in hodierno mundo pagano, et hoc in dies gravius erit, propter numerum *hominum*[7] semper citius crescentem in regionibus ubi Evangelium non diffunditur. Loco insipientis aemulationis adesse deberet, in fidelitate perfecta nostrae propriae fidei ...[8], labor communis ad Christum *annuntiandum.*[9]

Conclusio. Si tales conditiones verificantur, sane possibilis erit *aditus* fratrum ad hanc Ecclesiae domum; *et eorum aditus dependet ab itinere nostro proprio.*[10] Hoc fiet non quidem in forma alicuius mutationis subitaneae et mirandae, sed per progressivam admotionem quasi invisibilem. Forsan tandem aliquando id videre poterimus, quod nil obstaculi amplius adest inter nos et fratres nostros olim separatos.

Concludendo hoc exoptarem: ut secretariatus ad unitatem inter christianos fovendam, qui schema nostrum exaravit, etiam nobis Directorium in manus tradat, ut facilior reddatur actio nostra *pastoralis*[11] ad unitatem obtinendam. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] anteponentes. [2] quippe quae unica est vera et perfecta Ecclesia ». [3] I. *Omnes insimul ad Christum converti debemus*. Uni-

tas quam speramus, simul donum est ac promissio. Si nos catholici arroganter putaremus, unitatem esse quoddam dominium nostrum cuius custodia diligens et impavida nobis concrederetur, hoc esset mere superbia, et nos tamquam traditores unitatis considerandi essemus. Huiusmodi unitas nobis concreditur unice, ut eam cum omnibus fratribus nostris baptizatis custodiamus, et ad futurum semper intenti, omnes simul progrediamur. Hoc est praecise quod Summus Pontifex Observatoribus declarabat: « Ipsa optima methodus pro nobis est: non ad praeteritum conspicere, sed ad praesens et imprimis ad futurum. Libentius id intendimus, non quod factum est, sed quod faciendum erit. Ad aliquid novi convertimus oculos nostros, ad aliquid nobis peragendum, ad quoddam somnium in effectum deducendum ». Et Pontifex ipsis verbis Sancti Pauli utebatur: « quae quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quae sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu » (*Ph.* 3, 13-14).

Ut in hac via progrediamur, necesse est ut continuo in melius convertamur. Sine humilitate, in cordibus christianorum profunde radicata, nunquam exsistere poterit vera unitas. Hoc autem supponit quod unusquisque christifidelis, unaquaque communitas christiana, propriam conscientiam excutiant, dum ab omni comparatione acerba, vel ab omni iudicio maligno sese abstinent, aliis reprobantes quia nobis non plene assimilantur.

Hoc supponit quod totaliter deponatur spiritus ille iuridicus, quod nobis per nimis longum spatium temporis quasi velamen erat bonae conscientiae. Hoc supponit quod ab aliis non plus exigatur, quam id quod in nostro Credo communi continetur. In primo Concilio hierosolymitano audimus apostolum Iacobum, seposita sua notissima severitate, christianos sic alloquentem, ad pacem inter eos restituendam: « Ego iudico non inquietari eos qui... convertuntur ad Deum » (*Act.* 15, 19); et deinde Apostoli unanimiter sic decreverunt: « Visum est Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria » (*Act.* 15, 28). Hoc supponit denique, quod fratres nostros maxime aestimemus, et quod, iuxta verba Pontificis Pauli VI: « Debita reverentia prosequamur religiosam haereditatem antiquitus acceptam omnibusque communem, quam fratres seiuncti servaverunt et ex parte etiam bene excoluerunt » (Oratio die 29 septembris habita). [4] deest. [5] Stips. [6] deest. [7] deest. [8] professioni. [9] evangelizandum. [10] deest. [11] deest.

Secretarius generalis: Antequam legam exitus suffragationum factarum, aliquas do communicationes Patribus.

Crastina in hac Basilica, coram Summo Pontifice, celebrabitur Missa *de Requie* pro Cardinalibus et ceteris Patribus conciliaribus elapso anno defunctis. Ritus inchoabitur hora 10.

Episcopi Ucraini invitant venerabiles Patres Concilii ad functionem in honorem S. Martyris unitatis, Iosaphat Kuncewycz, occasione depositionis eius reliquiarum sub altari S. Basilii Magni in hac sacrosancta Basilica, die 25 novembris, hora quinta post meridiem. Sermonem pronuntiabit em.mus ac rev.mus D. card. Gustavus Testa, a Secretis S. Congregationis pro Ecclesia Orientali.

Nunc ecce exitus suffragationum factarum:

Imprimis circa cap. IV:

Praesentes votantes		2.183
Dixerunt	*placet*	2.131
	non placet	50
	placet iuxta modum (ergo nullum)	1
Suffragium nullum		1

Suffragatio circa reliqua capita:

Praesentes votantes		2.156
Dixerunt	*placet*	2.149
	non placet	5
Suffragia nulla		2

Ergo ex mandato em.morum moderatorum procedi potest ad suffragationem faciendam circa *integrum schema de sacra Liturgia.* Parcite mihi, venerabiles Patres, si legam tantummodo priora et ultima verba uniuscuiusque capitis (nam per se legendus esset totus textus), ut ceterum fiet, si habebitur, in sessione publica.

[...]

Quaeritur igitur, venerabiles Patres: An hoc schema constitutionis *de sacra Liturgia* (adhuc agitur de schema, nam approbatio definitiva et valida habetur tantum in sessione publica), an schema propositum constitutionis *de sacra Liturgia,* uti lectum est, placeat an non placeat. Responsio erit: *placet* vel *non placet.* Gratias.

Moderator: Resumitur disceptatio de cap. I schematis *de Oecumenismo.*

6

Exc.mus P. D. FELIX ROMERO MENJIBAR
Episcopus Giennensis

Venerabiles Patres, Observatores et Auditores dilectissimi,

Reverenter et humiliter loquar de n. 2 cap. I, pag. 8, linn. 12 ss.: De habitudine fratrum separatorum ad Ecclesiam Catholicam.

Relate ad hunc numerum, me quidem non latet tensio, ut ita dicam, quae necessario oritur inter catholica de unitate principia et oecumenismi practicas exigentias. Duo pericula sunt cavenda: periculum con-

fusionis in animis fidelium ex una parte, et detrimentum sani oecumenismi ex altera. Utrumque indubie est vitandum [1] ob finem pastoralem et oecumenicum Concilii. Unde aliqua *credo* [2] notatu digna ut haec aequa positio, quae in schemate diligenti cura est quaesita, pleniori modo ab utroque periculo arceatur.

Postulatur igitur concordia eorum quae dicuntur in *praedicto numero* [3] cum iis quae habentur ...[4] in schemate *de Ecclesia* circa necessitatem pertinendi ad Ecclesiam catholicam, videlicet:

a) In pag. 8, lin. 24 ...[5], inter bona seu elementa quae extra visibilia saepta Ecclesiae connumerantur, apparet vita gratiae, sine addito. Iam vero vita gratiae idem est ac vita salutis seu salvatio. At quomodo hoc componi potest cum his verbis schematis *de Ecclesia* ...[6]: « Ideoque illos homines salvari non posse, qui Ecclesiam catholicam a Deo per Iesum Christum ut necessariam esse conditam non ignorantes, eam tamen renuant intrare vel in eadem perseverare »? Agitur ergo de sinceritate qua quis Ecclesiam ut necessariam perspicit vel non. Dici posset quod in tota hac paragrapho haec sinceritas supponitur, attamen non tantum supponenda sed etiam aliquo modo exprimenda videtur. Nam si vita gratiae, sine addito, in Ecclesiis separatis dari posse affirmatur, obligatorietas pertinendi ad Ecclesiam catholicam non apparet plene illaesa. Quinimmo ipsum fundamentum oecumenismi, ut a catholicis concipitur, ruit.

b) *Similiter* [7] est asserendum circa ea quae ...[8] pag. 8, lin. 30, dicuntur ...[9]

c) *Idem* [10] notandum est respectu eorum quae ...[11] pag. 8, lin. 32 inveniuntur: « Ipsae Ecclesiae et communitates separatae nequaquam in mysterio salutis significatione et pondere exutae sunt ». Profecto non omnino clarum est in quo consistat haec significatio et pondus. Non certe ponendum erit in eo quod ipsae communitates separatae peculiarem quamdam significationem habeant, sed in hoc quod, iisdem Ecclesiis, etsi separatis, Spiritus Christi uti non renuit tamquam salutis mediis. *In hoc sentio cum exc.mo Carli.*[12]

d) Tandem ...[13] pag. 9, linn. 1-3, Ecclesia catholica praesentatur ut « generale auxilium salutis » et plenitudo salutarium mediorum. Quae verba, nisi bene intelligantur, valde attenuant necessitatem pertinendi ad Ecclesiam. Videretur enim affirmari in qualibet professione christiana — etiam sine respectu ad sinceritatem animi qua quis in ea vivit — dari auxilium sufficiens et essentiale ad salutem atque in Ecclesia catholica *solummodo* [14] quamdam plenitudinem mediorum haberi.

Concludo.[15] Unde tum ob oecumenismi bonum tum ob rationes doctrinales et pastorales in Ecclesia catholica, opportunum *credo,*[16] vel ini-

tio huius numeri vel in locis *citatis* [17] mentionem fieri de bona fide vel sinceritate (aut alia simili expressione). Haec enim est conditio ut omnia elementa seu bona harum Ecclesiarum vere salutaria pro singulis sint. In hac animi dispositione fratres separatos versari arbitror. Quodsi textus, prout iacet, maneret, ex eius impraecisione praedictae orirentur difficultates. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Libenter adnumeramur, venerabiles Patres, numero eorum qui hoc schema laudant ob eximiam prudentiam, caritatem, unionis procurandae sollicitudinem et ob spiritum quo sollerter attenditur ad ea quae sunt communia, iuxta mentem Ioannis XXIII et Pauli VI. Nos certe non latet necessario in huius schematis praeparatione tensionem quandam exurgere debere inter catholica de unitate principia et oecumenismi practicas exigentias. Si enim catholica principia sublineantur, ansa dari potest reactioni eorum qui unionem non in principiis quaerendam censent, sed providendum alia via, praesertim caritate. Ex alia parte, si propter exigentias practicas oecumenismi, principia catholica attenuantur, magna timenda est confusio in animis fidelium, cum periculo incidendi in quendam relativismum, necnon indifferentismum christianum, aut certe perveniendi ad minorem aestimationem fidei catholicae. Quod utrumque indubie cavendum est. [2] credimus. [3] n. 2 cap. I, linn. 12 ss. « De habitudine fratrum separatorum ad Ecclesiam catholicam ». [4] n. 8 cap. I. [5] (schematis *de Oecumenismo*). [6] pag. 11 linn. 3 ss. (Pars I). [7] Item. [8] in eodem numero schematis de Oecumenismo. [9] scil.: « Actiones sacrae... quae, variis modis secundum diversam conditionem uniuscuiusque Ecclesiae vel communitatis, procul dubio vitam gratiae reapse generare possunt ». Hic etiam est supponenda bona fides eorum qui harum actionum fructum recipiunt. Alioquin difficulter concordari possunt cum assertis in numero supra memorati schematis *de Ecclesia*, pag. 12, lin. 18: « Suo modo idem valet de illis qui nescientes Ecclesiam catholicam esse veram et unicam Christi Ecclesiam, sincere, adiuvante gratia, voluntatem Christi... adimplere satagunt ». [10] Similiter. [11] in eodem numero schematis *de Oecumenismo*. [12] deest. [13] in fine eiusdem numeri. [14] solum. [15] deest. [16] credimus. [17] quae citavimus.

7

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS JAEGER

Archiepiscopus Paderbornensis

Em.mi et rev.mi Patres conciliares,

Oecumenismi quaestio de hoc capite quasi pendet et ab eo declaratur. Etenim omnis oecumenismus e suis principiis indolem propriam accipit. Et his principiis motio et actio oecumenica diversificatur. Quare v. g. oecumenismus catholicorum suis principiis distinguitur ab oecu-

menismo reformatorum, quamvis omnes in eo conveniunt, ut sincero corde parati sint oboedire verbo Dei revelato, ut illam unitatem foveant, quam Iesus Christus a Patre suo erogavit. Consensus noster in re oecumenica ex hoc provenit, ut omnes in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei et Salvatorem credimus, diversitas autem ex differente ecclesiologia, ex qua etiam diversus conceptus unitatis deducitur.

Schema *de Oecumenismo* omnia praesupponit, quae iam in schemate *de Ecclesia* dicta sunt et praesertim illa, quae a Vaticano I de Romani Pontificis primatu et infallibilitate sunt definita.

Secundum has doctrinas ab omnibus catholicis firmiter creditas ea sunt interpretanda, quae in schemate nostro generaliter significantur vel sub uno tantum aspectu indicantur. Quae non *explicite*[1] asseruntur, omnino non celantur, sed potius praesupponuntur. Si tamen quasdam anxietates non possumus superare alia via, tunc expressis verbis in brevi prooemio dicendum propono: « Quae in hoc schemate sub aspectu oecumenico solummodo tanguntur vel breviter significantur, ex priorum Conciliorum definitionibus et ex huius Concilii constitutione *de Ecclesia* in suo contextu dogmatico sunt interpretanda ». De cetero exc.mus arch. Martin iam promisit, ut terminologia schematis recognoscatur perpensis Patrum votis hac in aula prolatis.

Exc.mus relator etiam declaravit, nos hic non tractatum dogmaticum vel canonicum praeparare. Munus nostrum insuper non est apologia structurae hierarchicae Ecclesiae nec controversiarum nova expositio, ut conficiatur, sed agimus praecise « de Oecumenismo ». Unde convenit, ut non illa, quae nos separant, iterum ac iterum repetamus, sed exeamus ab illis, quae nos coniungunt. Haec est methodus, qua iam S. Thomas Aquinas utebatur.

Quantum ad terminologiam, schema non definitionibus scholasticis, sed aptis descriptionibus rem oecumenicam exponit. In hoc sequi intendit normam, quam Ioannes Papa XXIII f. r. appellavit punctum saliens totius Concilii: ut nempe retenta substantia traditionalis doctrinae inveniamus modum enuntiandi consentaneum rationi pastorali nostrae aetatis. Quomodo haec regula ad res oecumenicas applicanda est, exc.mus De Smedt in prima Concilii periodo iam declaravit.

His dictis, propono:

1. N. 1 initium sumat a verbis, quae Paulus Papa VI f. r. hanc Sessionem Concilii inaugurans praeclare dixit de coniunctione inter Christum et Ecclesiam semper attendenda. In hoc enim invenitur quoddam exordium vere oecumenicum...[2]

2. Praeter externa et visibilia vincula unitatis sub n. 1, clarius declarentur sacra Eucharistia tamquam unitatis sacramentum et Spiritus

Sanctus tamquam Ecclesiae unitatis increatum principium. Hoc etiam ideo necessarium videtur, ut protestantibus plena nostrae unitatis notio patefieret. Etenim iam Apologia Confessionis Augustanae in art. 7 timet, ne infinita pericula Ecclesiae imminerent ex oblivione Spiritus Sancti eiusque donorum, quo fieri possit, ut Ecclesia aestimari possit tamquam externa quaedam politia. Hoc periculum etiam Ioseph Kleutgen in primo Concilio Vaticano, de mandato Deputationis de fide referens, Patribus conciliaribus designavit ...[3]. Qui etiam hac de causa, praeter externa et visibilia munera interna atque imprimis Spiritus Sancti dona in lucem ponenda censebat. Nostris diebus Encyclica *Mystici Corporis* clare affirmavit, Spiritum Sanctum ultimum et increatum principium esse unitatis Ecclesiae...[4]

3. In pag. 9, sub n. 3, de maiori manifestatione catholicitatis loquentes, verba valde convenientia S. Pauli ad Ephesios ...[5] vocemus: « donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (inserenda in pag. 9, lin. 9, post verbum « redderetur »).

4. Quantum ad meliorem mutuam cognitionem, de qua pag. 10, lin. 30 agitur, liceat mihi modeste in memoriam vocare meam propriam experientiam in his conventibus per 17 annos iam cum uberrimis fructibus peractis. Hac in re *non sufficit mera bona voluntas*[6]; ex nostra parte requiritur, ut theologi ad haec colloquia eligantur, qui plenam habeant ex Scriptura et traditione cognitionem doctrinae catholicae, et insuper doctrinas aliorum ex fontibus e principiis profunde noverint. Unaquaeque pars « par cum pari » agat suamque doctrinam tamquam propriam exponens, sicut Instructio S. Officii *de motione oecumenica* iam declaravit...[7]

Sed de his magis in Directorio oecumenico praeparando agendum est, ut iam exc.mus relator dixit.

Cetera in scriptis tradam Secretariatui...[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (cf. editionem vaticanam huius allocutionis, pp. 15-16). [3] (Mansi, tom. 53, col. 319). [4] (vide emendationem propositam in appendice!). [5] (4, 12-13). [6] deest. [7] (*A.A.S.*, 42, 1950, p. 145). [8] Pag. 7, linn. 8-25, post locum scripturae (*Io.* 17, 21) in hanc formam mutentur et amplificentur: « ... in Ecclesia sua Eucharistiam instituit, quo mirabili sacramento unitas Ecclesiae et significatur et efficitur. Discipulis suis Paraclitum Spiritum promisit, qui cum eis maneret in aeternum. Exaltatus autem in cruce et glorificatus Dominus Iesus Christus Spiritum promissum effudit, quo populum Dei Novi Foederis, qui est Ecclesia, in unitatem fidei, spei et caritatis vocavit et congregavit, sicut docet apostolus: « Unum corpus et unus Spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum bapti-

sma » (*Eph.* 4, 4-5). Etenim « quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis... Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu » (*Gal.* 3, 27-28). Spiritus Sanctus, qui viva fide credentibus inhabitat totamque replet regitque Ecclesiam miram illam communionem fidelium efficit et tam intimis vinculis omnes in Christo coniungit, ut Ecclesiae unitatis sit ultimum et increatum principium (cf. Enc. *Mystici Corporis*: *A.A.S.*, 35, p. 222). Hanc Ecclesiam Iesus Christus variis muneribus ditavit, « ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi » (*Eph.* 4, 12). Sanctam suam Ecclesiam aedificavit super Apostolos atque collegio Duodecim universale mandatum docendi, regendi et sanctificandi concredidit, inter quos B. Petrum... » (cetera omnia ut in schemate sub n. 1).

8

Exc.mus P. D. CLAUDIUS CONSTANTIUS M. FLUSIN
Episcopus S. Claudii

Venerabiles Patres et Fratres,

Qualitatem ...[1] schematis *de Oecumenismo* mea vice, *grato animo profitens, aliquas correctiones vel additiones tamen in cap. I faciendas aestimo ad maiorem eiusdem ecclesiologicam et praesertim oecumenicam perfectionem.*[2]

Correctio prima. Pag. 7, lin. 26. Hic loquitur textus de electione Petri a Domino ut fratrum suorum, scil. apostolorum, collegio praeesset. Electio haec affirmatur in connexione non tantum cum Petri fidei confessione in Matthaei Evangelio, cap. 16, *attestata,*[3] quod est certissimum, sed etiam, ut dicit textus *schematis,*[4] « cum maioris dilectionis professione » Petri, quod mihi videtur delendum, *sicut heri petiit exc.mus D. Carli.*[5] Etenim:

1. Electio Petri ut petra super quam aedificanda erat Ecclesia connectitur cum confessione fidei suae, de qua agitur in Matthaei cap. 16.

2. Triplex *autem*[6] maioris dilectionis professio Petri, sicut triplex abnegatio eius in passione Domini, pertinet ad vitam personalem eius, non ad missionem suam in Ecclesia successoribus suis transmittendam. Hoc clare patet in Evangelio Ioannis, cap. 21, v. 19, ubi, post responsionem Domini confirmantem missionem et primatum pastoralem Petri et ei praenuntiantem mortem eius, declarat Evangelista quod hoc dixit Iesus « significans qua morte esset clarificaturus Deum », martyrio scil. personali Petri in Vaticano. Hoc certe non pertinebat ad missionem ...[7] successoribus *eius*[8] in Ecclesia transmittendam. Quae distinctio a Sanctis Ecclesiae Patribus persaepe proponitur et enucleatur...[9]

Correctio altera.[10] Pag. 8, linn. 15-16. Post mentionem historicarum fracturarum unitatis Ecclesiae, ultima propositio illius paragraphi haec

est: « communitates haud eximiae a communione Ecclesiae catholicae seiunctae (sunt) ». Hoc certe de facto verum est. Sed hoc dici potest et debet in verbis quae odiosa apparere non possunt fratribus disiunctis, praesertim fratribus orientalium Ecclesiarum qui in suis Ecclesiis unitati Ecclesiae tam profunde credunt et ipsi.

Corrigendum ergo videtur hic textus sic: « ... et unitas Ecclesiae catholicae plures inter communitates, quarum aliquae certe exiguae non sunt, fracta est ».

Insuper emendatio haec apparentem contradictionem vitabit, quam aliquis Pater heri denunciabat, in sequentibus lineis, ubi textus loquitur de non perfecta Ecclesiae communione fratrum disiunctorum.[11]

Additio facienda pag. 8, *post lineam 16.*[12] Additio haec vertitur circa distinctionem faciendam, mea mente maximi momenti, inter initiatores et fautores alicuius schismatis in Ecclesia, quacumque ex parte sint, in istis historicis unitatis fractionibus, et christifideles qui *postea* nascuntur in Ecclesiis *vel communitatibus*[13] sic separatis.

Inter alios et alios diversa est ratio, tum circa responsabilitatem sive culpabilitatem, quam circa habitudinem ad Ecclesiam et praesertim ad unitatem eius restaurandam. Iustum ergo videtur, et ad causam oecumenismi valde opportunum, ut alii et alii in disciplina pastorali *diversa ratione considerantur.*[14]

Iam textus noster in sequentibus paragraphis disciplinam minoris rigoris pro *christianibus*[15] a nobis separatis proponit. Bonum est ergo et etiam necesse ...[16], primum enunciare, in hoc capite *de oecumenismi catholici principiis,* theologicas rationes *quibus*[17] innititur *nova haec*[18] pastoralis habitudo.

His consideratis,[19] textum novum *sic*[20] *proponerem*: « *In Ecclesiae vita, unitas maximum est bonum, ut ex theologicis iam expositis argumentis apparet; maxima igitur est responsabilitas et culpa eius qui alicui schismati aut initium vel consensum dat, sicut Ieroboam, aut tantum eidem ansam praebet, etiamsi ipse in vera traditione permanet, ut Salomon et Roboam* (*in Primo Libro Regum*).

« *Erga factores divisionis inter discipulos Christi, ecclesiastica disciplina firmissima esse debet, sicut firmissima fuit doctrina Domini* (*apud Matthaeum,* 18) *et sicut firmissimus fuit Apostolus inter Corinthios vel inter Antiochenos.*

« *Qui vero, post absolutas in Ecclesiae communione divisiones, in aliqua confessione separata nascuntur, et in Christo baptizantur, et forte Spiritu Sancto chrismantur vel etiam Sacra Eucharistia vere nutriuntur, aequo iure inculpari non valent anteactae divisionis. Ignorantia enim eorum haud raro invincibilis atque multis in casibus ecclesiastica eorum con-*

ditio personalis, familiaris vel socialis, immo et ipsum oecumenicum votum fovendi reunificationem christianarum Ecclesiarum seu confessionum, non tantum singularum personarum, non quidem de iure sed de facto animum eorum merito movere possunt ut non statim ad visibilem unitatem redeant.

« *Erga fratres hos disiunctos, qui insuper votum habent sicut et nos ut restauretur unitas a Christo Domino pro sua Ecclesia impetrata, omnes christifideles in Ecclesia Catholica fraternam reverentiam et caritatem habere debent. Auctoritati competenti autem incumbit oecumenicam disciplinam ordinare, qua foveatur progressus communionis fidei et caritatis usque in diem soli Deo notum, in quo omnes christiani ad perfectam etiam in sacris communionem perveniant* ».[21]

...[22] *Correctio ultima.*[23] Pag. 10, linea 17. Nullo modo sufficit hic dicere quod divisiones Ecclesiarum inter christianos « admirationem » apud non credentes afferunt. Sunt etiam scandalum in mente eorum. Ergo, sic corrigere: « ... admiratio *immo et*[24] scandalum, eorum qui... » etc.

Dubium enim non est, quod hodie multi sunt in mundo non credentes, quos istae christianorum divisionem scandali petrae ita offendunt, ut a fide in Christum Iesum arceantur.[25] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] tam theologicam quam pastoralem et oecumenicam. [2] cum gratiarum actione professus, in cap. I aliquas correctiones vel additiones ad maiorem perfectionem ecclesiologicam et speciatim oecumenicam proponam. [3] v. 16. [4] noster. [5] deest. [6] deest. [7] suam. [8] suis. [9] 3. De facto, iam a viginti saeculis, professio Petri circa messianitatem et divinam filiationem Iesu, et circa omnes alias veritates fidei cum ista confessione connexas, a successoribus Petri infallibiliter de generatione in generationem iterata est. Dilectionis autem ipsius professio, teste historia ecclesiastica, omnibus successoribus suis non transmissa est, sicut nec etiam martyrium eius. Haec distinctio valde importat in ecclesiologia et, speciali modo, in oecumenismo.

4. Textus ipse schematis argumentum praebet huic correctioni, id est suppressioni verborum « et maioris dilectionis professionem ». Etenim nota 5 lin. 27 mentionem non facit Ioannis 21, 15-23. E contra, hic textus evangelii Ioannis affertur in nota 7, lin. 29, et tunc iusta ex ratione, quia in textu agitur hic non de personali caritate Petri, sed de suo ministerio quod erat successoribus suis transmittendum.

Verba haec « cum maioris dilectionis professione » sunt ergo delenda.

Correctio secunda. Pag. 8, linn. 4-6: Ordo inter tria munera seu servitia apostolica non est indifferens. Pag. 7, linn. 24-25, bene scriptum est quod apostolis mandatum dedit Dominus « docendi, regendi et sanctificandi ». Hic ordo verus est.

Communio enim fidei, in doctrina apostolorum, et communio caritatis, in eorum disciplina, praesupponuntur communioni sacramentorum sanctitatis, et praesertim fractionis panis ab apostolis celebratae, sicut apparet in Actibus Aposto-

lorum, cap. II, v. 42. Ordo hic valde importat in omni pastorali doctrina et praesertim in disciplina oecumenica, sicut omnes nos scimus. Pluribus in casibus, defectus communionis in ecclesiastica disciplina causa est impossibilis communionis in Eucharistia vel, sicut dicitur, « in sacris ».

Necesse est ergo, in pagina nostra 8, linn. 4 ss., sic corrigere textum: « ... in confessione unius fidei, in regiminis fraterna concordia, nec non in divini cultus communi participatione et celebratione ». [10] tertia. [11] deest. [12] in n. 2 inter linn. 16 et 17. [13] deest. [14] differenter accipiantur. [15] christifidelibus. [16] ut mihi videtur. [17] super quas. [18] illa nova. [19] Propter has rationes. [20] hunc. [21] « In vita Sanctae Ecclesiae, bonum unitatis maximum est, ut apparet ex theologicis nuper expositis rationibus. Maxima est ergo responsabilitas et peccatum si quis alicui schismati aut initium vel consensum dat, sicut Ieroboam, aut tantum occasionem praebet, etiamsi ipse in vera traditione permanet, sicut Salomon et Roboam (cf. *1 Reg.*, 11, 26-40; 12, 2-33).

Erga fautores divisionis inter discipulos Christi et filios Dei, ecclesiastica disciplina firmissima esse debet, sicut firmissima fuit doctrina Domini (cf. *Mt.* 18, 15-18) et sicut firmissimus fuit Apostolus inter Corinthios (*1 Cor.* 1, 11 ss.) vel inter Antiochenos (*Act.* 15, 1 ss.; *Gal.* 2, 4 ss.).

Sed quando in decursu temporis facta fuit aliqua talis fractura unitatis, qui in Ecclesia christiana separata nascuntur, et in Christo baptizantur, et forte Spiritu Sancto chrismantur, vel etiam sacra Eucharistia vere nutriuntur, iuste inculpari non possunt de ista praeterita ruptura unitatis. Ignorantia enim persaepe invincibilis, vel etiam pluribus in casibus ecclesiastica conditio personalis, familialis seu socialis, adhuc autem et oecumenicum votum reunificationis Ecclesiarum et non tantum singularum personarum, honesto, non de iure sed de facto, pondere, conscientiam premere possunt ut ad visibilem unitatem immediate non redeant.

Cum fratribus his separatis, qui insuper votum habent sicut et nos unitatis a Domino Iesu pro sua Ecclesia impetratae, omnes christifideles in Ecclesia catholica fraternam reverentiam et caritatem habere debent. Pro illis etiam competenti auctoritati incumbit oecumenicam disciplinam invenire et disponere quae foveat progressum communionis fidei et caritatis, usque ad tempus, a solo Deo cognitum, quo omnes ad perfectam etiam in sacris communionem perveniamus ». [22] *Correctio quarta,* pag. 8, lin. 37. In connexione cum additione praecedenter proposita circa distinctionem inter eos qui initium dant schismati alicui et eos qui postea nascuntur in Ecclesiis separatis, et ad vigorem maiorem textui praesenti dandam, addere verba haec: « Attamen, *his omnibus perpensis,* Fratres separati... etc. ». [23] Correctio quinta. [24] et etiam. [25] deest.

9

EXC.MUS P. D. VITUS CHANG TSO-HUAN
Episcopus tit. Cyanitanus

Venerabiles Patres,

Quamvis schema praesens praeprimis nonnisi de Oecumenismo particulari christianorum tractare intenderit, pluries tamen, ecquidem iure merito, auditum est iam in hac aula votum prolatum, ut oecumenismus

simpliciter dictus tractetur. Si liceat, unum tantum ut exemplum em.mum D. card. Doi nominare velim, qui nomine exc.morum episcoporum Iaponensium postulavit schema ampliari quodam capitulo novo addendo, ut ipsi Buddhistae et Confuciani etiam oecumenismo a nobis tractato comprehendantur. Re quidem vera, si opportunum fore iudicaremus, nobis oecumenismum christiana fide conceptum absoluta necessitate propagandi obligatis zelum aemulandi provocando historicum quoddam factum culturae Sinensis adducere possemus. Oecumenismus enim a Maioribus Sinensium iam saeculis pluribus ante Confucium praedicatus est ita, ut traditione doctrinali instructus « omnes homines huius mundi fratres esse » profiteri non dubitaverit Confucius. Oecumenismus *quippe* [1] sic conceptus non differt ab oecumenismo nobis colendo, qui fide nostra instructi audeamus dicere « Pater noster, qui es in caelis ». Nemo igitur a nobis hoc in Concilio Oecumenico quaestionem talem omnes revera tangentem tractantibus sese negligi credat.

De oecumenismo tractare volentes sese prius disponere oportet, ut ipsi oecumenice cogitare possint. Si enim pro *universitate* sum, necesse est, ut evitem omnem eliminationem vel separationem sapiens vel causans. Sic v. g. hac in aula audita est accusatio contra schema praesens, quod non indicaverit Ecclesiam fundatam esse supra Petrum sed tantum dictum sit: supra fundamentum apostolorum. Velim scire: non erat Petrus apostolus? Aut nescitur id sic propositum est, ut evitetur impedimentum oecumenismo promovendo provisum? — *Habeatis, Patres, me excusatum si repetere videar quod mox iam auditum est.* [2] —. Nobis notum est, fuisse hominem missum a Deo cui nomen esse Ioannem, qui testimonium perhiberet de lumine, dicam, oecumenico. Hic Ioannes oecumenice cogitare sciebat, ideo et audebat affirmare, Deum posse de lapidibus excitare filios Abrahae! — Nobis veritatem *iam* [3] possidentibus officium est, ut indicemus omnes omnino teneri hac nostra veritate illuminari ad salutem, nemini vero ansam praestare sese a nobis avertendi iam modo veritatis a nobis proponendi.

Sic *ad rem veniam.* [4] Si quis textum schematis in pag. 9, sub n. 3, *de oecumenismo* [5] legat: « Deus, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, etc. ... », statim certe de oecumenismo simpliciter dicto sermonem esse credit. Dei enim voluntas est fundamentum, dicam, oecumenismi a nobis laudati. Nos igitur de oecumenismo tractantes fundamentum istud, semper prae oculis tenere debemus. Unde, humili meo iudicio, in pag. 9, sub n. 3, lin. 5, immediate post citationem, addenda *esset* [6] sententia verbis sequentibus, vel similibus expressa, *i. e.* [7]: « etsi omni iam tempore unicuique nationum om-

nium, modo ipsi idoneo, suam hanc salvandi voluntatem efficacem ostenderit, Ecclesia tamen condita per eius Ecclesiae ministerium... etc. ».

Quo enim addito, clara fit sententia Ecclesiae Oecumenismo iam a Deo semper intento ac suo modo procurato ministerio suo fovendi. Immo, cum « omni tempore » et « unicuique » nationi « modo ipsi idoneo », ab ipso Deo provisa sit salvatio, quam nunc Ecclesia suo ministerio praestat, tunc nulli nationi Ecclesia sit habenda « aliena » nec « alienae religionis » dicenda sit professio.

Hoc est forte etiam cur em.mus card. Doi optaverit ut ratione missionali, oecumenismus tractetur sensu latiori, vel etiam latissimo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ecquidem. [2] deest. [3] iamiam. [4] deest. [5] deest. [6] est. [7] deest.

Moderator: Rogantur Patres, qui de cap. II schematis *de Oecumenismo* locuturi sunt, ut iam tradant et nomen et summam sermonis secretariatui generali.

Nunc exc.mus D. secretarius generalis communicabit exitum suffragationis modo peractae circa integrum schema *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis:

Praesentes votantes		2.178
Dixerunt	*placet*	2.158
	non placet	19
	placet iuxta modum	1

Ergo schema *de sacra Liturgia* in congregatione generali probatum est. [*Plausus*].

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Occasione suffragationis ultimae in congregatione generali circa schema constitutionis *de sacra Liturgia,* verba gratitudinis erga commissionem conciliarem « de sacra Liturgia » manifestare placet. [*Plausus*].

Sodales et periti, maxime vero praeses commissionis, em.mus card. Arcadius Larraona, publice laudandi sunt, propter feliciter ... [*plausus*] ... absolutum opus quod unanimi plausu a Patribus acceptum est.

Nostros grati animi sensus pandimus etiam complorato em.mo card. Caietano Cicognani, qui multa prudentia et sagacitate commissioni praeparatoriae praefuit. [*Plausus*].

Omnes sodales commissionis strenue laboraverunt ut emendationes,

relationes, expensiones modorum quam citius ad aulam proponerentur, sive ad Ordinem Concilii, sive iuxta disceptationes, emendationes scriptas, mentem et suffragia Patrum conciliarium. Ex labore hucusque exantlato omen accipere licet ceteras quoque commissiones pari diligentia et sedulitate munus sibi a Concilio demandatum esse expleturas. [*Plausus*].

Moderator: Proxima congregatio generalis erit feria secunda, die 25 mensis, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

CIRCA SCHEMA DE OECUMENISMO IN GENERE

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

CIRCA SCHEMA DE OECUMENISMO IN GENERE *

1

EXC.MUS P. D. ANTONIUS AÑOVEROS ATAÚN

Episcopus tit. Tabudensis, coad. c.i.s. Gadensis et Septensis

Duo praecipui fines Concilii: nostrae vitae christianae recognitio et unitas christiana inter se non differunt. Verum enimvero id omnibus optandum est ut Concilium sit aperta expressio vitalitatis Ecclesiae, eiusque aeternae iuventutis, eius unitatis interioris, eius veritatis et caritatis ita ut fratres disiuncti non possint non commoveri.

Quod ipse Ioannes XXIII, felicis recordationis in ipsa sua priore Encyclica *Ad Petri Cathedram* scripsit, idemque iteravit die festo Pentecostes cum tempus Concilii praeparandi aperuit: « Eius finis praecipuus est promovere incrementum fidei catholicae et salubrem morum renovationem populi christiani et disciplinae ecclesiasticae hodiernis requisitis accommodationem.

Hoc quidem tale exemplum mirificum veritatis et unitatis et caritatis praebebit, ut eius simplex conspectus, etiam ante oculos eorum qui a Sede Apostolica defecerunt, humana erit, ut speramus, invitatio ut quaeratur et inveniatur unitas pro qua illam vividam petitionem ad Patrem fecit Iesus Christus » (Oratio Pentecostes anni 1960).

Quapropter humiliter propono ut inter exercitii oecumenici media illa a Ioanne XXIII signata praeemineant: « ut unitas familiae catholicae fulgeat ».

Unitatem dico, non tantum quae e professione unius fidei et ipsorum sacramentorum participatione, sed etiam unitatem quam socialem dicere possumus.

1. Unitas in sensu Ecclesiae rei propriae socialis. Acceptatio et usus regularum iustitiae et caritatis quae ex Encyclicis socialibus aliisque documentis pontificiis emanant.

Qualis et quanta est inopia unionis catholicorum cum magisterio ecclesiastico hac in re!

Narratiunculam audite brevem et simplicem verbis, re tamen multa significantem. Anno 1960 in quadam Europae regione, ubi maior hominum pars a fratribus disiunctis constituitur, episcopo catholico, praeses Ecclesiae illius confessionis dicebat: « Nos accusant Romano Pontifici non adsentire. Num ipsi catholici adsentiunt? A Leonis XIII diebus multa Romani Pontifices de doctrina sociali locuti sunt. Cur ergo tantum viget capitalismus in regionibus catholicis? ».

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta est.

Iterum Concilium sese aperiat ad novam invitationem populi catholici ut vere sese adhaereat Romano Pontifici, episcopis, immo ipsi Iesu Christo effectibus socialibus, quibus omnes et iustitia et amore tenemur.

2. Nonne haec erit etiam hora Dei, ut retractetur exquisita prudentia, et attento bono communi, opportunitas unificandi quosdam ritus, quorum diversitas vel in regione, nedum in ipsa urbe disiunctos et non christianos turbare potest quoad approximationem ad Ecclesiam catholicam?

3. Omnibus hominibus bonae voluntatis, maxime fratribus disiunctis, spectaculum mirificum praebeamus nostrae unitatis regiminis et actionis ad quaestiones generales, interdum anxias, quibus omnis familia humana, noster populus christianus, implicatur: cognitionem et ostensionem veritatis dico, generosum boni exercitium, amorem fraternum, practicum, realisticum.

Spectaculum unitatis in amore sincero, in directione concordi obiectorum et rationum apostolatus inter Ecclesiae hierarchiam et eius omnes cooperatores, sacerdotes, religiosos et laicos.

Spectaculum caritatis et unitatis inter sacerdotes saeculares et religiosas familias.

Haec sunt, mea humili sententia, argumenta firmissima quibus inniti debet sanus et sanctus oecumenismus catholicus.

Initio huius secundae sessionis Concilii ita Paulus VI dicebat: « Vult uti diximus, Ecclesia in Christo imaginem suam inquirere. Si quid umbrae, si quid vitii post hanc contemplationem in vultu suo, in sua veste nuptiali animadverterit, quid sponte et strenue ei est agendum? Uti liquet, nihil aliud spectet opus est, nisi ut se renovet, se corrigat, se ad eam congruentiam referat cum divino archetypo suo, quam sequi et praecipuo officio suo tenetur ».

2

Exc.mus P. D. IOSEPH BASCUÑANA LLÓPEZ
Episcopus Civitatensis

Gaudium nobis adfert Concilium thema Oecumenismo adgredi, cum modus sit certus et definitus sollicitudinem maternam Ecclesiae significandi in puncto quodam ex gravioribus nostri temporis; cum ita praesignet in hac sollicitudine filios cariores et gremio materno propinquiores; cum audiat invitationem, quam ipsi insistenter iterant, ut sincere in avulsione divisionum christianorum cooperet.

Placeret tamen nitidum propositum videre, ancipitis sensus expers, quo intricatur problema ex se satis implicatum. Optaremus etiam ut eius orientatio et eius elocutio plane duplici optatui dialogi responderet: ut eius tenor pastoralis congruus esset, et eius visio oecumenica genuina.

I. *Schematis structura.* Schema exigit amotionem cuiusdam defectus aequilibrii, quo multiplici causa totius harmonia et convenientia disturbatur:

1. In primis, non satis conveniunt « Constitutio » dogmatica *de Ecclesia* et decretum *de Oecumenismo*: *a*) ibi enim ex una parte, de christianis

acatholicis loquitur (cap. I, n. 9), et ex alia, de his qui Christi fidem non receperunt (cap. I, n. 10). Expectandae essent igitur normae disciplinares respicientes primum ad Oecumenismum, deinde ad Missiones. *b*) Sed cum decretum Oecumenismum adgreditur, fere tantum Hebraeos respicit ex eis qui christiani non sunt. Quapropter decretum primam sectionem exsuperat (loquitur etiam de non christianis) et secundam non perficit (quia videtur restringi ad Hebraeos).

2. Cohibet, praeterea, indolem documenti: *a*) Titulus generalis decreti *de Oecumenismo* in mentem revocat conceptum communem, quem magisterium ecclesiasticum in hac re servat; quod quidem et vividius exprimit descriptio quae in paragrapho tertia invenitur, ubi de motu seu ordinata actione loquitur ad unitatem *christianorum* praecise fovendam (cap. I, n. 3). *b*) Aliunde tamen, titulus cap. I hunc motum refert non ad « motionem oecumenicam » de quo Pontifices locuti sunt, sed ad « Oecumenismum catholicum ». Intentio novatrix hoc roboratur, quia inter protagonistas, non tantum christiani verum etiam Iudaei numerantur.

II. *Pastoralis dimensio.* Hoc in prospectu quaedam suggerimus:

1. Notare oporteret actionem oecumenicam nihil esse praeter quam aspectus functionis salutiferae, qua Mater Ecclesia per saeculorum decursum fungitur erga omnes homines, singularia eorum adiuncta respiciendo.

2. Iustificanda esset sensibilis inflexio disciplinae ecclesiasticae in hac re, rationes detegendo quibus Ecclesia nunc comiter et fidenter admittit quae antea maxima cum cautela et timore respexit.

3. Perfici elocutio ita deberet ut eius proprietas theologica et perfectio catechetica ancipites dictiones secludat, ne aliqui fideles falso intelligant Oecumenismum innovationem in fide comportare.

III. *Respectus oecumenicus.* De hoc aspectu:

1. In documento adhiberi putamus categorias accessibiles et probabiles fratribus disiunctis, necnon benevolentiam erga eos significari. Sed excludenda essent: *a*) omissiones patentes in enumeratione colloquentium (ut Valdensium, ante saec. XVI disiunctorum), ne suspicatiae suscitentur, neve inimicitiae ingrassentur; *b*) nimium schematismum in propositione eorum dogmaticae, ne ridiculam effigiem eorum doctrinarum fingamus.

2. Sunt qui timeant, ne, si Ecclesia ad dialogum aperte veniat, simultas vel competentia oriatur inter labori oecumenico deditos. Nonne quiescerent: *a*) in quantum fieri possit motum oecumenicum iam progredientem confirmando; *b*) expresse desiderium significando cooperationis Ecclesiae catholicae quatenus fidelitas nostrae doctrinae seu « Credo » patiatur?

Non erat in votis declarationes concretas prodere, sed potius notare principia informantia indolis propriae nostri documenti sive schematis decreti. Vota igitur exprimimus ut:

1. Constitutio *de Ecclesia* colligat et accurate conficiat elementa dogmatica ad unitatem pertinentia summa sive synthesi quadam ut fit in cap. IV sanctitati dicatum;

2. Elocutionem ita curet ut fideles catholici cognoscant in Decreto traditionalem doctrinam de unitate Ecclesiae; et

3. Decretum *de Oecumenismo* quaestioni specifice a fratribus disgregatis propositae circumscribatur, ab aspectu mere disciplinari perspectum.

3

EXC.MUS P. D. RAIMUNDUS CAESAR BERGAMIN
Episcopus Padangensis

Non essendoci più tempo d'intervenire in aula, e sentendo di dover pur compiere il mio dovere, eccomi a presentare per iscritto ciò che in questi giorni vado ripensando nella mia mente. Sono due questioni che mi pare si possano risolvere in una.

È ben noto oramai quanto grande sia l'aspettazione del mondo nei riguardi di questo Concilio, il popolo cristiano ed i popoli non cristiani. Forse non è altrettanto manifesta quanto grande sia l'aspettazione di noi missionari. « Questo sarà un Concilio Missionario! » si pronosticava con la viva speranza che lo fosse.

È la gran parte del mondo — fuori dell'Ovile — che deve maggiormente preoccupare la Chiesa, suo primo impegno e dovere, sopra ogni altra questione e problema.

Se questo Concilio non troverà la strada per impostare un organico piano alla evangelizzazione del mondo, questa rimarrà ancora, e chissà per quanto tempo, solo un affannoso travaglio di *pochi uomini volontari* con *mezzi precari ed insufficienti* per questa impresa mastodontica di trasformare il mondo intero.

Grave delusione per tutti i missionari, se dopo questo Concilio, le nostre opere dovessero riprendere il solito passo di sempre, con la triste previsione che i nostri cattolici ed il ritmo delle conversioni saranno sempre più inferiori nella percentualità allo sviluppo demografico.

Lo schema « De Missionibus » non è ancora stato affrontato, ma dai primi tentativi sembra non venga dato ad esso quella decisiva importanza, quale invece deve avere nell'anima della Chiesa di Cristo. Chiesa che Gesù ha fondato *per essere missionaria*. Vedo quanto mai logico quindi che il problema missionario entri nello stesso schema della Chiesa.

« Chiesa in stato di missione », si dice spesso. Ma sembra invece che questo sia uno slogan di moda che serva a chiudersi dentro le proprie frontiere, anzichè lanciarsi alla conquista. Il grido angoscioso di Gesù delle altre pecorelle da portare all'ovile quanto poco interessa il mondo cattolico! anche il clero e l'Episcopato stesso. Non è una esagerazione dire che il 90% dello sforzo della Chiesa oggi si trova impegnato a conservare, anzichè a conquistare.

Il Concilio ha affrontato lo schema *de Ecclesia, de regimine Ecclesiae.* Mi

pare quindi sia giunto il momento di studiare il problema « de missione Ecclesiae ». E mi pare si potrebbe sotto questo titolo concertare uno schema con cui il Concilio può dare la sua risposta al mondo intero; per essere veramente « pastorale » quale lo volle Papa Giovanni di v. m.; una voce chiara e solenne a tutti i popoli della terra.

Ed ecco come lo vorrei impostato:

Schema *de Missione Ecclesiae Christi*:

a) de eius Missione ad unitatem fidei in veritate et libertate religiosa;
b) de eius Missione ad confirmationem fidei in filiis Ecclesiae catholicae;
c) de eius Missione ad unificationem christifidelium (ortodossi e protestanti);
d) de eius Missione ad iudaeos;
e) de eius Missione ad mahumetanos;
f) de eius Missione ad omnes cuiuscumque religionis (pagani e infedeli);
g) de eius Missione ad atheos.

Questo è il vero « Ecumenismo », che abbraccia tutti gli uomini della terra. E così mi pare pensasse Cristo quando guardava al mondo da conquistare a Lui.

Note: Da questo schema dovrebbe scaturire più chiaro ed impegnativo il dovere di cooperazione di tutti alla evangelizzazione del mondo: dei Vescovi, in primo luogo, che se si sono circoscritti in una diocesi, non fu per volere di Cristo, ma per una impostazione d'ordine successivo. Che se non li fa « euntes in mundum universum », non li esime però affatto di lavorare in solido alla conversione del mondo.

Ho detto che tutto il lavoro di espansione della Chiesa al giorno d'oggi poggia unicamente su ben magre forze: pochi uomini volontari e scarsissimi mezzi, nonostante le forti e storiche Encicliche dei Pontefici! I sussidi di Propaganda ci permettono di vivere (e semplicemente vivere) per qualche mese all'anno. E il resto? Ecco che i missionari per provvedere alla vita, per concretare le esigenze del loro zelo sono costretti a mendicare, mendicare sempre, fino ad essere importuni molto spesso. Ma non è per se stessi: è perchè sanno che la Chiesa deve compiere la sua missione ed avanzare sempre.

C'è un precetto, che è quello di « sovvenire ai bisogni della Chiesa » che vale per tutti i cristiani. Ma molto spesso non è adempiuto perchè non è capito. È entrato oramai nel concetto comune che esso non va oltre all'ombra del proprio campanile. Mentre invece i « bisogni della Chiesa », i primi e più urgenti, sono appunto le Missioni.

Il decoro, l'arte, lo splendore del culto di certe chiese, canoniche, episcopi, sono cose belle; ma con un po' di misura, di modestia, di risparmio (vide Ecclesia pauperum!), quanto più ci sarebbe da erogare alle Missioni per potenziare come si dovrebbe l'opera della evangelizzazione del mondo!

Che il Concilio serva a formare in tutti i Padri conciliari una vera e fattiva « coscienza missionaria ».

L'esempio viene dall'alto. Lo si vede in pratica: se il Vescovo è missionario anche il clero ed il popolo sarà missionario.

(Se mai avessi espresso meno giustamente la mia idea ne chiedo venia perchè mi si voglia perdonare).

4

EXC.MUS P. D. CAROLUS A. BUSWELL

Episcopus Pueblensis

Inter huius aetatis mirabilia, haud minimum est vitalis ista tendentia quae motus nuncupatur oecumenicus. Merito proponitur hoc thema pro consideratione huius Concilii, et schema praeparatum a secretariatu ad fovendam unionem christianorum succincte adumbrat doctrinam catholicam. Sane, offertur documentum pro orientatione discussionis conciliaris, et animadversiones emendationesque expectat.

Stricta definitio oecumenici huius phaenomenis, quod S. Officium in Instructione sua a. 1949 recte flatui Spiritus Sancti attribuit, non dari potest. Est enim sicut ventus ubique spirans, ex tota sua essentia mobilis, ita ut facies eius alia et alia est in decursu dierum. Aliqualis descriptio non prorsus inadaequata sine temeritate dari licet. Est motus oecumenicus multiplex actio ad trahendas ad invicem separatas ecclesias quae nomine Christi gloriantur, per legatos qui, testando fidem qua vivificantur in caritate non ficta, aliis tradent suam intelligentiam Evangelii, necnon dociliter recipiunt testimonia aliorum christianorum, sperantes Spiritum Sanctum in suo tempore et suo ineffabili modo usurpaturum fore hoc medium dialogi ad reducendas disunitas ecclesias ad unitatem quam Christus praecepit.

Per categorias abstractas et staticas, hoc phaenomenon intelligi nequit, et enixe rogo ne conatus fiat ut tali modo comprehendatur. Suo proprio pondere movet, et quo vadat nobis est hucusque ignotum. In spe peregrinamur, et visio ultimi termini non nobis conceditur. Christiana spe hic motus procedit, et christiana caritate animatur. Solis his virtutibus hanc gratam realitatem experiri possumus. Attamen, motivum forte ad talem laborem praestatur ex eo quod unio vera omnium discipulorum desiderium anhelans est D. N. Iesu Christi.

Schema nobis oblatum haud indigne elementa principaliora oecumenismi praesentat. Recte insistit oecumenismum efficacem requirere ex parte nostra paenitentiam pro nostris peccatis contra fratres nostros qui hoc propter ad separationem tentati sunt. Neque sufficit contritio propter peccatum praeteritum, sed etiam propter praesentem nostram tepidam caritatem hic et nunc separationem tolerantem aequo animo, et sine conatibus efficacibus quibus per amorem corda fratrum alliciantur.

Forsan obiici potest schema hic et illic usurpare locutiones quas fratres nostri lamentare queunt. Uti fas est, in schemate ecclesiae orientalium ut tales explicite vocantur. Quare non similiter nominantur greges christianorum separatorum in Occidente. Ecclesiasticae communiones esse volunt, et per ta-

les fraternitates Deum verum et Iesum Christum filium eius colunt et adorant. Nonne gratius esset de ecclesiis ipsorum loqui? In alio schemate de ecclesiologia catholica tractavimus. Hoc in schemate, in rigore ecclesiologiae catholicae non versamur. Supprimatur vox ista offensiva « communitates » ad designanda ecclesiastica protestantica corpora.

In praesenti momento dialogi, christianis extra communionem romanam versantibus vix clarum est se ad Ecclesiam romanam vocari. Credunt omnino in unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam, et huius Ecclesiae Christi membra esse volunt iuxta mentem Christi, in quantum haec mens illis innotescit. Haec voluntas eorum sincera est et genuina. Sed hodiernis in adiunctis, illis impossibile est identificare Ecclesiam symboli nicaeni cum Ecclesia catholica romana. Proinde evitandae sunt locutiones et insinuationes quarum sensus est ut christiani a nobis separati regressum dirigant ad communionem nostram. Non obstante eorum bona voluntate, hoc est pro illis verbum durum quod supportare nequeunt. Ne utamur tali verbo. Hoc non est quia evangelium erubescimus, neque quia non credimus Ecclesiam catholicam romanam esse ipsissimam Christi Ecclesiam, et multo minus quia denegamus extra Ecclesiam non esse salutem. Ratio unica silentii est ut colloquia fraterna cum fratribus continuare valeamus. Permulta sunt nobis pertractanda in nostro dialogo neque omnia simul exponi possunt. Ne insistamus igitur in consideratione alicuius quaestionis quapropter colloquium dolorose rumpatur. Tempus nobis restat, et motus oecumenicus constanter novas evolutiones patitur. Sub ductu Spiritus in quo est spes nostra, oecumenica actio in futuro proponet momentum opportunum discussionis quaestionis de identificatione Ecclesiae Christi cum Ecclesia catholica romana.

Ne obliviscamur unionem christianorum hodie non fieri posse nisi per unionem dialogi, arctioremque unionem tantum in futuro quaerendam esse. Pro momento igitur id quod exigitur a nobis est generosa acceptatio colloquii, quod prosequi debemus sinceritate, amore, et simplicitate cordis. Motus oecumenicus non vult polemicas instituere; e contrario, polemica discussio est omnino evitanda.

Haec praeoccupatio pro dialogo sistit solide in principiis catholicis. Dialogus fraternalis est exercitium maximarum virtutum a D. N. Iesu Christo petitarum. In dialogo datur opportunitas ad dandum testimonium evangelio in adiunctis veritati propitiis. En impletio mandati Domini ut eamus docendo. Similiter ipsa participatio cordata in fraterno colloquio est exercitium caritatis, quae est virtus Christo principaliter carissima.

Proinde in confectione nostri decreti de oecumenismo sedulo a nobis est laborandum. Caveamus ne obstacula ponamus ad efficaciam actionis quam Spiritus Sanctus benigne et amanter introduxit in mundum ad uniendos separatos christianos. Ne quid nimis a motu oecumenico petamus et simus memores patientiam pertinere ad hoc opus praeclarum. Simus prompti ad amplectendam voluntatem Spiritus paratique ad expectanda illa quae nobis in suo tempore dabit.

[*Subscripserunt etiam*] Leo A. Pursley, Fort Wayne - South Bend; Carolus Helmsing, ep. Kansas City - St. Ioseph; Stephan A. Leven, ep. aux. S. Antonii; Victor J. Reed, ep. Oklahomapolitanus et Tulsensis; Floyd L. Begin, ep. Quercopolitanus.

5

EXC.MUS P. D. PAULUS BUTORAC
Episcopus Ragusinus

De methodo oecumenica. Sic dicta *oecumenica methodus* significare potest, ut aliqua christiana confessio validum quod elementum, in alia confessione repertum, imitari exoptet atque exinde acceptet et in praxim deducere conetur. Sed non significat, ut omnia, licet valida, unius confessionis elementa ab alia accipi oporteat. Penes communitates quasdam, quae recentiore aetate in reformatorum occidentalium ambitu institutae reperiuntur, non statim dicendum vitae communis formas ad catholicarum instar erectas esse, licet magnam praeseferant similitudinem, sed conatu quodam proprio, perscrutando evangelicam mentem, electos viros mulieresque viam invenisse, quae ipsos ad sueta tria regularium vota amplectenda conduceret. Et quis nostrum neget etiam extra nostrae catholicae Ecclesiae ambitum Dei Spiritu animas moveri posse? Nonne spirat, ubi vult, et nescitur, quo vadat (*Io.* 3, 8)? Oecumenicus sensus vere persuadet hominibus, ut quod penes alios imitandum reperitur, imitari non pigeat, sed exinde deducendum non est individui libertatem auferri. Immo vero praeteriri non licet certamen quoddam nobile inter varias confessiones auspicari, quod tamen difficultatibus non sit expers. Si enim elementum quod unius confessionis in aliam introducendum videatur, nonne occasio detur, ut extraneum quoddam corpus in alienum intromittatur ens sicque forsan posteriora peiora fieri prioribus? Res haec dum consideratur, ne oblivioni detur traditionis radices vi evelli non oportere, immo nec sapienter quidem, saltem suete, agi, si traditionis radix expungatur. Nos catholici, qui in nostra Ecclesia authenticae Christi Ecclesiae notas indistructibiles conspicimus, attendere debemus, praesertim in rebus, quae nunc in orbe sunt, non modo theologica ponderari unionis faciendae motiva, sed neque alia quoque (socialis politicaeque vitae) momenta negligenda prorsus, proindeque omnia haec commensurari oportere, ut recte iusteque sic magni ponderis res intelligatur admoveatur promoveatur. Si omnes reformatorii motus associationes, quocumque ferantur titulo, in unum coaluerint, ut Christi Domini divinitatem sincere firmeque agnoscant, iam ob hanc communem Christi Dei confessionem nos, qui romanae adhaeremus Ecclesiae, manus corda ad Christi eiusque benignissimae Matris Corda erigi oporteret pro hac summa acquisitione humillimas agentes gratias. Et hoc exordium esset felicissimum, quod primo instanti nos laetitia communi afficeret. Postea Spiritus unitatis, qui in Sanctissima Triade Patrem Verbo inseparabiliter unit, nosterque ad invicem amor, quod reliquum est conaminis, efficere valebunt. Mens oecumenica vim suam efficaciamque ex Evangelii limpido fonte hauriet

absque dubio. Sed speramus fore ut traditiones ecclesiarum non negligantur. Absque traditione enim vix una ex maioris ponderis quaestionibus felicem nancisci exitum valebit. Addendum quoque quid maioris adhuc ponderis: Spiritus ne exstinguatur quidem, spiritus enim vivificat. Secus omnes inter variarum confessionum adhaerentes occursus, licet amicissime quidem peragantur, conventionum politicarum similitudinem gerere videbuntur religiosique motus notas faciliter perdere pergunt. Et quid nos catholicos prohibet, quominus summam attentionem summumque adhibeamus studium motui fratrum reformatorum tezeanorum (Taizé in Burgundia), qui ipsorum studia oecumenica spiritu imbui satagunt? Ergo spiritus ne exstinguatur! Immo vero, ubi spiritus persentitur, res Deo placitura Deo auxiliante augeatur prorsus!

6

EXC.MUS P. D. IRENAEUS CHELUCCI
Episcopus Ilcinensis

Exsultantibus animis accipiendum quidem est schema quod *de Oecumenismo* inscribitur.

Si aliae quaestiones in utramque partem disputatae sunt et nonnullae vehementius forsan quam par erat, nulla quantum scio opinionum diversitas hactenus in hac quaestione fuit, quin etiam unum studium, una voluntas, unum desiderium in omnibus unitatis restaurandae cum fratribus separatis. Hic sane optimus est fructus huius Concilii Oecumenici, qui antiquum maerorem delet, ineffabili gaudio animos nostros replet, laetitia Ecclesiam Dei sanctam afficit, cui nullum aliud nomen magis aptatur quam illud *tès agàpes procatemène.*

Divinus Spiritus opera visibili apparuit vere pacis advocatus, consolationis auctor. Etiamsi nihil aliud referre possimus de Concilio, hoc satis erit ut cum inspirato Psalte dicatur: « Venite, exsultemus Domino, acclamemus Petrae salutis nostrae ».

Qui bene incipit, ut est in vetere proverbio, iam operis medietatem assecutus est; sed non est tacendum magis quam medietatem aestimandam esse integritatem. Si ea deficiat, totum opus deficit adeo ut Evangelium iure meritoque moneat irrisui esse omnibus qui opus inceptum consummare non potuerit. Quod ne eveniat necesse est:

1. Propositum schema approbare cum opportunioribus quidem emendationibus praesertim circa communionem cum acatholicis ne imprudens zelus convertatur in periculum.

2. Praebere universo mundo exemplum praeclarum perfectissimae unionis cum Christo et inter nos ut omnes aedificentur et ad imitationem suaviter inducantur.

3. Fiduciam magnam habere, non in nobis, non in nostris laboribus, sed in Deo. Nam neque qui rigat, neque qui plantat est aliquid; qui incrementum dat Deus est.

4. Omnis collis humilietur, omnis vallis adimpleatur viaeque asperae explanentur, ita tamen ut veritas non extenuetur neque taceatur. Debemus enim ubique esse testes Christo Domino nostro usque ad extremam terram, usque ad effusionem sanguinis, quemadmodum fecerunt et facere pergunt haud pauci ex fratribus in episcopatu. Omni, inquam, veritati quae in verbo Dei vel scripto vel relato continetur, et tamquam a Deo revelata sive sollemni sive ordinario universali Ecclesiae magisterio credenda proponitur.

Dixi « ut veritas non taceatur » quam tacere omnino non licet quando illam praedicare iubeat Dei honor, animarum salus; vel silentium pro negatione valeat omnibus circumstantiis consideratis.

5. Magna fiat diffusio publicationum in quibus recte, clare divinae virtutes exponantur, quas Ecclesia docet, et exponantur modo congruo hodiernae formae mentis et arte scribendi propria nostrae aetatis.

6. Ad publicationes addantur lectiones per viros cum ecclesiasticos tum laicos vere peritos in quaestionibus quae maxime disputantur inter catholicos et acatholicos.

7. Omnia fiant quae in schemate sapienter suggeruntur in patientia, doctrina, caritate, viva expectatione operis Dei gratiae, quae sola convertit animas.

8. In Christo Iesu petra angularis ostendatur cuius visibilis forma manet et manebit *Petrus* usque ad consummationem saeculi, Petrus vivens in suis successoribus.

Optatissimis fratribus dissidentibus qui primatum formidant et tamquam unicum considerant impedimentum restaurandae unionis testis unusquisque catholicorum sit verbis et factis primatum iurisdictionis, in actu exercito, oneris potius quam honoris, servitii potius quam dominationis, ut Summus Pontifex, quocumque nomine appellatur, vere sua possit facere verba Christi: « Veni ministrare non ministrari ».

7

Exc.mus P. D. FRANCISCUS COSTA
Episcopus Cremensis

1. Problema oecumenicum tale est ut etiam cuiuscumque Italiae Episcopi interesse valeat, duabus praesertim de causis: nempe eo quod una cum quaestione missionaria sit unum ex primariis Ecclesiae propositis, ideoque — pari iure ac munus missionarium — omnes episcopos Ecclesiae concernat; item eo quod hodie necessitudines inter populos adeo stricte evaserint, ut etiam Italiae cives, operis vel officii causa, seu etiam mentis culturae vel delectationis (vulgo: turismo) huc illuc peregrinantes, occasiones habeant in regionibus exteris commorandi, ubi fratres separati plurimi sint, et cum iisdem necessitudines et amicitias ineundi. Caput igitur de oecumenismi exercitio in sua substantia probo atque laudo.

2. Attamen optarem ut clare affirmetur, et in conscientiam omnium inculcetur, ultimam rationem divisionis inter christianos ex mysterio peccati potissimum esse repetendam. Hoc debet apparere in nostro capite de oecumenismi exercitio.

Hac etiam de causa approbo quod in schemate aperte docetur, esse scil. fidandum in primis orationi et spirituali renovationi, i. e. iugi conatui sanctificationis, ut iustus oecumenismus, qui dicitur, ad exitum deducatur.

3. Quoad normas ad exercitium oecumenismi, oportet, ut patet, ut cum veritate et caritate proponatur.

Veritas exigit praeprimis ut in schemate principia doctrinalia recte definiantur, in quibus catholicorum opera seu activitas oecumenica fundetur, et a quibus activitas ipsa dirigatur.

Oecumenismus enim non debet esse tantum motus animi sensibilis nec cordis — licet pulcherrimum — auspicium, sed, omni qua par est claritate, conceptibus definiri debet, ita ut vere unitati iuvamen afferat neque ullo religiosi relativismi periculo indulgeat.

Caritas autem iubet ut in lucem proferantur omnia quae cum fratribus separatis nos coniungunt, maxime cum iis qui nobis propriores sunt situ, stirpe et consuetudinibus vitae, scilicet protestantes, qui dicuntur.

Ex hoc capite oportet declarare quomodo communis amor et veneratio erga verbum Dei in Sacra Scriptura contentum, elementum sit quod nos coniungit, magisque in dies coniungere debet, cum fratribus propter reformationem saec. XVI separatis. Licet enim in comperto sint diversa esse interpretationis criteria, certo certius communis huiusmodi amor in Sacram Scripturam est nobis et illis pariter vitae christianae alimentum, veraeque interioris renovationis necnon sinceri et efficacis testimonii vitae propter Iesum Christum.

Opto enim ut in lucem proferatur communis voluntas, qua imbuimur, ut testes sinceri efficiamur doctrinae et spiritus Iesu Christi. Placet ad hoc in memoriam revocare quomodo catholici cum fratribus separatis sese coniunctos senserint, et reapse fuerint, ex eo quod socii in eadem persecutione evaserint, in gravissimis illis tempestatibus, non adeo longe elapsis.

Carum est nobis debitum honorem illis catholicis et protestantibus tribuere, qui commune heroicum testimonium perhibuerunt in publicis custodiis seu — uti dicunt — « campi di concentramento ».

4. Valde opportune propositum schema in capite secundo ad numerum 11, loquens de cooperatione cum fratribus separatis, magnum momentum tribuit communi labori in re sociali. Pondus problematum quae in hoc ambitu agitantur et gravis actio quam in eo materialismi vires exercent, requirunt in hac re sociali mutuam conspirationem et operam eorum omnium qui Christi doctrinae adhaerent, dum omnes a communi consideratione ordinis naturae procedunt et a socialibus principiis in Revelatione christiana contentis.

Utile erit opus, si schema aperte declaraverit proposita seu fines asse-

quendos huiusmodi cooperationis: ea scilicet ad hoc intendit ut ad rem deducantur consilia Dei providentis, etiam in ordine boni temporalis; sed praesertim intendit ad firmanda etiam in re sociali bona spiritualia, inter quae eminent libertas personae, tutela iurium familiae et conatus ad veram pacem stabiliendam, quod est fundamentalis hominis christiani in rebus temporalibus hodiernis vocatio.

5. Hoc autem videtur quam maxime necessarium ut in singulis quibusque regionibus aliqui sacerdotes specialiter praeparentur (« sacerdoti specializzati »), qui non modo catholicam doctrinam bene cognoscant, sed etiam optima cognitione polleant tum doctrinae tum mentis et animae culturae fratrum separatorum. Hi sacerdotes, enim, necessarii sunt ut conventus vel cooperatio inter catholicos et fratres separatos prudenter et fructuose procedant. Hinc optandum videtur etiam ut aliquot institutiones, ut ita dicam, in unaquaque natione ad tales sacerdotes praeparandos exurgant.

6. Cultus eucharisticus feliciter nos coniungit cum fratribus carissimis Ecclesiae orthodoxae, mirabile scilicet unitatis christianorum principium seu sacramentum; etenim Iesus Christus Eucharistiam instituit ut « sacramentum unitatis ».

Quamvis doctrina de Eucharistia nos seiungat in genere a fratribus protestantismum profitentibus, attamen nobis placet in mentem revocare saltem commemorationem Coenae Domini apud plerosque ex illis in honore permansisse; porro vestigia quaedam apparere apud quosdam maioris considerationis Eucharistici mysterii quod attinet ad Christi realem praesentiam. Quare non inutile putamus votum exprimere ut fratres separati pergant in profundiorem intelligentiam mysterii Coenae Domini; item oratio ardens et iugis ad Deum est elevanda ut Corpus et Sanguis Christi fiant quam citius signum et causa unitatis, et ut fratres illi saltem qui illius Mensae iam participes sunt, sanctitate eucharistica viventes huius unitatis operarii ferventes efficiantur.

7. Demum, ut exercitium oecumenici laboris catholicorum recte intelligatur et peragatur, auspicamur redactionem cuiusdam Directorii officialis, quod — respectum habens etiam ad diversas cuiusque regionis condiciones — opportunas praebeat oecumenicae actionis dirigendae normas.

8

Exc.mus P. D. PAULUS DALMAIS

Archiepiscopus Arcis Lamy

Hoc schema in genere mihi valde placet quia, in re tam maximi momenti, veritati et caritati satisfacere laudabiliter conatus est. Gratias agere debemus secretariatui pro unitate christianorum quod tali documento, et quidem solemni modo, spiritum Oecumenismi in Ecclesia catholica instauraverit. Si, ut speramus, substantia huius tam ponderosi schematis a Patribus concilia-

ribus approbatur, via late aperietur ad dialogum prosequendum cum fratribus christianis a nobis separatis. Aliquas animadversiones proponere velim.

a) *De titulo « de Oecumenismo ».*

Nonnulli patres impugnaverunt vocabulum « Oecumenismum » hic usurpatum arguendo de eius ambiguitate, cum involvere possit varios sensus, i. e. catholicum sensum in expressione « Concilium Oecumenicum » et non catholicum in expressione « Motus Oecumenicus ». Censeo, e contra, hoc vocabulum usurpatum esse legitime a catholicis in expressione « Dialogus Oecumenicus » et aliis. Si repudiare deberemus tale vocabulum quia intelligi posset in sensibus diversis, simili modo repudiare deberemus et vocabulum « *Ecclesia* » qui non in eodem contextu intelligitur a catholicis et non catholicis, et multa alia vocabula, unde nullus dialogus iam fieri posset cum fratribus nostris separatis.

b) *De sic dicto « Motu Oecumenico ».*

Schema bene illustrat elementa christiana positiva quae cum gaudio nos catholici agnoscere possumus apud fratres nostros separatos. Inter haec elementa, mentio fit per allusionem sic dicti « motus Oecumenici » et piae aemulationis ad unionem fovendam, quae, Dei gratia, tanta sumpsit incrementa his temporibus inter fratres nostros separatos. Doleo tamen quod in schemate nostro non clarior mentio facta sit huius « motus Oecumenici » et nihil dicatur de doctrina et positione Ecclesiae catholicae relate ad « *Consilium mundiale Ecclesiarum* ». Optarem ut explicite laudetur in textu Conciliari labor iam a multis annis effectus in sic dicto «consilio », sub impulsu certo Spiritus Sancti etiamsi Ecclesia catholica qua talis huic « consilio » aggregari non possit. Talis declaratio esset ex nostra parte actus sincerus iustitiae et caritatis.

c) *De opportunitate rerum tractatarum in schemate.*

Ad mentem multorum episcoporum, insertio in schemate cap. IV « de catholicorum habitudine ad non christianos et praesertim ad iudaeos » mihi non placet, utpote inopportuna. Talis declaratio « de Iudaeis » quamvis intrinsece legitima et iusta, hic locum non habet, cum agatur « de Oecumenismo », scil. de unione fovenda inter christianos. Locum melius invenire posset in schemate *de Ecclesia* quando tractatur de historia salutis et de relationibus inter Vetus et Novum Testamentum. De non christianis tractare deberemus in alio loco, verbi gratia in schemate *de praesentia Ecclesiae in mundo hodierno*. Et insuper, liceat mihi enixe rogare ut non pari passu loquatur de Iudaeis, de Mohametanis et de sic dictis simpliciter paganis. Religiones quae multa profitentur a revelatione Mosaica derivata non sunt ibidem collocanda ac paganismus. Ut dicitur gallice: « Il ne faut pas mettre tout le monde dans le même sac ».

[*Subscripserunt etiam*] Louis Gaumain, év. de Moundou; M. Bernard, arch. Brazzaville; I. B. Fauret, év. de Pointe-Noire; I. I. Adam, ep. Liberopol.; I. Wolff, arch. Diego-Suarez; Henri Véniat.

9

Exc.mus P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER
Episcopus Camposinus

1. Deus vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. In hunc finem Ecclesiam suam, catholicam nempe, sub ductu sui vicarii, Romani Pontificis, in mundo condidit usque ad finem saeculorum duraturam. Eadem salvifica universali voluntate, omnibus hominibus gratiam sufficientem dat Deus ut veritatem agnoscant et veram Ecclesiam ingrediantur, ita ut Ecclesia catholica unica sit via ordinaria ut homines salventur. Propterea Dominus Iesus Christus, pridie quam pateretur, Patrem suppliciter rogavit ut omnes unum essent, non aliam unitatem prae oculis habens quam unitatem Ecclesiae suae.

Haec omnia essentialia sunt ut fundamentum cuiuscumque formae oecumenismi veri nominis. Iamvero, in schemate nobis proposito, mea humili sententia, haec non exponuntur dilucide, et interdum subobscure ita ut in erroneum conceptum inducere possit et periculum creare pro praxi veri oecumenismi.

a) Primatus Romani Pontificis in universam Ecclesiam, in pastores et fideles — quae doctrina essentialis est pro vero Oecumenismo, cum Romanus Pontifex sit principium unitatis super quod exstruitur templum, scilicet, Ecclesia, in cuius sinu unitas a Christo exoptata verificari debet (cf. Vat. I, const. *Pastor Aeternus*) — diluitur in expositione de fundamento apostolorum et prophetarum. Tamen nota verae Ecclesiae, omnium notarum notissima, est eius character, ut ita dicam, Petrinus, seu Romanus. Immo, si haec doctrina a nobis non proponitur clare, facile fallaciosi videremur, ita ab omnibus huiusmodi nota ut propria Ecclesiae catholicae consideratur.

b) Schema tot et tanta commemorat media salutis extra Ecclesiam catholicam, ut suspicari liceat quaestionem de ingressu in Ecclesiam catholicam esse de « magis et minus », non de vera necessitate. Immo, actio Spiritus Sancti recognoscitur etiam in ecclesiis non catholicis, quasi Paraclitus pariter ageret in Ecclesia catholica et in aliis ecclesiis eodemque modo hinc inde fructus sanctificationis pareret. Etiam haec non videntur recte dicta. Spiritus Sanctus agit per se in Ecclesia catholica cuius anima est; per accidens, in cordibus non catholicorum qui bona sunt fide, non autem proprie in ecclesiis non catholicis. Quae omnia, mea humili sententia, clare exponenda sunt ne quis credat plures esse ordinarias vias salutis, inter se distinctas, non ex nota aliqua specifica, sed tantum ex maiori minorive plenitudine mediorum salutarium qua unaquaeque gaudeat.

c) Etiam explicite de auxilio gratiae quod omnibus hominibus in finem vitae aeternae adipiscendae dat Dominus sermo fiat necesse est in schemate: ne credatur vel quod Deus hominibus aliquid impossibile proposuit, vel quod possint ordinarie homines extra viam salutis inveniri sine ulla culpa;

ne consideretur quaestio de oecumenismo ut quaestio de praeiudiciis, quae colloquiis et mutua utriusque partis cognitione solvantur; ne negligantur cautiones adhibendae a catholicis, ad fidem tuendam, in colloquiis et collaborationibus cum acatholicis.

2. Praeterea, schema nimium videtur. Plura amplectitur quae melius alibi tractarentur. Praeter principia generalia oecumenismi catholici et normas practicas eum prosequendi (cap. 1 et 2) habet etiam quaedam de Ecclesia Orientali, de communitatibus inde a saec. XVI ortis (cap. 3), ac de Iudaismo (cap. 4).

Non videtur autem conveniens ut decretum conciliare de oecumenismo ad has particulares quaestiones descendat.

Ceteroquin, si de singulis religionibus agere cuperet schema, non videretur cur non de mahumetanismo, de buddhismo, de confucianismo et de ceteris, etiam sermonem faceret. Et in adhaerentibus his religionibus plures inveniuntur bonae voluntatis qui ultra superstitiosos cultus ad verum Deum accedere optant. Mea humili sententia, decretum conciliare de oecumenismo nonnisi principia generalia quibus motus oecumenicus innitatur et normae practicae quibus secure et fructuose pergat, exponere debet. Huiusmodi principia et normae viam rectam ostendent christianis qui vero oecumenismo inservire desiderant.

3. Ultima animadversio. Schema loquitur de afflatu Spiritus Sancti in omni mundi parte (pag. 9, lin. 11; pag. 16, lin. 3) ad unitatem religiosam obtinendam. Verum est in mundo plures conatus fieri ad huiusmodi unitatem. At quaestio poni potest utrum sint ad illam unitatem quam Christus postulabat a Divino Patre, an ad quandam unitatem religiosam, abstractione tamen facta de diversitate doctrinali quae inter varias religiones viget, ita ut in illis conatibus desiderium inveniatur alicuius religionis plusminusve sine dogmatibus, modernistica ergo labe vitiatae. Pragmatismus quem materialismus peperit hanc religionem sentimentalem prosequitur, potius quam veram illam unitatem in veritate suppliciter a Christo exoratam. Prius ergo, mihi videtur, deberet schema ostendere exsistentiam afflatus Spiritus Sancti, ut postea illo fulcitus audacter ad unitatem procederet.

Conclusio. Schema videtur retractandum plusminusve hoc modo:

1. Principia generalia tantum exponat, omissis capitibus de singulis coetibus hominum sub aspectu religioso;

2. Clare loquatur de primatu Romani Pontificis, Christi vicarii, sub quo unitas christianorum in vera Christi Ecclesia obtinenda est. Inde nota 9 cap. I ad textum transferatur;

3. In cap. II notae 4, 5 et 6 ad textum transferantur, et in genere in actionibus cum acatholicis communibus valde commendentur cautiones pro tuenda fide catholicorum, etiam cum de collaboratione in campo mere oeconomico agatur, ut monebat S. Pius X scribens ad episcopos Germaniae.

10

EXC.MUS P. D. IOSEPH FENOCCHIO
Episcopus Apuanus

1. Finis huius schematis est viam ostendere quae aptior sit ad unitatem inter varias confessiones quae nomine Christi appellantur, seu ad obtinendum reditum fratrum separatorum ad veram Ecclesiam Christi.

Ad unitatem laborare intendimus: ad quam unitatem? Ad illam, profecto, quam Christus voluit, ad unitatem qua Ecclesiam suam instructam esse voluit, ad unitatem quam, pro omnibus qui in Eum credituri essent, a Patre postulavit.

Rursus autem quaerimus: quae est ista unitas? seu, quae est notio unitatis iuxta doctrinam catholicam? Eam clare explicavit Ioannes XXIII, veneratae memoriae, in Encyclica *Ad Petri Cathedram*. In hoc magisteriali documento Romanus Pontifex peropportune monet hanc unitatem « non aliquid evanidum, incertum et labens, sed aliquid solidum, firmum et tutum esse debere »; scilicet magni interest ut in claro ponatur conceptus unitatis. Quae unitas Ecclesiae Christi « talis est quae tribus hisce notis distinguatur atque exornetur: unitate nempe doctrinae, regiminis et cultus ». Haec unitas quam Christus voluit — pergit Ioannes XXIII — pertinet ad catholicam Ecclesiam:

a) *unitas doctrinae*: « Etenim catholica Ecclesia ea omnia firmiter fideliterque credenda esse decernit quae divinitus revelata sunt »;

b) *unitas regiminis*: « Etenim ut christifideles sacerdotibus, sacerdotes autem episcopis subduntur... ita singuli universi sacrorum antistites Romano subiciuntur Pontifici, utpote qui Petri successor sit habendus, quem Christus Dominus petram et Ecclesiae suae fundamentum posuit »;

c) *unitas cultus*: quae apparet praesertim ex septenario numero sacramentorum et ex unicitate eucharistici sacrificii.

Concludit igitur laudata Encyclica: « Hoc igitur mirandum unitatis spectaculum, quo catholica Ecclesia una praestat atque refulget, vota precesque, quibus eandem unitatem omnibus a Deo implorat, vestrum animum permoveat ac salutariter excitet, vestrum, dicimus, qui ab hac Sede seiuncti estis ».

Eandem doctrinam exposuit Paulus VI in allocutione habita die 29 septembris: « Ea quae — ait Summus Pontifex — recens in sinum christianarum communitatum a Nobis seiunctarum contingunt... duo perspicue demonstrant: Ecclesiam Christi unam esse et unam esse debere; et arcanam hanc et adspectabilem unitatem in rem deduci non posse nisi una fide, nisi participatione eorundem sacramentorum, nisi apta cohaerentia unici ecclesiastici regiminis; ... Quocirca hoc est huius Concilii proprium, ut vocet, ut expectet, ut confidat fore ut in posterum plures fratres fraterno animo *veram oecumenicitatem suam participent* ».

Haec doctrina in nostro schemate desideratur; e contra interest ut clare et explicite exponatur, secus enim in quo consistat nota unitatis Ecclesiae,

et quid sit oecumenismus ad mentem catholicae Ecclesiae frustra quaeretur. Id eo magis urget, ad incertitudines, periculosas ambiguitates et falsum irenismum praecavendum, quo notio unitatis et oecumenismi omnino diversa est apud fratres nostros ac apud nos. Cessaret enim divisio, si unitas eodem modo acciperetur. Nunc vero maximi interest ut unitas et unicitas Ecclesiae Christi recta doctrina et firmiter enuntietur, et censeo explicitam hanc expositionem magis gratam fratribus fore quam quaedam eius reticens enuntiatio ad displicentiam eis vitandam; scire certo ipsi desiderant quid Ecclesia catholica in hac quaestione sentiat.

Quibus positis, censeo quaedam puncta doctrinae quae in schemate legitur, corrigenda vel melius exponenda esse. Ita v. g.:

a) perfecte non placent ea quae leguntur in cap. I, pag. 7, linn. 24 ss. ubi dicitur: « Hanc sanctam suam Ecclesiam aedificavit super fundamentum apostolorum et prophetarum, atque collegio Duodecim universale mandatum docendi, regendi et sanctificandi concredidit, inter quos B. Petrum... elegit ut fratrum suorum collegio praeesset ». Haec verba quandam ambiguitatem resonare videntur, quasi mandatum docendi etc. prius collegio apostolorum quam Petro singulatim collatum sit, et cum non sufficienter appareat Petrum caput Ecclesiae esse *essentialiter qua Christi vicarius*.

b) Pari modo, phrasis quae habetur in pag. 23, linn. 1-2: « officium Romanae Sedis, *cuius est in caritate praesidere* », quamvis vera, tamen hoc in loco minus apta apparet, quia naturam primatus Romanae Sedis attenuare videtur.

c) Denique, Litterae Apostolicae *Orientalium Dignitas* quae citantur pag. 25, nota tertia, satis amplius affirmant quam simplices fraternas necessitudines inter locales Ecclesias, de quibus in pag. 20, linn. 22 ss. Legitur enim in citatis Litteris: « Inde enimvero, dum sua praecipuis orientis Ecclesiis apostolica origo testatior constat, apparet simul et enitet *earundem cum romana usque ab exordiis summa coniunctio* ».

2. Firmiter dicendum est catholicam Ecclesiam iam possidere perfectam unitatem: fidei, regiminis et cultus; et hanc notam qua Christus eam instructam voluit, ab aliis confessionibus romanam Ecclesiam nullo modo mutuare; sed e contra eius officium esse ut ad suam unitatem ceteras confessiones trahat. Utique colloquia, mutuae relationes foveantur cum fratribus separatis, semper humilitate, caritate, temperantia nitentia; sciendum tamen ab ipsis est ultimum finem esse ut illa unitas consequatur quam Christus voluit, i. e. unitas in Ecclesia romana et in primatu Petri.

3. Recte commendatur in schemate conversio cordium et sanctitas, sive eorum qui in sacris ordinibus sunt constituti, sive fidelium; haec commendatio pluries resonavit in Aula. Absque dubio attestatio (vulgo: testimonianza) erga Christum vitae et relationum socialium ex parte eorum qui fidem catholicam profitentur, summi momenti est nostris diebus in quibus homines expectant « videre opera nostra bona ut glorificent Patrem qui in caelis est »; tamen oblivisci non debemus maiorem cohaerentiam catholicorum cum pro-

pria fide non esse quasi « conditionem sine qua non » ut vera Ecclesia Christi agnoscatur. Ecclesia enim catholica semper et quovis tempore sufficienter ostendit sanctitatem ceterasque notas credibilitatis, ita ut sit, ex sese, testimonium irrefragabile suae divinae originis.

Hoc opportune in schemate poterit proprium locum habere.

4. Relate ad bona quae in Ecclesiis separatis inveniuntur, haec in luce mihi ponenda videntur:

a) haec bona, sive Sacra Scriptura, sive sacramenta etc., eis proprie non pertinent, sed Ecclesiae catholicae, *cui solae* a Christo concredita sunt;

b) multis et quidem essentialibus bonis fratres separati carent. Ideoque relinqui non debent in sua tranquillitate, quasi in veritate sint, sed ad unitatem quae in sola catholica Ecclesia invenitur, semper sollicitandi sunt.

11

EXC.MUS P. D. HYACINTUS GAD

Episcopus tit. Gratianopolitanus, exarch. ap. Ritus byzantini in Graecia

Schema *de Oecumenismo* quod nobis proponitur placet et valde quidem, idque inter meliora est quae in Concilio praesentata sunt.

Immo, secundum affirmationes explicitas Ioannis XXIII immortalis memoriae ac feliciter regnantis Papae Pauli VI, secundum etiam desiderium valde maioris partis Patrum Concilii, expectationem quoque christianorum occidentalium orientaliumque — quos decipere grave esset —, ut Concilium Oecumenicum possit efficaciter favere unioni christianorum, existimo quod hoc schema nos bene instruit quomodo et alia componenda sunt cum in eis de fratribus separatis sermo est. Quapropter, ea mente refero quae positiva in schemate inveniuntur, ut exemplum sint in aliis.

Laudo imprimis mentem et modum loquendi quibus de acatholicis sermo fit. Optimas et unioni maxime faventes has considero affirmationes:

a) quod omnes « baptizati in Christo Iesu, christiano nomine iure decorantur, eosque Ecclesia ut filios agnoscit » (pag. 8, linn. 20-21).

b) Quod apud fratres a nobis separatos sunt christianae religionis actiones sacrae quae, quamquam diverso gradu secundum diversam conditionem uniuscuiusque ecclesiae vel communitatis, « procul dubio vitam gratiae reapse generare possunt atque aptae dicendae sunt ut ingressum in salutis communionem pandant » (pag. 8, linn. 30-31). Immo velim ut textus explicite dicat quod hae actiones sacrae vitam gratiae reapse *generant* atque *aptae sunt...*

c) Quod hae ecclesiae et communitates sunt « salutis media » (pag. 8, lin. 34).

d) Recte quoque orientalium communitatibus nomen « Ecclesiae » attribuitur (pag. 8, lin. 32; pag. 21, lin. 8; pag. 12 nota 16). Nam orientales, quamvis imperfecte, fidem in Christo, sacramenta ut media gratiae et hierarchiam ecclesiasticam tenent; quae tria, secundum doctrinam catholicam, essentialia sunt ad Ecclesiam constituendam.

Patres, nemo nostrum timeat ne veritates istae possint iniuria esse Ecclesiae nostrae catholicae. Optime sane in hoc schemate declaratur, quod « in sola enim catholica Christi Ecclesia, quae generale auxilium salutis est, omnis salutarium mediorum plenitudo attingi potest » (pag. 9, linn. 1-3). Sed, quis audebit in dubio ponere quod misericordiosissimus et amator hominum Deus, qui omnes homines vult salvos fieri, gratiam suam et salutis media christifidelibus omnibus largitur?

e) Praeterea, maximi momenti puto esse illud « de diversa theologica doctrinarum expressione » (pag. 22, lin. 15) occidentis vel orientis. Videlicet, quod, « veritate sacrae revelationis unica et integra manente » (pag. 22, linn. 15-16), « quosdam aspectus mysterii revelati quandoque magis congrue percipi et in meliorem lucem poni » (pag. 22, linn. 18-19) a theologia orientalis traditionis. Maximi momenti puto hanc affirmationem, quia plerumque de Orientis tantum ritibus et liturgiis sermo fit, sed quod melius et plus est, eius videlicet altissima et copiosissima doctrina spiritualis et theologica, ignoratur. Ergo, si debita habetur consideratio doctrinae catholicae orientalis, sive ab eis qui peculiariter ad unionem fovendam operam navant, sive quoque ab eis qui schemata conciliaria redigunt, sine ullo dubio magnum veniet emolumentum unioni omnium christianorum.

His dictis, velim tamen facere alteram animadversionem, quae attinet ad mentem oecumenicam schematis. Pluries in hoc schemate sermo est de thesauris, liturgicis, spiritualibus vel theologicis orientis, et recte sane, sed neque una tantum vice dicitur hos thesauros pertinere ad Ecclesiam catholicam quoque, et peculiariter possideri ab Ecclesiis catholicis orientalibus. Oportet tamen explicite hoc dicere.

a) Primum, quia « fides nostra integre et lucide exponatur oportet omnino », ut verba ipsius schematis referam (pag. 17, lin. 21). Deinde, quia silentes de re non monstrabimus erga ipsos catholicos illam « veri nominis catholicitatem » (pag. 9, lin. 35) et caritatem quas erga fratres separatos habere conamur, neque fraternam in alios propensionem (pag. 15, lin. 23) nec studium « secundum veritatem et animo benevolo » peractum (pag. 16, lin. 37), quae in schemate commendantur.

b) Insuper, et praecipue, valde mirum esset si Synodus omnino sileret de existentia Ecclesiarum catholicarum orientalium, quarum specificum opus in Ecclesia catholica est fovere unionem cum fratribus separatis. Patres, nemo dubitet quod silentium istud velut reprobatio existimabitur. Sed, quid tunc adveniet? Animum frangemus fratrum vel filiorum nostrorum qui multas passi sunt angustias vel difficultates, aut adhuc patiuntur, ea tantum ratione ut fideles sint duplici eorum missioni, catholicorum scil. et orientalium.

c) Sed et aliud gravius quid adveniet, pro detrimento unionis cum fratribus separatis intentae. Sine dubio certior sum de eorum oppositione erga Ecclesias catholicas orientales, et bene quidem cum ego plus quam ceteri oppugnationes patior, sed bene scio quoque, et plus quam ceteri, quod oppugnatores isti dispositiones non habent meliores erga totam Ecclesiam

catholicam latinam. Scitis de hoc exempla recentiora, omnibus nota, de quibus sileo. E contrario vero, recentioribus annis pluries dictum est ab illustribus theologis Ecclesiae orientalis separatae quod unica spes unionis nunc in Ecclesiis catholicis orientalibus est, si tamen hae Ecclesiae meliorem partem sortiuntur in Ecclesia catholica. Videtis ergo quae sit necessitas momenti huius.

Sed, quidquid unusquisque de hac re censeat, unum pro certum habendum est, et huic vos rogo attentionem praebere: Post solemnes, et abhinc a centum annis pluries repetitas affirmationes Ecclesiae catholicae, Romanorum Pontificum praesertim, de Ecclesiis catholicis orientalibus custodiendis ac tuendis, si forte nunc Synodus aliter putari sineret, fratres nostri orthodoxi testimonium et argumentum invenient ne credant « romanae fidei ». Sane, « romanam fidem » minus facient quam « graecam fidem »! Sed hodie, quod praecipue existimatur et requiritur in dialogo oecumenico, fides est, vel fiducia reciproca.

Ergo, ut ad conclusionem veniam, et ad mala vitanda, duas vobis propono additiones in schemate:

a) In pag. 21, in fine n. 13, addatur: « In catholica vero Ecclesia, orientales catholicae Ecclesiae testes istius thesauri sunt, quem ut heredes possident et colent ».

b) In pag. 21, in fine n. 14, addatur: « Iuventur ergo omnes, iique praesertim qui ad restaurandam unionem inter Ecclesias orientis separatas et catholicam Ecclesiam operam navant, consiliis et experientia Ecclesiarum catholicarum orientalium ex intima rerum cognitione deductis ».

Hanc ultimam animadversionem necessariam existimo etiam quia theologi quidam, in oriente aliquo temporis spatio degentes et cum fratribus separatis tractare cupientes, sincero caritatis spiritu moti sed rerum orientis peculiarium et mentalitatis loci ignari, iudicia et opiniones cum fratribus separatis de utraque Ecclesia proferunt quae detrimentum et iacturam potius ferunt quam emolumentum, et maioris sunt damni quam utilitatis ad unionem fovendam.

Qua de re, oportet ut in oriente degentes, quando cum fratribus separatis tractare cupiunt, id inconsultis hierarchis catholicis orientalibus ne faciant. Hanc, mihi videtur, deberet etiam esse mentem ultimae paragraphi partis primae schematis (pag. 10, linn. 36-39), ubi necessitas affirmatur ut oecumenismus ab episcopis promoveatur simul ac dirigatur.

12

Rev.mus P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Nostro in schemate decreti de Oecumenismo, haec verba inveniuntur:

a) *Quoad Ecclesias orientales separatas*: « ... Praetermittendum praeterea non est, Ecclesias orientales proprium ab origine habere thesaurum,

ex quo plura in rebus liturgicis, in traditione spirituali et in iuridico ordine, Ecclesia Occidentalis deprompsit » (pag. 20, linn. 27-30). « ... Haec consideratio (peculiaris condicionis) imprimis spectat ad fraternam communionem quam inter se profitentur in vita ecclesiastica, itemque ad antiquitatem et apostolicam originem quibus iure gloriantur » (pag. 21, linn. 11-14).

b) *Quoad communitates dissidentes inde a saec. XVI exortas*: « ... peculiari affinitate ac necessitudine iunguntur » (pag. 23, linn. 9-10). « ... illi namque veri fratres nostri cum caritate Christi vivere valent et supernaturalibus donis elevari possunt » (pag. 23, linn. 22-23); « ... Ex hac fidei professione vires sibi hauriunt, opitulante Dei gratia, ad vitam christianam haud sine magnanimitate et fortitudine probe agendam » (pag. 23, linn. 33-35).

c) *Quoad non christianos*: « ... eadem (principia oecumenismi), habita ratione diversae condicionis, applicari debent... hominibus non christianis » (pag. 3, linn. 3-4).

d) *Quoad Iudaeos vero*: « ... maxime autem hoc valet cum de Iudaeis agitur, quippe qui cum Ecclesia Christi speciali ratione coniungantur » (pag. 3, linn. 7-8).

Quibus omnibus perpensis, concludo: *nonne de oecumenismo agendum esset in schemate decreti de Ecclesia?...*

Ratio patet ex textibus allatis. Insuper notandum est: Quidquid est, bonum est (bonum et ens convertuntur) et Ecclesia in se recipit quidquid bonum est; ergo omnia praeter peccatum! Quapropter omne bonum quod in qualibet persona, actione aut religione invenitur, elementum commune est inter easdem et religionem christianam catholicam cui ipse Deus, suprema Bonitas et omnium bonorum fons, in tota plenitudine se communicavit per Verbum Incarnatum et Spiritum Sanctum. Ergo oecumenismus tendere deberet ad omnes plene adducendos ad Ecclesiae universae apicem qui catholica Ecclesia constituitur.

13

Exc.mus P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

In genere schema placet propter ordinem, claritatem, amplitudinem et caritatem, quibus tota materia proponitur. Schema de hac re in prima sessione pertractatum, in hoc modo strictiori evolutum et magis perpolitum invenitur. Nostram adhaesionem et plenam acceptationem sincere meretur. Tamen

1. Optaremus ut in ipso praeambulo nitide et sine ambagibus diceretur quid sit et quid non sit Oecumenismus; quid intendat et quid non intendat Oecumenismus. Breviter sed clare propter bonum animarum, quamvis in decursu schematis ampliori modo, exponatur.

2. Opportunum esset affirmare Ecclesiam nihil de suis veritatibus amittere in hoc incepto apostolico ad unionem cum fratribus separatis obtinen-

dam. Certe quod petimus iam incidentaliter in n. 10 indicatur. Sed pro nostrorum fidelium meliori intellectione in loco visibiliori et primario, non tamquam per transennam, reponendum esse putamus.

3. Res tractanda est multo delicata, quodam sensu nova et maxime complexa. Inter fideles, qui non ut nos in theologicis studiis et disquisitionibus periti versantur, facile obscuritates et falsae interpretationes oriri possunt. Errores vitare et animi anxietates non gignere nostra quamplurimum interest.

4. Multo magis necessarium erit haec omnia lucide et omnimoda fidelitate declarare et corroborare, si de libertate religiosa agendum erit, quia quaestio haec pro nostris fidelibus obscurior et incomprehensibilior apparet propter unitatem religiosam hispanici populi, abhinc a tredecim saeculis creditam, professam et proclamatam legibus et vita civium totius Hispaniae.

Sed de hac re nostram sententiam manifestabimus, si casus sese offerat.

Insuper ad faciliorem reddendam unionis viam cum separatis haec particularia humillime proponere auderem:

a) Notari normas practicas circa thema « Communicatio in Sacris » deesse.

b) Posse audire, sine ullis impedimentis, orthodoxos in confessione.

c) Missa audita in suis ecclesiis impleri praeceptum dominicale audiendi sacrum.

d) Posse concelebrari liturgiam cum ipsis et vicissim.

e) Statuendos esse ritus proprios in Africa, coptum vel maronitam in Africa nordensi.

Missiones in Africa iuxta ritum orientalem, proprium illarum regionum debere dari.

f) Denique creandos esse novos ritus in Oriente, China, Indonesia et Iapone.

Animadversiones additae:

Die 18 mensis novembris ad secretariatum generalem Concilii meum votum de Oecumenismo misi, in quo meam sententiam, *Placet in genere,* exprimebam, additis aliquibus annotationibus.

Sed post mei voti missionem ad nos duo capita, scil. IV et V pervenerunt, quibus ut apparet, integrum schema compleretur.

His positis, schema quod hodie proponitur non est quod nos credebamus, et omnibus perpensis nec mea sententia eadem esse potest.

Iudicium quod in primo voto protuli, circa tria prima capita versabatur. Nihil de IV et V capite votum comprehendebat.

Proinde si schema prout hodie proponitur discutiendum consideramus, *mihi non placet,* habitis prae oculis IV et V capite.

Horum duorum capitum inclusiones legitimae, immo et variis motivis obligatae esse poterunt. Sed nostro humili iudicio primitivi schematis architecturam rumpere videntur.

Cap. IV « de Iudaeis » non connectitur cum themate de Oecumenismo expresse definito, ut motus et actio ad unitatem christianorum fovendam. Forsan

aliqua inclusio opportuna videatur, datis relationibus inter hebraeos et christianos, tamquam ex communi arbore vel trunco provenientes. Sed tunc, quare non Islamismum includimus? Ratio enim similis apparet.

Cap. V « de libertate religiosa » et minus homogeneum, minus harmonicum et minus concorde cum exigentiis tituli Patrum conciliarium exhibiti.

Et re quidem, vera; si ut conditio oecumenici dialogi consideratur, in capite de methodologia oecumenica collocari deberet. Eius extensio simplex paragraphus esse deberet, ut non rumpat quantitativum equilibrium quod cum ceteris oecumenici dialogi factoribus servare debet.

Forma expositionis disciplinaris desideratur, quamvis certe aliquam basim doctrinalem contineat. Cur non remittitur ad cap. de libertate fidei, vel de hominum iuribus, cum Christi praesentia in mundo exhibeatur?

Quaenam est ratio hanc quaestionem complicatam, nimis delicatam, quae tot ac tantas personas offendere potest, in hoc praecise loco tractandi, quando nec commissionis mens, ut apparet, haec erat?

Velit Deus ne loco Ecclesiae maiora bona afferendi, mala plurima et fidelium animis quamplurima mala obvenire possint.

Aliis votis diversas annotationes proponemus.

14

Exc.mus P. D. MAXIMUS HERMANIUK

Archiepiscopus Vinnipegensis Ucrainorum

Schema hoc, quod revera aperit novam paginam in historia relationum Ecclesiae catholicae cum christianis non-catholicis, cum Iudaeis et cum aliis religionibus, placet mihi *secundum modum*. Et quidem schema hoc placet mihi:

1. Propter *tria principia fundamentalia,* quae, etsi nullibi in schemate expresse citentur, clare tamen ei ubique subiacent, scilicet: *Primum principium*: Nullus adultus non-catholicus potest fieri catholicus, nisi absolute certus sit Ecclesiam catholicam *solam* esse veram Ecclesiam Dei; *secundum principium*: Omnis adultus, tam catholicus ac non-catholicus debet sequi conscientiam suam, etiam invincibiliter erroneam; *principium tertium,* pulcherrime expressum in sancta Liturgia S. Ioannis Chrysostomi, nempe quod: « Omne opus bonum et donum perfectum provenit desuper » a Deo, Patre luminis.

Principia illa, etsi semper clare admissa et practice applicata in Ecclesia catholica pro ipsis catholicis, nunquam hucusque fuerunt formaliter, etsi implicite, proclamata ab illa Ecclesia ut norma generalis actionis, seu fundamentum doctrinale relationum, istius Ecclesiae etiam relate ad alias communitates christianas non-catholicas, relate ad Iudaeos et alias religiones.

Principia illa sunt tamen firmissime accepta ab omnibus in Ecclesia catholica, plena spiritus Evangelici et firmissime in psychologia naturali hominis fundata. Si in praeterito usus eorum in relatione cum non-catholicis, christianis et non-christianis, non fuit proclamatus officialiter ab Ecclesia ut

norma quaedam in illa relatione sequenda, hoc accidit non ex ignorantia vel dubio de eorum valore, sed potius ex variis circumstantiis historicis, politicis et socialibus.

Hodie, econtra, circumstantiae politicae, sociales et oeconomicae nostrae aetatis sunt tales, ut principia illa maximo cum fructu applicari possint et debeant tum pro evangelisatione universi, tum pro unione omnium christianorum. Principia illa moralia, fecundata vero et fervido amore Dei et proximi, traducta in vita universali Ecclesiae, possunt feliciter instaurare illam novam eram oecumenicam Ecclesiae, quae nihil aliud revera esse potest quam Evangelium Christi accommodatum necessitudinibus hominum nostrae aetatis.

2. Schema hoc placet quia applicat principia illa generalia, servatis servandis, ad omnes non-catholicos, christianos, Iudaeos et alias religiones. Hoc modo magnum principium recognitionis Dei et eius legis moralis in universo recipit novam, ampliorem significationem in relationibus humanis et verba Iudaeorum in condemnatione Christi: « Sanguis eius super nos et super liberos nostros » (*Mt.* 27, 25), intellecta hucusque valde saepe in sensu Veteris Testamenti, culpabilitatis nempe cuiusdam liberorum pro culpis parentum suorum, recipiunt veriorem, seu Neotestamentariam, interpretationem, secundum quam liberi non sint iudicandi secundum actiones patrum suorum. Hoc modo populus Iudaeus diiudicandus est hodie, omnino sicut alii populi terrae, secundum actiones suas proprias, et non ex praeconceptis quibusdam ideis, quae antisemitismi aliquando nomen induunt.

3. Schema hoc placet et eo, quod clare indicat veras rationes relationum oecumenicarum inter christianos, quae sunt: baptismus, vita gratiae, interiora dona Spiritus Sancti, fides, spes, caritas etc.; simul systematice enumerat varia media, quibus oecumenismus ille practice exerceri potest, ut: renovatio interior Ecclesiae, conversio cordis, sanctitas vitae, oratio communis cum non-catholicis, mutua cognitio, et alia huiusmodi; peculiari modo considerat indolem propriam Ecclesiarum orientalium, ut e. g.: propria eorum mentalitas, historia, liturgia, spiritualitas, disciplina...

Attamen, schema hoc laborat quibusdam defectibus qui corrigi deberent. Et ita:

1. Primus et maximus defectus huius schematis est *absentia veri et concreti universalismi* in eius oecumenismo, qui, etsi theoretice quodammodo affirmetur in cap. IV universalis, practice limitat suam actionem ad reconciliationem christianorum, pacem componendam cum Iudaeis, sed nihil in concreto dicit de colloquio evangelico cum aliis magnis religionibus mundi, uti: religio Islamica, Buddhistica, Hinduismus, Confucianismus et aliae, quorum spiritualitate, doctrina et principiis nutritur hodie ingens pars humanitatis. Similiter nihil practice dicitur de illa *collocutione Ecclesiae cum hominibus nostrae aetatis,* ad mentem admirabilis allocutionis Summi Pontificis, Pauli VI feliciter regnantis, in Basilica Vaticana habita, die 29 septembris huius anni, initio secundae huius sessionis Concilii.

2. Alius defectus, non parvus, istius schematis est in eo, quod schema hoc in consideratione, in cap. III, problematis particularis reunionis christianorum orientalium cum Ecclesia catholica, absolute obliviscitur iam existere, a saeculis, plures Ecclesias orientales catholicas, quae per identicam cum suis fratribus separatis mentalitatem, liturgiam, spiritualitatem, disciplinam et alia huiusmodi possint, et deberent, primam partem agere in opere illo arduo christianae unitatis. Silentium schematis de missione earum in hoc proprio apostolatu orientali videtur mirum et inexplicabile.

Quae cum ita sint, audeo proponere duo sequentia:

a) Addere novum caput, vel saltem specialem paragraphum, de collocutione Ecclesiae cum aliis magnis religionibus mundi, uti: Islamismus, Buddhismus, Hinduismus, Confucianismus, etc.

b) Introducere aliquam particularem paragraphum in cap. III de missione Ecclesiarum orientalium catholicarum in arduo opere oecumenico reconciliationis christianorum orientalium cum Ecclesia catholica. In paragrapho hac clare indicari oporteret Ecclesias orientales catholicas esse argumentum irrefutabile nullam revera existere oppositionem inter veram catholicitatem et genuinam, si ita dici possit, orientalitatem. Quia, si de facto in Ecclesiis orientalibus hodiernis dantur quaedam non-orientalia, illae defigurationes proveniunt non ex eorum catholicitate, sed ex catholicae Ecclesiae aliquando nimia latinitate.

3. Cum nunc additum sit huic schemati cap. V *De libertate religiosa,* quod amplector maximo cum gaudio, necessarium meo humili iudicio esset ad manifestandam firmam et sinceram voluntatem Ecclesiae applicandi sine mora principia haec de libertate religiosa in vita hodierna omnium hominum, mittere votum solemne huius Sacrae Synodus ad gubernia omnium nationum per intermedium Secretarii Generalis Nationum Unitarum in New York, in Statibus Unitis Americae Septemtrionalis, urgendo:

a) Ut gubernia omnium nationum immediate faciant quod oportet ut cessent omnes persecutiones quibus hodie tam multi homines innocenter propter suas convictiones religiosas in multis regionibus afficiuntur, praesertim ab atheismo materialistico militante;

b) Ut omnes nationes introducant, si hoc adhuc non fecerint, speciales leges ad libertatem illam religiosam fideliter in futurum custodiendam. Tale votum huius Concilii esset acceptum maxima cum gratitudine ab omnibus hominibus bonae voluntatis ubique terrarum. Non decipiamus illam magnam, ardentem expectationem omnium, praesertim horum, qui hodie innocenter horribilia tormenta patiuntur...

[*Subscripserunt etiam*] Ivan Prasko, ep. tit. Zygritanus, exarcha ap. pro Ucrainis Ritus Byzanth. in Australia; Plato Kornyljak, exarcha ap. pro Ucrainis in Germania; Nilus N. Savaryn, ep. Edmontonensis Ucrainorum; V. Malanczuk, vis. ap. pro Ucrainis in Gallia.

15

EXC.MUS P. D. THOMAS HOLLAND

Episcopus tit. Etennensis, coad. s. d. Portus Magni

Sunt qui credant omittendum esse totum n. 1 huius cap. I, vel quia hic agitur de decreto pastorali, non de const. dogmatica, vel quia materia iam tacta est in alio loco, scil. in const. *de Ecclesia.*

Humili meo iudicio, non est assentiendum huic opinioni. Utique praesens materia est valde pastoralis; at insuper est summe delicata. Et sine principiis theologicis, explicite expressis, superficialis esset tractatio, et in applicatione aliquatenus periculosa.

Quapropter potius crediderim adhaerendum esse iis qui nolunt principia theologica silentio praetermitti, sed e contra desiderant pro ipsis locum firmiorem.

Etenim, si n. 1 de unitate et unicitate Ecclesiae omitteretur, quaedam incommoda praevideri possent. Immo, forsan non deerunt inter fideles qui crederent Ecclesiam aliquo modo abdicavisse suam specialem positionem!

(Ut in parenthesi loquar, V. F., ne dicatis hoc esse exaggeratum timorem. Nam rumores vere insoliti et immanes circumferuntur de influxu Oecumenismi. V. g. ante aliquot hebdomadas episcopi Angliae et Cambriae [quorum nomine hodie *non* loquor] attoniti sunt legentes in foliis diariis, hic Romae publicatis, quod ipsi praeparaverant textum de B. M. V., in quo recentiora dogmata de eius Immaculata Conceptione et Assumptione parvipendebantur et porta clausa est omni ulteriori evolutioni doctrinae marianae. Et hoc totum factum est, assertum est in his foliis, propter fines oecumenicos. Non inimicus, sed valde inscius homo hoc fecit, nam maxima gloria nostrae terrae est quod sit vocata « Dos Mariae » et quod in ipsa, prius quam in ceteris nationibus occidentis, celebrata sunt festa Immaculati Conceptus et Assumptionis B. M. V.).

Intimius nos tangit hic in aula quod nonnulli conquesti sunt, scil. nos tradituros imaginem quodammodo defectuosam Ecclesiae in hoc schemate, *sine* n. 1 cap. I.

Qui ita sentiunt, indicant modum quo nostra communio cum fratribus separatis praesentatur in n. 2. Incauto lectori, dicunt, potest apparere quod tota differentia inter Ecclesiam et communitates ecclesiales, ab ipsa separatas, quasi sita est in aliquo gradu accidentali.

Si infelix haec impressio vere daretur in schemate nostro, ut alia incommoda omittam, nemo non videt quam grave vulnus infligeretur in toto negotio oecumenismi. Quod maxime dolendum esset.

Nam quis se accingeret ad hoc opus, si fine finaliter unicus eius scopus esset remedia quaedam accidentalia praebere? Omnis urgentia, ut ita dicam, et angor spiritus evanesceret, nullum haberet locum. Quod certe contradiceret et traditioni saeculorum et sensui omnium in hoc praesenti momento,

tam nostrum quam fratrum separatorum qui tam heroice incumbunt labori oecumenico.

Propono igitur ut firma maneant principia theologica in n. 1; at insuper ante ultimam eius paragraphum, scil. pag. 8, lin. 10 addatur enucleatio unicitatis Ecclesiae his vel similibus verbis expressa: « Bona Ecclesiae, ut sunt veritates revelatae, media gratiae, etc., quando possidentur extra visibilia saepta Ecclesiae, non desunt pertinere ad Ecclesiam; eorum effectus ergo in fratribus separatis non exercetur ab ipsis quasi per se stantibus sed prout Ecclesiae coniunguntur. Ideoque non datur verus locus multiplicationis Christi Corporis seu Ecclesiarum inter se solum gradu accidentali plenitudinis differentium.

Per visibilem tamen separationem praedictorum bonorum, traditio catholica semper vidit violentiam inferri in corpus Christi; quasi Christus ipse pateretur donec in unum redintegrentur ».

Ita quodammodo vivide commendatur Ecclesiae unicitas, et insimul firmatur urgentia et communis angor huius benedicti et benefici operis quod est Oecumenismus.

16

EXC.MUS P. D. MARCELLUS LEFEBVRE
Archiepiscopus tit. Synnadensis in Phrygia

Placet nobis, aliquibus Patribus, intentio schematis et omnia quae dicuntur de dispositionibus internis relate ad fratres seiunctos. Utinam ex parte nostra omnia legitima conamina fiant ut ad unitatem Ecclesiae redeant!

Sed propter non paucas rationes nobis videtur hoc schema non favere reditum ad hanc veram unitatem, ideoque in genere nobis non placet. Et explico:

1. Quoad titulum assentimus cum iis quae dixerunt em.mi cardd. Ruffini et Bacci.

2. In cap. 1, 2, 3 expositio principiorum nobis videtur favere falsum irenismum sive obscurando veritatem, sive attribuendo nimia dona spiritualia fratribus separatis.

1. Primo ostenditur quomodo veritates imminutae sunt: Quamvis enim dicitur in pag. 17, linn. 20-24: « Nil ab oecumenismo tam alienum est quam ille falsus irenismus, quo puritas doctrinae catholicae detrimentum patitur vel eius sensus genuinus et certus obscuratur ». Tamen de facto veritates equidem fundamentales in hac materia imminutae sunt: e. g.:

In pag. 7, linn. 25 ss., veritas essentialis ad unitatem fovendam modo tantum indirecto et incompleto affirmatur: i. e. de unica et necessaria fonte unitatis scil. de Summo Pontifice ut successore Petri et vicario Christi. Ubi vicarius Christi, ibi Ecclesia Christi. Ubi vicarius Christi, ibi Ecclesia catholica. Ubi vicarius Christi, ibi Ecclesia apostolica. Unus Deus, unus Christus, unus vicarius Christi, una Ecclesia. Et vicarius Christi non est hic in terris nisi Romanus Pontifex.

Haec veritas de se fortiter et suaviter attrahit animas ad Ecclesiam, Sponsam Christi et Matrem nostram.

In pag. 9, lin. 2, Ecclesia dicitur « generale auxilium salutis ». Quod si ad epistolam S. Officii recurritur, hoc etiam invenimus: «Quare nemo salvabitur qui sciens Ecclesiam a Christo divinitus fuisse institutam, tamen Ecclesiae sese subiicere renuit, vel Romano Pontifici, Christi in terris vicario, denegat oboedientiam. Neque enim praeceptum tantummodo dedit Salvator ut omnes intrarent Ecclesiam, sed statuit quoque Ecclesiam medium esse salutis, sine quo nemo intrare valeat regnum gloriae caelestis ».

Videtur tunc quod in documento citato Ecclesia non est tantum « generale auxilium salutis ».

Unde clare apparet ex istis exemplis quod veritas imminuta est.

2. Secundo non recte loquitur de influxu Spiritus Sancti et de bonis spiritualibus quibus fruuntur fratres separati.

In pag. 8, lin. 33 dicitur « Spiritus Sanctus uti non renuit iis Ecclesiis et communitatibus ». Sed hoc recte dici non potest, quia communitas, qua communitas separata, non potest uti a Spiritu Sancto, etenim quia separata resistit Spiritui S. Spiritus Sanctus potest directe agere in animabus vel uti mediis qui de se nullam notam separationis habent.

Non pauca alia exempla possent afferri scil. de validitate baptismi, de eorum fide, de quibus textus non recte loquitur; sed deest tempus.

De cap. V scil. « de libertate religiosa » tota argumentatio falso principio innititur.

Etenim aequiparatur norma moralitatis subiectiva cum norma moralitatis obiectiva.

Consectaria huius aequiparationis talia sunt in omnibus societatibus, familiari, religiosa, civili quod evidenter principium falsum est.

Et tunc quomodo definiatur bonum commune? cum debet omnino fundari in norma obiectiva moralitatis.

Concludo. Cum tria prima capita « de oecumenismo » favent falsum irenismum, cum cap. V in subiectivismo fundatum favet indifferentismum, hoc schema nobis non placet.

[*Subscripserunt etiam*] Sigaud, arch. Diamantinensis; Pinho, arch. Luanda; Junqueira, ep. Nova Lisboa; Seabra, ep. Malanje; Prou, abbas Solesmensis.

17

Exc.mus P. D. STANISLAUS LOKUANG
Episcopus Tainanensis

Schema *de Oecumenismo,* in quo caritas Christi elucescit, dignum est huic Concilio Oecumenico cuius nota est caritas pro vita pastorali.

Ad complementum huius caritatis erga fratres christianos separatos et erga populum iudaicum, opportunum, immo necessarium mihi videtur addere id

quod non invenitur in hoc schemate et quod caritatem erga populos non christianos demonstrat.

Transivit iam tempus in quo omnes qui de missionibus agebantur, omnes populos non christianos, etiam longissima traditione civiles, barbaros vocabant et omnes religiones non christianas condemnabant totas erroribus et superstitionibus idolatriae imbutas. Et missionarii ipsi ad quaerendas eleemosinas pro operibus suis de industria defectus et miserias populorum terrae missionum scriptis, verbis et picturis manifestabant atque exaggerabant.

Nunc vero ob mutationes conditionum politicarum et socialium obque exempla ac exhortationes Summorum Pontificum maior respectus ab omnibus missionariis iam adhibetur versus populos non christianos. Sed bonum est quod in hoc schemate *de Oecumenismo* exhortatio habeatur de sensu respectus et caritatis erga omnes populos et religiones non christianas. Haec exhortatio inseri potest vel in cap. IV vel in cap. V quod dicitur et aget de libertate religiosa.

Oecumenismus versus populos et religiones non christianas manifestatur:

1. Per bona exempla vitae religiosae et moralis apud catholicos. Bona exempla catholicorum constituere debent testimonium maximum fidei, in quo veritas et puritas Evangelii Christi vivide elucescit ante oculos non christianorum, eosque ad reflexionem et comparationem excitat.

2. Per orationes pro paganis, sicut fiebat antiquo tempore in celebratione Missae.

3. Per respectus versus religiones et populos non christianos. In omnibus religionibus non christianis inveniuntur veritates quae descendere debent de Deo et in doctrinis moralibus non christianis adsunt plura praecepta bona (ac in nostram confusionem plures populi non christiani moraliter melius vivunt quam multi catholici). Recognoscere debemus valorem positivum istorum elementorum etiam relate ad aedificationem Corporis mystici Christi.

4. Per meliorem cognitionem doctrinae et indolis populorum non christianorum, quorum plures psychologice propinquiores nobis inveniuntur quam christiani separati.

Peto igitur humiliter ut hoc votum meum in schema nostrum recipiatur.

18

Exc.mus P. D. EMMANUEL PIUS LÓPEZ ESTRADA
Archiepiscopus Jalapensis

Schema decreti *de Oecumenismo* tam ratione materiae quam formae seu expositionis, videtur omnino laudandum.

In trina sua divisione apprime complectitur integram, etsi in nonnullis modo nimis generali, materiam. (Observationes paratae fuerunt ante fasciculi de Iudaeis traditionem).

Pastorale desiderium abbreviandi dies Oecumenismi, necnon et faciliorem

reddendi viam ad unitatem, salvam integramque relinquit doctrinam de unico Dei grege: unius fidei confessio, cultus divini communis participatio et celebratio, necnon in regimine fraterna concordia.

Si attente perpenduntur mala quae ex hostili habitudine erga alias communitates non catholicas, propter instructionis, prudentiae et caritatis defectum provenerunt, proh dolor adhuc proveniunt, nihil opportunius quam oecumenicam commendare instructionem. Hinc prudenter insistitur in modo exprimendi exponendique fidei doctrinam.

Credimus non satis laudari quae in cap. III in subtitulo: « De Ecclesiarum orientalium peculiari consideratione » exponuntur.

Defectus vitae christianae, mores in quibus saepissime, nostris praesertim temporibus, catholici cum non credentibus convenire omnino videntur, quam maxime oecumenismo obstant. Minus recte tamen hac de re fit sermo in cap. I in quo oecumenismi principia exponuntur; ideoque argumentum videtur potius ad cap. II, ubi de exercitio, remittendum (cap. I, pag. 9, n. 3, lin. 25).

In n. 6 cap. II dirigitur adhortatio ad omnes christifideles ut curent propriae vitae sanctitatem (cap. II, pag. 16, n. 6, lin. 25).

Nonne videretur necessarium ut explicite et vehementius Christi ministris, gratiarum Dei dispensatoribus urgeretur munus propriae sanctificationis?

Verbo et opere fideles manuducuntur per viam configurationis imagini Filii Dei.

Non semel communitates olim sub verae Christi Ecclesiae regimine vitam degentes, proxime ob defectum sanctitatis nonnullorum ministrorum ab ea discesserunt.

Quae ad modum argumenti passim contra Ecclesiam exhibentur, non alia ex fonte quam e vita ministrorum, parum vel multum a Dei filio difformi, discesserunt.

Paulus VI Pontifex noster amantissimus in sua allocutione aiebat: « Conscii difficultatum in Deo nostram reponimus fiduciam. Prosequemur in oratione nostra. Quod impossibile est hominibus Deo possibile est. Oecumenismi successus procul dubio opus est Dei » (die 29 sept., *Lc.* 18, 27).

Quis dubitare potest de orationis efficacia si in liturgica celebratione, e. g., in Missae Canone, post verba: « in primis quae Tibi offerimus... una cum... et omnibus orthodoxis atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus » adderetur: necnon et pro fratribus extra unicum gregem degentibus, vel aliter, alibi etiam, secundum prudens iudicium commissionis. Haec est ratio: quia si tantum bonum seu unio cum fratribus separatis, obtinere cupimus, mediis, seu modis magnificis uti debemus ad hanc unionem obtinendam. Et quid melius et magnificentius quam in sacrosancto Missae sacrificio de his fratribus nostris ad Iesum Christum aliquam memoriam facere?

Cum vix inter fratres separatos, minus diligentem biblicum sermonem inveniri possit, aptissime in quaestionibus theologicis, ex utraque parte dilu-

cidandis, praedictum biblicum sermonem adhibendum putamus, salvis semper cautionibus de quibus in capite secundo (cap. II, pag. 16, n. 8, lin. 35). Certe periculosum est pro catholicis, saltem non praeparatis, dialogum instituere cum acatholicis, quia hi occasionem habent ad suos errores propagandos. Prae oculis habeat schema nostrum hanc terribilem veritatem.

Nostris praesertim in regionibus Americae Latinae dialogus cum communitatibus christianis non catholicis specialem secumfert difficultatem eo quod calumnia, diffamatione, similibusque utantur mediis ad catholicos a vera fide seiungendos.

Agnita non modo utilitate verum et necessitate cooperationis cum fratribus separatis, et attenta quae circa hanc quaestionem schema proponit, expostulandum videtur ut canonica disciplina convenienti modificationi subiiciatur, in omnibus quae ad hoc argumentum spectant (cap. II, pag. 17, n. 11, lin. 35).

19

EXC.MUS P. D. ALOISIUS LORSCHEIDER
Episcopus Angelopolitanus

Decretum nobis valde placet ob eius expositionem planam, sine ira et studio, firma principia et doctrinam valde rectam.

Laudamus praeterea assertionem de munere et officio omnium christifidelium ut solliciti sint de unione instauranda. Attamen:

1. *Prooemium quoddam,* in quo saltem scopus decreti indicaretur, bene a nobis acciperetur.

2. Existimamus nos oblivisci non posse alias religiones quae, licet non sint christianae, tamen tot positiva in se continent elementa quae vere ut paedagogi in Christum habenda sunt. Quamobrem quaedam magis in specie de illis religionibus essent dicenda, nomina eorum quoque in textu referendo, uti v. g. buddhismus, shintoismus, etc.

3. Quod *substantiam huius decreti* attinet, nobis videtur non sufficienter prae oculis haberi intimam naturam Ecclesiae, quatenus Ecclesia non est solummodo divina, sed et humana, et saepius valde humana. Conceptus sanctitatis Ecclesiae, uti in decreto supponitur, non est completus. Imperfectiones etenim quae in Ecclesia notantur solis membris minus recte ambulantibus tribuuntur. Hoc non sufficit, nam ipsa Ecclesia Christi qua communitas, ex ipsa natura sua, subiecta manet imperfectionibus. Summus Pontifex hoc clarissime edixit in allocutione habita initio huius alterius sessionis Concilii Oecumenici: « Nostra quidem sententia, ait Summus Pontifex, huiusmodi renovatio (Ecclesiae nempe) proficisci debet pariter e conscientia necessitudinis, qua Ecclesia cum Christo coniungitur. Vult, uti diximus, Ecclesia in Christo imaginem suam inquirere. *Si quid umbrae, si quid vitii* post hanc contemplationem in vultu suo, in sua veste nuptiali animadverterit, quid sponte et strenue ei est agendum? Uti liquet, nihil aliud spectet opus est, nisi ut *se renovet, se corrigat,* se ad eam congruentiam referat cum divino

archetypo suo, quam sequi ex praecipuo officio suo tenetur ». Hoc non significat, uti animadvertit idem Summus Pontifex, Ecclesiam catholicam mentem Conditoris sui in re magni momenti violasse, attamen *in ea labes habentur, formae caducae et mendosae,* praecise ex eius « humanitate », ut ita dicam, provenientes. Ecclesia Christi, quae est catholica, in hoc mundo nondum est sine macula et sine ruga, nondum totaliter possidet salutem per beatificam visionem, sed videns in speculo et aenigmate, in fide et in spe ambulans, de die in diem sese in caritate perficiens, in Domini occursum progreditur. Sic dicta incarnatio Ecclesiae Christi in culturis, structuris socialibus etc. populorum secum fert periculum verae imperfectionis, a qua Ecclesia Christi revera, historia teste, non semper immunis fuit. Hoc namque nobis videtur melius in decreto in lucem ponendum ut sanus et sincerus oecumenismus catholicus institui posset.

[*Subscripserunt etiam*] Carlos card. Carmelo de Vasconcellos Motta, Fernando Gomes dos Santos, Jaime Luiz Coelho, José Medeiros Delgado, Vicente Scherer, José Vicente Távora, Luiz Gonzaga da Cunha Marelin, José Bezerra Coutinho, Vicente Paulo de Araujo Matos, José Gonçalves Costa, Bernardo José Bueno Mielle, Augusto Carvalho, José Adelino Dantas, Walmor Batu Wichrowski, David Picão, Ruy Serra, Manuel Tavares de Araujo, Edmundo Luiz Kunz, Afonso Niehues, Gregorio Wamerling, Gentil Diniz Barreto, Alonso Silveira de Mello, José Medeiros Leite, Claudio Colling, José Gomes, José Lamartine Soares, Belchior Joaquim da Silva Neto, Antonio Fragoso, Hugo Bressane de Araujo, Herminio Malzone Hugo, José de Almeida Batista Pereira, Tomás Vaquero, Serafim Fernandes de Araujo, Aniger Francisco Maria Melillo, Severino Mariano de Aguiar, Walfrido Vieira, João José da Mota e Albuquerque, Candido Padim, João de Souza Lima, José Maria Pires, Wilson Laus Schmidt, João Batísta da Mota e Albuquerque, Daniel Tavares Baeta Neves, Joaquim de Lange, Cesário Alexandre Minalle, Manoel Pereira da Costa, Augusto Petró, Altivo Pacheco Ribeiro, Helder Pessoa Camara, José Mauro de Alarcon Santiago, José Eugênio Corrêa, Benedito Zorzi, Carlos Schmitt, João Rezende Costa.

20

Exc.mus P. D. ROBERTUS MASSIMILIANI

Episcopus Civitatis Castellanae, Hortanus et Gallesinus

1. Generatim placet schema in his tribus capitibus I, II, III. Haec videntur observanda:

a) Non placet quod multi (non schema) exigunt ut catholici, coram fratribus seiunctis exponant culpas patrum, non solum, uti quidam dixit, in genere, sed in particulari eas numerando per singulas partes. Res videtur damnosa ipsi oecumenismo, quia fratres seiuncti putant Ecclesiam defecisse a sua missione et hinc nullam ex tunc auctoritate vel dignitate pollere, praecise ob has culpas.

Vide e. g. theorias hussitas vel wicleffitas quae dicunt ministros sacros iam non esse tales cum sunt indigni.

b) Hac in re, sufficiat quod iam magna humilitate et animi magnitudine fecit Paulus VI, cum veniam ab ipsis petiit et obtulit: « veniam petimus dabimusque vicissim » (Horat.).

Secus et ipsi fratres deberent suas culpas exponere, quod nemo nostrum petit.

Ioannes XXIII ven. m. dixit aliquando: ne loquamur de historicis factis: sunt culpae ex utraque parte. Futurum tempus aspiciamus.

2. Circa expositionem cap. III de orientalibus, quamvis res bene exponantur, mihi videtur (et hoc valet etiam pro sequenti numero de communitatibus exortis a saec. XVI) non posse omnes Ecclesias orientales separatas poni sub aequali consideratione. Nam adsunt, uti notum est, variae Ecclesiae, inter quas etiam Nestorianae, Monophysitae, et aliae quae in omnibus non conveniunt inter se. Quod ergo dicitur in schemate posset esse pro aliquibus parum, pro aliis nimium.

3. A fortiori hoc valet de aliis fratribus seiunctis. Non solum enim aliquae communitates uti Valdenses, Hussitae et Wicleffitae sunt anteriores saec. XVI, sed omnes aliae communitates sunt tam variae et diversae, praesertim in America Septemtrionali, ut omnibus non possint applicari quae in schemate dicuntur, dum aliquibus posset applicari multo plus.

4. Peto ergo quod non exponatur in schemate doctrina eorum; ipsi sciunt quid credant, non nos dicere debemus. Dicatur generatim ipsos multa servare vel aliud simile et relinquatur expositio doctrinae colloquiis quae Concilium exoptat.

5. Loco huius expositionis certe incompletae, propono haec quae sequuntur: Fiat a Concilio, tum Ecclesiis tum communitatibus seiunctis salutatio seu sic dictum *messaggio,* et aptetur pro singulis communitatibus: secretariatus pro unitate christianorum poterit textus omnes conficere, aptos pro singulis, et istis salutationibus detur magna diffusio, ut singuli eorum episcopi habeant a nostris et pariter eorum parochi vel pastores a nostris et ita porro.

Secus decretum *de Oecumenismo* maneret pro multis non cognitum.

Decretum hoc, mea humili sententia, non est expositio doctrinae, nec debet esse, sed potius expositio alicuius praxis pastoralis, vel potius methodi quam recenter Ecclesia invexit ut hos fratres iuvaret ad unitatem redintegrandam.

21

EXC.MUS P. D. IOSEPH MELAS
Episcopus Nuorensis

Schemate *de Oecumenismo* attente perlecto, et primis tribus capitibus examinatis, quae schema essentialiter constituunt, testari posse censeo idem generaliter laudandum atque probandum esse, praesertim quia completum, quia compendiarium, quia ordinatum.

Omnia enim generalia principia, quasi certa fundamenta, theoretica et practica continet, quae ad rem pertinent, eaque breviter expressa et logico ordine digesta.

In primis valde laudandum est Concilium hoc tetigisse argumentum maximi momenti putandum, hisce praecipue temporibus, cum Spiritus Domini super hominum historiam, quasi super aquas saepe agitatas, ferri videatur, maximasque excitat expectationes sive pro humani generis pace et concordia, sive pro Ecclesiae unitate.

Attamen, etsi argumentum, quoad substantiam, omnibus placere, omniumque consensionem obtinere possit, quaedam notanda sunt quae non solum obiectivam materiam respiciunt, verum etiam, ut plurimum evenire solet, subiectivam quoque aestimationem produnt.

In principio schematis, praeter argumenta ex fide desumpta, aliud etiam ex ratione et simul ex humanitatis historia et scientia adiungendum videtur; nempe totum hominum genus unum esse unicitate originis, iuxta veriorem eorum doctrinam quae monogenismum tenet et sustinet, et argumentis ex scientia depromptis probat.

Quaedam voces plenius explanandae essent, quae saepius, ut in aliis etiam schematibus, non semper et univoce ad idem subiectum, nec sub eadem significatione, referuntur, sed diversis tribuuntur, ut « Sacramentum » de Ecclesia dictum (pag. 7, lin. 9), aut « mysterium » de unitate Ecclesiae prolatum (pag. 8, lin. 10).

Quaedam autem adiicienda videntur ad officia christifidelium; et dum maximi facienda sunt quae proponuntur media ad unionem instaurandam, ut puta: interior Ecclesiae renovatio, conversio cordis, sanctitas vitae et unanimis oratio, etc., addenda est necessitas operum quae sacrificia seu poenitentias secumferunt, quaeque valorem maximopere ipsis precibus addunt, earumque efficacitatem firmiorem reddunt, ut factum vidimus in his qui animam suam, victimarum instar, posuerunt, ut v. g. Serva Dei Soror Maria Gabriella. Sed de hoc nihil in schemate; proindeque propono ut in eodem par. 7 (pag. 16) huiusmodi exhortatio addatur, vel alius paragraphus consulto adiungatur.

Quaedam discrepantia mihi notanda videtur in par. 19 (pag. 23, linn. 23-28). Nam in prima parte huius periodi communitates christianae

inter se differre dicuntur « propter diversitatem originis, doctrinae et vitae spiritualis » (linn. 24-25), quod, ni fallor, improbandus est defectus; dum e contra in eodem periodo, illico, aliquid laudabile declaratur cum in occidentis regionibus communitates commemorantur quae etiam salutis mediis gaudent « e sacerdotio valido promanantibus » (linn. 27-28). Igitur eiusdem periodi partes evidenter inter se dissonant!

Ad unionem denique perficiendam non sufficit, ut patet, ut una tantummodo pars munus suum praestet, sed et ceterae idem praestare debent. Catholica Ecclesia, ut ex toto schemate abunde oritur, omnia quae ad dissidentes Ecclesias orientales ceterasque communitates christianas spectant plurimum aestimat, earumque reliquias colligit, et vel fragmenta reputat, ne quid pereat, eaque admiratur et laudat, nobisque filiis suis commendat, bona semper et maxima voluntate compulsa, et singula maximi facit. Non tamen potest domus exstrui ruderibus tantum adhibitis, nec machina iterum confici ex his quae exstant fragmentis, nec sufficit iter carpere nisi in finem usque peragatur. Dialogus igitur ut ineatur duae inducendae sunt personae, et quod ad nos attinet commune votum ex imo corde promimus ut qui nunc adsunt praeclari Observatores, omni denique ambiguitate depulsa, maternae Ecclesiae curae respondeant! Quae propono in schemate explicitis verbis dicenda.

Admiranda insuper Ecclesiae sapientia quae morum aut consuetudinum diversitatem nedum in Ecclesiis orientalibus improbet, tuendam potius et protegendam curat, solemniter enuntiato principio de diversitate in unitate (pag. 22, n. 16).

Optandum ut Patres schema hoc animo simpliciori, i. e. sincerius apertiusque respiciant, idemque discutiant prout exstat, curantes ne quae facilia sunt difficilia quandoque reddantur.

Post iam typis editum schema duo adhuc adiecta sunt capita (IV et V), quae et Patribus subinde tradita sunt, quaeque nos proinde seorsum examini nunc subiicimus.

Schema quasi duplicatum evasit.

Cap. IV, quod Iudaicam gentem praesertim respicit, re ipsa probandum, sed incompletum videtur, nec omnia refert quae in Novo Testamento de populo iudaico narrantur, ut plena rei habeatur ratio.

Sed cap. V potissime nostrum postulat studium. Quin ad singula distincte veniamus, quaedam tamen necessario dicenda.

Nemo est qui huius capitis momentum et necessitatem deneget. Sed agitur de problemate in quo omnia fere verba perpendenda et discutienda sunt, quod paucis diebus festinanter absolvere nequimus; tempus enim deest, nec Patres parati sunt ut inopinatum argumentum aggrediantur. Maximi ponderis res est, summaeque gravitatis, quae conscientiam nimis obligat, animumque angit, magna in se habens consectaria sive temporum sive orbis spatium respicias. « Fa tremar le vene e i polsi » ut cum Alighierio dicamus.

De aliis argumentis diu hucusque disceptavimus, nec aliter in hoc tam praecipuo themate faciendum.

Connectitur insuper cum aliis multisque argumentis, quae ideo pariter tangenda erunt.

Quae tandem sollemniter affirmantur principia, et iura et officia vindicantur, quaeque efferuntur damnationes id postulant ut seorsim caput agitetur et in speciali tractatione, ut maiorem simul sumat effectum, maximaque vi polleat!

Necessario denique quaedam praemissa ponenda ut clare appareat intima connexio cum essentiali schematis themate.

Est igitur ad aliud tempus remittendum, v. g. cum auspicatus secretariatus omnium aliarum religionum in mundo exsistentium constituetur.

22

Exc.mus P. D. FREDERICUS MELENDRO

Archiepiscopus Nganchimensis

Desideratur Prooemium, quo alia gaudent schemata; in quo statuenda videntur Oecumenismi essentia et theologicum fundamentum, decreti finis etc.

Deest etiam clara expositio Oecumenismi catholici qua catholici et doctrina catholicae de unitate Ecclesiae, quae fundamentum essentiale unionis christianorum est. Hoc ideo magis addendum esset, quod in solemnibus conventibus oecumenisticis saepe de vera unitatis notione agatur. Nam in conventu anno 1961 in Nova Delhi celebrato, proposuerunt aliquam satis amplam unitatis Ecclesiae descriptionem cum commentario adiuncto, in qua feliciter iam plura elementa de vera doctrina unitatis Ecclesiae agnoscuntur, et quae laudata sunt in *L'Osservatore Romano* (29-12-1961). Expresse agnoscunt, eos nondum potuisse invenire solutionem pluribus quaestionibus, quae de unitate Ecclesiae ponuntur, propter defectum consensus inter eos de hac re; ideoque descriptionem unitatis in qua convenerunt pronunt solum tanquam viam quae valeat eos conducere ad unitatem assequendam, nam mera unio christianorum sine vera unitate minime sufficit.

Iam vero Ecclesia catholica habet suam doctrinam de unitate Ecclesiae, in qua alia sunt elementa necessaria, quae nondum a fratribus ab Apostolica Sede disiunctis adinventa sunt; quare necessarium esset in hoc schemate *de Oecumenismo* dialogum de ipsa unitate cum eis habere, et hac ratione cooperare cum eis eosque adiuvare ad veram et plenam de vera unitate Ecclesiae doctrinam adinveniendam. Hoc autem fieret si in nostro schemate plane et cum omnimoda sinceritate proponeretur doctrina catholica de unitate verae Ecclesiae, nihil prorsus dissimulando, sed totam mentem nostram ipsis manifestando, non solum cum aperta ardentique caritate, sed etiam cum non minus ardenti et aperto amore veritatis. Ideo haec dico, quia quae pulchre dicuntur n. 1 mihi non videntur sufficere.

Verbi « Oecumenismus » significatio non facile intelligitur, et facile praebere potest ansam falsis interpretationibus inter catholicos.

23

EXC.MUS P. D. GREGORIUS MODREGO Y CASÁUS
Archiepiscopus-episcopus Barcinonensis

Christianorum unitas summum bonum, arduum problema, vehementissimum desideratum Ecclesiae constituit.

Sicut in ordine temporali, nostris temporibus, omnes gentes bonae voluntatis ut maximum « valorem » considerant pacem et concordiam, ita in sphaera religiosa-christiana cor Populi Dei pro unitate anhelat, unitatis amorem spirat.

Opportunissimum igitur existimo Sacram Synodum de sic dicto « Oecumenismo » instituere tractationem.

Abhinc viginti et septem annis, cum episcopus essem consecrandus, nullum aliud « lemma » pro stemmate episcopali volui, nisi illa verba Orationis Sacerdotalis Christi: *Ut sint unum.* Dilectissimus card. Gomá, quocum ut auxiliaris collaborare debebam, alia et pulcherrima suggerebat. Sed omnibus praetuli precationem pro unitate Ecclesiae, nam summa mea laetitia esset si viderem christifideles per universum orbem, sicut in primaeva communitate hierosolymitana, habentes « cor unum et animam unam » (cf. *Act.* 4, 32). Sciens quamplurimos fratres nostros nondum unitos hoc ipsum desiderare, Deo gratias ago, et in hac spe — nempe: *Ut sint unum* — perseverans confisus vivam, pro unitate Ecclesiae preces iugiter fundens.

Paucis verbis nunc dicam de schemate in genere. Plures adnotationes concretas scriptas tradam secretariatui. Ex ipsis, si tempus suppetat, nonnullas in fine legam.

1. Lineae generales schematis propositi placent, licet schema fortasse longius sit quam pro decreto conciliari assumatur.

2. Speciali modo laudanda videtur expositio dogmatica *de unitate* et *unicitate* Ecclesiae in cap. I (scil. « de principiis »), et ratio iuxta quam, in cap. II (scil. « de exercitio Oecumenismi ») fere omnia reducuntur ad exercitium illius *sanctitatis,* ad quam filii Ecclesiae imperative a Deo vocantur.

Nam hae sunt veritates firmae, dogmaticae. Et verus Oecumenismus debet aedificari in veritate, non in impraeciso quodam « sentimentalismo ».

Sed hoc supposito, iuxta meam modestam sed sinceram opinionem, elementa ista doctrinalia quibus innititur schema, magis perspicua et in suo contextu ordinato et logico apparerent si proponerentur in schemate *de Ecclesia.* Etiam in methodologia scientifica et didactica, unitas est qualitas maximi pretii. Alii Patres digniores iam prius dixerunt in hac aula bonum esse si Concilium pauca, sed egregia documenta proferret. Experientia favet huic tendentiae, sicut probe scitis. Schema *de Ecclesia,* sine dubio, futurum est monumentum aere perennius huius Concilii. Intra hoc schema, expositio vitalis, profunda simul et vere pastoralis, spiritu biblico et patristico perfusa, de *unitate* et *sanctitate,* de *catholicitate, apostolicitate* et (sit venia verbo)

de « evangelicitate » Ecclesiae, opportunitatem praeberet, cum spontanea connaturalitate, derivandi doctrinam dogmaticam in adhortationes — breviores et efficaciores — quibus *spiritus oecumenicus* foveretur, in suo vero contextu collocaretur et valore perenni donaretur.

Etiam caput *de populo Israelitico* — nempe, de antiquo populo Dei ad regnum messianicum vocato — suum aptum locum inveniret in schemate *de Ecclesia,* in cap. scil. II. E contra, prouti proponitur vix non apparet ut aliquid quasi artificialiter et extrinsecus adnexum schemati — in quo extollitur quidem unitas animorum, sed unitas methodologica, ut sincere dicam, valde deficit.

3. Supposita ordinatione quam propono, multa ad breviorem formam reducenda essent, et repetitiones (quibus schema *de Oecumenismo* scatet) vitandae. Fere omnia quae dicuntur in cap. III omitti possunt.

4. Schema praecavet fideles contra « falsum irenismum », quo saltem obscuratur sensus genuinus et certus doctrinae catholicae. Nam (sunt verba schematis) « fides nostra integre et lucide exponatur oportet omnino » (cap. II, n. 10, pag. 17, linn. 20 ss.). Timeo ne, variis in locis, ipsum schema aliquatenus laboret defectu illius irenismi excessivi quem reprobat. Modus, v. g., quo vix innuitur — si non dissimulatur — successio auctoritatis primatialis in Ecclesia romana forsitan non « integre et lucide » concordat cum doctrina quam definivit Concilium Vaticanum I. Nec concordat cum ratione loquendi qua utebatur, saec. II, S. Irenaeus in notissimo textu.

5. In eodem spiritu sinceritatis et amore veritatis unum verbum adiungam. Unitas christianorum est summum bonum; pro hac unitate Christus oravit, et pro ipsa mortuus est. Si unio summum bonum, ergo divisio christianorum summum malum est. Si quis sciens et volens hanc divisionem provocaret, absque dubio grave peccatum committeret. Sancti Patres (sicut, v. g. S. Ioannes Chrysostomus), et ipsi apostoli in Novo Testamento — immo, et Evangelista Caritatis — acerbissimis verbis reprobaverunt fautores divisionum. Eorum verba scripta sunt, et scripta manent. Sancta Synodus, convocans omnes ad unitatem, etiam explicite declarare posset (verbis utique caritate simul et claritate plenis) esse omnino alienum a spiritu Christi si quis inducere conaretur, quolibet modo, divisiones inter christianos, iis in locis ubi unitas in vera fide iam viget. Et si hoc (quod Deus avertat) acciderit, ius et officium esse fidelium firmiter servandi suam fidem; ius et officium Pastorum firmiter praeservandi fidem fidelium — praesertim debilium, ne in illa « scientia » fortium, quam merito reprehendit apostolus Paulus (cf. *1 Cor.* 8, 7-13), pereant fratres infirmi, propter quos Christus mortuus est.

Finem facio iterando quae initio dixi: utinam, sicut Dominus Iesus, vitam et mortem impendamus omnes pro populo Dei in terris: *Ut omnes unum sint!*

24

EXC.MUS P. D. IOANNES B. MUSTY

Episcopus tit. Botrianensis, aux. Namurcensis

Ne teramus tempus et discussionem adhuc ampliorem reddam, votum in scriptis tradam.

Cum paucissimi sint Protestantes in Belgio, forte cum maiori obiectivitate problema oecumenismi considerari potest, sub aspectu caritatis universalis Ecclesiae, nullis particularibus circumstantiis pulsantibus.

Sic quatuor puncta proponam:

1. Nimia forte prudentia afficitur textus praesens. Certe, hic plus adhuc quam in aliis materiis, prudentia regula aurea est. Sed, ex altera parte, motus oecumenismi omni quasi anno crescit et amplior fit. Cogitemus, v. g., incertitudinem longo tempore pertractam de opportunitate invitationis mittendae observatoribus aliarum communitatum christianarum. Nunc autem apparet praesentia eorum occasionem dare maioris sensus dialogi, multae occasiones praebentur contactus vere utiles eis et *nobis*. Cum Sanctissimus Pater eos tam humanissime excipit et alloquitur, eos attrahit ad unionem.

In hoc videtur ergo quomodo res quae longius suspecta apparuit, de facto, adiuvante gratia Domini, perutilis hodie est.

Aliud sit exemplum mutationis mentium. Schema, pag. 10, lin. 17, loquitur de « admiratione » suscitata a divisione christianorum. Relator, exc.mus D. Martin, non dubitavit loqui de « *scandalo* » (pag. 12) emphasim dando huic voci.

Periculum ergo adest ut aliqua timiditas hodierna fiat impedimentum crastinum. Ne textus schematis sit limitativus vel restrictivus, sed magis positivus et apertus ut sic antecedat spei nostrae et aperiat vias unitatis vel saltem incitet novos passus in istis viis.

2. Iam hodie textus hic videtur *citra habitum* Sanctissimi Patris et usus ecclesiasticos valde spersos.

Quis nostrum non commovebatur audiendo verba Pauli VI, sollicitantis veniam inter omnes christianos? Sic publice affirmatur necessitas compunctionis, quae non invenitur in schemate.

Haec pusillanimitas nostra apparet, ut mihi videtur, in iis quae dicuntur vel potius non dicuntur de oratione communi et de administratione sacramentorum fratribus separatis. Si aliquae circumstantiae particulares ratione personae, v. g. in periculo mortis considerari possent, nonne posset idem dici de circumstantiis geographicis, saltem pro fratribus orientalibus?

Multa, de facto, instaurata sunt sub hoc aspectu. Nonne posset Ecclesia ea facta aperte accipere et ut regulam communem tenere? Sic clarificaretur positio nostra, explicitior et magis logica appareret, dum intentio oecumenica magis claresceret, in lumine exemplorum Christi nullum recusantis.

3. Si textus non correspondet verbis nuper prolatis a Paulo VI, eodem

modo distat a laboribus Concilii iam acquisitis. Non sufficit loqui de « renovatione spirituali », ut fit n. 4, pag. 15, sed mentio debet fieri doctrinarum renovatarum vel saltem implicite, quae nos viciniores faciunt fratribus separatis, ut responsabilitas collegii episcopalis, praestantia ecclesiae localis, missio et sacerdotium regale laicorum.

4. *Ordo Concilii* art. 18 § 1, de observatoribus declarat: « Ius loquendi in Concilii disputationibus non habent ». Tamen praevidetur praesentia eorum conventibus commissionum, si « competens auctoritas permiserit ». Tempus esset hac facultate uti, ut interrogentur observatores. « Num eos bene intelligimus? Quid dicendum sit amplius vel melius de eorum communitatibus? ». Timeo, v. g., ne Protestantes accipiant ut simplificatam descriptionem ea quae dicuntur de eorum « amore et veneratione Scripturarum », cum plene adhaerent eis quae dicit Paulus (*Rom.* 1, 16): « ... Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti ».

Conclusio. Motus Oecumenismi magnas spes suscitavit in Ecclesia. Eius progressus ostendit eum fundari in Spiritu Sancto et roborari per eum. Ne Concilium decipiat tot et tantos bonos christianos sic laborantes in Spiritu Domini, sed eos e contrario excitet et animos eorum erigat. Sic Concilium propinquiorem faciet diem in qua ad effectum adducetur precatio Domini: « Ut omnes unum sint ».

25

Exc.mus P. D. RENATUS PAILLOUX
Episcopus Arcis Rosebery

Loquentes in nomine Oecumenismi catholici, aliqui Patres, ex diversis Europae et etiam Africae regionibus, aliquem modum insinuaverunt quo, scil., catholicae simul et non catholicae missiones mutuo consentirent « proselytismum » non conducere in regionibus quae influxui alterius « communionis » iam subiectae sunt.

Mihi autem videtur quaestionem sic-dicti proselytismi ad praxim genuini et rationabilis Oecumenismi non stricte pertinere, cum conversio cordis ex libertate individuali pendeat, et nullus homo a religione aliqua libero suo arbitrio amplectenda ullo tempore vel in ulla regione unquam arceri possit.

Insuper tale propositum, saltem in Africa Orientali, historicis factis repugnat. Etenim, talis propositio, si ad actum duceretur, situationem redintegraret, quae, nonnullis abhinc annis, in Africa Orientali, iure abrogata est. Fuit enim tempus cum, ex decreto Gubernii, regiones in partibus dividebantur: quam « Zones of Influence » nuncupabant, eo proposito ut catholicae Missiones ibi fidem catholicam praedicare et ecclesias vel domos erigere formidabantur ubi non-catholicae missiones iam existebant, et vice versa. Nemini dubium est talem regulationem libertati religiosae repugnare, et hoc est praecise cur, decurrentibus annis, lex abrogata fuit.

Sine dubio, hic modus agendi, nonnullis vicibus, a fratribus nostris se-

iunctis propositus fuit, sed, meo saltem iudicio, tali proposito nos consentire non possumus, quia contra individualis conscientiae dictamen erigitur, et sic nec catholicis nec non-catholicis prodesse potest.

Timeo ne nimia sentimentalitatis affectus, ex parte eorum qui facta historica alicuius regionis cognoscere non possunt, ultro potius quam citro in via veri Oecumenismi nos perducat. Ideoque illis Patribus consentimus, qui, in aula conciliari, modalitates practicas Oecumenismi in quoquo loco iudicio Ordinarii loci subiiciendas esse dixerunt.

Insuper hic addere possumus quod propositum de quo supra principio fundamentali missionis repugnat, cum missionarii, ad instar apostolorum, ad omnes gentes convertendas mittuntur et nullus est qui eos prohibere possit quin ad omnes gentes eant.

26

Exc.mus P. D. LEO PIETSCH

Episcopus tit. Naronensis, aux. Secoviensis

Ut tota materia, quinque capitibus consistens, quae nunc violenter sub titulo « de Oecumenismo » collecta est, organice tractari possit, propono sequentem dispositionem:

Totum decretum inscribatur: « De concordia inter Dei cultores fovenda ». Ipsum autem subdividatur in capita sequentia:

I. « De necessaria religionis libertate ».

II. « De diversitate religionum earumque mutua relatione ». Hic de religionibus non christianis temporis nostri, speciali tamen modo de Iudaeis disseratur, quorum religio libris Veteris Testamenti fundatur, quique prae ceteris tempore elapso iniustam crudelissimamque persecutionem passi sunt. Licet non reticeatur istarum religionum valorem, post revelationem in Christo factam, relativum tantum esse, elementa earum positiva extollantur, eaque quae ipsis cum Ecclesia voto et opere communia esse debent, prompto animo evolvantur.

III. « De christifidelium in Ecclesia instauranda unitate, seu de Oecumenismo catholico ».

27

Exc.mus P. D. RADULFUS PRIMATESTA

Episcopus Fororaphaëliensis

Quaestionem de Oecumenismo certe tractandam esse sentio; attamen in ea quaedam prae oculis habenda sunt; nam etsi — uti in aula aliquando dictum est — Concilium pro tota Ecclesia agere et decernere debeat, non ideo praetermittantur conditiones peculiares locorum, cum exinde grave damnum toti Ecclesiae exoriri possit.

Enimvero, schema nostrum non absolute et concreto modo has conditio-

nes locorum perpendit. Agit de modo procedendi cum fratribus et communitatibus seiunctis, sed videretur procedere mente aliqua nimis « europaea » ob oculos habens praesertim conditiones communitatum, quae inde a saec. XVI exortae sunt, et quidem secundum earum modum agendi in Europa centrali et septemtrionali.

Sed alibi aliae sunt conditiones, et pari sedulitate sunt perpendendae. Audivimus viros missionarios loquentes de periculis proselytismi in locis missionum et de scandalo paganorum. In America Latina — ut de cognitis loquar — episcopi debent agere, non tam cum communitatibus seiunctis quae spiritu oecumenico et bona voluntate procedunt, sed cum « sectis » quae Ecclesiam accusantes (gloriosismus, intolerantia, ignorantia Scripturarum, cultus B. M. V. et Sanctorum, etc.) non irenice agunt, sed volunt simpliciter nos « convertere », ope diffusionem S. Bibliae. Comparetur v. g. haec conditio, cum modo agendi fratrum orientalium qui nullo modo huic proselytismo indulgent, immo suadent suis fidelibus ut deficiente sacerdote, ecclesiam catholicam frequentent. Ex alia parte, est vox communis apud nos, sectas non facere adeptos, sed incredulos!

Patet ideo, et hoc enixe rogo, in schemate caute omnino esse loquendum et decernendum, ne grave damnum inferamus nostris fidelibus, et habendam esse rationem locorum, nec facile procedendum secundum mentem Patrum solius alicuius regionis. Insuper caute et prudenter agendum cum de « culpis » Ecclesiae et de eius « aggiornamento » loquimur, ne contra iustitiam et historiam, non sine scandalo fidelium et gaudio incredulorum, revera agamus.

28

Exc.mus P. D. SAMUEL RUIZ GARCIA
Episcopus Chiapasensis

Schema *de Oecumenismo* legenti statim percellit aequilibrium quo commissio processit in eo apparando.

Dum enim ex una parte theologica principia accurate in re oecumenica vigentes optime describuntur, non silentur ex altera parte quae essentialia sunt in dogmate, quin tamen innecessarie repetantur iam alibi dicta; si autem ex una parte clare affirmatur catholicam Christi Ecclesiam omnium salutarium mediorum plenitudinem continere, hoc quidem fit quin consideratio avertatur ab illis vestigiis Christi et donis Spiritus Sancti extra illam quoque diffusis; si ex una parte fideles ideo invitantur ut, vitam propriam in Christo renovando, nec verbo, nec iudiciis, nec operibus murum apponant inter ipsos et fratres separatos, sed magis ad mutuam properent et cognitionem et collaborationem, hoc ex alia parte fit sine detrimento fidei, absque negatione veritatis, et debitis — uno verbo — illis cautelis quas veritas simul et caritas sibi exigunt.

Quaedam vero ad perficiendum schema, etsi minimi fortasse momenti, licitum sit exponere:

a) Schema videtur quodammodo silere circa genericam causam fragmentationis in Ecclesia. Dum enim Christus ad Patrem suum — et quidem efficaciter — oravit pridie quam pateretur dicens: « Ut unum sint... », quo pacto factum est ut illa Christi oratio, iam abhinc a primordiis dum schismata exoriuntur, quasi in cassum vergat? Videtur quidem peropportuna quadam saltem phrasi mentio fieri debere humanae, et quidem omnium christianorum — sive olim sive hodie — culpae, de qua cum Paulo VI in concione inaugurali huius secundae sessionis Concilii vehementer ab omnibus dolendum. Schema revera pag. 8, sub n. 2 illas dissensiones et divisiones tali modo meminit ut quasi appareant naturale quoddam phaenomenon, dum fuerint et sint e contra sequelae cuiusdam culpabilitatis utramque partem complectentis.

b) In valde laudando — et iam his quoque in diebus ab ipsis iudaeis laudato — cap. IV schematis, magnam suscitat mirationem totalem absentiam citationum magisterii ecclesiastici documentorum. Haec quippe plura quae exstant documenta, et nobis adiumento in studio praebent, et aliis absque dubio in memoriam revocat heic non agi de novitate quadam in Ecclesia.

c) Quum innumerae paene exstent hinc inde publicationes cuiusvis generis qui tali modo loquuntur quasi populus iudaicus, nescio cuius maledictionis divinae pondere, paradisum terrenum quaerant et ipsis tribuatur, et ordinis oeconomici exclusiva directio, et bella per orbem commissa, et quodammodo quasi totius historiae modernae manuductio; magni pretii est ut etiam in hoc capite — sicut laudabiliter factum est in fine cap. I — reprobetur talis agendi modus et christifideles omnes deterreantur sive a talia menda propagandis, sive legendis, vel quoquo modo diffundendis. Quod eo vel magis fortasse urgeret, quod ipsis conciliaribus quibusdam saltem Patribus, in transactae sessionis tempore liber fuerit distributus in quo asserebatur vel intra custodita moenia ipsiusmet Concilii Vaticani II manum iudaicam iam irrepsisse.

d) Si totum schema praeclarum est in genere in recto usu Sacrae Scripturae, non satis premuntur usque ad ultima consectaria pretiosi citati textus.

In cap. IV lin. 27 intra parenthesim citantur textus quorum nullus ex tribus ad rem venit. In ipsis siquidem agitur de illa ignorantia, culpabili quidem, qua ducti contemporanei Christi mortem petierunt; sed nec ideo referuntur ad cunctum populum electum, nec ad rem veniunt intra contextum schematis loquentis de peccatis omnium hominum ut causa passionis et mortis Iesu.

Longe ceteroquin laudanda commissio quae schema praeparavit, valdeque expectandum ut cum hoc novo spiritu, gressus fiant in itinere unionis, quibus citius desiderata perfecta christianorum unio verificetur.

29

Exc.mus P. D. IOSEPH RUOTOLO

Episcopus Uxentinus - S. Mariae Leucadensis

Schema *de Oecumenismo* placet propter afflatum pastoralem et propter finem supernaturalem. Quoad ordinem puto tractationem posse meliore ratione disponi ita ut cap. III antecedat cap. II, quod respicit technicam — ut ita dicam — reconciliationis fratrum separatorum cum Ecclesia catholica. Cap. IV et V possent separatim tractari.

Velim tamen, secundum meam humilem opinionem, de Oecumenismo sermo fiat modo efficaciore, sequentia considerando, scil. unionis necessitatem, temporis hodierni opportunitatem, obstacula removenda et media adhibenda.

1. *De unionis necessitate.* Dum conditiones historicae quondam foverunt divisionem orientalium et occidentalium ab unitate Ecclesiae Christi, nunc e converso urgent virium spiritualium unionem firmam. Nam:

a) Debent vitari alia bella orbis terrarum, quae fere omnem humanitatem destruerent. Pax religiosa pacem internationalem fovet. Nuntius Christi nativitatis et tota vita Redemptoris fuit excitatio ad pacem, quam uti hereditatem ipse donavit, dicens: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis (*Io.* 14, 27).

Praeterea sanctus Paulus tamquam operationem Spiritus Sancti indicat pacem, cum ait in epistola ad Galatas (5, 22): « Fructus autem Spiritus est caritas, gaudium, pax etc. ».

b) Paupertas summa plurium nationum post obtentam independentiam. Ad eas adiuvandas necessaria est caritas, quae a Christi doctrina et exemplis tamquam mandatum novum et medium salutis validum promanat iuxta verba Magistri: « Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem sicut dilexi vos » (*Io.* 13, 34).

c) Errores ubique diffusi materialismi practici et marxismi simul cum pantheismo cuiuscumque generis destruunt notiones boni et mali, ipsam conscientiae vocem compescunt et ad consectaria lugenda impellunt singulos homines, familias et nationes. Unicum validum praesidium contra veritatis corruptionem est unio virium omnium christianorum, ductu Christi vicario, ad veritatem defendendam et ad moralitatem tuendam.

2. *Opportunitas unionis in nostris temporibus.* Non tantum facta historica foverunt separationem, sed etiam rationes psychologicae, ut gloriae cupiditas, dependentia ab auctoritate civili et alia huiusmodi. E contra hodie favorabiles conditiones ad unionem praestant, inter quas duae praecipuae mihi videntur, scilicet auctoritas et insuper paternitas Summi Pontificis.

a) Imprimis auctoritas. Revera plures moderatores reipublicae, inter quos nonnulli non catholici, legationes mittunt ad Sedem Apostolicam, quam reputant praesidium libertatis, pacis et moralitatis, incrementum sanae doctrinae et cuiuscumque boni publici.

b) Paternitas. Caritas Sanctae Sedis perdurantibus bellis ab omnibus

exaltata est ita ut Summus Pontifex appareat ubique etiam tempore pacis verus pater humilium, pauperum, lux et calor gentium, spes humanioris vitae.

Nonne hoc est tempus opportunius ad separationes auferendas mente serena et forti animo, fiduciam nos omnes in Deum urgentes? « Si Deus pro nobis, quis contra nos? » ait apostolus (ad *Rom.* 8, 31) et Deus est ubi est caritas.

3. *Obstacula removenda.* Cum rationes historicae et psychologicae unionem favent, necessarium est gradatim obstacula removere bona voluntate.

a) Praecipuum obstaculum videtur interpretatio factorum, quae unionem fregerunt. Sed ad quid hoc inservit, si necessitas urget unionis et pericula gravia incumbunt? Relinquamus historiae Scriptoribus munus quaerendi et interpretandi facta praeterita; nos autem nova facta audacter et bene condamus. Christiani egent unitate et infallibilitate, quae in Summo Pontifice habentur iuxta Christi voluntatem: et hoc sufficit ad unionem instaurandam.

b) Praemissa positiva ad omnia obstacula removenda est bona voluntas et apertum cor. Inspiciamus exemplum Summi Pontificis Ioannis XXIII piae recordationis, qui toto pontificatus tempore — pro dolor — brevissimo, hanc unionem concepit, fortiter et suaviter voluit et tamquam praecipuum finem huius Concilii determinavit.

4. *Media adhibenda.* Meam opinionem expono ad integrandum id quod in schemate expositum est.

a) Aliqua conventio facienda est ut bona voluntas clare appareat omnibus. Talis conventio deberet considerare inter alia actionem apostolicam in missiones et in omnes nationes. Ubi omnes sunt catholici, propagatio doctrinae protestantium discordias religiosas gignit et aliquando ad atheismum fideles impellit. Et vicissim. Veluti armistitium — ut ita dicam — ineundum est ut initium pacis etiam humilibus fidelibus appareat et concordiam foveat.

b) In scriptis prelo editis nullum iurgium sit inter scriptores diversae Ecclesiae, sed omnes auctores animum serenum praebeant et studium conferant ad oppositiones minuendas et possibiliter auferendas.

c) Admissio in religionem catholicam fiat sine petentis humiliatione. In hac re experientiam personalem habeo. Anno 1944 multi exules fuerunt in mea dioecesi apud pagum S. Mariae Leucadensis, inter quos plures erant orthodoxi et nonnulli religionis protestanticae. Ex orientalibus, praesertim russis, magna pars quaesivit in religionem catholicam ingressum. Sed difficultatem psychologicam nonnulli ostendebant ad abiuram faciendam. « Nos amamus Papam, ipsi dicebant, libenter doctrinae ipsius fidimus et eius vocem audimus; cur debemus abiuram facere? ». Secundum meam opinionem abiura posset substitui iuramento fidelitatis erga Summum Pontificem.

Praeterea, si baptismus protestantibus in sinum Ecclesiae catholicae ingredientibus conferri debet absolute vel sub conditione, melius esset, ut opinor, caeremonias imminuere ut magis accepta fiat sacramenti collatio.

d) Conventus a schemate propositi sint plures et praesertim dum preces funduntur tum in Ecclesia catholica, tum in Ecclesiis christianorum separatorum.

Conclusio. Nos episcopi una cum sacerdotibus et fidelibus frequenter precemur Iesum Christum, Mariam Virginem et sanctos sive occidentales sive orientales ut hora unionis quam citissime veniat et nova Pentecostes in Corpore Christi mystico oriatur.

30

EXC.MUS P. D. AMBROSIUS SENYSHYN
Archiepiscopus Philadelphiensis Ucrainorum

Placet omnino negotium hoc maius universae Christi Ecclesiae de unione omnium christianorum seu « de oecumenismo » in Concilio Vaticano II pertractatum iri, de quo conciliariter agere inde a Concilio Florentino non fuit data occasio. Laudandum proinde propositum et labor secretariatus pro unione fovenda et Patrum conciliarium vota et propositiones ad textum decreti vere oecumenicum et efficacem reddendum. Eodem proposito et observationes quae sequuntur explicantur.

1. Omnino necessarium est ut ex ipso textu pateat omnibus clare agi de summo universae Ecclesiae Christi in terris negotio, et non tantum de quadam contingenti nostrorum temporum motione. Titulus enim adhibitus et modus dicendi quamdam confusionem creare posset, acsi Ecclesia catholica tantummodo per quemdam influxum motus oecumenici fratrum separatorum constricta, de hoc negotio ageret, quod omnino admitti non potest. Ecclesia enim catholica in tota sua historia unionem omnium christianorum procurare nunquam cessavit nec cessat, etsi pro temporum et locorum circumstantiis variis modis usa est, ac proinde mandatum et testamentum Domini: « ut omnes unum sint et ut fiat unum ovile et unus Pastor » fideliter adimplere conata est. Proinde clarius in schemate enuntietur opus Ecclesiae in hac materia praestitutum.

2. Mea opinione, deest in schemate sufficienter clara enuntiatio finis ultimi oecumenismi catholici, hoc est: unitas omnium christifidelium in fide, in sacramentis et in regimine sub uno Pastore Supremo. Quae unitas non est invenienda, sed ad effectum deducenda, Dei gratia et conaminibus sinceris hominum. Necessarium est ut hoc clare dicatur ob bonum catholicorum, et non catholicorum, ne labor et conamina inutilia maneant et aequivocatione quadam laborent, cum multis periculis.

3. Schema quamdam futuram unionem universalem omnium prae oculis habens, silet omnino de unionibus particularibus et etiam individualibus, quae hucusque locum habuerunt et adhuc habent. Silentium hoc minus recte interpretari posset, acsi Ecclesia catholica hoc quod hucusque in diversis orbis terrarum partibus factum fuit reprobaret. Proinde sollemniter et conciliariter existentia Ecclesiarum orientalium catholicarum laudetur earumque

legitimitas agnoscatur, quae legitimitas iuri divino, unitatem nempe ecclesiasticam quaerendi fundatur, et nonnisi in universali unioni omnium perficitur; quod hucusque factum est in hoc campo per gradus, salvo iure divino, infectum esse non potest. Idem dicatur clare de conaminibus singulorum christianorum separatorum unitatem unici gregis Christi in Ecclesia ingrediendam. Non est enim quaestio cuiusdam indebiti « proselytismi », sed quaestio conscientiae christianae, contra quam agere nemo potest nec valet, nisi voluntati divinae obstare vellet. De his Concilium tacere non debet, si de oecumenismo loquatur, neque etiam silentium hoc fratres separati, sincere veritatem quaerentes, desiderare possunt. Claritas in hoc est primum officium, immo exordium omnis actionis oecumenicae.

4. Sine periculo cuiusdam syncretismi religiosi in nostro schemate de non christianis loqui non valemus, alioquin ipsa actio oecumenica et finis eiusdem pessumdari possunt. Proinde, propositum caput quartum: « de catholicorum habitudine ad non christianos et maxime ad iudaeos », nostro decreto non est iungendum. Fiat de hoc declaratio quaedam alio in loco, forsan aptiori, ut exempli gratia, in capite primo « de Ecclesia », post n. 10, ubi esset locus naturalis de hac re quaedam dicere.

5. Schema nostrum evitat loqui de « communicatione in sacris cum christianis non catholicis », praesertim orientalibus, quibus Ecclesia catholica bonam fidem ex una, et validitatem Sacramentorum ex altera parte agnoscit. In textibus praecedentibus de hac re sermo fuit. Nunc vero siletur, forsan ex quodam respectu earum communitatum, in quibus validitas sacramentorum plurium non agnoscitur. Periculum est ne ex hac depressione orientales ansam sumant de Ecclesia catholica querendi, ob paucam aestimationem Ecclesiarum orientalium separatarum, et ex hoc novum quoddam obstaculum ponatur.

6. Orbis christianus et catholicus hodie variis generibus motionum et actionum oecumenicarum, tum singulorum, tum diversarum associationum abundat, inter quas saepe substantiales discrepantiae adsunt, cum confusione et scandalo plurium. Ex nostro schemate labor hic novum obtinebit vigorem. Cum tamen in schemate non praevideatur quoddam centrum directivum unicum, maior adhuc confusio praevideri possit. Redeundum est proinde ad propositionem iam antea factam de instituendo quodam Consilio Supremo seu Congregatione, sub immediata auctoritate Summi Pontificis cuius erit motionem hanc moderari et coordinare. In Consilio hoc constituendo vere oecumenice procedatur, pro momento et necessitate ipsius rei, peritis tum ex occidente tum ex oriente adhibitis. Momentum negotii hoc urget, alioquin pauca bona sperari, si iam non damna timeri possunt.

His praemissis, schema ut basim disceptationis conciliaris admittendum esse puto, salvo meliori iudicio Patrum venerabilium.

31

EXC.MUS P. D. IESUS SERRANO PASTOR

Episcopus tit. Hypselitanus, vic. ap. Darienensis

Regula quaedam magni momenti in oecumenismo est ea omnia inculcare quae christiani communiter habemus, differentias quae nos separant in intellectione verbi Dei non obliviscendo. Hoc generaliter in schemate observatur et inde laudandum. Adest tamen aliqua exceptio, scil. cum condicionem Ecclesiae orthodoxae describit. Sperandum enim erat, ut et de orientalibus loquendo, schema eis tribueret omnia quae hucusque Ecclesia catholica eis recognovit. Quod, mea quidem sententia, sufficienter non fit, vel saltem modo qui confusionem gignit.

Primo enim, una cum Patribus qui iam hoc dixerunt, miror eo quod in schemate non enumerentur omnia illa elementa Ecclesiae quae orientales separati fideliter conservant et eos nobiscum intime uniunt: fidem orthodoxam Patrum, exceptis quibusdam explicationibus posterioribus separationi, septem sacramenta et praesertim Eucharistiam, scil. omnia praeter communionem cum Sede Apostolica et ei debitam oboedientiam.

Sed nec haec quidem enumeratio, etsi facienda, sufficeret. Nam praesentia horum elementorum essentialium Ecclesiae demonstrat situationem theologicam Ecclesiae orthodoxae relate ad unicam Ecclesiam Christi specialissimam esse et ideo in schemate determinandam. Iam vero de hac gravissima quaestione schema tacet vel potius duas oppositas conceptiones innuit.

Primo, cum nomen Ecclesiae orthodoxis unice tribuat, cumque affertur textus ille Florentini de pariete medio auferendo quae occidentalem orientalemque dividit Ecclesiam, schema insinuat orthodoxam vere et proprie Ecclesiam esse, seu partem Ecclesiae Christi, etsi contra Christi voluntatem communione visibili cum sede Petri, capitis episcopatus, orbatam.

Secundo vero, cum in par. 12, versus finem, asseritur id quod in cap. I dictum est de elementis communionis in communitatibus separatis subsistentibus maxime orientalibus separatis convenire, cumque de orientalibus una cum protestantibus agitur in uno capite sub titulo « de christianis ab Ecclesia catholica seiunctis », insinuatur Ecclesiam orthodoxam esse, sicut et ceterae communitates, communitatem quandam christianorum in quae plura elementa Ecclesiae conservantur.

Quaenam conceptio verior est et ideo in schemate adhibenda? Conceptio illa tantummodo iuxta quam Ecclesia orthodoxa est vere et proprie partem unius Ecclesiae Christi in statu separationis contra Christi voluntatem, a Sede Petri, est conceptio traditionalis in Ecclesia et theologice fundata.

Ecclesia enim catholica naturam ecclesialem Ecclesiae orientalis separatae semper recognovit. Recognovit cum eam semper Ecclesiam vocavit, quod aliis non fecit. Recognovit cum patriarchas et episcopos orientales separatos comparticipes in unico sacerdotio hierarchico consideravit (cf. recentem epi-

stulam Pauli VI ad patriarcham Constantinopolitanum). Recognovit, cum eorum episcopi una cum nostris etiam ante unionem in Concilio Florentino sederunt (consedimus, dicunt *Acta*: Mansi 31, 703 ss.). Recognovit, cum consideravit cessationem separationis non ut creationem Ecclesiae in oriente, cum sciamus ibi iam ab apostolis fundatam, sed ut consummationem in unitate, certe Ecclesiae orientali ultimam perfectionem dando quam tantummodo communio cum Sede Petri, apostolorum choriphaei, tribuere potest.

Hoc quoad traditionem. Sed hic modus agendi traditionalis Ecclesiae optime a theologia explicatur. Nam de Ecclesia loquendo mentem theologicam, non imprimis iuridicam adhibere oportet. Iam vero theologice Ecclesia construitur, et ideo consideranda est, ab intus. Ecclesia enim est imprimis et fundamentaliter communio supernaturalis in gratia trinitaria quae a Christo capite in membra derivatur per professionem fidei orthodoxae et per sacramenta. Ecclesia, id est, fides et fidei sacramenta, aiebant Patres. Quae communio per fidei orthodoxae professionem et per baptisma confertur, per alia sacramenta accrescitur et per Eucharistiam perficitur. Eucharistia est enim sacramentum unitatis et perfectionis Ecclesiae Christi, cum Christo et inter se homines perfecte coniungat. Ubi enim adest fides orthodoxa et valida Eucharistiae celebratio, ibi est proprie Ecclesia, et quidem in linea communionis supranaturalis, perfecte. Haec tamen supranaturalis communio necessario, voluntate Christi, in communionem externam, etiam iuridicam, visibiliter traduci debet. Traducitur iam quodammodo necessario cum valida Eucharistiae celebratio et aliorum sacramentorum collatio supponat communionem in sacerdotio et debitam hierarchiae submissionem. Quae omnia in communionem cum Sede Petri consummantur et ultimam perfectionem recipiunt. Scimus ergo solam Ecclesiam catholicam quae praeter alia omnia elementa essentiale communionem episcoporum cum successore Petri habet, esse plene et perfecte unicam illam Ecclesiam Christi. Sed Ecclesiam orthodoxam quae omnia alia elementa possidet, cuius ultima perfectio (in linea communionis supranaturalis) ab Eucharistia confertur, esse vere et proprie partem unius Ecclesiae Christi, etsi ob causas historicas notas, debita communione cum Sede Petri orbatam, quae communio ei ultimam perfectionem in linea institutionis visibilis et plenam in Ecclesiam insertionem conferre debet.

Hoc vellem etiam dicere de aliis fratribus separatis, sed non licet. Quia ubi fides orthodoxa et sacramenta desunt, Ecclesia proprie non adest. Adest tantummodo *inchoative* in illis primis et fundamentalibus elementis quae sunt baptisma et fides trinitaria. Vellem dicere praesertim de fratribus Communionis Anglicanae, qui nobis propinquiores sunt. Sed quaestiones gravissimae hic subsunt de professione fidei in illa Communione et de successione apostolica. Opportunius tacere videtur, cum nec positive loqui possimus, et negatio posset praeiudicium inferre posteriori possibili evolutioni rerum. Quae cum ita sint sequentes correctiones propono:

1. In toto schemate servetur distinctio in denominatione: nomen Ecclesiae orientalibus solis tribuendo. Alias vero communitates communitates ec-

clesiales vocare possumus, cum ad Ecclesiam inchoative pertineant. In documento enim conciliari modus theologicus loquendi adhibendus est. In vita ordinaria omnes communitates Ecclesias vocare possumus, iuxta usum communem.

2. In cap. I, elementa quae uniunt christianos reducantur ad baptisma, quae aliae duae paragraphi ita redactae sunt ut orientalibus separatis convenire nequeant. Hae duae paragraphi (linn. 22-36 in pag. 8) aptius in capite de Reformatis inserentur.

3. Opportunius videtur singula capita orientalibus separatis et protestantibus dicare. Capiti vero de orientalibus titulus praeponatur: De Ecclesiis orientalibus a Sede Apostolica separatis.

4. In cap. III, par. 12 quae agit de peculiari condicione historica orientalium separatorum praeponatur paragraphus quae eorum condicionem theologicam relate ad Ecclesiam Christi recte describat iuxta sensum traditionalem. Supprimantur igitur tres ultimae linn. par. 12, deinde enumerentur omnia elementa Ecclesiae in orientalibus subsistentia et consequenter determinetur natura ecclesialis harum communitatum orientalium, positive et negative, scilicet explicando quousque in eis Ecclesia verificatur.

5. Quia magna ex parte separatio distantiae geographicae et psychologicae debetur, contactus etiam ufficiales cum Ecclesia orientali separata fovendi sunt. Patriarchae catholici in oriente et episcopi in occidente gaudere possent facultate permittendi communionem in sacris cum orthodoxis in aliquibus casibus determinatis.

Cum iam tot Patres de hoc capite locuti sint, renuntio publice loqui, sed volo ut hic meus interventus in Actibus Concilii et secretariatus pro unione christianorum constet.

32

EXC.MUS P. D. CESLAUS SIPOVIČ
Episcopus tit. Mariammitanus

Schema *de Oecumenismo* nobis propositum in genere placet, etsi in particularibus quin dubio perfici possit.

Oecumenista catholicus hodie instanter petit, ut edoceatur quo processu, quibus principiis innixus, quibus conditionibus statutis opus desideratissimum reconciliationis aggredi debeat. Ad haec responsa clara et sobria in schemate habentur.

Puto hoc schema, si a nostro Concilio Oecumenico approbetur, perutile esse possit qua fundamentum, ut in scholis nostris theologia oecumenismi catholici securius evolvetur atque ut opus unionisticum recto semite procedat.

Iuxta meum humile iudicium valorem ac pondus schematis haec inter alia interiecta patefaciunt:

1. In schemate clare asseritur fratres a nobis seiunctos sive singulos sive eorum communitates illa unitate non frui quam Iesus Christus iis omnibus dilargiri voluit (schema, pag. 8, n. 2). Haec veritas dura non minus

nobis quam nostris carissimis fratribus seiunctis, attamen opportunum esse videtur, ut clare manifestetur.

2. Ex altera parte plura agnoscuntur apud non-catholicos quae vere christiana sunt atque Deo adiuvante post unionem plenam etiam servari debent, nunc autem omnis aestimationis digna in opera oecumenica navanda qua elementa nobis et fratribus seiunctis communia utilitatis maximae esse possunt.

3. In activitate s. d. oecumenica fratrum seiunctorum influxus Spiritus Sancti supernaturalis agnoscitur et hoc verum est, praesertim dum nostra aetate motus eorum solidioribus sacrarum litterarum investigationibus innititur ac ad unitatem a Christo intentam recuperandam tendit.

Ad laudem schematis nobis propositi haud pauca alia addi possint, sit tamen nobis licitum notare quoque ea quae in eo desiderantur.

1. Deest in schemate mentio de damnis pro Ecclesia Christi ex divisione christianorum inter se provenientibus. Ob divisionem enim vel separationem multae animae mediis salutis privantur, quae a sola Ecclesia catholica disponuntur. Praesertim in damnum omnium communitatum seiunctarum christianarum vertitur defectus apud eas magisterii vivi, sine quo neque mores christiani perfecte praeservantur. Ob divisionem christiani debiliores fiunt in expansione externa Ecclesiae et in certamine contra atheismum materialisticum, qui orbem totum a Deo avellere intendit.

2. Grato animo ad schema *de Oecumenismo* addi debet noviter propositum cap. IV: « De catholicorum habitudine ad non christianos et maxime ad Iudaeos ». Notamus rem prima vice in schematibus hoc in Sacrosancto Concilio nobis propositis scil.: « ... odia et persecutiones contra Iudaeos... materno animo deplorat et *damnat* » (pag. 4 ad finem). Esset tamen nostrum schema non completum opusque nostri Concilii infelix, si solummodo iniuriam erga unum populum Iudaeum condemnasset, dum alios persecutores populorum tacuisset. Fortasse haec condemnatio alio in schemate haberi debeat, hoc minoris momenti est, attamen humili nostro iudicio de opportunitate ipsius rei cogitandum sit.

3. Difficile mihi intellectu, salva reverentia eorum qui hoc modo statuerunt — nempe cur schema *de Oecumenismo* non sit pars integrans schematis *de Ecclesia?* Omnia enim in schemate nunc sub discussione stricte ad Ecclesiam referuntur eiusque unitatem unicitatemque spectant.

33

Exc.mus P. D. IOSEPH SOUTO VIZOSO
Episcopus Palentinus

Placet in genere schema *de Oecumenismo,* quod apparet tamquam diculum novae aetatis in Ecclesia, signum et fructus supernae navitatis Spiritus Sancti, qui, ut aiebat Ioannes XXIII, die 6 ianuarii labentis anni, « replevit orbem terrarum », suscitans commune desiderium restaurandi unitatem christianorum.

Quoad aliqua themata, fas sit mihi quasdam animadversiones proferre.

Et imprimis videtur expedire ut aliqua introductio praeponatur, in qua declaretur relatio huius schematis ad schema *de Ecclesia* simulque exponatur vehemens angustia in diversis communitatibus exorta ob apprehensam conscientiam vulneris divisionis simulque, incensum desiderium unionis perficiendae cum fervidis supplicationibus pro motus oecumenici felici exitu ubique terrarum prolatis.

In cap. I recte attinguntur vincula diversique gradus quibus baptizati omnes Christo, tamquam membra, inseruntur eiusque mystico Corpori aggregantur, sacro charactere signantur, christiano nomine et fidei professione gloriantur et quibusdam mediis salutis, licet non plene seu perfecte coniungantur, vere fruuntur, praesertim vi actionum cultus divini ex quibus vita gratiae cum virtutibus et donis Spiritus Sancti derivantur, dummodo homo in bona fide versetur et quodam, etiam inscio, voto seu desiderio sit praeditus plenae adhaesionis integro hierarchiae regimini secundum voluntatem Christi, qui Ecclesiam suam « generale salutis remedium » constituit.

Clara denuo traditur notio oecumenismi, dum describitur ut « motus et ordinata actio ad illam unitatem fovendam, quam Iesus Christus a caelesti Patre flagrantibus postulavit precibus ».

In cap. II apte proponuntur normae et media ad hoc ut fideles omnes, sive orationibus et bonis operibus sive intensiori vitae sanctitate et pleniori virtutum exercitio, efficaciter conferant ad auspicatam Ecclesiae renovationem, ut scil. catholica Ecclesia reapse oculis aliarum confessionum appareat *vera Christi Sponsa,* praeseferens faciem Salvatoris ut tesseram suae genuinitatis et signum levatum universos christianos alliciens ad unicum gregem constituendum sub unico pastore supremo, ipsius Christi vicario.

Attamen cavendum est ne, huic motui inconsiderate indulgentes, incurrant aliqui in dictum *irenismum,* a Pio XII reprobatum in Litteris *Humani Generis,* a. 1950, quo aliquae veritates fidei negligantur, obscurentur aut deformentur per immutationem sensus ab Ecclesia declarati; vel formulae dogmaticae verbis minus aptis substituantur; vel vis magisterii ecclesiastici temere deprimatur. Iuxta Instructionem S. Officii, praedicti anni, *de Motione Oecumenica* prae oculis habeatur semper oportet sententia Lerinensis a Concilio Vaticano I sancita, nempe: « sacrorum dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta Mater Ecclesia nec umquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine recedendum », semper ideo manere tenemur « in eodem dogmate, eodem sensu eademque sententia ».

In cap. III merito extolluntur orientales Ecclesiae, quae per tot saecula feliciter retinent fere integrum depositum fidei, fideliter servant vetustissimam Liturgiam plene communitariam, ascetismum primigenum, specialiter in monachismo, viridario unde hierarchae seliguntur, ardenti devotione colitur Virgo Deipara et organizatio patriarchalis conservatur. Dolendum enimvero est quod illa hierarchia in praecipuis Ecclesiis avulsa sit a Sede Romana

per illum a Concilio Florentino appellatum parietem, ex quo successor Petri impeditur ne orientalibus communitatibus in caritate praesideat, iuxta praeceptum Domini.

In luce vera ponuntur etiam confessiones quae *protestantes* vocantur, magis quidem ab unitate fidei, liturgiae et regiminis deficientes, quaeque tamen in multis Christo devinciuntur et nobiscum communicant in veneratione et usu sacrarum Scripturarum, in laudibus cum gratiarum actione Deo tribuendis, in opere missionario apud infideles et in operosa caritate erga proximos. Porro eorum in dies appropinquatio ad Sanctam Sedem; renovatio cultus eucharistici, immo et Missae, in coetibus anglicanis; restauratio venerationis erga Virginem Mariam eiusque imagines et sanctuaria; revisio doctrinae Lutheri aliorumque protestantismi parentum, motus qui « Foedus Winfridi » appellatur in Germania; conventus oecumenici recenter habiti in Europa et in Canada et instauratio communitatum religiosarum, tum virorum cum mulierum, pro unione fovenda... omnia ista et alia similia signa sunt quod Spiritus Sanctus « ubi vult spirat » etiam in fratribus seiunctis, et spem certam praebent sincerae voluntatis prosequendi dialogum cum catholicis, sicut videmus facientes carissimos *Observatores,* adiuvantibus dilectis Auditoribus nostris.

Ad cap. IV notare volo quod sequitur. Revera motus oecumenicus inter christianos iudaeos non comprehendit. Tamen, si etiam de non christianis aliquid dicendum est, rectissime a ceteris secernuntur hebraei, qui « populum Dei » in veteri Testamento constituerunt, ab apostolo « Deo carissimi secundum electionem propter patres » dicuntur, a quibus libros sacros veteris Testamenti, diligentissime custoditos, recepit Ecclesia, ex quibus Christus Dominus cum Maria et apostolis ac magna multitudine virorum ac mulierum, « turba sacerdotum » non excepta, prodierunt.

Immo, ut inquit Paulus ad Romanos (11, 25) « caecitas ex parte contigit in Israel donec plenitudo gentis intraret, *et sic omnis Israel salvus fieret* ». Ipse apostolus affirmat (in cap. 11 *ad Rom.*) Deum non repulisse plebem suam, quam praescivit, quia sine poenitentia sunt dona Dei et vocatio. Rectissime igitur alliciuntur iudaei ut et ipsi Christum Redemptorem agnoscant et Ecclesiam suam ingrediantur.

Denique, aliqua oporteret dicere de aliis coetibus qui in Deum credunt eumque colunt iuxta dictamen conscientiae suae et secundum educationem traditionesque populorum, in quibus quaedam principia a primaeva revelatione derivata permiscentur, legemque moralem naturae insitam magis minusve servant et aliquam voluntatem Deo in omnibus parendi habere solent.

Omnes profecto imaginem Dei referunt, Christi redemptionem obiectivam participant et in sincera voluntate salvifica Dei includuntur, ut expressit apostolus et profitetur Ecclesia.

Ideo aliquid amplius de illis dicendum videtur post ea quae de iudaeis in schemate descripta habentur.

34

EXC.MUS P. D. MESROB TERZIAN

Episcopus tit. Comanensis in Armenia

Iudicio secretariatus ad unitatem christianorum fovendam quaedam subicere velim de tribus prioribus capitibus schematis decreti *de Oecumenismo*:

1. In pag. 8, lin. 6 scribere velim « In regiminis fraterna concordia » sub auctoritate Petri. Ita tuto ponuntur iurisdictio hierarchica et Primatus Romani Pontificis.

2. Eadem pag., lin. 21 potest retineri assertum: « Eosque Ecclesia ut filios agnoscit ». Etenim Mater Ecclesia nequit repellere filios etiam errantes.

3. Pag. 9, lin. 39, potuisset addi « Bona christiana communia ». Etenim haec bona sunt praeprimis Ecclesiae catholicae.

4. Pag. 10, lin. 29 ubi dicitur: « Deinde una cum illis efficaciter inquirant », addatur: « Sub ductu auctoritatis ecclesiasticae ».

5. Pag. 15, lin. 15, addatur: « Spiritus orationis ».

6. Eadem pag., lin. 22, addatur: « Prudentiae ».

7. Pag. 16, lin. 1, addatur: « Ex amore veritatis ».

8. Eadem pag., lin. 25 dicatur ita: « In oratione consociari vicissim recta intentione ». Proh dolor! Unusquisque vult et petit unionem quam intendit. Implorare debemus pro unione quam Christus vult.

9. Pag. 17, lin. 30. Modus eloquendi valde attendendus est in dialogo cum fratribus seiunctis, propter permulta praeiudicia et suspiciones eorum.

10. Pag. 20, lin. 18, potiusquam « Arbitra Sede Romana », dicatur rectius et melius: « Sub auctoritate agnita Sedis Romanae ».

11. Pag. 21, lin. 32, ubi dicitur: « Quapropter ... evehunt », addatur: « Ubi casus fert, catholici orientales repristinent legitimas suas traditiones disciplinares, liturgicas, culturales-ecclesiasticas, immo etiam vestes ecclesiasticas rituales vel nationales ».

Hic dandum est breve directorium de habitu inter catholicos et fratres seiunctos eiusdem ritus, et quidem prae oculis habito etiam zelo proselytismi fratrum seiunctorum, praeprimis protestantium, erga catholicos.

12. Pag. 23, linn. 24-25. Hic, assertum valet quodam modo etiam de orientalibus seiunctis.

In fine velim adiungere tria:

1. Ad motum oecumenicum fovendum optimum quoque medium est mitigatio legis prohibentis communicationem in sacris, sicuti olim habita est in oriente ante saec. XVII. Mitigatio fiat debitis cautelis, semper prae oculis habendo supremam legem salutis animarum etiam fratrum seiunctorum, quos Ecclesia catholica iure habet ut filios.

2. Ad motum oecumenicum roborandum et ad opus pastorale secundum quid facile reddendum, maximi momenti est quoque mutatio legis actualis

de forma matrimonii orientalium, et repristinatio legis vigentis de hac re ante annum 1949. Etenim tempore legis pristinae catholici crebre augebantur: puellae catholicae matrimonio iunctae cum acatholicis coram sacerdote acatholico in fine convertebant maritos suos ad religionem catholicam. Nunc vero scandalizatae sunt quod Ecclesia catholica invalida declaret illa matrimonia, ad apostasiam ducuntur neque cogitant de sanatione in radice petenda. Consequenter saluti animarum non consulitur; lex fit noxia.

Quod vero pertinet ad querimonias latas contra Ecclesiam occidentalem, saepe saepius hae non respondent realitati nunc vigenti. Missionarii latini ritus generatim optimo spiritu imbuti sunt erga Ecclesias orientales, quae opus habent eorum auxilio.

3. Ad motum oecumenicum augendum proponere liceat ut missionarii occidentales adlaborare cupientes inter christianitates orientis, praeparentur ad has missiones sui generis, in institutis orientalibus et ritus orientales sequantur.

Conclusio sit votum Papae Ioannis XXIII sanctae memoriae « Che un giorno i popoli d'ogni latitudine siano stretti con i dolcissimi vincoli dell'unico Credo della Chiesa Santa di Dio ».

35

Exc.mus P. D. IOANNES VAN CAUWELAERT
Episcopus Inongoensis

1. *Sur la composition générale du schéma.* Dans sa forme actuelle le schéma *de Oecumenismo* se compose de cinq chapitres. Il me semble que les chapitres IV et V n'y sont pas à leur place.

Pour le chapitre IV:

a) Il ne convient pas — si l'œcuménisme est présenté comme un mouvement pour l'unité de tous les chrétiens (n. 3, p. 10, linn. 32-35) —, qu'on y introduise un chapitre sur des non-chrétiens. Cette promiscuité est offensante pour les frères chrétiens, qui doivent avoir l'impression d'être mis sur pied d'égalité avec des non-chrétiens, ainsi qu'il arrive d'ailleurs quelquefois dans des documents officiels concernant des mariages mixtes entre catholiques et chrétiens non catholiques, où des officialités confondent mixtus cultus et mixta religio. Un cas vient de m'être soumis l'été dernier.

b) Le contenu du chapitre IV peut être accepté intégralement à mon avis et il est désirable qu'il le soit pour beaucoup de raisons, mais sa place n'est pas ici. Elle serait dans un schéma sur l'attitude de l'Eglise catholique envers les religions non-chrétiennes, et là dans un chapitre à part, qui devrait être le premier.

Dans ce nouveau schéma un chapitre spécial devrait en deuxième lieu parler des religions monothéïstes non chrétiennes, qui font cependant une certaine place au Christ. Telles les religions qui se disent chrétiennes mais

n'acceptent pas la divinité du Christ et qui n'ont pas le baptême, mais qui aiment le Christ, puisent dans l'Ecriture Sainte la nourriture de leur vie spirituelle et s'adonnent à des œuvres caritatives à l'égard du prochain (chap. III, II, n. 23, p. 25, linn. 6-10). Telle aussi la religion musulmane, qui elle aussi aime et honore le Christ et Sa divine Mère.

Ensuite viendraient les autres religions monothéistes même primitives.

Et enfin les autres religions, sans oublier ceux qui ont été baptisés, mais qui ont abandonné toute pratique religieuse et toute foi active.

Sur le schéma *de Oecumenismo* in genere:

1. Sur la composition générale du schéma (suite):

Pour le chapitre V: Ce chapitre V est indispensable et son contenu devrait être étudié et publié sans retard, mais il devrait faire l'objet non d'un schéma mais d'une déclaration solennelle du Concile et promulgué comme tel.

2. Sur la composition des chapitres:

Il ne me semble pas que cette composition soit logique ni claire.

Pourquoi le *n. 2* du chapitre I, intitulé *De habitudine fratrum separatorum ad Ecclesiam catholicam* ne prend-il pas place comme premier numéro et introduction dans le chapitre III, avant le n. 12 actuel et donc avant la subdivision I: De Ecclesiarum Orientalium peculiari consideratione?

Pourquoi a-t-on omis au chapitre II De Oecumenismi exercitio, tout le n. 54 De communione in sacris liturgicis du chapitre XI De Oecumenismo de l'ancien schéma de Ecclesia et de Beata Maria Virgine?

Il y a là beaucoup de textes très précieux qui devraient être sauvegardés, mais qui devraient alors être judicieusement répartis entre la première partie du chap. III, qui, comme je le demande ci-dessus, devrait reprendre déjà le n. 2 De habitudine fratrum separatorum ad Ecclesiam catholicam, et la deuxième partie de ce chapitre III: De Ecclesiarum Orientalium peculiari consideratione.

Il en va de même de la plus grande partie du n. 3 de Oecumenismo, qui traite en réalité déjà de l'exercice de l'Œcumenisme et devrait être intégré dans le chapitre II De Oecumenismi exercitio. Cela éviterait de nombreuses répétitions: que l'on compare par exemple:

n. 3, p. 9, l. 4-16	et chap. II, p. 15, l. 1-5.
l. 17-21	n. 4, p. 15, l. 6-19.
l. 22-30	n. 6, p. 16, l. 5-14.
p. 9-10, l. 38-40 et 1-8	n. 8, p. 16-17, l. 35-38 et 1-19.
p. 10, l. 19-31	n. 7, p. 16, l. 15-34 et
	n. 10, p. 17, l. 20-33.

36

EXC.MUS P. D. NICOLAUS VERHOEVEN
Episcopus Manadoensis

Qui laudare incipit, in suspicionem venit mox secuturum esse vituperium. Si autem nunc, nomine triginta episcoporum Indonesiae loquens, schema hoc laudibus extollo, velitis credere me omni sinceritate loqui.

In textu nostro manifesti fiunt fructus collaborationis inter commissionem theologicam, commissionem de Ecclesiis orientalibus, secretariatum unionis. Schema nostrum est magnus gressus in via oecumenismi catholici, in quo acta et dicta Romanorum Pontificum fructificaverunt.

Placet *realismus christianus,* qui aspectum duplicem habet. Primum innuit textus multa adhuc obstacula superanda esse, quae etiam a parte catholicorum laboriosam diligentiam (engagement) et multa sacrificia postulant. Secundo, agnoscit ecclesias et communitates christianas, a nobis separatas, revera habere valorem positivum ad Christum annuntiandum et ad Regnum Dei provehendum. Temporibus praeteritis illae communitates plerumque non considerabantur nisi tamquam sectae, quae ab unione et fide defecerant. Nunc autem agnoscitur, quod experientia diuturna commonstrat, eas pluribus ornari qualitatibus authentice christianis, et fidelibus suis gratias Christi vere ministrare. Olim agnoscebatur quidem, christianos acatholicos individuales bonos esse posse. Nunc autem aestimatio positiva exprimitur, non de solis individuis, sed de ipsis illis ecclesiis ut societatibus.

Haec aestimatio non solum est maximi momenti oecumenici, sed etiam *pastoralis.* Non enim solis fratribus separatis dicere debemus, quanti faciamus eorum fidem ac caritatem christianam. Sed insuper fidelibus nostris, qui sincere credunt Ecclesiam catholicam esse unicam Christi sponsam, explicare debemus, quomodo fieri possit, ut extra sepes eius sincera saepe et admiranda floreat vita christiana. Dum autem hoc explicatur, omnino non tacetur nos credere, Ecclesiam catholicam esse vere et plene Ecclesiam Christi; ideoque nos vehementi urgeri desiderio ut et illi plenitudine illa fruantur qua nos gaudere credimus.

Alia etiam plura in schemate sunt quae nostra opinione laudem mereantur. Sed nostrum etiam est afferre quaedam quae ad textum perficiendum utilia videntur, et quae ad generalem schematis indolem pertinent.

1. Expressius appareat, nos non ex humana nostrum aestimatione, sed ex fide affirmare quod nostra Ecclesia est vera ac plena Ecclesia Christi. *Credimus* in Ecclesiam catholicam, non ex humana certitudine scimus. Inde sequitur Ecclesiam de seipsa loquentem, profundissima *humilitate* loqui debere. Haec humilitas textum nostrum profundius pervadere deberet. Foliis ad secretariatum transmissis quasdam in hac re concretas correctiones suggessimus.

2. Clarius forte exprimi posset Ecclesiae unitatem ac catholicitatem

— haec enim duo correlativa sunt — in hoc tempore esse *imperfectas*. Ecclesia una, sancta, catholica, apostolica non consummabitur, nisi adveniente Domino quem expectamus. Quae veritas iuvare poterit ad melius adhuc intelligendum oecumenismum, qui est continuum studium ut unitas catholica magis fiat catholica, ideoque et magis una. Fatemur tamen hanc doctrinam nondum esse ita maturam, ut decreto conciliari exprimi facile possit.

3. Schema recte statuit quod ecclesiae et communitates separatae non omni pondere in mysterio salutis exutae sunt (pag. 8, linn. 32 s.). Ipsae enim fidelibus suis verae existunt ministrae salutis. Sed inde videtur sequi eas latiore sensu « ecclesias » dici posse. Certe quoad indolem ecclesialem magna est differentia inter ecclesias orthodoxas et eas quae ex Reformatione ortae sunt. Non tamen iustum videtur, ut vox « ecclesiae » in schemate reservetur solis orientalibus, quasi ex Reformatione non haberentur nisi « communitates ».

4. Decretum ab una parte considerat orientales, ab altera vero parte Reformatores. Ita recte innuitur alterutras diverso valde modo ad nos habere. Tamen ne videamur cuneum immittere velle inter utrasque, quae in Universali Coetu Ecclesiarum (World Council of Churches) tanto studio adlaboraverunt ad viam unitatis aperiendam.

5. Si positiva aestimatio ecclesiarum separatarum exprimitur, consequens est ut etiam agnoscatur illas habere ius existentiae religiosae. Quapropter optandum est, ut nostro schemati adiciatur capitulum *de libertate religiosa.*

6. Quae dicuntur de religionibus non-christianis videntur delenda. Ab una enim parte non constituunt aptam introductionem ad tractatum de Iudaeismo. Ab altera parte religiones non-christianae et non-scripturisticae, quae immensum hominum numerum complectuntur, ampliorem merentur tractatum. Constituatur secretariatus pro religionibus non-christianis, qui praeparet schema non minus bonum quam hoc nostrum.

[*Subscripserunt etiam*] H. J. M. v. d. Burgt, arch. Pontianak; A. Djajasepoetra, arch. Djakarta; F. A. H. v. d. Hurk, arch. Medan; G. Manek, arch. Endeh; N. Schneiders, arch. Makasser; A. E. J. Albers, ep. Malang; P. M. Arntz, ep. Bandung; W. v. Bekkum, ep. Ruteng; R. Bergamin, ep. Padang; W. Demarteau, ep. Bandjermasin; P. N. J. C. Geise, ep. Bogor; J. Grent, ep. Amboina; G. Grimm, ep. Tsinchow (Siborga); A. Hermelink, ep. Tandjung Karang; H. Mekkelholt, ep. tit. Dausara; L. v. Kessel, ep. Sintang; J. Klooster, ep. Surabaja; J. H. Romeyn, ep. Samarinda; P. Sani, ep. Denpassar; W. Schoemaker, ep. Purwokerto; G. Sillekens, ep. Ketapang; J. H. Soudant, ep. Palembang; R. J. Staverman, vic. ap. Hollandia; A. H. Thyssen, ep. Larantuka; T. v. d. Tillaart, ep. Atambua; H. Tillemans, vic. ap. Merauke; N. P. v. d. Westen, ep. Pangkalpinang; T. v. Valenberg, ep. tit. Comba; P. v. Diepen, praef. ap. Manokwari; G. Legeland, praef. ap. Weetebula.

37

Exc.mus P. D. VALENTINUS WÓJCIK

Episcopus tit. Barenus in Hellesponto, aux. Sandomiriensis

Vellem novum titulum et novam dispositionem schematis proponere. *Titulus*: « De christianis seiunctis nec non de aliis credentibus et non credentibus hominibus ».

Dispositio:

Caput I: « De libertate profitendi et propagandi religionem ». Asserendum est, potestatem publicam non posse non solum determinatae religionis professionem sed etiam doctrinae philosophicae susceptionem imponere, homines credentes habere ius ad docendum et educandum liberos in sua religione, ad condendas societates religiosas tum adultorum tum iuventutis, ad prelum religiosum, cinema, auditiones in radio et televisione etc.

Caput II: « De christianis seiunctis ».

Punctum 1. « De oecumenismi catholici principiis ».

Punctum 2. « De oecumenismi exercitio » (introductio ut in pag. 15-18):

a) « De ecclesiarum orientalium peculiari consideratione »

b) « De ecclesiis et communitatibus in Occidente exortis ».

Caput III: « De catholicorum habitudine ad Iudaeos et non christianos credentes ». (Debeat describi relatio nominatim ad mahomedanos, buddhistas, confucianistas, brahmanistas, etc.).

Caput IV: « De fratribus non credentibus, baptizatis et non baptizatis ». (Hic debeat ostendi caritas christiana erga eos, qui fidem abiecerunt, qui religionem ope specialium societatum vel etiam ope potestatis civilis opprimere conantur; specialis mentio debeat fieri de his, qui extra quamcumque religionem educati sunt et sine fide vivunt).

38

Exc.mus P. D. PAULUS YOSHIGORO TAGUCHI

Episcopus Osakensis

Salvo meliore iudicio, liceat mihi quasdam facere animadversiones hac de re.

1. Hoc schema plurimum conferet ad unionem Ecclesiarum, praecipue catholicos mitiores et genuine amabiliores reddendo erga fratres separatos. Bene viam parabit ad unionem. Sed aliquam difficultatem invenio in praesuppositis theologicis, praecipue circa naturam Ecclesiae, ut infra exponam.

2. Schema breviter sed perspicue rationem dare deberet cur fratres separati hodie insistenter dicantur fratres nobiscum uniti, etsi imperfecte, dum eorum patres habiti sunt insistenter (constanter) ut separati et haeretici

et haeresiarchae, seu excommunicati, communionem non habentes cum Ecclesia, ne Ecclesia catholica videatur doctrinam universalem et constantem de haeresi et haereticis mutavisse. Innuatur scil. ad bonam fidem fratrum separatorum, qua hodie separatio non formalis est sed tantum materialis (vel alia forma quae magis placuerit). Ideo voto, seu voluntate et corde Ecclesiae Christi uniti — nam in Ecclesia Christi esse volunt, et in illa sunt quam Ecclesiam Christi putant — tamen corpore extra illam sunt, ob errorem inculpabilem circa veram Ecclesiam Christi.

Sicut vaso crystalli fracto, singula fragmenta non cessant esse crystallum, sed cessant esse vas, ita Ecclesia Christi fracta (per haeresim et schisma) bona fide, singula fragmenta Ecclesiae fractae non cessant esse habitaculum Spiritus Sancti et Mysticus Christus, sed cessant esse Templum et Corpus, nam hoc fractum est, et ideo cessant esse Ecclesia (= convocatio, congregatio), etsi, habitaculum Spiritus Sancti cum sint et Christus mysticus Ecclesiae (genitivus) sint, ad unitatem cum illa intrinsece ordinata.

3. Schema fere tacet circa quaestionem de regimine Ecclesiae, de natura huius potestatis, de qua peropportune dici poterat esse ministerium et servitium et non dominationem. Fortasse ne, iuridismum ecclesiasticum in mentem revocando, susceptibilitatem feriamus fratrum separatorum. Sed tamen haec quaestio, in decreto conciliari, minime vitari licet, cum constet separationem factam fuisse a regimine Ecclesiae: unio igitur non potest fieri nisi regimini, scil. pastoribus, et per pastores ad Christum. Reliquae unionum formae sunt fraterna concordia, quod bonum est altissimum, sed non sunt unitas ecclesiastica.

4. Difficilem quaestionem de membris Ecclesiae vitare cupientes, auctores tamen eam vere non vitant, nam incidunt in quaestionem de « communione ecclesiastica »: nec haec quaestio vitari potest. Nam fratres separati dicuntur « baptismate (Ecclesiae) appositi, sed ab ecclesiastica communione seiuncti » (pag. 10, lin. 14); alibi non dicuntur seiuncti, sed « perfecta Ecclesiae communione non frui », « quadam communione nobiscum coniuncti » (pag. 8, linn. 18-19) (cf. pag. 16, lin. 32 « ex parte et imperfecte »; pag. 20, lin. 12 « elementa communionis ecclesiasticae servata... maxime ad orientales Ecclesias pertinere », et cap. II, II, ubi protestantes vocantur « communitates », dum orientales vocantur « Ecclesiae »). Nunc autem:

a) concordari debet sententia « baptismate appositi, sed ab ecclesiastica communione seiuncti » (pag. 10, lin. 14) cum reliqua doctrina, secundum quam tantum « perfecta Ecclesiae communione non fruuntur » (pag. 8, lin. 18; pag. 16, lin. 32; pag. 20, lin. 12; cap. II, II; cf. pag. 9, lin. 12; pag. 10, lin. 13; pag. 9, lin. 7; pag. 24, linn. 23-30, etc.).

b) Sed doctrina de « imperfecta communione ecclesiastica » videtur sustineri non posse, non quia non detur ulla communio, sed quia non est « ecclesiastica ».

Quod « quadam communione nobiscum coniuncti sint, sed non perfecta » nemo est qui neget. Nam etiam Iudaei « quadam communione nobiscum

coniuncti sunt », et Mahometani, verum Deum colentes nobiscum et Christum ut magnum prophetam habentes, et rationalistae Christum ut maximum hominum nobiscum honorantes, et Nestorius et Arius et haeretici formales unum tantum dogma de Christo negantes, reliqua omnia nobiscum retinentes. Fratres separati multo profundius nobiscum uniti sunt, nam uniti sunt in religione (= fide), quoad praecipua, immo coniuncti sunt unione mystica cum Christo (= gratia), cui incorporati sunt per baptismum, et ab eo nutriti in Eucharistia (praecipue orientales), et sic vere oves Christi sunt, fratres nostri, filii eiusdem matris, Ecclesiae: ergo coniuncti sunt nobiscum in Religione Christiana, sed num etiam in Ecclesia Christi? Num illa unio — perfecta an imperfecta, de hoc non est quaestio — sufficiat ad communionem ecclesiasticam? Certe si perfecta esset, includeret communionem ecclesiasticam, sed neque tunc esset communio ecclesiastica.

Legendo schema iterum atque iterum exsurgit quaestio: « si ita res se habet, Ecclesia quid est? », velut si conceptus Ecclesiae magis magisque diluatur et fere coincidat cum religione et vita spirituali christiana. Videtur confusio fieri inter religionem Christi et Ecclesiam Christi, ita ut quodcumque christianum est eo ipso sit ecclesiasticum (de Ecclesia), saltem imperfecte (eo quod sit christianum imperfecte), et Ecclesia non sit aliquid additum super religionem, ad eam custodiendam et diffundendam, sicut natio est aliquid plus quam populus, populum custodiens et perficiens per curam boni communis. Religio christiana non est ut Islam, Shintoismus, Buddhismus, etc., quae sunt religiones, sed non sunt Ecclesiae (nisi in potentia). Christianismus, et Iudaismus (sensu minus completo) sunt et religiones et Ecclesiae. Ideo non omne quod est de religione christiana dici potest eo ipso de Ecclesia christiana, sicut non omne quod est de religione iudaica dici potest de populo iudaico. Nam etiam religio christiana est fundamentaliter religio iudaica — habet eundem Deum et eandem fidem in ipso, idem Vetus Testamentum, eandem fidem in Messiam, cultum quoad multa identicum, et regimen quoad multa valde simile —, nec tamen christiani sunt de populo et natione iudaica: non sunt Synagoga, sed sunt Christi Ecclesia distincte seiuncta ab ecclesia iudaica. Iudaei quoque fratres sunt in Deo, sed de Ecclesia non sunt, nec nos de Synagoga eorum: nullam communionem ecclesiasticam habemus cum illis, neque imperfectam quidem, etsi in religione uniti (quoad multa): communio est religionis, non Ecclesiae.

Simili modo, fratres nostri separati, non sunt separati in religione, sed in Ecclesia: eandem religionem (eandem fidem et gratiam et media gratiae) habentes, oves Christi sunt, fratres nostri sanguine iuncti et Spiritu in eandem vitam divinam, sed non in ovili et in familia: cum ovili et familia non communicant, nam non subsunt pastoribus ovilis a supremo Pastore Christo constitutis, et cum aliis ovibus quae his pastoribus subsunt vitam non degunt: sunt oves (et non alia animalia), sed extra gregem, seu extra ecclesiam ovium a Petro et compastoribus pastarum, alios greges facientes.

Sunt de familia nostra, fratres nostri, et ecclesiae sunt sorores inter se, ut orientales bene dicunt, sed familiam dereliquerunt amore libertatis, et extra familiam sunt, nam non subsunt fratri maiori qui confirmare debet fratres suos, ut unum sint et bene se habeant.

Ideo, fratres separati cum separati sint in eo quod unit Ecclesiam et eam colligit, etsi uniti vinculis sacramentalibus (uniti sanguine et spiritu), separati manent in communione ecclesiastica (inde dicuntur « separati »). Ideo distinctio inter communionem perfectam et imperfectam speciosa est, sed theologice mihi videtur carere fundamento.

Ratio huius confusionis inter Ecclesiam et religionem non est ignota: provenit ex laudabili sollicitudine vitandi illum aridum iuridismum in conceptu Ecclesiae quod tam obscurat factum mysticum in Ecclesia. Tamen falso timetur omnis iuridismus, nam ius divinum non est minus mysticum quam vita gratiae, vel Verbum divinum: et Ecclesia, qua Ecclesia, est factum essentialiter iuridicum, iuris divini: nam est Institutum divinum, sicut natio, regnum, familia et corpus vivens: Deus enim constituit nos in Populum, seu fecit illud institutum iuridicum quod est populus Dei, regnum suum, ubi « potestates » (= vires iuridicae) datae sunt divinitus regendi, docendi et sanctificandi (= collatio potestatum Instituto formato), et ubi potestates sunt etiam vitales, sicut potestates organismi viventis.

39

EXC.MUS P. D. PAULUS YÜ PIN

Archiepiscopus Nanchimensis

Studio et cura secretariatus ad unitatem christianorum fovendam his in ultimis annis certe egregiam laudem consecutus est, cuius fructus est praesens schema *de Oecumenismo.* At praecise ob celerrimum progressum motus oecumenici, hoc schema uti actualiter praesentatum sat incompletum apparet. Id patet ex additione aliorum duorum capitum « De habitudine ad non christianos et maxime ad Iudaeos » et « De libertate religiosa ». Nihilominus adhuc incompletum reperitur sub respectu missionario. Talis quidem defectus secretariatui ad unitatem christianorum fovendam attribui nequit, quippe cum exigentia hodierna iam excedit competentiam ipsius secretariatus.

Agendo enim de Oecumenismo, schema attentionem vertit unice ad christianos ab Ecclesia catholica separatos. Dum vero in cap. IV iam aperte de non-christianis agitur. De facto tamen sub titulo « De non christianis » praeter paucas lineas, totum cap. IV ad Iudaeos dedicatum est. Ita vocabulum « Oecumenismus » sensu pleno intelligi non potest, quia ceterae omnes religiones aut culturae ethicae ac sociales in silentio omittuntur.

Nescimus, utrum haec quaestio locum suum invenire possit in aliis schematibus, sed evidenter hic sub titulo de Oecumenismo aptiorem sedem obtinere debet.

Similis quaestio non per transennam, sed consulto ac fuse tractanda est, cum actio Ecclesiae decise erumpere debeat ex maribus mediterraneis et atlanticis, inde dialogum inducere cum aliis religionibus aut culturis Asiae et Africae.

Ipse Summus Pontifex Paulus VI in litteris diei 12 septembris elapsi ad Decanum Sacri Collegii em.mum card. Tisserant primo annuntiavit secretariatum pro non-christianis tempore opportuno instituendum, deinde in sua allocutione inaugurali alterius sessionis Concilii, sic sollemniter edixit:

« Catholica Ecclesia etiam longius respicit, ultra christianae familiae fines; quomodo certis terminis circumscribat amorem suum, cum imitari debeat amorem Dei Patris, qui omnibus bona sua dilargiatur, et sic dilexit mundum ut pro eius salute unigenitum Filium suum daret? *Ultra igitur christiana castra oculos suos dirigit,* et *ad alias religiones respicit,* quae servant sensum et notionem Dei, unius, creatoris, providentis, summi et rerum naturam transcendentis; quae Dei cultum exercent sincerae pietatis actibus; quaeque ex iis usibus et opinionibus morum et socialis vitae praecepta derivant ».

Venerabiles fratres, quae cum ita sint, nos in Concilio coadunati, ad futurum Ecclesiae providendum, post tractationem theologicam de non-christianis ad Ecclesiam adducendis in schemate *de Ecclesia* n. 10, nunc spiritum vere oecumenicum, non limitatum aperire debemus ad totam humanitatem.

Propterea, ex principiis et exercitiis Oecumenismi catholici efficere oportet aliud novum caput de Oecumenismo non-christianis applicando. Sane haec materia quae non-christianos respicit, ad schema *de Missionibus* demandare non licet, Oecumenismus enim catholicus, unicus et indivisus est, non tantum in omnes catholicos, immo et in ipsos fratres separatos incumbit, qui fortunatius veram fidem in Christo receperunt, ideo nobiscum eisdem oneribus premuntur spiritum oecumenicum fratribus non-christianis pandendi.

Quodsi motus et spiritus oecumenicus renovationem Ecclesiae ab intra et ad extra maximum influxum iam incipit exercere, nequaquam hunc influxum circumscribere debemus, ne ad Missiones extenderetur.

Proverbium sinicum dicit: « totus mundus format unam familiam, intra quatuor maria omnes sumus fratres ». Oecumenismus ergo catholicus neque geographia limitandus est, non exclusivus, nec partialis, sed universalis esse debet.

40

CONFERENTIA EPISCOPORUM HELVETIAE

[*Cf. exc.mus P. D. Jelmini, p. 600*].

APPENDIX

APPENDIX

I

Animadversiones quoad schema de sacra Liturgia post primam Concilii periodum a Patribus scripto exhibitae

1

Em.mus P. D. EMMANUEL card. GONÇALVES CEREJEIRA
Archiepiscopus Patriarcha Lisbonensis

Suffragatio quamvis peracta sit, meum est mentem petere ad n. 7 cap. I constitutionis *de sacra Liturgia* schematis, in quo, prout praebetur, periculum forsitan inest doctrinae verae non clare tuendae.

Attento ergo ipsius doctrinali valore, Excellentiam Vestram rogo ut competenti Commissioni casus submittatur.

Revera: In nova redactione paragraphus septima sic incipit: « Ad tantum opus perficiendum, Christus Ecclesiae suae semper adest, praesertim in actionibus liturgicis. *Praesens adest in Missae sacrificio, cum in ministri persona, tum maxime sub speciebus eucharisticis...* ».

Iamvero, cum praesentia Christi in ministri persona sit moralis, si ad superlativum extollitur (quod fit, addendo maxime) non, ut sit moralis, tollitur.

Superlativum, enim, ex se, nec naturam mutat, nec in alium ordinem transfert; ideo textus, prout prostat, omnino insufficienter declarat praesentiam realem, physicam ac substantialem Christi sub speciebus eucharisticis, immo videtur innuere praesentiam eucharisticam solum gradu (haec est vis verbi: « maxime ») ab aliis in textu praesentiis recensitis distare, quod a doctrina catholica alienum esse nimis patet.

Proponere liceat ut pro *maxime* adimpleatur *vere, realiter*.

2

Em.mus P. D. FRANCISCUS card. SPELLMAN
Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Sine dubio maxima cura adhiberi debeat ad procurandam fructuosiorem et robustiorem vitam liturgicam apud totum populum christianum per participationem praesertim internam semper intensiorem et profundiorem ita tamen ut fiat sine confusione vel indebita admiratione, magna cum circumspectione. Non mera divulgatio vel participatio tantum externa nobis opus est sed participatio interna bene instituta. Nonnumquam participatio magna ex parte « externa » invenitur quae speciem praebet verissimae vitae liturgicae sed ab adoratione in spiritu

et veritate adhuc multum distat. Desideratur imprimis institutio tum cleri tum totius populi semper aptior de maximo mysterio operis sacerdotalis Christi et Ecclesiae quin tamen ipsa liturgia amittat characterem arcanum et mysticum.

Cum libri liturgici recognoscantur, vera utilitas Ecclesiae sit unica norma in innovationibus faciendis. In legitimo progressu admittendo dum sana traditio servatur, maximi momenti est accuratam investigationem non solum theologicam et historicam sed etiam pastoralem instituere. Sunt aliqui tum ex populo tum ex clero qui magnas innovationes desiderant, imbuti potius quodam « historicismo » quam veritati pastorali. In his quaestionibus, pastor animarum non semper idem sentit ac qui partem potius scholasticam et theoreticam cognitam habet. Apud nostros, parochus saepe tenetur curam habere erga multa milia fidelium qui diebus dominicis et festis sacris intersunt. Caveatur ne structura liturgica quae fortasse opportuna videatur in monasteriis, domibus religionis, vel etiam paroeciis exiguis, non sine detrimento omnibus totius orbis paroeciis imponatur. Quare, si quae formae passim cum circumspectione introducantur, omnino vigilandum ut ex formis iam in Ecclesia exstantibus organice quodammodo crescant et finem vere pastoralem servent.

Dum Ecclesia non vult semper et ubique rigiditatem in re liturgica imponere, in aptatione liturgiae ad ingenium et traditiones populorum caute procedendum ne aptationes fidem et bonum communitatis tangant et laedant. Aliud est locum relinquere varietatibus et aptationibus praesertim in locis Missionum, aliud varietates imponere in locis ubi formae liturgicae usitatae ad ingenium et traditiones populi iam inventae sunt aptissimae. Sic v. g., multis in regionibus apud nostros unio desideratissima inter sacerdotem et celebrantem et fideles efficacius obtinetur usu librorum « Missalium » quam praxi Missae sic dictae « dialogatae ». Maxima prudentia nobis opus est ne fides et devotio populi christiani potius debilitentur quam foveantur.

Etsi unitas fidei servanda non potest admitti tamquam solum principium in rebus liturgicis, apud nostros est norma maxima. Sic, e. g., experimenta in formis liturgicis facile in magnam confusionem, admirationem et damnum populi christiani inducent. Fideles praesertim simpliciores facile scandalizari possunt cum videant Ecclesiam immutabilem fere semper in ritibus mutari. Ex altera parte, non solum milites sed et alii per varias mundi partes peregrinantes semper admirantur mirificam Ecclesiae in lingua ritibusque unitatem ex qua multum lucrantur. In omni mundi regione possunt partes quasi familiares habere in offerendo admirabili Eucharistiae sacrificio simul ac in paternis ecclesiis parochialibus. Etiam acatholici admirantur praesertim unitatem tum doctrinalem tum ritualem Ecclesiae catholicae. Notandum etiam quod huiusmodi « experimenta » et innovationes augent tum pro fidelibus tum pro parochis et aliis clericis impensa quae apud multos iam inveniuntur perdifficilia.

In quaestione de maiore parte tribuenda linguae vulgari in Liturgia, debemus imprimis contemplari partes linguae latinae in unitate Ecclesiae per plura saecula stabilienda et custodienda. Etiam nunc, lingua latina, lingua vere catholica, immutabilis, non vulgaris, vinculum arctissimum inter christianos populos totius orbis efficere potest. Fieri tamen potest ut in aliquibus locis, praesertim in locis Missionum, utilis evadat amplior locus linguae vulgatae in nonnullis ritibus. Haec tamen ut dispositio extraordinaria et temporanea semper debet aestimari ideoque fortasse melius ordinatur extra Synodum. Debemus hic tractare imprimis de dispositionibus

ordinariis et universalibus. Tribuere ampliorem locum linguae vulgari in ipsa Liturgia tamquam rem ordinariam et universalem alet confusionem et admirationem christifidelium et viam aperiet etiam acriori controversiae. Non desunt « novarum rerum studiosi » qui contra linguam latinam in sacris ritibus scribunt et sermocinantur. Huius ingenii viri non debent confirmationem et hortamentum invenire in hac Sacrosancta Synodo.

Ad sacrosanctum Eucharistiae mysterium quod attinet, plenissima pastoralis efficacitas semper in illum finem tendit ut christifideles Sacrificio Missae non velut meri spectatores intersint sed ut bene intelligentes id actuose et conscie participent. Quaestio oritur solummodo de mediis ad finem aptissimis, nullomodo de ipso fine. Recolimus quae supra dicta de maxima prudentia et circumspectione in innovationibus faciendis, de vera pastorali utilitate tamquam norma suprema, de periculis nimiae admirationis et confusionis immo et dubii circa perennem unitatem Ecclesiae, de quodam « historicismo », de spiritu potius scholastico quam pastorali, et de studiositate rerum novarum.

Nullomodo videtur admittendum tamquam solum principium innovationis quod aliqui ritus primum apparent in *Missali Romano* saec. XVI. Tale principium, si admittitur et rigidius applicatur, facile ducit ad omnes et solos ritus iam obsoletos revivificandos. Saec. sive V sive XVI sive XX, eadem semper Ecclesia Christi cum missione sanctificandi vivit et crescit. Structura liturgica, saltem ex parte, conficitur unoquoque saeculo ex experientia Ecclesiae de necessitatibus et maxima utilitate christifidelium.

Nonnumquam dicta et scripta de sacra liturgia prae oculis habent distinctionem inter liturgiam verbi et liturgiam eucharisticam et locos pro unaquaque separatos ita ut, cum locus proprius partis eucharisticae sit altare, liturgiae verbi locus aptior ad sedes et ambones, saltem in Missis cum populo, assignetur. Sed quaeritur utrum talis separatio bene servet finem pastoralem vere utilem. Quando fideles ad manus habent libros « Missales », ut fere semper apud nostros, separatio non iam magni momenti apparet. Denuo si separatio fit solum in Missis cum populo, tunc habemus duas formas ordinarias sed sat diversas, quod inconveniens videtur.

Saepissime eadem dicta et scripta viam latam aperiunt omni generi innovationum. Sunt qui proponant ut rariores fiant in Missa crucesignationes, altaris oscula, genuflexiones et inclinationes. Sed iterum quaeritur utrum huiusmodi innovationes sint pro vera utilitate christifidelium. Nonnumquam sermo fit de breviore formula distributionis sacrae Communionis (v. g. « Corpus Christi. Amen »), sed caveatur ne dum trepidatio augeatur, reverentia erga Sanctissimum minuatur.

Principium de ditiore et ampliore lectione sanctarum Scripturarum qua principium non potest controverti. In praxi autem, cura opus est ne tempus Missae nimis prolongetur neve tempus pro homilia utile nimis restringatur. Cum fideles numerosi Missis etiam quotidie intersunt, caveatur ne Missa per nimium tempus protrahatur et ita fiat multis onerosa vel etiam ob laborem quotidianum necessarium fere impossibilis.

Oratio communis fidelium post Evangelium vel homiliam apud nostros quoad substantiam iam saepe adhibetur.

Communionem sub utraque specie cum certo non concedatur passim et omnibus quia adsunt magna practica incommoda, vera utilitas Ecclesiae non exigit. Concessio « pro certis et bene determinatis casibus » magnam confusionem et turbationem fidelium faciat.

Ad ampliorem usum concelebrationis sacramentalis quod attinet quaeritur non solum si adsit ratio sufficiens abrogandi praesentem legem (in can. 803 C.I.C.) sed etiam si in hodiernis adiunctis sit vere possibilis. De facto, cum participatio fidelium multum restringatur si non omnino excludatur, finis vere pastoralis multum minuitur. Ex altera parte, cum numerus sacerdotum per totum orbem non crescit secundum spem, vix habemus occasiones talis concelebrationis. Etiam in adiunctis extraordinariis, e. g. exercitia spiritualia annua, sacerdotes generatim malunt individualiter celebrare. Si facultas concelebrandi concedatur solummodo ad Missam chrismatis, feria quinta in Coena Domini, ratio non apparet cur res adeo singularis in hac Sacrosancta Synodo debeat tractari.

Ex altera parte, apud nostros vix dantur occasiones ubi plures sacerdotes adsunt quam utilitas fidelium requirit. Ideoque multum desideratur quod facultas Ordinarii ad binationem vel trinationem permittendam propter deficientiam sacerdotum extendatur. Eadem de causa, optatur ut propter copiam fidelium potestas Ordinarii ad loca apta pro Missae celebratione designanda extendatur. Denique, quia multi sacerdotes ferias faciunt locis valde longinquis ab ecclesiis vel oratoriis, rogatur extensio privilegii Missam in altari portatili celebrandi.

* * *

Animadversiones additae:

Iam vidimus, praesertim in periodo temporis inter primam et secundam sessionem huius Synodi, affirmationes de usu linguae vulgaris in sacrificio Missae quibus nulla ratio reddenda est. Alii scribunt libros « Missales », quos fideles nostri fere semper ad manus habent quando Sacrum fit, esse mediocriter compositos immo et causas isolationis fidelium ab actione liturgica! Alii dicunt linguam vulgarem esse adeo indispensabilem ad sensum communitarium in sacrificio Missae ut sine eius usu fideles semper et necessario « legentes » potius quam « agentes » remaneant. Alii affirmant statum hodiernum Liturgiae eucharisticae sese omnino « staticum », nullomodo « dynamicum », frigidam rem mentis sine corde et affectu. Secundum alios, fere omnes fideles tum laici tum clerici vehementer desiderant usum linguae vulgaris in tota liturgia eucharistica dum unitas e lingua Latina proveniens solummodo peregrinantibus intersit.

Quae omnia sunt affirmationes sed nullo modo probationes. Debemus etiam ante oculos habere axioma: quod nimium probat, nihil probat. Certo certius nemo vult graviter proponere Ecclesiam in sua vita liturgica iam per plura saecula fuisse omnino « staticam », « frigidam », « sine corde et affectu », cum fidelibus ab actione liturgica totaliter remotis — eo magis quod habent libros « Missales » cum ipsissimis verbis Liturgiae! Ex altera parte, maior participatio externa in actione liturgica nullo modo affirmat maiorem intellectum operis sacerdotalis Christi et Ecclesiae vel maiorem affectum erga Deum patrem omnipotentem. Non debemus derelinquere formas liturgicas iamdudum probatas propter meras opiniones et spes male fundatas. Denique, etiamsi multi laici et clerici sententias dant pro lingua vulgari, talis index nominum non sine suspicione iudicari debet quia, ut omnes bene norunt, in his materiis novatores facilius et celerius interrogationi respondent. Quaestio de lingua vulgari in Liturgia a tali rogatiuncula minime ponitur extra litem!

Caput III: *De Sacramentis et Sacramentalibus*.

Cum Sacramenta et Sacramentalia nobis dantur non solum ut actus cultus Dei

et causae sanctificationis sed etiam ut signa ad instructionem pertinentia, sine dubio maxima cura opus est quoad eorum liturgicam structuram. Valde desideratur ut semper celebrentur cum vera et fructuosa participatione fidelium. Quem ad finem, Sacrosanctum Concilium decernat omnia et sola quae ad pleniorem et intensiorem actionem pastoralem vere iuvent.

De lingua vulgari in nova editione Ritualis romani, sat in cap. II dicta.

Ad restaurationem catechumenatus quod attinet, sine dubio congruum videtur saltem pro aliquibus locis, maxime in terris Missionum. Spectata tamen varietate de loco in locum tum quoad numerum neo-conversorum tum quoad ingenium, traditiones et dispositiones populorum, melius videtur si restauratio catechumenatus non mandetur sed conferentiis episcopalibus relinquatur (pag. 180, n. 48). Fere idem dicendum est de ritu ampliori baptismi adultorum qui intime connectitur cum catechumenatu restaurando (pag. 180, n. 50).

In ritu ad baptizandos parvulos, feliciter proponitur admonitio parentum et patrinorum de eorum gravibus officiis coram Deo et Ecclesia contractis (pag. 180, n. 51); feliciter etiam proponuntur ordo brevior baptismi qui in extraordinariis adiunctis adhiberi possit (pag. 180, n. 52) et ordo supplendi omissa in baptismo (pag. 180, n. 53). Placet etiam quod aqua baptismalis in ipso ritu baptismi, formula breviore et apta, benedici possit (pag. 181, n. 54). Quae innovationes verae pastorali utilitati bene serviunt.

Ratio sufficiens pro ordine paenitentiae recognoscendo non apparet.

Placet nomen « Unctio infirmorum » loco nominis « Extrema Unctio » quia melius exprimit naturam et usum huius sacramenti ideoque animarum pastores et ipsos fideles vere iuvabit (pag. 181, n. 57). Idem dicendum de collatione huius sacramenti post confessionem et ante receptionem Eucharistiae (pag. 181, n. 58). Iteratio unctionis in diuturna infirmitate placet quia aegrotus in tali casu vere indiget auxilio spirituali (pag. 181, n. 60) sed melius esset definire maiori praecisione tempus iterationis quia « aliquando » nimis generalis est.

Ad sacramentalia quod attinet, ut benedictiones reservatae, perpaucae, et in favorem tantum episcoporum, habeantur, omnino placet (pag. 182, n. 64). Placet etiam ut schema commune conficiatur pro ritu vestitionis et professionis religiosae (pag. 183, n. 65). Talis ritus dignitatem et excellentiam status religiosi melius ostendet.

De aptatione exsequiarum condicionibus et traditionibus singularum regionum, iterum caveatur ne unitas Ecclesiae in mente fidelium parvipendatur. Denuo, confusio potest oriri praesertim apud simpliciores. Apud nostros, praesens structura exsequiarum ingenio et traditionibus populi sat apta videtur.

Omnibus ergo perpensis, schema decreti de Sacramentis et Sacramentalibus *placet iuxta modum* tantum.

Cap. IV: *De Officio Divino.*

Quod absolutio Divini Officii in hodiernis adiunctis facilius et perfectius fieri possit, est finis omnino desiderandus. Vitentur autem « experimenta » omnibus tum propter confusionem tum propter impensa onerosa. Innovationes si quae fiant tales sint ut Officium conditioni hodiernae vitae clericalis praesertim pastorum animarum melius accommodetur. Caveatur ne innovationes potius « historicismo » et rebus obsoletis faveant quam veris necessitatibus clericorum.

Ante omnia, cum in singulis mundi partibus adsint clerici Breviarium latine persolventes qui vix intelligant quod pronuntient, haec Sacrosancta Synodus feli-

citer decernere potest permittere omnibus *a solo* recitantibus arbitrium et optionem eligendi linguam latinam vel linguam vulgarem. Verba praesentis schematis, « in Officio divino lingua latina clericis servanda est » (pag. 188, sub n. 77, lin. 6), non sufficienter respiciunt necessitates hodiernas Ecclesiae. Interna animi devotio, quae aegre habetur cum verba sine mente tantum recitantur, clericis necessaria est non solum ut rite adimpleant munus Deum publice laudantis nomine totius Ecclesiae in bonum totius Ecclesiae sed etiam ut sobrie et pie vivant inter tot mundana pericula. Rationes alibi allatae contra usum linguae vulgaris propter confusionem et damnum fidelium hic non pertinent quia loquitur solummodo de clericis a solo recitantibus.

Quibus perpensis, schema constitutionis quoad cap. IV *placet iuxta modum* tantum.

Capita V, VI, VII et VIII: *De anno liturgico - De sacra supellectile - De musica sacra et de arte sacra.*

Quae proponuntur de anno liturgico, de sacra supellectile, de musica sacra et de arte sacra veram utilitatem christifidelium et animarum pastorum spectare videntur. Sine dubio commissiones postconciliares semper ante oculos habebunt veram pastoralem utilitatem tamquam normam supremam, maximam prudentiam et circumspectionem in innovationibus faciendis adhibebunt ita ut pericula nimiae admirationis et confusionis immo et dubii circa perennem unitatem Ecclesiae ex nimio « historicismo » et rerum novarum studiositate omnino evitentur.

Schema decreti de anno liturgico, de sacra supellectile, de musica sacra et de arte sacra *placet.*

3

Exc.mus P. D. IOSEPH A IESU ALBA PALACIOS
Episcopus Tehuantepecensis

Quando suffragatio facta fuit de emendationibus ad cap. I *de sacra Liturgia,* ad art. 3 (emendatio 5), proposueram redactionem fieri ita expresse assereretur permanens praesentia realis Domini Corporis sub speciebus sacramentalibus in Sanctissimo Sacramento, non solum in Missae Sacrificio, sed etiam in Sanctissimo Sacramento, eo quod tantum dicitur, in textu emendato: « Praesens adest in Missae Sacrificio... tum maxime sub speciebus eucharisticis... ». Praesens adest virtute sua in sacramentis, sed nullatenus attenditur ad specialem naturam Eucharistiae, Sacramenti permanentis, de qua Tridentinum et Catechismus Romanus perspicue tractant.

Insisto, quoniam Pius XII, s. m., nos monuit, tum in Enc. *Mediator Dei et hominum,* tum in *Humani generis,* tum praesertim in allocutione diei 22 septembris a. D. 1956 (*A.A.S.,* 48, p. 711 et s. [27 oct. 1956]) *periculosissimum et a catholica doctrina alienum esse obscurare Christi D. realem permanentem praesentiam in Sanctissimo Sacramento et respondentem adorationis cultum, sicut ab aliquibus fieri coeptum est, sub praetextu ponendi in sua vera luce dignitatem Sacrificii.*

Propono ergo fieri emendationem sub hoc tenore: « Praesens adest in Missae sacrificio cum in ministri persona tum maxime sub speciebus eucharisticis... manentibus sacris speciebus praesens adest in Sacramento Eucharistico, in aliis vero sacramentis virtute sua, etc. ».

4

EXC.MUS P. D. GARABED AMADOUNI
Episcopus tit. Amathusius in Cypro

Quoniam ipse, in congregatione generali V diei 23 octobris huius anni, Primae Sessionis Concilii Vat. II, proposui ut formula posita sub n. 3 prooemii (linn. 15-21) schematis constitutionis *de sacra Liturgia* emendaretur, ita ut ritus quoque orientales frui possent beneficio huius constitutionis, nunc obstrictus sum indicandi modum quo melius emendatio corresponderet veris necessitatibus horum rituum orientis, quin afferat incommoda.

De facto emendatio prooemii prouti executa est, non satisfacit nisi in capitibus quae sequuntur definiantur normae quae applicandae censentur ritibus orientis. Hac ratione ductus ego dedi suffragium meum *Iuxta modum* in votatione diei 7 decembris.

Mens mea fuit et est: Nec excludere omnino ritus orientales ab applicatione praefatae constitutionis, nec includere eos plene quoad omnes dispositiones ibi contentas. Applicare quidem omnia quae certo certius spem dant indubiam profutura catholicis Ecclesiarum orientis, absque ullo damno pro unione fratrum separatorum. Urget ergo ut clare definiatur summa normarum practicarum aut principiorum quae deberent extendi ad ritus orientales, et quae nullatenus eis applicandae sunt. Oportet sane ut tollatur pro futuro omnis possibilitas interpretationis arbitrariae proveniens ex ambiguitate textus.

Ratio huius necessitatis est quod conditio orientis in re liturgica non est identica conditioni occidentis.

In occidente, res liturgica non est materia contentionis protestantes inter et catholicos. Illi non habent sacerdotium, nec admittunt omnia sacramenta Ecclesiae. Sub hoc aspectu Ecclesia catholica in occidente, liceat mihi sic exprimere, habet manus suas liberas disponendi de re liturgica sicuti ipsi videtur utile exigentiis animarum. Ergo ut foveat actuosam participationem fidelium licitum erit, absque incommodo, recurrere ad aptationes Liturgiae exigentiis temporum et locorum. Non ita in oriente, ubi res sunt totaliter aliter.

Etiam oriens indiget elevationi vitae liturgicae; nullum dubium de hoc. Sed id in quo differt ab occidente est quod talis elevatio debet exequi absque iniuria, sine ullo nocumento fratribus separatis qui simul cum catholicis participant unum eundem ritum.

Quaeritur: Quodnam est hoc nocumentum? Animadvertendum quod in oriente pro unoquoque ritu duae communitates christianae existunt: catholica et dissidens. Haec ultima numerice longe superior priori, sub proportione 90% vel adhuc maiori, quoad catholicos eiusdem ritus.

Cum res ita sint catholici orientales non possunt praescindere ab ista realitate generice in organizanda propria vita ecclesiali, et specifice in promovenda vita liturgica suorum. Cum in conscientia graviter obstricti sint se vovendi pro unione suorum fratrum separatorum, ille conatus elevationis vitae liturgicae ipsis licitum erit qui nullam affert modificationem ritus proprii. Etenim saepe saepius tales modificationes scandalo fuerunt et ansam dederunt fratribus separatis ut confirmarentur quam maxime in suo schismate. Qualiscumque innovatio, etiam si facta sit cum meliori intentione aptationum exigentiis animarum, condemnanda et reprimenda est tam-

quam origo diffidentiae et discessus fratrum a veritate catholica. Nam abyssus separationis profundior evenit.

Conclusio practica: Quousque orientales catholici non satisfecerint plene propriae obligationi reducendi ad unitatem Ecclesiae fratres suos, non licet eis uti iisdem mediis quibus latini utuntur in promovenda vita sua liturgica. In applicatione huius constitutionis ritibus orientis hoc criterium deberet inservire tamquam mensura discriminationis normarum practicarum et principiorum.

Immo, quoniam in praeterito plurimae innovationes factae sunt, ab imperitis, in grave damnum apostolatus catholici, munus praesentis constitutionis quoad orientem erit quaerere remedia huius mali. Remedium praecipuum erit: Urgere ut catholici in pristinam genuinam sui ritus formam revertantur. Libri liturgici in usu apud eos recognoscantur iuxta sana criteria criticae textualis. Opus quod laudabiliter factum est ex parte pro quibusdam ritibus, a Sacra Congregatione pro Ecclesia Orientali, in his ultimis decenniis. Hoc opus deberet prosequi sine interruptione ut dentur concrete argumenta, fratribus nostris separatis, nostrae sinceritatis cum declaramus venerationem nostram erga traditiones Patrum. Omnis macula *Uniatismi,* qua affecta est quasi omnis communitas catholica orientis, auferri debet sine mora, sincere, cum spiritu catholico, ex parte nostra. Tunc licebit nobis invitare eos ut et ipsi faciant gressus qui eos spectat. Secus nullus dialogus sperandus videtur inter nos et ipsos.

Cum constitutio de qua sermo est exarata fuerit ab initio expresse pro ritu romano exclusive, et tantummodo in aula Concilii, decursu disceptationum contemplata fuit inclusio aliorum rituum, et consequenter fuit emendata formula prooemii sub n. 3 textus schematis, ponitur quaestio utrum sufficiat illa sola emendatio?

Videtur non. Cum totum schema ritum romanum, et pars tantum eius ritus orientales respiciat, sola emendatione prooemii non satisfit exigentiae claritatis textus. Unusquisque articulus totius textus *de S. Liturgia* deberet subiici revisioni generali sub hac consideratione: Num valeat necne orienti.

Venia mihi sit indicare hic quantum ad hoc cap. I, articulos applicandos ritibus orientalibus et illos qui non sunt applicabiles.

SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA.

Caput I.

Nn. 5-13, textus emendati. Utpote principia generalia naturam et momentum Sacrae Liturgiae illustrantia, puto posse tuto dici quod communia sint omnibus ritibus, non exclusis orientalibus.

Nn. 14-20, textus emendati. Principium genericum enuntiatum sub n. 14 applicari potest omnibus ritibus. Normae vero quae praescribuntur sub nn. 15-20, nihil impedit ut applicentur. Immo, per se applicandae sunt etiam orientis ritibus. Attamen ex contextu hoc cum omnimoda claritate non apparet ita ut omnis possibilitas tergiversationis pro futuro auferatur. Ideo necessarium puto aliquam parvam emendationem inducere in fine textus articuli n. 14: « Sed quia ... ideo pernecesse est ut institutioni liturgicae *proprii ritus* cleri apprime consulatur etc. ... ».

Hoc solo adiuncto, in se minusculo, puto iam clarescit textus et articuli sequentes usque ad n. 20 tanquam validi censentur ritibus orientis.

De facto per unam horam in hebdomada, per quatuor annos theologiae, institutio liturgica non censetur nimis.

Nn. 21-40, textus emendati. « De sacrae Liturgiae instauratione ». Licet principium enuntiatum sub n. 21 aeque valeat pro omnibus ritibus, attamen *hic et nunc,*

donec maior pars christianorum Ecclesiarum Orientis manet in separatione ab unitate catholica, illud principium non habet applicationem suam pro ritibus orientis.

Et hoc deberet affirmari clare ut ambiguitas evitetur.

Nunc examinemus normas generales sub litteris A-D.

Normae indicatae sub littera A) praesertim illae quae sunt sub nn. 23-24, in se optimae, non sunt applicabiles pro ritibus orientalibus, excepta norma quae figurat sub n. 25, et cum aliqua emendatione art. 22. Emendatio facienda est sequens: « ... quae quidem est apud Apostolicam Sedem et ad normam iuris apud *patriarcham* et episcopum ». Pro occidente episcopus, sed pro oriente prius est patriarcha.

E contra normae sub littera B) nn. 26-32, valent etiam ritibus orientis. Nullum incommodum praevidetur ex earum applicatione. Immo, confirmaretur spiritus genuinus actionis liturgicae prouti oriens concipit.

Normae sub littera C) n. 33, non convenit; item n. 34, pro hic et nunc, non applicatur. Idem dicendum de norma sub n. 35 et 36. Quia inducunt mutationem et innovationes in ritum, quod adversatur causae unitatis in oriente.

Normae sub littera D) nn. 37-40, sunt potius pro ritu romano in missionibus. Prouti iacent puto quod non respiciunt orientem.

E contra nn. 41-42 « De vita liturgica in dioecesi et in paroecia » sunt applicabiles et applicandae sine ullo incommodo.

Nn. 43-46 « De actione pastorali liturgica promovenda » non habet applicationem pro orienti, in forma actuali.

Facta hac distributione, habemus hanc tabellam:

Pro ritu romano et orientis	*Pro solo ritu romano et latinis*
NN. 5-13;	21-24;
14-20;	33-36;
22-25;	37-40;
26-32;	43-46.
41-42.	

Cum agatur de constitutione promulganda a Concilio Oecumenico, nonne melius est disponere principia et normas ita ut prius ponantur dispositiones quae extenduntur toti *Ecclesiae catholicae* ut tali, et deinde dispositiones quae afficiunt Ecclesiam occidentis?

Momentum talis dispositionis erit *a*) evitare omnem ambiguitatem pro ritibus orientis; *b*) ponere in lucem puncta ubi occidens et oriens uniuntur, etiam in re liturgica; ideo dare etiam mundo christiano argumentum novum catholicitatis Ecclesiae Christi; *c*) demonstrare characterem oecumenicum huius Concilii.

Puto quod hae sunt rationes sat solidae ut talis emendatio *quoad dispositionem materialem* tantum conceptuum, exsequi possit, meo humili iudicio.

5

EXC.MUS P. D. LEO ARKFELD
Episcopus tit. Bucellensis, vic. ap. Vevakensis

Sit mihi permissum faciendi subsequentia proposita ad commissionem Concilii Oecumenici:

I. *Quoad observantiam diei Dominicae*:

1. Ut obligatio assistendi Missae extendatur ad libitum pro quocumque tempore a feria VI media nocte usque ad Dominicam media nocte.

2. Transferatur obligatio abstinendi ab opere servili ad diem Sabbatum, si haec obligatio servari nequit die Dominica.

II. *Quoad Sacrificium Missae*:

1. Ut selectentur formulae pro Epistola et Evangelio pro tribus annis. Sint breviores et semper eiusdem longitudinis. Epistolae et Collectae speciales pro Quattuor Temporibus deleantur.

2. Offertorio maior eminentia praebeatur.

3. Detur tempus speciale et sat longum pro gratiarum actione post Sacram Communionem.

4. Sacrificium Missae adornetur cum novis et variis ritibus. Deleatur multiformitas rituum in Ecclesia. Incorporentur ritus Ecclesiae orientalis in Ecclesiam latinam. Sit unus tantum ritus habens in se elementa Ecclesiae orientalis et Ecclesiae latinae. Quare, e. g., debent esse ritus differentes in eodem oppido in Statibus Foederatis Americae occidentalis? Sacerdos ritus latini etiam adhibeat ritus qui aliis nationibus placebunt. Si, e. g., observatio Dominicae etiam extendatur ad Sabbatum, sacerdos posset celebrare Missam in diversis linguis die Sabbato et die Dominica, et cum ritu qui eodem tempore placeret diversis populis. Sit una Ecclesia catholica et non diversae, sit unus episcopus non diversi. Sit unus clerus et non diversi. « Ut omnes unum sint ».

III. *Uniformitas linguae ecclesiasticae*:

1. Praeparentur translationes textus Missae, ritus sacramentorum et caeremoniarum in diversis linguis, et usus earum praecipiatur. Quare « Pater noster » habet diversos textus in Statibus Foederatis Americae occidentalis et in Australia? Quare «Ave Maria » habet diversos textus in diversis partibus Germaniae? Esset necessarium introducendi nonnullas novas expressiones quae non sunt communes in aliquo territorio, sed bonum commune hoc postulat.

IV. *Episcopi*:

1. Permittatur episcopus Missam celebrare et administrare sacramenta uti simplex sacerdos, si id desideratur.

2. Genuflectiones publicae ad episcopum abrogentur, etiam osculatio anuli. Indulgentiae pro osculatione anuli praebeantur pro salutatione. Usus civiles et consuetudines sociales adhibeantur. Si genuflectio et osculatio manuum sunt consuetudines in aliquo territorio, tunc etiam sint pro episcopo. Christus conversatus est cum hominibus palaestinensibus sicut unus eorum.

Submitto haec proposita iudicio auctoritatis ecclesiasticae.

6

EXC.MUS P. D. VITALIS BONIFATIUS BERTOLI
Episcopus tit. Attacatanus, vic. ap. Tripolitanus

Aliis altius et de rebus magnis, mihi modeste et de humili re est loqui. Aliquid de re Liturgica cum adhuc facta non sit votatio de omnibus capitibus. Mea animadversio:

1. Expungatur in Missa « Ite Missa est ». Ante benedictionem verba importuna sunt quia: *a*) imperative dicitur: « Ite » et postea *b*) benedictio datur.

2. Expungatur et « ultimum Evangelium » S. Ioannis. Ratio: benedictione Sacrificium Missae perficitur. Benedictio, mihi videtur, esse maximi Liturgiae actus, corona. Non ...?

3. Verba consecrationis lingua latina et elata voce pronuncianda ut illud mysterium mysterii inutile amoveatur.

Ad c. III: de tempore utili Baptismi. Adhortantur utique parentes ut quam primum neonatos baptizentur, sed *non imponantur gravia.* C.I.C. 770, scil.: « Parentes qui negligunt hoc officium et ultra mensem ab ortu puerorum » *etiam sine iusta causa,* expectant, ne peccatum mortale graventur (cf. *Compendio di Teologia Morale* di P. Eriberto Jone ofm capp. N. 476 in notula). Ratio practica: iam multa peccata committuntur in mundo, qua de causa, multiplicanda non sunt.

7

EXC.MUS P. D. FELIX BONOMINI
Episcopus Comensis

In prosecutione laborum Conciliarium quae, uti iam enuntiatum est, Deo favente, habebitur die VIII proximi mensis septembris, suffragia exquirentur circa cetera capitula schematis *de sacra Liturgia.*

Mihi liceat aliquas observationes per scriptum tradere circa tempus Adventus et tempus Nativitatis Domini.

Humiliter optarem ut tempus Adventus propriam Praefationem haberet et ut, ad aliam diem translato festo S. Thomae apostoli, dies quae decurrunt a die 17 ad 24 decembris, propria Missa praeditae essent.

Ita pariter optarem ut transferrentur ad tempus post Epiphaniam festa sanctorum quae usque adhuc celebrantur in ipsa octava Nativitatis Domini, ita ut dicta octava celebrari possit cum Missa et officio propriis pro unaquaque die, ad instar Octavarum Paschatis et Pentecostes. Scripsi.

8

EXC.MUS P. D. HUGO BRESSANE DE ARAÚJO
Episcopus Mariliensis

Duas summi momenti animadversiones promere liceat:

A) Ubi, sub n. 5, dicitur: « Hoc autem humanae redemptionis opus adimplevit Christus Dominus praecipue per suae beatae Passionis, ab inferis Resurrectionis et gloriosae Ascensionis paschale mysterium », *accuratioris locutionis*

gratia, tantummodo dicatur oportet: « Hoc autem humanae redemptionis opus adimplevit Christus Dominus praecipue *per suam beatam Passionem Mortisque demum holocaustum* ».

Sane quidem, resurrectio (et ascensio) Domini, respectu redemptionis nostrae (i. e. tum iustificationis tum gloriosae resurrectionis nostrae) causa exstitit cum exemplaris tum etiam (tametsi quadamtenus dumtaxat) efficiens, utique instrumentalis. Nihilo vero minus, *haecce causalitas efficiens* instrumentalis resurrectionis dominicae *nullo pacto haberi potuit ceu satisfactoria vel meritoria.*

Ad horum unumquodque, unico quasi halitu prolatorum, continuo subsequitur, quoad requiri videatur, plene conveniens ratio.

Et re quidem vera, causalitas resurrectionis dominicae, imprimis ac germano prorsus sensu, luculenter innotescit ceu revera *exemplaris,* respectu videlicet *resurrectionis* nostrae, ut in terminis omnino liquet. Unde, signanter apostolus ait: « Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae ».

Item, causalitas resurrectionis dominicae, etiam respectu *iustificationis* nostrae, adhuc exemplaris dignoscitur, sensu licet mystico dumtaxat (vere tamen mystico), quatenus scil. cum similitudinem carnis peccati (i. e., corpus mortale) deposuit Christus, eamdemque post triduum reassumpsit immortalem, tum potissimum suggessit ipsummet peccatum nobis deponendum atque novam, i. e., sanctam deinceps vitam inchoandam. Et huc iam facit illud apostoli: « Si consurrexistis (et non ait: Si consurrecturi estis) cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est, in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram ».

Praeterea, causalitas resurrectionis dominicae ulterius agnoscenda est ceu *efficiens,* sane instrumentalis, et quidem non modo relate ad *resurrectionem nostram,* sed etiam relate ad ipsam nostram *iustificationem.*

Attamen (quod omnino attendere est), tale quid affirmatur: *a*) non quatenus in ipso actu transeunte, immo revera iam transacto, resurrectionis dominicae adfuisset nescio quae virtus instrumentalis, effectiva et gratiae, nobis in via inditae, et resurrectionis, quam in consummatione saeculi speramus gloriosam; *b*) sed eatenus dumtaxat quatenus Christus, omnium iam exsistens, vi mortis suae, auctor, ideoque etiam, ut decebat, distributor bonorum, « *convenienter* » *demum inventus est huiusmodi* (omnium, inquimus, distributor bonorum) *penes resurrectionem* (*et ascensionem*) *suam,* quam ceteroquin eadem sua morte sibi promeruit.

Intelligitur porro Christus, bonorum, suapte praecipue morte nobis acquisitorum, distributor, quatenus eadem bona in nos *efficienter* influit, non modo virtute divinitatis unitae sed etiam (quod potissimum ad rem facit) *per instrumenta, i. e. sacramenta a se instituta ceu redemptionis a se nobis acquisitae applicativa.*

Ceterum denique, ad causalitatem quod attinet resurrectionis (et ascensionis) dominicae respectu redemptionis nostrae (i. e., tum iustificationis, iuxta illud apostoli: « resurrexit propter iustificationem nostram »; tum etiam resurrectionis nostrae, iuxta illud quod canit Ecclesia: « et vitam [nostram] resurgendo reparavit [Christus] »), apud omnes constat nullatenus seu satisfactoriam seu meritoriam exstitisse, quandoquidem (quod etiam atque etiam inculcandum est), *consummato Crucis holocausto, Christus Dominus non amplius in statu seu satisfaciendi seu merendi inveniebatur.*

Et sic satis videtur ostensa sat magna opportunitas, sin minus necessitas, initio suggestae mutationis seu potius omissionis faciendae.

B) Ubi, sub n. 7, dicitur: « Praesens adest (Christus) in Missae Sacrificio cum

in ministri persona, tum maxime sub speciebus eucharisticis... ». « Praesens adest virtute sua in sacramentis... ». « Praesens adest in verbo suo siquidem ipse loquitur dum Sacrae Scripturae leguntur... ». « Praesens adest denique dum supplicat et psallit Ecclesia... » tanta obtinet sollicitudo, valde ceteroquin laudanda, ad hoc ut Christi praesentia in omni celebratione liturgica iterum iterumque inculcetur, ut *de huiusmet praesentiae alia atque omnino alia ratione nimis ieiunus exsistat loquendi modus.*

Quo sane fiet ut, licet immerito, supra citati textus, pseudo-mysticorum somniis, passim hodieque pullulantibus, aliqualem saltem videantur praebere ansam.

Eapropter ex causa, quam maxime expedire videtur ut in huiusmet (licet non dogmaticae) constitutionis contextu (a venerabili commissione sapienter eligendo) semel pro semper, omni tamen vi seu disertis verbis, asseratur *Christum, qua hominem, non ubique esse realiter* (i. e., penes corpus et animam) *praesentem, sed in caelo dumtaxat necnon sub qualibet specie eucharistica*: in caelo quidem, modo sibi connaturali (locali scil.), sub specie eucharistica econtra modo supernaturali (illocali videlicet).

9

Exc.mus P. D. MICHAEL ANGELUS BUILES
Episcopus S. Rosae de Osos

Antequam votatio de sacra Liturgia finiatur, de duabus magni momenti rebus cupio loqui, scil. de signo ad Confirmationis validitatem, necnon de versionibus a lingua latina quoad Divinum Officium, sacramentorum administrationem, S. Sacrificium et varia pietatis exercitia, in quibus participant fideles.

1. Signum essentiale sacramenti Confirmationis est impositio manuum super confirmandum. Sunt vero duae manuum impositiones: una generalis cum duabus manibus, sacramento Confirmationis ineunte, alia autem particularis super unumquemque confirmandum, cum episcopus dextra super caput infantis extensa simul cum unctione chrismatis sacri tangit eum.

Quaenam vero ex duabus istis manuum impositionibus ad validitatem sacramenti Confirmationis requiritur?

Sunt qui dicunt ad validitatem Confirmationis non requiri nisi primam manuum impositionem, dum alii affirmant, non primam, sed secundam.

Altera ex parte, cum de valore sacramentorum agitur, probabilismus non admittitur, sed opinio tutior sequenda est. Sed quaenam in casu, ut tutiorem sententiam possumus habere?

Mihi videtur prima sententia, seu illa pro qua ad validitatem confirmationis sufficit prima manuum impositio super omnes confirmandos, magis fundata est, ut apparet ex sequentibus rationibus:

a) In ordinatione presbyteri dantur etiam duae manuum impositiones, una generalis, quando plures ordinandi sunt, alia particularis. Iuxta S. Sedis dispositionem, tantum impositio manuum generalis una cum praefatio ad validitatem presbyteratus requiritur. Unde puto a pari dici posset pro sacramento Confirmationis primam et generalem manuum impositionem sufficere ad validitatem.

b) In Actibus Apostolorum 8, 14-17, legimus: « Cum audissent apostoli qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaría verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanc-

tum: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum ».

Consequenter, Sacrosanctum Concilium humiliter rogo ut declaret primam impositionem manuum ad validitatem sacramenti Confirmationis sufficere. Tunc post sancti Chrismatis unctionem omnes ab ecclesia exire possunt; et hoc valeat pro ratione pastorali in favorem petitionis, cum sic magna congestio vitetur in puerorum tranquillitatem redundans, et praecipue rurales gentes ne obligentur in Ecclesia sine necessitate diu permanere.

2. Quoad secundam quaestionem supra enuntiatam, scil. de versionibus in vernaculas linguas, considerandum est ut occasione Sacrosancti Concilii, versio unica liturgica habeatur quoad breviarium, Missae Sacrificium, sacramenta et orationes in lingua propria uniuscuiusque nationis, et ubicumque loquatur dicta lingua. Altera ex parte, dolendum est ut cum versiones unicuique populo relinquuntur, non semper datur uniformitas, ut accidit v. g. cum precibus quae post Missam lectam recitantur, quae etiam in eadem ditione differentes apparent, quod mirum fidelibus videtur et contra uniformitatem sacrae Liturgiae attentat.

Hoc certe certius non accideret, si omnes traductiones a S. Sede procederent, ut ita dicam, officiales versiones unicuique populo tradantur.

Rogo humiliter ergo Sacrosanctum Concilium ut disponat quoad s. Liturgiam et alias preces versiones autorizatas non esse nisi a S. Sede promanantes.

10

REV.MUS P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER
Praeses Congr. Angliae O.S.B.

Si mihi venia sit, velim unum proponere de prooemio in schema constitutionis *de sacra Liturgia,* sc.:

Pag. 157, par. 3, lin. 25 s. Placet iuxta modum. Scil., ut pro verbis *in praesenti constitutione nihil* substituantur verba: *neque in aliis suis actis neque iam in praesenti constitutione velle quicquam dogmatice definire.*

Rationes sequuntur:

1. Textus typis impressus per se optimus est. Sed posset suggerere quod *aliter* in suis actis Concilium non intendit abstinere a definitionibus dogmaticis. Iamvero

2. S. S. Papa noster iam publice annuit nova dogmata vix esse expectanda. Praestat ut Concilium iam ab initio se monstret consentiens Suae Sanctitati in hac re.

3. Concilium oportet eo semper intendat ut animos fratrum separatorum in concordiam cum Ecclesia adducat. Nova vero dogmata tot erunt obstacula ad hunc finem assequendum.

4. Patres Concilii res theologicas vel aliter speculativas maiore animi libertate, minore vero anxietate, aggredientur si prius manifestum sibi et aliis fecerint non agi de dogmatibus definiendis vel determinandis.

11

EXC.MUS P. D. NICOLAUS CAPASSO
Episcopus Acerrarum

Alle proposte già inviate aggiungiamo le seguenti. Si propone di rivedere tutto il *rito del battesimo*: in particolare di abolire gli esorcismi del bambino e del sale: « exi ab eo immunde spiritus... ». Secondo la dottrina dei migliori teologi, il peccato originale non consiste in una macchia positiva e tanto meno nella ossessione del demonio, ma consiste nell'assenza della grazia (cf. Huart, *De Deo Creante et elevante*). L'unzione dell'olio nel petto « et inter scapulas » è scomoda. Il triplice alito in faccia al bambino non è rito igienico. Potrebbe sopprimersi anche l'immissione del sale nella bocca del bambino, come fu soppressa quella della saliva.

Nel *rito della cresima* si propone di abolire il piccolo schiaffo che il vescovo deve dare anche a donzelle.

In tutte le messe dei defunti si propone di abolire e sostituire l'attuale « Offertorium », che pare sia stato preso da un'antica messa per gli agonizzanti. Invero, non calzano per le anime purganti le frasi: « Libera animas defunctorum *de ore leonis,* ne absorbeat eas *tartarus* (termine pagano), *ne cadant* in obscurum, libera eas de poenis *inferni.* Fac eas *de morte* transire ad vitam, etc.

12

EXC.MUS P. D. ALFREDUS COUDERC
Episcopus Vivariensis

Episcopus Vivariensis, in Gallia, a sacerdotibus, rectoribus paroeciarum in sua dioecesi, sequentem postulationem circa aliqua mutanda in re sacramentali et liturgica nuper accepit. Cum enim didicissent ii sacerdotes aliqua reformanda fore in hac materia, in quamdam conferentiam convenerunt, et ad pastorale munus efficaciori modo exercendum, humillime ac reverenter aptationes proposuerunt, de quibus infra.

De sacramento Baptismi.

1. Caeremoniae simpliciores fiant, v. g. unus exorcismus dicatur, et quidem in lingua vernacula. Non amplius de sale, de insufflatione aut de saliva agatur. Hi enim symbolici ritus non intelliguntur, et relate ad actum essentialem sacramenti, non solum non praeparant, sed quodammodo occultant et in oblivionem ponunt.

An non possent inveniri caerimoniae aut orationes quae mysterium in anima baptizandi operandum clarius exprimerent ac manifestarent?

2. Patrini hodie mere passive se gerunt, quin ullam conscientiam habeant sui muneris. Utrum non posset in ipsa baptismi collatione introduci aliquis ritus aut textus, aut uterque, qui munera et officia in memoriam patrinorum revocaret?

3. Hodie in regionibus christianis sic dictis, saepe pueri baptizandi praesentantur a parentibus, baptizatis quidem, sed numquam aliquem actum religiosum externum ponentibus. Baptismus videtur esse conformitas mere passiva cum aliqua lege sociologica. In tali casu quaenam exigenda et optanda a sacerdote, vices Ecclesiae gerente?

De Confirmatione. Ut patrini possint iidem esse ac pro Baptismo.

De Eucharistia. Distribuatur *S. Communio* per breviorem formulam, ubi saltem multi ad sacram mensam accedunt, et quidem in lingua vulgari.

Quoad *Missam,* usus linguae vernaculae optandus, quotiescumque ministri ad fideles loquuntur, aut cum eis preces alternant (v. g. initio Missae), aut eorum nomine orant.

Brevior fiat formula confessionis initio Missae.

Supprimantur preces Leoninae, et forsan ipsum Evangelium post Benedictionem.

In Missa cantata, num posset etiam cantari finis Canonis, ut responsio fidelium (Amen) clarior fieret ac magis participationem omnium exprimeret ad totam actionem?

De Poenitentia. Optandum ut parochi et ecclesiarum rectores iurisdictionem delegare possint, quin fiat recursus ad Ordinarium, sacerdotibus aliunde bene notis et approbatis.

Brevior formula absolutionis semper adhibeatur, et quidem in lingua vulgari.

De Extrema Unctione. Non dicatur amplius Extrema Unctio, sed Unctio Infirmorum vel Sacra Unctio.

Super infirmos iam in agonia positos, non dicantur orationes post unctiones praescriptae: videntur enim quasi miraculum exspectare. Nonne suppleri possent per aliquas breviores formulas, quibus infirmus in tribulatione adiuvetur, eius fides illuminetur erga mysteria passionis et mortis, et fidentius ad Deum se convertere possit.

De matrimonio. Supprimantur bannorum publicationes et dispensationes a publicationibus, aliunde supplendae per affixionem matrimonii in foribus Ecclesiae.

Supprimatur etiam dispensatio a tempore prohibito.

Instituatur nova benedictio nuptialis, magis aptata, quae beneficia et gratias Dei exoptet non uxori soli, sed utrique, immo futurae familiae.

Mutuus consensus intra Missam fiat, cum magis explicita ac sollemniori formula (cf. forma Germaniae et Belgii dioecesibus concessa).

Funebria obsequia. In Missa pro Defunctis supprimatur « Dies irae ». Ornamenta violacei coloris adhibeantur. Removeantur quidam apparatus, magis pompam quam pietatem redolentes (v. g. sic dictum catafalque). Alio modo magis congruo exprimatur defuncti praesentia in medio Congregationis christianae orantis.

Ut in cantu absolutionis ad feretrum (Libera me) nullae fiant repetitiones.

Pro funeribus puerorum instituatur quaedam specialis Missa.

13

Exc.mus P. D. ABILIUS DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA
Episcopus Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis

Cap. I, nn. 1-9.

1. Textus emendatus nimis longus apparet et diffusus. Aliqua facillime supprimi possunt, quin nexus et vis argumentationis detrimentum patiatur, immo vero et clarior evadat; sic v. g. in n. 6 (pag. 6) a lin. 16 usque in finem: « Sic per Baptismum... Spiritus Sancti », quae omnia, illustrationis gratia, possent in notulis conservari. His omnibus suppressis, textus curreret clarior et strictior servaretur nexus cum n. 7.

2. Non omnia apte posita videntur; v. g. phrasis finalis n. 5 (pag. 6): « Nam de latere Christi... sacramentum ». Ut iacent, verba sunt argumentum confirmativum utque tale adducuntur in textu. Cuius vero rei argumentum sunt? Idea centralis optime concluditur verbis illis « mortem nostram... reparavit », quae utique de mysterio Passionis, Resurrectionis etc. intelleguntur.

3. Nexus logicus inter n. 5 et 6 clarius servari debet et exponi. Christus Dominus opus Redemptionis adimplevit per mysterium Passionis, Resurrectionis et Ascensionis, at solum quoad pretium, satisfactionem et meritum, in actu primo, ut ita dicam. Applicatio vero et distributio fit in Ecclesia et per Ecclesiam. Haec autem idea clarius debet in textu exponi. En nova ratio pro translatione ultimae sententiae n. 5; verba enim illa de Ecclesia e latere Christi dormientis orta de periodo applicationis intelligi debent. Fieri ergo debet connexio logica strictior, qua posita, optime fluerent quae de munere apostolorum dicuntur in n. 6.

4. In hoc ipso n. 6 linn. 15-16: Fortasse nimium sit dicere apostolos missos fuisse ut « opus salutis, quod annuntiabant, per Sacrificium et Sacramenta exercerent » ita, simpliciter et sine addito. Quaerere mihi liceat: Solum per Sacrificium et Sacramenta?... Nonne aptius diceretur: « praecipue per Sacrificium et Sacramenta... »?

5. In n. 7 (pag. 7) linn. 4-5: verba illa « idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit » ut iacent primo intuitu dicta videntur de inciso immediate praecedenti: « tum maxime sub speciebus eucharisticis », quod, ni fallor, asseri nequit.

6. In n. 10 (pag. 8): Non videtur qua ratione et argumento theologico possit serio affirmari « Liturgiam esse culmen ad quod tendit actio Ecclesiae et simul fontem unde omnis eius virtus emanat ». Neque verba quae sequuntur, quaeque adducuntur tanquam argumentum, probare quidquam videntur. Notari enim debet:

a) *Culmen* enim rationem *finis* indigitare videtur, Liturgia autem potius rationem *medii* habet. Alia ex parte, Liturgia est *actio* Ecclesiae et, si placet, nobilissima. Admissa igitur sententia textus, haberemus phrasim tautologicam sequentem: « attamen *actio nobilissima Ecclesiae* est culmen ad quod *actio Ecclesiae* tendit ».

b) Qua ratione dici potest « Liturgia *fons* unde *omnis* Ecclesiae virtus emanat »? Eritne verum hoc? Ni fallor, hoc non potest admitti. Fortasse sufficeret dicere: « praecipuus fons ». Verum neque hoc ex integro placet.

c) Meo iudicio, integra par. 10, saltem in prima sua parte, aliter redigi deberet, intime illam coniungendo cum praecedentibus et sequentibus, hoc fere modo: « Haec autem omnia uno vel alio modo Ecclesia operatur et obtinet in Actione liturgica » vel, si vultis, « Haec autem omnia Ecclesia praecipue operatur et obtinet in Actione liturgica », quin mentio fiat nec de *culmine* nec de *fonte*.

7. *a*) In eodem n. 10, pag. 9, linn. 7-8: « Ex Liturgia ergo, praecipue ex Eucharistia, ut e fonte, gratia in nos derivatur ». Verba haec possunt utique recte intelligi et explicari. Attamen, ut iacent et in contextu, videntur sumenda *sensu exclusivo,* ac si indicare velint *omnem et quamlibet gratiam* e Liturgia, ut e fonte, in nos derivare; quod quidem, ni fallor dici nequit.

b) Quae in ultimis paragraphi lineolis dicuntur contradicere videntur sententiae initiali huius n. 10. Tandem aliquando, « opera Ecclesiae » quem in finem tendunt (vel contendunt)?... « ad hominum sanctificationem et Dei glorificationem » an « ad Liturgiam tamquam culmen »?

c) Si omnis et quaevis gratia e Liturgia, ut e fonte, derivatur, quid dicendum de his, quae in n. 12 indicantur: « Vita tamen spiritualis non unius sacrae Liturgiae participatione continetur »?

14

EXC.MUS P. D. IOSEPH DESCUFFI

Archiepiscopus Smyrnensis

Archiepiscopus Smyrnensis commissioni particulari instanter proponit ut in pag. 24 *a*) novi schematis recogniti sacrae Liturgiae, IV, cap. I, num. 36, par. 2 et 3, declaretur pro bono animarum, ut in *Rituale Romano* tantum, liceat, in *totis partibus,* uti lingua vernacula sola, cum licentia Ordinarii.

Haec licentia sit data omnibus, sine restrictionibus, exceptionibus aut effugiis, contentis in par. 2 et 3, litteris maiusculis expressis, quas expungendas esse mihi videtur. Nihil timendum est pro integritate fidei nec pro bono communi, cum sacramenta, sacramentalia, exorcismi, benedictiones, etc., sint ad usum personalem et non sunt caeremoniae publicae.

15

EXC.MUS P. D. MARCELLUS M. DUBOIS

Archiepiscopus Bisuntinus

Pag. 6, linn. 8 ss.: lego: « *Christus... apostolos, repletos Spiritu Sancto, misit* ». Sensus obvius est: 1) Apostoli repleti sunt Spiritu Sancto; 2) *Tunc,* Christus eos misit. Qui ordo est historice falsus.

Linn. 15-16: lego: « *Sacrificium et Sacramenta, circa quae tota vita liturgica vertit* ». Additio verbi « *tota* » non erat parvi momenti. Itaque exigebat votum. Etenim: *tota* vita liturgica vertit, non solum circa Sacrificium et sacramenta, sed, multo profundius, vel altius, *circa Christum ipsum.* Igitur textus *non* pertinet ad verae et profundae liturgiae realitatem.

16

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS ENRIQUE Y TARANCÓN

Episcopus Celsonensis

N. 10, paragraphus prima. Mihi non placent verba: « Attamen Liturgia est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat », nam vox *Liturgia* in hac paragrapho est ambigua. Certo certius haec affirmari possunt de Eucharistia in qua Christus sacrificium crucis permanenter offert. Ita a Pio XII in litteris Encyclicis *Mediator Dei*: « Christianae religionis caput ac veluti centrum Sanctissimae Eucharistiae Mysterium est » (*A.A.S.,* 1947, pag. 547). Attamen non licet, meo saltem iudicio, has affirmationes ad Liturgiam in genere transferre; ideoque haec verba sunt omittenda.

N. 10, paragraphus secunda. Non placent verba quae linn. 7-8 inveniuntur, nempe: « Ex Liturgia ergo, praecipue ex Eucharistia, ut e fonte gratia in nos derivatur »; nam fons gratiae Christus est, qui realiter praesens in Eucharistia homines sanctificat. Sed neque Liturgia est unicus fons gratiae, nec fons proprie dictus, sed rivulus fortasse, et non unicus, per quem Christi gratia ad nos pervenit.

Ergo ita textus modificari debet in lin. 7: « Ex Liturgia ergo maxima cum efficacia obtinetur illa in Christo hominum sanctificatio, etc. ... ».

N. 14, paragraphus secunda. Non placent verba quae in linn. 11-13 inveniuntur, nempe: « ut enim primus isque necessarius fons, e quo spiritum vere christianum fideles hauriant », propter rationes allatas. Sunt igitur omittenda.

N. 35, 4). Haec « sacra verbi celebratio » de qua agitur mihi placet quoad rem, minime vero quoad nomen, quia apud fideles significatio huius vocis « *celebratio* » quamdam confusionem gignere possunt. Melius fortasse diceretur: « Actio paraliturgica » vel « Ritus Verbi ».

17

EXC.MUS P. D. ANTONIUS FUSTELLA
Episcopus Tudertinus

Siccome il testo del capitolo I nn. 1-9, datoci in visione, non sembra ancora il definitivo, mi sembra utile suggerire tre piccole correzioni:

Pag. 6, n. 6, lin. 9: « circa quae tota vita liturgica vertit », toglierei il *tota,* perchè esiste anche della vita liturgica, es. il Breviario, che per sè non tocca, almeno directe, il Sacrificio e i Sacramenti.

Pag. 6, n. 6, lin. 17: iniziare a capo il periodo « *Idcirco* », perchè è chiaramente un altro pensiero.

Pag. 9, n. 8, lin. 4: propongo di togliere il « nihilominus » *perchè la frase è assai pesante,* essendoci già altri due avverbi; il senso sembrerebbe chiaro lo stesso.

18

EXC.MUS P. D. FIDELIS GARCIA MARTINEZ
Episcopus tit. Sululitanus

Iuxta ea quae paragrapho 2 art. 37 fasciculi: « Ordo Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi » praescribuntur, infrascriptus Pater Conciliaris suum explicat suffragium « placet iuxta modum », in congregatione generali diei 7 huiusce mensis decembris prolatum, circa prooemium et cap. I schematis *de sacra Liturgia.*

En rationes illius suffragii: « placet iuxta modum »:

a) Non impleta apparet voluntas PP. Conciliarium, semel ac iterum inter disceptandum de schemate manifestata, et pag. 3 fasciculi: « Schemata constitutionum et decretorum ex quibus argumenta in Concilio disceptanda seligentur » repetita ut, scil., ipsa schemata ad principia generalia reducantur, utque repetitiones vitarentur rerum in aliis schematibus tractandarum.

Iam vero; neque maiori brevitati in redactione schematis consultum est, neque idearum quaedam profusior repetitio vitata — cf. v. g., nn. 5 ad 8 cap. I — quae, aliunde, directe tractandae erunt, ut in propriis locis, in aliis schematibus, puta: *de Ecclesia, de Sacramentis...*

b) Gravior autem est, siquidem ipsam doctrinae veritatem tangit, quidam loquendi modus nimis ponderativus, ne dicamus exaggeratum, qui et Concilium Oecumenicum dedecet, et nocere posset fini ipsi quem persequimur, promovendi inter christifideles S. Liturgiae debitam — at aequam — aestimationem. Sic, in

n. 10 cap. I, Liturgia esse dicitur: « culmen, ad quod actio Ecclesiae tendit, et simul fons unde omnis eius virtus emanat ». Culmen vero, seu finis ultimus, ad quod actio omnis Ecclesiae tendit, sanctificatio est et salus animarum ac, eo ipso, maior Dei gloria. Ad hoc omnis Ecclesiae actio ordinatur, et potissimum ipsius Liturgia; quinimmo et ipsa sacramenta. « Sacramenta propter homines ».

Adhuc minus exacte dicitur Liturgia: « fons unde *omnis* eius — actionis Ecclesiae — virtus emanat ». In praecedente n. 9 explicite iam agnoscebatur: « Sacram Liturgiam non explere totam actionem Ecclesiae »; et n. 12 additur: « Vita tamen spiritualis non omnis sacrae Liturgiae participatione continetur ».

Notum sane est, summam ac meritissimam omnium virtutum non esse virtutem religionis, sed caritatem theologicam; nec virtutem religionis reduci ad cultum liturgicum. Sic Pater ille Damianus, sese pro leprosis devovens, vel pia vetula quae privatim, in solitudine pauperrimae capellulae vel intra domesticos parietes, ad Dominum preces continuo effundit, orans « sine intermissione », iuxta apostoli monitum, efficacius forsitan sanctificantur et maiorem Deo gloriam reddunt, quam nonnulli canonici vel monachi in choro psalmodiam decantantes.

Pius XII, in Litteris Encyclicis *Mediator Dei,* sese referens ad quosdam qui « cetera religionis opera neglegenda reputant, quae cum sacra Liturgia arcte non devinciantur et extra cultum publicum absolvantur », asserit (*A.A.S.,* 1947, p. 533): has « circa duplicis pietatis genera — publicum seu liturgicum et privatum — conclusiones... fallaces omnino esse, insidiosas ac perniciosissimas ».

Et infra, loquens de his ipsis pietatis exercitiis, « quae cum sacra Liturgia arcte non coniunguntur », docet (*A.A.S.,* 1947, p. 534) ea esse: « non modo summis laudibus digna, sed prorsus necessaria », ad ipsam, scilicet, authenticitatem et valorem sanctificatricem omnis pietatis religiosae et divini cultus, id est, omnis Liturgiae, ut fusius exponit ipse Summus Pontifex. Notum praeterea est posse christifideles, absque ulla praxi stricte liturgica, ob ipsius practicam impossibilitatem, ut evenit plerisque in *Ecclesia silentii,* et tot fidei confessoribus in vinculis vel in campis dictis *concentrationis* degentibus, posse, inquam, sese sanctificare Deoque gloriam reddere, usque ad supremum martyrii gradum His apparet, quam longe iam simus ab illa affirmatione universali, qua Liturgia dicebatur: « fons unde *omnis* eius — actionis Ecclesiae — virtus emanat ».

Neque veritati consonat quod n. 7 eiusdem cap. I docetur, quod: « omnis liturgica celebratio... est actio sacra praecellenter, cuius efficacitatem eodem titulo eodemque gradu nulla alia actio Ecclesiae adaequat »; nisi id ita intellegatur ut possint dari actus non liturgici qui, si non eodem titulo, utique gradu efficacitatis sanctificatricis et meritoriae, aliis pluribus liturgicis celebrationibus coaequari possint, vel ipsas etiam superare.

Consideretur alius textus ipsarum Litt. Encycl. *Mediator Dei*: cum sermo ibidem fit « de aliis pietatis exercitiis... quae ad sacram Liturgiam districto iure non pertinent », additur (*A.A.S.,* 1947, pp. 586-587); « perniciosam rem egerit ac fallacia plenam, qui temerario ausu assumpserit haec omnia pietatis exercitia reformare, eaque ad liturgicorum rituum rationem ac modos solummodo reducere ».

In his omnibus, nisi fallimur, deprehendere est, ex parte aliquorum liturgistarum, quamdam aequivocam positionem, qua aliud pro alio sumant, seu identitatem statuant inter, ex una parte, opus ipsum Redemptionis Christi, gratiam et gloriam ab ipso nobis promeritas, eius Sacrificium Crucis et proinde Eucharisticum, sacramenta ab ipso instituta — omnia haec certe divina et, in seipsis, valoris et efficacitatis

infinitae — et, ex alia parte, totius huius realitatis supernaturalis applicationem et participationem effectivam in homine et per hominem, in Corpore Christi mystico et per Corpus Christi mysticum, Ecclesiam; quae quidem participatio et applicatio, nedum semper limitatae, frequenter imperfectae sunt, vel etiam negativae et peccaminosae, uti communio Corporis Christi in statu peccati, vel in indigno sacerdote Missa celebrata. Tota illa realitas supernaturalis et divina obiectum sacrae Liturgiae est, circa quod haec versatur; sed etiam obiectum est pietatis, virtutis religionis et cultus privati. Nec licet disparia aequari vel confundere, nec actum christifidelis vel Ecclesiae cum eiusdem obiecto, nec cultum Dei cum ipso Deo.

Totum Opus Redemptionis Christi, nominatim eius Sacrificium Crucis, fons est omnis virtutis supernaturalis vitalis quae datur in Ecclesia et, proinde, efficacitatis sanctificatricis ipsius Liturgiae; sed est pariter fons vitae supernaturalis privatae singulorum christifidelium, non raro cum maiore sanctificatione animarum et gloria Dei, quam secum ferunt plures alii actus stricte liturgici. Nequit ergo dici Liturgia: « fons unde omnis eius — actionis Ecclesiae — virtus emanat ».

Certe, si nomine et conceptu Liturgiae omne illud intellegatur, seu omnis illa actio vitalis supernaturalis, quae in Ecclesia procedit, tamquam ex fonte, a dicto Opere Redemptionis Christi, tunc quidem Liturgia dici posset, non proprie fons, sed ipsa actio seu vita supernaturalis in Ecclesia Christi. At talis amplitudo nominis et conceptus Liturgiae aliquid incongruum videretur; cum, ex una parte, tota res ad quaestionem de nomine redigeretur et, ex alia parte, negatio esset ipsius Liturgiae, prout hae nobis proponitur ut aliquid distinctum ab aliis actibus, et modis, et exercitiis vitae christianae, asceticae et mysticae, quae ut privata et non liturgica traduntur.

Paucis verbis: aut actio liturgica, quae totam suam virtutem ab Opere Redemptionis Christi sumit, specifice distinguitur ab illis omnibus actionibus et exercitiis, quae in Litt. Encycl. *Mediator Dei* tam instanter et gravissimis verbis laudanda, immo necessaria, et ut a liturgicis distincta nobis proponuntur, quaeque etiam totam suam virtutem supernaturalem ab ipso Opere Redemptionis sine dubio accipiunt; aut non.

Si nulla est specifica distinctio, nulla erit specifica praecellentia unius prae aliis; nec est cur immoremur in quaestione de nomine. Si vero est specifica distinctio, cum ambae duae species actionis et supernaturales sint et ab eodem fonte Redemptionis Christi virtutem recipiant, non potest dici de una qualibet earum, quod fons sit: « unde *omnis* eius — actionis seu vitae supernaturalis Ecclesiae — virtus emanat ».

Ex his omnibus, quae ampliari adhuc possent multiplici auctoritate et ratione, censemus verba allata ex n. 10 cap. I esse tollenda; ac, simul, nonnullae aliae locutiones, quae ipsam exaggerationem sapiunt, et veritate seu praecisione theologica minime splendent.

19

REV.MUS P. D. ALOISIUS AEGIDIUS GAVAZZI
Abbas ord. coadiutor Sublacensis

Benignitas Summi Pontificis Pauli VI feliciter regnantis dignata est attente considerare positionem meam, i. e. abbatis coadiutoris c.i.f.s. exc.mi abbatis Ordinarii Sublacensis (« cum omnibus — tamen — facultatibus et officiis quibus Ordi-

narii in sua quique ditione fruuntur »), et adnumerare me, etsi personaliter indignum, inter Patres Concilii Oecumenici Vaticani II.

Puto igitur officium meum esse, si adhuc tempus erit, ex experientia I sessionis Concilii, cui interfui benignitate Summi Pontificis f. r. Ioannis XXIII (qui me inter peritos computavit), propositiones aliquas facere etiam super schema de Liturgia, quod mihi videtur adhuc modificari posse, si non ex discussione, saltem ex propositione subiicienda voto Patrum Concilii.

In I sessione, tristis factus sum ex consideratione extremae difficultatis conciliandi thesim de introducendo vulgato sermone in sacram Liturgiam cum thesi contraria.

Sed puto quod, si (intactam servando Missam sollemnem cum suis ingentibus divitiis versiculorum praecipue gradualium necnon Alleluja cantus gregoriani) declararetur Missa contineri inter antiphonam Offertorii (quae tamen recitabitur cum psalmo vel psalmis selectis comitantibus fideles accedentes ad altare cum muneribus) et antiphonam Communionis (quae similiter recitabitur cum psalmo vel psalmis bene inspirantibus fideles communicantes), idest reduci ad orationes fere omnes secretas, nemo velit sustinere thesim de introducendo vulgari sermone in Missam.

Tota Missa sic dicta cathecumenorum convenienter declararetur Synaxis Didactica et esset tota vel fere tota vulgari sermone expressa; absolute separata a Missa, constaret ex lectionibus, cantibus, sermone et etiam collectis; et esset de praecepto semel in hebdomada.

Sic provideretur duplici obligationi fidelium: idest obligationi cultus et obligationi se instituendi in doctrina catholica; et sic evitaretur defatigatio fidelium, qui hodie aegre ferunt manere in ecclesia plus quam semihoram; et melius consuleretur institutioni fidelium, quia ad hanc provideretur, unice vel fere unice, vulgato sermone. Et sic centrum Liturgiae, nimirum Sacrosanctum Sacrificium Missae manebit semper intactum materialiter et formaliter, expressum sermone latino, i. e. sermone ut aiunt « mortuo » et ideo invariato semper manente.

Necessitas erudiendi fideles evidenter est extremi momenti: in conferentia episcopali, cuius indigne membrum sum, Latii Inferioris, quidam ex nostris quaestionem agitabant, ante celebrationem I sessionis Concilii, de opportunitate urgendi de obligatione adsistendi Missae diei festi, cum fere nonaginta fideles pro centum nihil intelligunt de actione cui adsistunt; et cogitabant nisi potius necesse esset obligandi fideles ad institutionem dominicalem quamdam in doctrina catholica. Censeo meam propositionem esse responsum validum ad hanc quaestionem.

Si Synaxis Didactica bene elaborabitur, puto meam propositionem perlibenter receptum iri inter fideles, qui hodie abhorrent a traditionalismo (quod interpretantur pharisaeismum) et cupiunt rationabilitatem eorum actuum.

Praeterea puto hanc propositionem animo prompto paratoque receptum iri inter Fratres separatos etiam: si bene legi opusculum ab Abbatia Benedictina Anglicana editum Nashdom, Missa lecta (low Mass) ibi non amplius protrahitur ad quadrantem, et ideo necesse est ut contineatur inter Offertorium et Communionem, sublata omnino Missa catechumenorum. Et Synaxis fere omnium religionum separatarum occidentalium est quaedam synaxis didactica potius quam sacrificalis. Existimo quoque hanc considerationem in athmosphaera oecumenistica Concilii futuram esse magni momenti.

Ultima consideratio forsan non despicienda: puto brevitatem Missae sic dictae privatae persuasuram esse sacerdotibus celebrantibus ad maiorem devotionem.

Confiteor, em.mi ac exc.mi Patres, meum ruborem ob audaciam propositionis meae, sed peto veniam: unice proposui ad bonum, ut mihi videtur, Ecclesiae; et libenter accepto humiliationem meam, si propositio mea despecta foret, ad propitiandam effusionem Sancti Spiritus super venerabili sessione Concilii.

20

EXC.MUS P. D. IOSEPH MARCUS GOPU

Archiepiscopus Hyderabadensis

Quaesito generali circa modos prooemium et cap. I respicientes suffragium tuli « placet ». Sed benigne concedas mihi licentiam aperiendi mentem meam quoad art. 18 cap. I, *de sacra Liturgia.*

Usus verbi « saeculares » in lin. 6, pag. 33, fasc. « Modi » I mihi nullatenus placet. In textu originali schematis (art. 13) invenitur verbum « dioecesani ». Hoc verbum mutatum esse videtur, quia unus solus Pater proposuit hanc mutationem: quod non demonstrat mentem Patrum conciliarium in genere. Insuper, tempore suffragationis hoc verbum erat impressum litteris inclinatis et non in maiusculis in textu emendato. Sola verba maiuscula suffragationi subiiciebantur. Atqui ex undique auditis Patrum commentariis mihi persuasum est perpluribus non placere expressio « sacerdotes saeculares », sed e contra valde placere expressio « sacerdotes dioecesani ». Ego ipse, iuxta consilium permultorum Patrum, et in nomine plurium quam 40 Patrum ex utroque clero (qui interventui meo subscripserunt) verba feci in aula conciliari die 31 novembris 1963, quando agebatur de cap. IV schematis *de Ecclesia,* optimas afferens rationes pro abolenda expressione « sacerdotes saeculares » et pro adoptanda expressione « sacerdotes dioecesani ». Multi, permulti Patres gratum animum manifestaverunt in favorem huius propositi opportuni. Immo, ipse Summus Pontifex usus est verbis « sacerdotes dioecesani » in sua Allocutione die 4 nov. 1963 habita in Basilica S. Petri et iterum die 10 nov. in Basilica Lateranensi.

Rationes iustificantes expressionem « sacerdotes dioecesani » valde praevalent rationi allatae a commissione pro expressione « sacerdotes saeculares » in fasc. « Modi » I nobis benigne distributo. Usu expressionis « sacerdotes dioecesani » nullo modo implicatur derogatio statui sacerdotum religiosorum, sed aptius connotatur vera natura status sacerdotum non-religiosorum.

Quae cum ita sint, enixe rogo ut commissio conciliaris *de sacra Liturgia,* quae tam bene hoc schema exaravit, benigne annuat supradicto voto meo, quod concordat cum mente perplurimorum Patrum Conciliarium atque cum desiderio innumerabilium sacerdotum ubique terrarum. Maximas gratias.

21

EXC.MUS P. D. MICHAEL IOSEPH GREEN

Episcopus tit. Trisipensis, aux. Lansingensis

At the recent Bishops Meeting in Chicago it was suggested that we communicate directly with you regarding the feelings of the clergy throughout the Diocese about the possibility of having the Breviary recited in the vernacular.

Since returning from the Council I have had occasion to travel to all parts of the Diocese for Confirmations and other episcopal functions. During these months I have spoken with all of the priests. While all of them were intensely interested in all of the phases of the work of the Council it was extremely interesting to discover their feelings regarding the possibility of reciting the Breviary in the vernacular. I dare say that the one question asked most frequently was " Will we be able to recite the Breviary in the vernacular? "

I do not wish to impose upon Your Eminence by reciting the various reasons for this concern on the part of our clergy. You are well aware of them I know. The purpose of this letter is to inform you as to the thinking and desires of the priests of this Diocese. I might add, too, that in my travels around the Country I found a similar anxiety on the part of almost every priest with whom I came in contact.

22

EXC.MUS P. D. HENRICUS IOSEPH GRIMMELSMAN

Episcopus Evansvicensis

The " Liturgical Movement " has been suggesting changes in the rite of celebrating Holy Mass that appear to be too drastic. It is easy to change without improving, to reject ceremonies long honored and loved by our people for the sake of others that have little merit beyond their newness. We question the over-emphasis on the " lay priesthood " and on forms of togetherness of priest and people that tend to lessen the sacrificial character of the Mass in favor of a sacrificial meal. In the United States Protestant sects have found this form of church services fails to increase attendance by their adherents, while Catholic churches that stress the sacrificial character of the Mass are always crowded on Sundays.

Rites and ceremonies are externals and religious are now tending to overrate their pastoral effectiveness. Nor are ceremonies patterned by religious for their chapels always the best suited for Christians living in the world and attending Mass in large and crowded churches.

23

EXC.MUS P. D. AEMILIUS GUANO

Episcopus Liburnensis

Opportunum videtur magis explicite, et quidem ab initio, in lucem ponere aspectum latreuticum liturgiae. Qui aspectus semper attendendus est, sed nostris praesertim temporibus, cum facile homines attentionem ad res externas et mundanas nimium ponant, et, quin Deum totaliter recusent, ipsum tamen suum ultimum finem esse obliviscantur.

Emendationes proponuntur sequentes.

Ad prooemium n. 1 ad lin. 2; post verbum « proponat » et ante verbum « vitam » inseratur: « *gloriam Dei magis magisque promovere per amorem et laudem totius familiae christianae, immo totius generis humani* ».

N. 2 ad lin. 2; post verbum « Sacrificio », et ante verbum « *opus* » inseratur « *debitum amoris et laudis digne Deo exhibetur et* ».

Ad cap. I n. 5 lin. 6; post verbum « unctum » et ante verbum « ad evangelizandum », inseratur: « *ad Patrem clarificandum* ».

N. 9 lin. 23; post verbum « cognoscant » et ante verba « et a viis suis », inseratur: « *adorent, diligant,* ».

Post n. 25 vel post n. 40 addendae putantur: « *Normae ex aspectu latreutico et sacrali liturgiae* ».

a) In instauranda sacra liturgia et in formatione liturgica cleri et populi christiani ratio semper habeatur non solum de indole didactica et pastorali liturgiae, sed praesertim de ipsius ordinatione in laudem Dei et de Dei praesentia in ipsa liturgia operantis et viventis.

b) Foveatur igitur inter fideles, quantum fieri potest, intelligentia sacrorum rituum et ad eos attentio, necnon sensus mysterii et praesentiae Dei, ex quo sensu scatere debet summe devota et filialis Deo reverentia cordis et corporis.

24

Exc.mus P. D. PAULUS J. HALLINAN
Archiepiscopus Atlantensis

As you will recall, many bishops requested that Chapter IV of the schema, *de sacra Liturgia,* include the provision that priests bound to the obligation of the Divine Office be allowed the option of using either the latin language or the vernacular language. The reasons given were: *a*) the spiritual profit to the priest; *b*) a more thorough understanding of the Church's public prayer; and *c*) the pastoral utility resulting from greater familiarity with scriptural and patristic passages for use in sermons, catechetics, and other instruction of the faithful.

Among the prelates expressing the almost unanimous desire of the Bishops of the United States was His Eminence, Francis Cardinal Spellman, who stated on November 9th, 1962: « Interna animi devotio, quae aegre habetur cum verba sine mente tantum recitantur, clericis necessaria est, non solum ut rite adimpleant munus Deum publice laudandi nomine totius Ecclesiae, in bonum totius Ecclesiae, sed etiam ut sobrie et pie vivant inter tot mundana pericula ».

Again, this desire was expressed by His Excellency, Bishop William Connare of Greensburg, Pennsylvania. He favored the option of the vernacular language because: 1. « Tale privilegium magno emolumento esset vitae spirituali horum sacerdotum, quibus sacrae divitiae Breviarii nunc latent sub velo linguae latinae... Hoc in Concilio audiatur vox piorum sacerdotum per vocem episcoporum eorum. Haec vox clare petit ut " Divinum Officium " facilius et perfectius peragatur... ». 2. « ... esset vitae pastorali horum sacerdotum... multum iuvat si sacerdos sacras divitias e Breviario exhaurit in eadem lingua qua eas populo tradit ».

This text is completely unsatisfactory to the majority of the Bishops of the United States because it in no way corresponds to the problem described by the Fathers of the Council in the debate on the subiect. The concession was sought for the clergy of large areas—not individual cases—and for spiritual and pastoral reasons, not for the reason of ignorance. Furthermore, the negative and condescending tone of the article is offensive to many bishops, and out of touch with the whole stress of the Liturgical Schema on the value of the Church's public prayer, and not the value of a particular language.

I urgently request, on behalf of the majority of the Bishops of the United States, and I am certain, of many bishops of other lands, that this matter be re-examined at the preliminary meeting of the Commission on the Sacred Liturgy to be held September 27-28, 1963. I further propose that instead of the paragraph just referred to, the emendation made in the aula, on November 9, 1962, by His Eminence, Albert Cardinal Meyer, be submitted to the members of the Commission for discussion and vote: « Iuxta saecularem traditionem occidentalis Ecclesiae, Officio Divino lingua latina clericis servanda est. Attamen, maioris pietatis causa, in privata recitatione liceat adhibere versionem probatam in lingua vernacula ».

When Cardinal Meyer proposed this, he called particular attention to the phrase « maioris pietatis causa » and he rejected the phrase « ex defectu cognitionis linguae latinae », adding that in his opinion, many who excel in the Latin language would receive such a permission with joy.

It will be a pleasure to join again with the members of the Commission, under your presidency, on September 27th at the Hospice of Saint Marta. I earnestly request that this matter, described above, be given full consideration. It is of the utmost concern to the majority of the Bishops of the United States, as evidenced in the excerpts of letters which I have received from them, and which I forward to you.

25

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS JOP

Episcopus tit. Dauliensis

Quidam sacerdotes Poloniae deposuerunt mihi votum, Concilio Oecumenico in scriptis tradendum, humiliter rogantes, prout in adnexo folio expositum est, ut in Sacrificio Missae Sacra Species Panis ab Offertorio usque ad Communionem non super corporale, sed super patena asservari posset ad vitandam involuntariam quidem, sed valde probabilem fragmentorum Hostiae profanationem.

Votum hisce litteris adiunctum et ad Commissionem Postconciliarem dirigendum honori mihi duco Excellentiae Vestrae rev.mae tradere.

Insimul humiliter proprio iam nomine rogo, ut in novo Ordine Missae post Concilium parando, quantum possibile sit, sequentes innovationes fiant:

1. Ut omittatur infusio ante Offertorium aquae, vino miscendae. In nostris regionibus, ubi difficilis sit acquisitio vini, minima adhibetur in Missa copia huius speciei; tempore vero belli vel aliarum difficultatum, quae occurrunt, parum possibilis evadit emptio vini de vite; ea vero vina de vite, quae apud nos venduntur, aliquando iam a venditoribus additam aquam continent. Si adhuc in ritu Missae celebrandae sacerdos, Sacrificium offerens, aliquam copiam aquae infundit, dubium obvenire potest, num vinum, debita proportione cum aqua mixtum, in Missa adhibeatur. Scio hunc ritum antiquum esse, sed forsan in rubricis Missae saltem licentia dari possit, ut in regionibus septemtrionalibus aqua non adhibeatur in casibus, cum parva vel minima copia vini ex necessitate et deficientia huius materiae in calicem infunditur.

2. Secunda humilis mea propositio est, ut omittatur fractio Hostiae consecratae in Sacrificio Missae post verba Canonis « Libera nos... » hucusque facienda. In nostris regionibus non tam humidis, quam Italia, Anglia vel Gallia, cum hostia praesertim recenter confecta tempore hiemali vel aestivo, quando minima humiditas

aeris habetur, in Sacrificio Missae frangitur, multae particulae parum visibiles sparguntur super mensam et etiam super altare, ut nullimodo colligi possint; hoc quidem fit etsi maximae et opportunae cautelae ex parte celebrantis adhibeantur.

Certe, Iesus Christus panem Eucharisticum « fregit deditque discipulis suis », sed hoc ex necessitate fiebat, nempe panem consecratum inter apostolos dividendi, quae necessitas hodie non occurrit, nam suscipientibus S. Communionem distinctae parvae hostiae consecratae distribuuntur, maxima vero reverentia Eucharistiae debet suadere, ut haec fractio Corporis Christi in Sacrificio Missae omittatur.

3. Deinde humiliter rogo, ut sacerdotibus die Nativitatis Domini, aut Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, vel ex speciali licentia aliqua alia die bis vel ter Missam celebrantibus, liceat duas ablutiones in purificatione calicis post primam vel secundam Missam etiam adhibito vino factas sumere, etiamsi sine intermissione celebrent.

4. Tandem, ut in Breviario Romano Commune plurium Confessorum Pontificum, plurium Confessorum non Pontificum, plurium Virginum et plurium non Virginum deleatur, relictis solis mutationibus in oratione pro his festis designata in Communi pro uno ex super enumeratis sanctis et in suo tenore distincta ab oratione pro sanctis numeri singularis.

5. In fine rogo, ut restituatur in Breviario invocatio « Dominus vobiscum » omnibus orationibus praemittenda et ita quidem, ut non amplius respondeat sibi sacerdos verbis « Et cum spiritu tuo ». Breviarium est oratio publica et etsi fideles non sunt praesentes, sacerdos orat nomine Ecclesiae, orat pro populo fideli et pro membris Ecclesiae quamvis non praesentibus: debet ergo dicere hanc salutationem Ecclesiae orantis: « Dominus vobiscum ». At non respondet sibi, quia responsum dare spectat ad populum, vel ad ministros, aut ad ministrantes prout in Missa fit.

6. In lectionibus historicis Matutini, ubi describitur vita alicuius sancti, ut semper indicetur tempus, quo sanctus vixit, saltem saeculum, et melius — annus a quo vivebat et annus quo obiit.

* * *

In ritu celebrationis Missae ab Offertorio usque ad Communionem *proponitur asservatio Hostiae in patena non autem in corporali. Rationes*:

1. Licet magna cum diligentia et cautela Sacrificium Missae peragatur, quaedam seiuncta fragmenta Hostiae, propter nimiam panis fragilitatem, in corporali consuete inveniuntur.

2. Post « Pater noster » sacerdos patenam Hostiae submittit et ponit eam in loco Hostiae atque seiunctorum fragmentorum, et tunc parva fragmenta in corporali derelicta attinguntur inversa et quidem impurificata parte patenae.

3. Post Communionem sacerdos tenetur diligenter advertere, ne aliquod fragmentum quantumcumque minimum remaneat super corporale: et si quod fuerit, tenetur in calicem reponere. (Ritus servandus in celebratione Missae X nn. 5 et 6). Sed alba fragmenta Sacratae Speciei, praesertim haec minora, super album corporale minime sunt sensibus obvia, et propter notabilem crassitudinem laminae patenae et propter asperitatem texturae corporalis haud cum patena colliguntur.

4. Fragmenta intra texturam corporalis remanentia tempore complicandi corporale transferuntur ex anteriore parte corporalis in eius partem mediam ubi solito calix collocatur aut pyxis ante et post sacram fidelium Communionem ponitur et hac occasione sacrata fragmenta pede calicis seu pyxidis calcantur.

5. Maxima erga sacratas Species reverentia postulat etiam minimam particulam cautissime asservare. Facilius et efficaciter sacrata fragmenta tutabuntur in aurata superficie patenae quam in aspera textura corporalis.

6. Olim sacratae Species consuete in plicato corporali asservabantur, hodie autem in pyxide, quia aurata eius superficies diligentem purificationem fovet. Simili modo reservatio Hostiae supra patenam et quidem ab Offertorio usque ad Communionem integrae purificationi favet et tutum praestat sacrata fragmenta ab periculo dispersionis.

7. Olim tempore Communionis fidelium ad praestandam securitatem solummodo linteo utebatur, hodie praeterquam velo etiam speciali patena utitur et experientia docet plura fragmenta potius ope patenae quam ope lintei asservare et colligere.

8. Valde convenit ut caro sindone involvitur aut supra linteum deponatur, sed alia est species carnis et alia species fragilis panis in Corpus Christi immutati, inde in decursu temporum saepius pyxide utebatur loco corporalis atque patenae loco lintei et omnia haec ad maximam reverentiam erga Sanctissimum asservandam.

26

Exc.mus P. D. IACOBUS KOMBA

Episcopus tit. Thignicensis, aux. abb. null. Peramihoensis

Votum « placet iuxta modum ». Desideratur ut « Textus in schemate propositus » quoad cap. I, n. 18: de vita liturgica sacerdotum, remaneat uti in textu originali, scil. distinctio inter sacerdotes dioecesanos et religiosos, ratio est vocabulum « saecularis (sacerdos) » male sonat hisce temporibus et fit incitamentum psychologicum pro sacerdotibus dioecesanis ut se in negotiis saecularibus implicent, cum cogitent se non oportere esse « religiosos » sed homines huius saeculi. Oportet etiam sacerdotes sic dictos « saeculares » religiosos esse eo sensu quo homo « religiosus » vocatur cum vitam suam Deo serviendo dedicet, secus vocatur homo votis adstrictus. Ni fallor distinctionem inter sacerdotem dioecesanum et religiosum optatam esse a saeculo elapso ad praesens saeculum ex experientia pastorali. Porro in novo Codice Iuris canonici recognoscendo permulti expectant vocem « sacerdos saecularis » mutaturam esse in vocem « sacerdos dioecesanus ».

27

Exc.mus P. D. CYRILLUS KURTEFF

Episcopus tit. Briulitanus

Doleo me non adfuisse primae sessioni Concilii Vaticani II nec recepisse « Schemata Constitutionum et Decretorum de quibus disceptatur in Concilii sessionibus » — series prima — et praesertim cap. III « De Sacramentis et Sacramentalibus » ut meas animadversiones circa haec themata conficere possim, et maxime circa ministrum extraordinarium sacramenti Confirmationis de quo in schemate initiali art. 55 n. 71 circa « Emendationes a commissione conciliari de sacra Liturgia examinatas et propositas » nihil dicitur.

In omnibus Ecclesiis orientalibus generatim sacerdotes parvulos baptizantes

simul conferunt sacramentum Confirmationis seu unctionem sancti Chrismatis. Hoc etiam accidit in Bulgaria apud sacerdotes dissidentes et apud catholicos ad ritum Byzantinum-Slavum pertinentes. De valore ac de liceitate huius praxis iam a primis saeculis in Ecclesiis orientalibus instauratam, nemo dubitat.

Concilium Tridentinum definivit: Solum episcopum esse ministrum Confirmationis. Tamen in Ecclesia latina S. Sedes simplicibus sacerdotibus habentibus aut non curam animarum, facultatem administrandi sacramentum Confirmationis magis magisque in certis circumstantiis concedit, iuxta C.I.C.; et theologi affirmant hanc potestatem non concedi nisi delegatione Summi Pontificis, qui sibi reservavit hoc ius.

Nihilominus est exceptio in Ecclesiis orientalibus apud simplices sacerdotes Bulgaros, insulae Cypri apud Italos-Albanenses et insularum adiacentium. Etenim, quod ad Bulgaros attinet, S. Pontifex Nicolaus I hanc potestatem ob causas historicas — quod hic longum esset exponere — simplicibus Sacerdotibus abduxisset in territoriis tunc componentibus nationem Bulgaram et comprehendentibus Bulgariam septemtrionalem seu Mesiam et partem Macedoniae illo tempore Bulgariam dictam.

A. 1204, sub Innocentio III tempore promulgationis Unionis Ecclesiae Bulgariae cum Ecclesia catholica, haec potestas episcopis solummodo reservabatur.

Summus Pontifex Benedictus XIV sese referens ad Nicolaum I, hanc prohibitionem quoad Bulgaros renovavit (cf. *Etsi Pastoralis* a. 1742). Sanctum Officium die 5 iulii 1853 (cf. *Fonti C.I.C.*, II, 169) decrevit conversos ad Ecclesiam catholicam, provenientes a Bulgaria, ab insula Cypri ac Italos-Albanenses iterum et absque conditione confirmari. Hoc decretum igitur tenet confirmationem, saltem a sacerdotibus non catholicis administratam, in illis regionibus validam non esse. Ergo, vi huius decreti Sancti Officii, in Bulgaria, episcopi latini confirmant absque conditione omnes conversos ad Ecclesiam catholicam.

Sed ab a. 1860, prorsus alia fuit praxis apud Bulgaros-Unitos Ecclesiae catholicae, et hoc speciatim in duobus vicariatibus apostolicis Thraciae et Macedoniae, qui, post bella balkanica, congregantur in Exarchatu Apostolico Bulgariae, quem ego in Concilio Vaticano II repraesento. Etenim, ab a. 1860, hoc decretum ut sine valore consideratur, et neque episcopi, mei antecessores, neque sacerdotes, nunquam novos conversos ad Ecclesiam catholicam reconfirmarunt, sive absolute sive sub conditione. Omnes praedecessores mei, incipiendo a primo, Ioseph scil. Sokolski, Romae in capella Sixtina consecrato a Pio IX, non fuerunt et ipsi reconfirmati, licet baptizati fuerint in Ecclesia dissidenti; hoc etiam accidit episcopis Raphaeli Popov, Michaeli Petkov, Lazaro Mladenov, Epiphanio Schanov, Ioanni Garoufalov et mihimetipso.

Cum haec res sat complexa esset, rogavi Congregationem pro Ecclesia Orientali, ut nobis praeberet normam procedendi in futurum, et num adhuc tenebamur observare decretum S. Officii, a. 1853, sed quod iam ab anno 1860 non observatum erat.

Post decem annos circiter, S. Congregatio, consulto S. Officio, responsum dedit: « Potestis non reconfirmare novos conversos ». Consequenter, quaestio de validitate sacramenti Confirmationis a simplicibus sacerdotibus Ecclesiae Bulgarae dissidentis administrati, saltem dubia adhuc remanet.

Ergo, si sacramentum Confirmationis, non solum a simplicibus sacerdotibus dissidentibus, sed etiam a catholicis dispensatum, tanquam invalidum ab Ecclesia

catholica putaretur vi decreti S. Officii a. 1853, sequeretur ergo quod magna multitudo fidelium per decem saecula invalide recepisset hoc sacramentum. Et si notitia huius facti publica evaderet, magna indignatio contra Ecclesiam catholicam nasceretur in Bulgaria et tunc in hoc esset certo certius magna difficultas pro unione Bulgarum cum Ecclesia catholica.

Haec discriminatio relate ad Ecclesias orientales catholicas aut dissidentes, scil. graecam, russam, serbam, rumenam etc., nequit dari in ditione in qua catholici parvum numerum constituunt et cuius Ecclesia pertinet ad Ecclesias orientales et gubernatur ab uno patriarcha. Hoc est anachronismus vero sensu.

In Bulgaria modus agendi duplex est et dispar. Ex una parte, episcopi latini, vi decreti S. Officii a. 1853, reconfirmant absolute, et sine conditione, omnes conversos ab Ecclesia Pravo-Slava dissidente. Ex altera autem parte, episcopi Bulgari ritus Byzantini-Slavi et simplices sacerdotes nunquam reconfirmaverunt novos conversos ad Ecclesiam catholicam. Atqui hic agitur de validitate Sacramenti, ergo de quaestione dogmatica. Si haec disparitas in modo agendi usurpata a hierarchia catholica, in hac materia validitatis unius sacramenti, iam evulgata esset apud fratres nostros disiunctos Bulgaros Pravoslavos, tunc esset pro illis causa stuporis immo et scandali.

A. 1930, S. Officium interrogavit nos: « Cur, aiebat, vestra Ecclesia non observat decretum S. Officii, sicut episcopi latini faciunt? ». Ego respondi quod hoc decretum neque pro conversionibus collectivis neque pro singulis ullo modo observatum fuit ab anno 1860 usque nunc. Quod si hoc decretum ignoraretur, aut saltem si de illo non loqueretur, hoc esset ad intentionem difficultatis tollendae pro convertendis ... eo magis quod Patriarchatus Constantinopolitanus anathematizavit, tanquam schismaticos Bulgaros efformantes Ecclesiam nationalem separatam a Patriarchatu Constantinopolitano et illos ut non confirmatos tenebat, quia non habebant S. Chrisma benedictum a patriarcha, qua benedictione spoliati erant usque ad a. 1953. Etenim dissidentes Byzantini tenent patriarchas tantum posse benedicere S. Chrisma, et hoc ad validitatem sacramenti.

Conclusio. Ad tollendam semel pro semper hanc anomaliam cum omnibus gravissimis sequelis pro catholicis ritus Byzantini-Slavi in Bulgaria et pro septem millia millium Bulgarorum dissidentium et etiam pro catholicis ritus latini, non intelligentibus hanc diversam praxim in administratione sacramenti Confirmationis, puto — salvo meliori iudicio — Concilium posse, speciali decreto super art. 71 schematis Liturgiae, determinare quod:

Cum, iuxta doctrinam Concilii Tridentini, episcopus solus sit minister ordinarius sacramenti confirmationis, et cum, ex alia parte, in legislatione canonica, qui habet potestatem ordinariam possit semper illam delegare, et tandem, cum in Ecclesiis orientalibus, haec potestas delegandi nunquam, neque expresse, neque tacite, coarctata sit a Summo Pontifice; ergo sequitur episcopos orientales semper habuisse potestatem, et habere nunc et in futurum, delegandi facultatem confirmandi suis sacerdotibus.

Ergo simplices sacerdotes tam dissidentes quam catholici probabiliter sacramentum confirmationis valide administraverunt vi illius delegationis suorum episcoporum et hoc possunt valide facere in posterum, sicut in decursu historiae factum fuit apud Ecclesias orientales dissidentes aut Ecclesiae catholicae unitas inde ab anno separationis 1054.

28

EXC.MUS P. D. CORNELIUS LUCEY

Episcopus Corcagiensis et Rossensis

Quaedam verba in textu emendato constitutionis *de sacra Liturgia* mihi videntur falsam doctrinam innuere. Quapropter votum « placet iuxta modum » de capite protuli. Verba inveniuntur in n. 7. En verba: « Praesens adest (Christus) in Missae Sacrificio cum in ministri persona tum maxime sub speciebus eucharisticis, etc. » (pag. 7, linn. 1-4).

Falsa doctrina quae innuuntur est quod praesentia Christi sub sacris speciebus est eiusdem generis ac eius praesentia in persona ministri offerentis.

Panis et vinum in Missa transubstantiationem patiuntur ita ut amplius non existunt sed in eorum loco Christus est vere, realiter et substantialiter praesens; minister non est transsubstantiatus. Ideoque praesentia Christi in ministro et eius praesentia in Sacris Speciebus non sunt eiusdem ordinis — differunt essentialiter inter se, non mere « maxime » quod est in gradu sed in pleno sensu verbi « praesens ». Praesentia est vera, realis et substantialis sub Speciebus, i. e. univoca; alio modo, analogice forsitan, in ministro.

Verba, quum speciem falsae doctrinae habeant, periculosissima pro doctrina realis praesentiae esse mihi videntur, quam speciem usus verbi « maxime » augere potiusquam minuere videtur.

Forsitan textus emendari possit ut sequuntur: « Praesens adest in Missae Sacrificio cum *vere, realiter et substantialiter* sub Speciebus Eucharisticis, tum in ministri persona, idem nunc offerens, etc. ». Huiusmodi emendatio est minima quoad turbationem textus sed, ut opinor, minima quoad doctrinam veram a periculo falsae interpretationis custodiendam.

29

EXC.MUS P. D. CAROLUS GARRET MALONEY

Episcopus tit. Capsitanus, aux. Ludovicopolitanus

Propter rationem, quae satis gravis mihi apparet, notitiam quaero de processu quo Patribus Concilii alia emendatio cap. I *de sacra Liturgia* proponi possit.

Declaratio, quae occasionem huic petitioni praebet, in novo num. 10 cap. I invenitur et sic sonat: « Attamen Liturgia est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat ».

Verba haec per emendationem in constitutionem inducta sunt. Schema originale ita legebatur: « Liturgia... est tamen, in suo centro, quod est divinum Eucharistiae Sacrificium, ... fons a quo omnia procedunt ».

Liturgia, quae res satis heterogeneas complectitur, dici potest medium per quod vita divina hominibus variis modis communicatur (cogita benedictionem apparatus ad incendium exstinguendum), sed imprudenter, sin minus erronee, dicitur fons unde omnis virtus (actionis?) Ecclesiae emanat.

Verum est ea, quae immediate praecedunt et sequuntur hanc declarationem, eam aliquo modo temperare, immo in n. 12 dari modicam capitis inclinationem aliis vitae spiritualis exercitiis. Attamen, perperam intellegetur hoc dictum univer-

sale et ansam erroribus praebebit, dum alia quae ibi dicuntur oblivioni tradentur. « Sensationalismum » sapere videtur, qui in Concilio locum non meretur.

Sacrificium Missae est sacrificium verum sed relativum. Tota eius virtus ex Sacrificio Crucis provenit, quod merito fons dicitur.

Quae cum ita mihi videantur, peto ut verba sequentia de constitutione deleantur: « et simul fons unde omnis eius virtus emanat ».

30

Rev.mus P. D. CAROLUS MANSFELD
Praefectus generalis M.I.

Art. 130 ita sonat: « Convenit ut usus pontificalium reservetur illis ecclesiasticis personis, quae, aut charactere episcopali, aut peculiari aliqua iurisdictione gaudent ». *Quaeritur*:

1. Utrum in posterum usus pontificalium fore ut negetur non solum praelatis protonotariis sed etiam illis abbatibus, qui nec charactere episcopali, nec aliqua iurisdictione gaudent quique « Ordinarii » non sunt?

2. Superioribus generalibus Ordinum exemptorum, qui pro suis subditis vera iurisdictione fruuntur ac ut Ordinarii ab Ecclesia recognoscuntur, utrum in posterum concedendus sit usus pontificalium ad mentem articuli supra dicti?

Propositio: Cum haec posterior interpretatio, probabiliter, non erat in intentione Commissionis, proponitur quod art. 130 clarius redigatur.

Ad superiores generales quod attinet, nemo certe ad usum pontificalium, abbatibus concessum, adspirat: attamen considerationis dignum videtur si qua distinctio (v. g. crucis pectoralis non pretiosae, formaque simpliciori) concedi possit, durante munere tantummodo. Ratio est quod et forma exterior, quamvis accidentalis, melius conferire videtur ad maiorem auctoritatis aestimationem atque ad oboedientiae exercitium, quod, nunc temporis magni ponderis est. Quae concessio magis Ordinibus, numero religiosorum maioribus interesset e. g. Praedicatorum, Fratrum Minorum, Cappuccinorum etc.

31

Exc.mus P. D. IOANNES B. PARDINI
Episcopus Aesinus

Episcopus subsignatus factum significandum putat quod sibi videtur exercuisse influxum in exitum suffragationis super cap. IV schematis *de sacra Liturgia*: folium ab eiusdem commissionis de sacra Liturgia membris subsignatum inter Patres conciliares diffusum est, quo suasum erat Patribus ut suffragium ferre vellent affirmativum...

Propter hoc Patres quamplures anxii erant ante suffragium, et anxiores sunt postea, circa exitum illius suffragationis, eo quod practice « Horae minores » abolitae sunt, et sunt anxii praesertim circa quod attinet ad art. 89 sub littera *d*) et *e*).

Igitur subsignatus pater conciliaris submisse rogat commissionem ut velit totum art. 89 denuo examinare et iterum Patribus proponere ut in aula novae subiiciatur suffragationi, qua forsan obligatio recitandi omnes « Horas minores » affirmetur.

32

Exc.mus P. D. AUDINUS RODRIGUEZ Y OLMOS
Archiepiscopus S. Ioannis de Cuyo

Fortasse propositio mea apparebit aliquantulum extranea eo quod a tritis normis discedit. Sed rationabilis videtur, ut statim manifestum fiet.

Propono ut verba consecrationis tam panis quam vini in Sacrificio Eucharistico, eadem lingua dicantur qua usus est Christus Dominus in ultima coena, et ut haec lex extendatur ad omnes catholicos ritus.

Ratio est obvia. In Missae sacrificio verba sacerdotis sunt velut prolongatio in tempore verborum Christi; atque ratio instrumenti nunquam evidentior fit quam in illo momento in quo Deus omnipotentia sua his verbis mediantibus transformat dona oblata in corpus et sanguinem Domini Nostri Iesu Christi.

Hac ergo aetate nostra in qua communicationes inter omnes homines cuiuscumque populi maiorem praebent possibilitatem habitus uniformandi, opportunum videretur ut omnes adhibeamus illa ipsa divina verba.

Per hunc modum coniunctius, ut puto, Christo uniremur Summo et Aeterno Sacerdoti, etiamque uniremur devinctius omnibus totius orbis sacerdotibus, fratribus nostris.

33

Exc.mus P. D. CAROLUS EDUARDUS SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

Commissio iam adhibet terminum « *Unctio Infirmorum* » antequam a Concilio approbetur. Non est rectum. Sacramentum hoc usque hodie Extrema Unctio nuncupatur, nec potest nisi competenti auctoritate aliter nominari.

Nec rectum est in se mutare nomen huius sacramenti.

1. Quia iam a millennio et amplius in Ecclesia usitatum. Traditione et magisterio ordinario consecratum est.

2. Quia non est simpliciter sacramentum infirmorum — (heri vidimus Patres non approbavisse emendationem: in eadem infirmitate Unctio repeti licet) — sed sacramentum pro *extremo* agone christiani.

Probatur ex universali consensu omnium christianorum, necnon sententiae fere communi theologorum, atque doctrina et praxi magisterii ordinarii. *Ecquidem*:

1. Sicut pro primo instante vitae supernaturalis Christus baptismum instituit, ita etiam pro ultimo vitae instanti militis sui, Unctionem sanctam.

2. Extrema Unctio effectum habet plenum in solo ultimo instanti existentiae hominis viatoris. Ita ut, si quis, cum reciperet sacramentum, obicem poneret, postea vero contritus esset, sacramentum plenum suum effectum haberet adhuc, et quidem permaneret usque ad supremum halitum.

3. Unctio ex infallibili ordinario magisterio solummodo in infirmitate gravi, quae est ad mortem, conferri potest. Quare? Quia ad extremum agonem ordinatur.

4. Ex eodem magisterio in novo mortis periculo, sive eiusdem sive alterius gravis infirmitatis, iterari potest. Quare? Quia in primo articulo mortis extrema ago non supervenit.

Ergo ex quo capite consideratur, semper ad extremum dirigitur. Propter hoc

certissime « Extrema Unctio » a populo Dei nuncupata est. Et spero hoc verum huius sacramenti nomen permansurum.

Quae dicuntur de metu fidelium recipiendi hoc sacramentum, mutatione nominis non meliorabitur. Metus hic tantummodo vincitur ex vera consideratione gratiae maximae huius sacramenti et ex bona et optima instructione inde a iuventute et infantia et ex iteratis sermonibus sacerdotum ad populum.

Inspiciatur quoque quae a Tridentino de hoc sacramento dicta sunt una cum historia disceptationum, quae habebantur in congregationibus illius Concilii, usquedum ea quae statuta, postremo definiri quivit.

Cum in suffragatione votorum non nisi *placet* vel *non placet* dicendum esset, nihil in voto meo *placet* observare potui. Scribo proinde dicens: Videtur omittendum esse in n. 1. « Schema quoad substantiam placet ». Est enim locus communis, qui nihil ad rem fert. Immo non bene sonat in declaratione solemni, ut est redactio decreti Concilii.

34

EXC.MUS P. D. IOSEPH SCHNEIDER
Archiepiscopus Bambergensis

In art. 57 § 2 schematis emendati *de s. Liturgia* legitur: « Salva tamen semper sit cuique sacerdoti facultas missam singularem celebrandi, non tamen eodem tempore in eadem ecclesia... ». Ex contextu constare videtur hanc paragraphum intelligendam esse ita, ut sacerdos, qui nolit concelebrare, non celebret missam singularem in eadem ecclesia, dum ibi concelebratio fit. Attamen ad praecavendos errores et ad praecavendam interpretationem abusivam huius paragraphi, ac si nempe celebratio plurium missarum singularium eodem tempore in eadem ecclesia simpliciter et semper prohiberetur, expressius dicatur celebrationem missae singularis eodem tempore in eadem ecclesia prohiberi, dum ibi concelebratio peragitur.

Propono igitur, ut fortasse dicatur: « § 2. Salva tamen semper ... facultas missam singularem celebrandi, non tamen in eadem ecclesia eodem tempore, quo ibi concelebratio peragitur, nec in feria V in Coena Domini ».

35

EXC.MUS P. D. IDILIUS IOSEPH SOARES
Episcopus Santosensis

Introductio linguae vernaculae in canone Missae non fiat nonnisi quoad verba quae alta voce proferuntur.

36

EXC.MUS P. D. ARTURUS VÉLEZ MARTÍNEZ
Episcopus Tolucensis

Patrocinium S. Ioseph, sponsi B. M. V. semper Ecclesiae profuit, et a fidelibus quotidie, pia devotione colitur ita ut in oratione « Confiteor » sponte, in nostra Mexicana Ditione, post invocationem S. Ioannis Baptistae, addunt, nomen S. Ioseph. Ideoque *postulo*: A Sacrosancta Synodo Concilii Vaticani II fiat ut in oratione « Confiteor » nomen S. Ioseph recitetur.

37

EXC.MUS P. D. CAESAR GERARDUS M. VIELMO

Episcopus tit. Ariassensis, vic. ap. Aysenensis

Licet constitutio *de sacra Liturgia* mihi perplaceat, defectus tamen praesertim formae, quos in schemate Patrum disceptationibus subiecto adverteram et coram universo Concilio breviter indicaveram, in schemate emendato non sine stupore et animi dolore video adhuc exstare.

Immo textus renovatus, quoad nonnulla, sub respectu formae et aliquando etiam conceptuum, non semel in peius versus est, ut ex nonnullis tantum exemplis liquido patet:

In fine novi n. 5, ponitur particula « Nam »: ac eadem particula, statim incipit n. 6.

Circa finem n. 6 (lin. 33), illud « ea » additum ad quid refertur? Certe non ad « paschale mysterium », nam plurale incongrue referretur ad singulare. Fortasse ita posset emendari: legendo « ea *quae* in omnibus scripturis de ipso erant ».

In fine tandem eiusdem numeri, pulcherrima illa additio « per virtutem Spiritus Sancti », aptius collocari deberet, ita ut clarum sit omnia quae in sacris liturgiis peraguntur, Spiritus Sancti operante virtute exerceri. E contra haec additio, prout nunc inserta est, posset etiam non ad omnia, sed ad id tantum quod novissimo loco ponitur, referri. Congrue ergo collocaretur statim post lin. 33.

Ad n. 7, pag. 7, linn. 5-15: textus emendatus est durus sub respectu formae et iterum emendandus sub respectu materiae. Congruit enim ut constitutio e fontibus oriatur sed eas dominetur, et non e converso. Fortasse textus iterum emendari posset, vel ut sequitur, vel adhuc aptiori modo: « Praesens adest in sacramentis ita ut Christus ipse, sua virtute, agat per eum qui baptizat aut alia sacramenta ministret. Praesens adest dum Sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur, siquidem audientes ipse per eas alloquitur. Praesens adest denique dum supplicat et psallit Ecclesia, quia ipsa per eum adprecatur Patrem ». Verba autem biblica *Mt.* 18, 20 collocari deberent lin. 1, statim post: « liturgicis », ita ut dicatur: « ... Christus... adest... in actionibus liturgicis, ipse qui promisit: Ubi sunt duo... ».

Ibidem, linn. 19-20: non est verum liturgiam invocare Christum dum ipsa oratio funditur; sed in Christo, cum Christo, et per Christum aeterno Patri cultum tribuere. Proinde deberent verba deleri: « Dominum suum invocat et ».

Ad n. 10, pag. 8, lin. 39: per additionem factum est ut ibi posita fuerint duo qui idem dicunt: Fortasse textus iterum sic posset emendari: « Sacrificio actuose participent, laudabiliter de altari sacrum Christi corpus sumentes ».

38

EXC.MUS P. D. ANDREAS WRONKA

Episcopus tit. Vatarbensis, aux. Gnesnensis

In schemate constitutionis *de sacra Liturgia,* cap. V, de anno liturgico, pag. 190, linn. 13-14 legitur: « etiam mysterium beatissimae Dei Genitricis Mariae cum amore frequentat ». Propono emendationem: « etiam memoriam beatissimae Dei Genitricis Mariae cum amore frequentat ». *Ratio*:

1. Facta vitae B. Mariae Virginis non habent rationem mysterii cultici.

2. Quae facta vitae B. Mariae V. non possunt aequari cum factis vitae Christi, quae constituunt verum mysterium culticum.

3. Ipse textus schematis in lin. 15 talem propositionem iustificat dicendo: « in quo et praecellentem Redemptionis *fructum* merito exaltat ».

39

EXC.MUS P. D. CYRILLUS IOANNES ZOHRABIAN

Episcopus tit. Acilisenus

Animadversiones peregrinorum, permultorum Patrum conciliarium, necnon Observatorum in sessionibus Concilii Oecumenici Vaticani II, circa musicam sacram scholae cantorum Basilicae S. Petri in Vaticano.

Quae in cap. VII schematis de musica sacra, optime scripta sunt, nihilque adiiciendum esse autumarunt omnes de quibus fit mentio supra in titulo.

Pag. 17, n. 116 enim dicitur: « Ecclesia cantum gregorianum agnoscit ut liturgiae romanae proprium: qui ideo in actionibus liturgicis, ceteris paribus, principem locum obtineat. Alia genera musicae sacrae, praesertim vero polyphonia, in celebrandis divinis Officiis minime excluduntur, dummodo spiritui actionis liturgicae respondeant ».

Praefati numeri nihil nobis indicant, aiunt multi Patres conciliares, Observatores quoque, auctorem enim habent sanctum Summum Pontificem Pium X. Iam ab illo tempore ab omnibus per orbem terrarum ecclesiis plus minusve scrupulose in praxim tradebantur.

Multi Patres conciliares, Observatores quoque et omnes quibuscumque, per sermonem, commutationem idearum habui, uno verbo, omnes illi, qui musicae scientiam possident, et distinguunt bonam a mala, sacram a profana, absonam ab harmoniosa, praesertim illi qui prima vice Romam venerunt, et qualicumque occasione audierunt cantus executos a Schola cantorum Basilicae Vaticanae, scandalum passi sunt, et de visu et auditu didicerunt verum esse quod in Gallia dicitur per iocum: « C'est à Rome qu'on dicte les lois. - C'est à Paris qu'on les observe! ». Omnes autem unanimiter dicunt: Credebamus audire in Basilica Vaticana in caerimoniis extraordinariis, in diebus sollemniis audire musicam sacram, gregorianam perfecte executam, ita ut exemplo fieret nobis. Apud nos multo melius honori habemus musicam gregorianam.

Revera quis ignorat quod musica gregoriana in Basilica Vaticana non solum principem locum non occupat, sed et non bene exequitur. Misera quoque est executio musicae polyphonicae in qua dominat systema *fugae* quod non solum non generat devotionem sed, quod est maximum malum, excitat nervos delicatum auditum musicalem habentium. Dixi nomine praefatorum in titulo.

40

EXC.MUS P. D. BENEDICTUS ZORZI

Episcopus Caxiensis

Excusationem peto si post approbationem textus art. 7, olim 3 constitutionis *de sacra Liturgia,* a venerabilibus Patribus conciliaribus, animadversionem, ad tranquillitatem meae conscientiae, circa praefatum textum facere audeo.

En emendatio: post verba *tum maxime,* ut clarius appareat substantialis differentia praesentiae D. N. I. Christi sub speciebus eucharisticis et in persona ministri etc., addantur verba *et quidem substantialiter.*

Igitur meo humili iudicio, redactio finalis huius articuli ita esse deberet: Praesens adest in Missae Sacrificio cum in ministri persona, tum maxime, et quidem substantialiter, sub speciebus eucharisticis, « idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit ». Praesens adest virtute sua in sacramentis, ita ut cum aliquis baptizat, Christus ipse baptizet. Praesens adest in verbo suo, siquidem ipse loquitur dum Sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur. Praesens adest denique dum supplicat et psallit Ecclesia, ipse qui promisit: « Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum (*Mt.* 18, 20) ».

II

Emendationes quoad schema de Oecumenismo inter primam et secundam Concilii periodum a Patribus scripto exhibitae

1

Em.mus P. D. PETRUS TATSUO card. DOI
Archiepiscopus Tokiensis

In pag. 10, lin. 30, textus ita *adaugeatur*: « mutuo cognoscere valeant, aestimare, *diligere* et adiuvare... ». *Ratio.* Decet ut saltem semel hic mentio fiat explicita mandati dilectionis (*Io.* 13, 34), quod est in re oecumenica etiam maximi momenti.

In pag. 16, linn. 32-34, textus ita mutetur: « Attamen nexus isti, proh dolor, solummodo ex parte ac imperfecte vigent, ac propterea *non licet habere communicationem in ritibus liturgicis, exceptis casibus in quibus Ecclesia eandem permittit* ».

Rationes. Expressio « *Eucharistiae sacra mysteria in unum simul celebrare* » *non videtur apta*; nam non potest applicari simul ad illos separatos qui veram Eucharistiam habent (ut orientales) et ad illos qui non habent (ut Protestantes). Immo priores certo offenderentur, si se in hac re a nobis aequiparatos viderent Protestantibus.

Consequenter etiam illud « *non licet* » habet alium sensum relate ad Protestantes, alium relate ad orientales.

Relate ad hos ultimos, qui veram Eucharistiam habent, Ecclesia ab hac lege dispensare potest, et de facto dispensat in certis casibus (ut in periculo mortis, in quo Eucharistiam petere licet a sacerdote schismatico, can. 2261).

Notum est etiam non paucos petivisse a Concilio *mitigationem* praesentis legislationis in hac re ob rationes pastorales. Ideo non convenit ut Concilium tam strictam normam statuat, qua quaevis mitigatio excludi videatur.

Praeterea ipse textus schematis *sibi non constare* videtur: nam in eadem pagina, in linn. 26-27 excludit « *quamvis communicationem in cultu officiali* », in linn. 32-34 vero dicit nexum esse imperfectum propter *defectum communis celebrationis S. Eucharistiae.*

In emendatione proposita evitantur omnia haec incommoda simulque datur norma clara, generalis et sufficiens.

In pag. 18, lin. 6, textus ita *adaugeatur*: « humani consortii fundamentis, *sive in scientiis et bonis artibus spiritu christiano provehendis,* sive in doctrina sociali Ecclesiae promovenda... ». *Ratio.* In nationibus certae culturae habentur frequentes contactus omnium christianorum in campo educationis, scientiarum, artium, musicae sacrae etc.

2

EM.MUS P. D. CLEMENS CARD. MICARA
Episcopus Veliternus

Placet iuxta modum. Ad n. 2. Protestantes non amplius habentur ut homines in haeretico errore degentes sed tamquam separatae communitates: inde novitatem induci censemus quam consectaria certo comitabuntur. Concilium non satis a periculis caveret si locutiones huiusmodi ratas haberet, non perpensis, uti rei gravitas postulat, consectariis exinde orituris.

Ad n. 3. Opportune catholici monentur ad sanctiorem vitam quo splendidior Ecclesiae vultus fratribus separatis lucescat. Attamen, si verba haec et similia cum laudibus conferantur erga protestantes indultas, in nn. 20-24, Concilium videri potest pluris protestantes quam catholicos facere: quod aestimationem laedit Ecclesiae debitam neque facile componitur cum doctrina de sanctitate tamquam eiusdem Ecclesiae nota.

Ad n. 19. Quare Concilium historicam protestantium originem aperire contenderit, non liquet.

Cum vero animadvertatur protestantium communitates exortas esse « in gravissimo rerum discrimine » insinuari videtur haereticos veluti coactos esse ad corruptam Ecclesiam derelinquendam eo vel magis quod nihil de eorum culpis adiiciatur.

Iuvat quidem ab antiquis abstineri controversiis sed insimul expedit ut de origine protestantium sileatur potius quam in Ecclesiam catholicam fere omnes refundantur culpae.

Ad nn. 20-23. Protestantium res et conditiones nimis candide describuntur: ne protestantes quidem autumant omnia inter ipsos bene esse disposita.

Quae verba, maxime si conferantur cum opinionibus in Ecclesiam catholicam severioribus, contra eamdem veluti instrumenta assumi possunt, praesertim a protestantibus concionatoribus, inter catholicos adloquentibus, ut in Italia et in America meridionali.

Ad n. 24. Concilium videtur id unum vel praecipuum catholicis dissuadere in protestantibus pertractandis, scil. « zelo imprudente », ad quod, iuxta nonnullos non recte de oecumenismo sentientes, assimilatur studium seu sedulitas pro haereticis ad veram fidem revocandis.

Etenim, de unitate in genere fit sermo, sine additis verbis uberius eamdem declarantibus. Ad ostendendam necessitatem redeundi ad veram Ecclesiam non urgemur. Dialogus cum haereticis laudatur ideo initus ut colloquentium alter ad alterum propius accedat. Iamvero, huiusmodi dialogi, ut Ecclesiae historia testatur, nunquam vel raro ad bona profecerunt; immo Ecclesia antiqua contra fidei integritatem latere pericula in ipsis putavit, quippe qui fere necessario animos eo adducant ut de religione indifferenter sentiant.

3

EM.MUS P. D. PAULUS M. A. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Non video bene quid novi et veri efficacis affert hoc schema ad opportunam causam unionis inter christianos, si non refertur ad schema *de Ecclesia* quod, in suo noviter exarato textu, potest multos obices tollere pro hac optanda unione.

Nonne in tali expositione bene accurata, addendum sit humile et simplex argumentum quod agnosceret plus minusve culpas, saltem excessus, olim a catholicis patratos?

Per quamdam insinuationem, necesse ut notetur quod non absolute omnes baptismi sunt validi apud quosdam Protestantes.

In hoc schemate, quod sese praebet ut praestantissimus actus Concilii, me dolet nihil invenire de regulis satis opportunis, quae in praecedenti schemate de hac re proponebantur quoad communicationem in Sacris.

4

EM.MUS P. D. IOSEPH ELMER CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

While I feel that this text has been carefully prepared, I regret the omission of a treatment of " Communicatio in Sacris " in the light of the oecumenical movement. This is a matter of practical concern for Bishops which I feel needs some clarification.

5

EXC.MUS P. D. GARABED AMADOUNI
Episcopus tit. Amathusius in Cypro

Animadversio indolis generalis. In priore schemate *de Ecclesia et de B. Maria Virgine,* in cap. XI, *de Oecumenismo,* sub n. 54, aderat decretum *de Communione in Sacris Liturgicis.* Iste articulus videtur esse omnino suppressus. Nam in neutro ex tribus schematibus: *de Ecclesia, de Ecclesiis orientalibus* et *de Oecumenismo,* nunc invenitur. Tamen, nostra aetate motionis Oecumenismi, revisio huius capitis videtur esse maximi momenti. Forsitan alibi tractabitur.

Cap. I, « De Oecumenismi principiis » optimum est in sua forma generica. Mihi liceat proponere quasdam minimas animadversiones in particulari.

Pag. 8, n. 2, linn. 30-31. Sic corrigenda: « ... procul dubio vitam gratiae reapse generare possunt atque aptae dicendae sunt ut ingressum in salutis *plenam* communionem pandant ».

Hic adiectivus « plena » omnino urgere videtur. Quoniam sive hic supra, sive alibi in schemate *de Ecclesia,* pars I, p. 12, n. 9, asserta fuit aliqua coniunctio fratrum separatorum cum Ecclesia catholica; admissum fuit gaudere ipsos quibus-

dam mediis salutis etc. Item in schemate *de Oecumenismo* cap. III, n. 12; ergo in formula: « in salutis communionem », deficit illa consideratio. Tota ratiocinatio utriusque schematis in hoc est quod fratres separati non gaudent, licet baptizati, *plenitudine* gratiae et veritatis. Ergo adiectivus « plena » omnino desideratur ex logica contextus.

Pag. 8, n. 2, lin. 37 ad pag. 9, lin. 3. Hoc in loco, specificanda videntur puncta in quibus Communitates fratrum separatorum privantur bonis propriis Ecclesiae catholicae, saltem iis quae sunt visibilia humaniter et socialiter, v. g. in praeterito schemate *Ut unum sint,* inter damna ex divisione citata aderat *privatio a bonis directionis magisterii,* sine quibus fides et mores christiani non possunt perseverare perfecte; potest addi etiam necessitas cuiusdam tribunalis *appellationis,* quo deficiente in sinu Ecclesiae, inevitabilis fit ut etiam auctoritas ecclesiastica superior et maxima, uti patriarchae in oriente, subicientur auctoritati civili; etc.

Pag. 9, n. 3, linn. 9-10. Melius erit dicere « omnibus *baptizatis* » aut « *christianis* ».

Pag. 16, n. 7. Sub hoc numero commendantur orationes publicae « pro unitate », et nulla allusio fit de intercessione B. Mariae Virginis, de qua fuse dixerat schema *Ut unum sint* sub n. 16 et quod fuit admissum in sess. I Concilii.

Pag. 15, n. 5. Hae exhortationes de necessitate *humilitatis* et *de amore veritatis* sunt nimis genericae. In sess. I, clare et fortiter, quidam Patres conciliares institerunt quoque de necessitate confitendi errores commissos a particularibus in praeiudicium unitatis.

Adhuc, nullibi reprobatur *uniatismus* tanquam medium ineptum et forma falsificata apostolatus catholici; nec in hoc schemate, neque in aliis. Et tamen iure merito aliquid deberet dicere Concilium cum agitur de Oecumenismo, sicuti propositum est a subscriptore, die 24 februarii 1963.

Pag. 16-17, nn. 8, 9. Ubi tractatur *de fratrum mutua cognitione* et *de Oecumenica instructione,* nihil dicitur de promotione *studiorum rerum orientalium* et *de formatione intellectuali* cleri orientalis et missionariorum in oriente operam navantium. Et tamen quaedam bona proposita fuerant in schemate *Ut unum sint.*

Deest etiam in schemate *de Sacrorum alumnis formandis*, ubi quaesivi sub n. 22. Hic agitur de omnibus disciplinis, exceptis disciplinis orientalibus. Et tamen *Oecumenismi motio* exigit quidem solidam praeparationem intellectualem de rebus orientis, quando agitur de nostris fratribus orientalibus.

Exhortationes quae hic et alibi sunt positae, manebunt verba sine ulla efficacia practica, si deest formatio solida in materiis quae ei indispensabiles sunt. Haec quaestio fuse tractata est a me in relatione praesentata, die 2 octobris 1961, commissioni praeparatoriae huius Concilii. Ibi dixi necessitatem alicuius instituti catholici pro formatione prima cleri orientalis. Homo-missionarius, apostolus orientis, formandus est secundum principia oecumenica Ecclesiae catholicae, non solummodo quoad spiritum vel cor, sed etiam quoad mentem, quoad intelligentiam. Deest adhuc tale Institutum. Hucusque non existit Universitas vel Facultas aliqua pro *formatione prima* cleri orientalis. Decretum sub n. 42 schematis *Ut unum sint,* volebat satisfacere huic necessitati. Suppressum est. Nescio, cur? Forsitan non erat hic locus. Quotquot sit, Concilium Oecumenicum Vaticanum II deberet approbare illam propositionem, saltem tanquam *votum* cuius practica actuatio remitteretur pro futuro.

6

Exc.mus P. D. CAROLUS BALDINI
Episcopus Clusinus et Pientinus

Quaedam hic illuc repetuntur; sed meminisse iuvat « et repetita iuvare ».

7

Beat.mus P. D. IGNATIUS PETRUS XVI BATANIAN
Patriarcha Ciliciae Armenorum

Hoc schema videtur *nimis indulgens esse erga Protestantismum.*

Oecumenismus debet, utique, esse dialogus, caritate plenus, inter varias denominationes christianas.

Ecclesia catholica, conscia suae divinae missionis procurandi salutem omnibus hominibus, adlaborando ut fiant omnes « unum ovile sub uno Pastore », non potest, in hoc dialogo cum Protestantibus, exponere tantummodo aliqua media et valores, quae in Protestantismo inveniuntur, sed debet clare ostendere illis institutionem a Christo positam ad viam salutis indicandam, et media quibus uti debent fideles ad salutem assequendam, quaeque ex Sacra Scriptura et traditione desumuntur.

Conatus vitandi quidquid vulnerare potest fratres separatos non debet nos adducere ad tantas praecautiones, quae veritatem absconderent, vel verum remedium unionis non revelarent. Non ideo medicus se abstinet ab unico efficaci remedio praescribendo, quia hoc remedium non placet aegroto.

Fratres separati non exspectant, in dialogo oecumenico, audire a nobis quae ipsis placent, sed genuinam et veram expositionem doctrinae catholicae.

Ad « *Ecclesias* » *non-catholicas* quod attinet, hoc schema videtur considerari posse *illarum apologia.*

Magna est utique orientalium ecclesiarum dignitas; et haec dignitas provenit ex illarum origine, quae est revera catholica; illarumque continuatio non invenitur nisi in actualiter existentibus Ecclesiis catholicis orientalibus, quae B. Petrum eiusque pro tempore successorem, Romanum Pontificem, agnoscunt tamquam caput visibile Ecclesiae, a Christo electum « ut fratrum suorum collegio praeesset singulos etiam in fide confirmando et universum gregem in perfecta unitate pascendo » (cap. I, pag. 7, lin. 25).

Hoc sensu determinato « Ecclesia », in hoc schemate, non potest convenire nisi communitatibus orientalibus catholicis Romanum Pontificem agnoscentibus illique submissis.

Quando autem, hoc in schemate, utitur denominatione « Ecclesia » loquendo de coetibus orientalibus, a Sede Romana separatis, id improprie fit.

Et si, in documentis pontificiis, talis usus invenitur, id indicare potest tantummodo quod illi coetus se « ecclesiam » vocant.

Nec valores, qui in sic dictis « ecclesiis » inveniuntur et de quibus magno cum elogio loquitur schema, sunt proprii illarum sed proveniunt a primitivis et genuinis ecclesiis orientalibus Sedi Romanae unitis, suntque istarum divitiae.

In particulari haec sunt notanda:

I. *De Ecclesiae unitate et unicitate.* Pag. 8, lin. 7 ad 7, dicitur: « Christus Iesus... familiam suam crescere voluit eiusque unitatem perfecit et manifestavit... *in regiminis fraterna concordia...* ». Haec ultima dictio « regiminis fraterna concordia » nimis elastica videtur, immo aliquantulum captiosa. Iucunda est auribus fratrum separatorum. Sed estne complete vera? « *Fraterna concordia regiminis* » supponeret regimina aequalia paria inter se, quae non necessario uniuntur sub uno capite; sed per benevolentiam, ex simplici amore concordiae, uniuntur inter se. Meo humili sensu clarius, verius et magis conforme esset modo qui dicebatur et docebatur usque nunc in Ecclesia, dicere: « *in unitate magisterii et regiminis* ».

II. *De habitudine fratrum separatorum ad Ecclesiam catholicam* (pag. 8). Ex omnibus, quae hic dicuntur, et ex magnis laudibus in favorem « ecclesiarum » separatarum, videtur fere nihil eis deesse ut et ipsae sint verae ecclesiae Christi.

Lin. 37 dicitur: « Attamen fratres separati sive singuli sive communitates et ecclesiae eorum *illa unitate* non fruuntur, quam Iesus Christus iis omnibus dilargiri voluit... ». Locutio « illa unitate » videtur nimis generalis, et nihil concrete et determinate dicens. Nonne clarius esset dicere: « Non fruuntur illa *unitate magisterii et regiminis,* quam Christus dilargiri voluit Ecclesiae suae »?

III. *De Oecumenismo* (pag. 9). Magna cum prodigalitate laudes tribuuntur, in praecedenti paragrapho huius schematis, fratribus separatis eorumque « ecclesiis ». Hac in paragrapho vero vituperantur catholici, quia per multa saecula neglexerunt et oblivioni dederunt illas ecclesias earumque divitias spirituales, atque, non utentes omnibus instrumentis gratiae quae Ecclesia nostra possidet, culpa nostra vultus Ecclesiae fratribus separatis minus affulsit. Post hanc vituperationem, schema addit (lin. 31): « In necessariis unitatem custodiendo, fideles, in variis formis vitae spiritualis, in liturgicis celebrationibus et in theologicis veritatis elucubrationibus aliisque legitime diversis rectam libertatem libenter servent atque in omnibus caritatem colant ». Quid significari vult per hanc assertionem? Num vir catholicus, *custodiens unitatem fidei et regiminis,* potest in variis formis vitae spiritualis et disciplinae, in liturgicis celebrationibus, rectam libertatem servare et participare cum fratribus separatis? Excipitur tantum « celebratio Missae in unum simul » (pag. 16, lin. 33), et « remota quavis communicatione in cultu officiali » (lin. 26).

Hic clariores assertiones requiruntur, alioquin graves consequentiae haberi possunt: Num supprimi debet prohibitio communicationis in divinis cum fratribus separatis, quae per tot saecula in vigore fuit? Sic agendo et praescribendo, Ecclesia catholica eratne in errore et in errore tenebat filios suos? Num illos tenebat quoque in magna ignorantia magnorum bonorum et divitiarum quae in ecclesiis separatis erant? Decipiebatne eos deflectendo oculos eorum ab iis quae a Spiritu Sancto in cordibus fratrum separatorum efficiebantur?

Optime dicitur (pag. 9, lin. 17): « Filios Ecclesiae procul dubio de aliis sollicitos esse oportet, sed in primis ipsimet sincero attentoque animo ea perpendere debent quae in ipsa familia catholica renovanda et efficienda sunt ut eius vita et doctrina efficacius testimonium de veritate reddant ». Hoc optimo desiderio moti, nonnulli doctores et scriptores maxima cum libertate iudicia defavorabilia ferre coeperunt de administratione Ecclesiae, de Curia Romana et aliquando de ipso Romano Pontifice, de spiritu regnante in Concilio Oecumenico Vaticano II, etc.

Hoc facile intelligeretur si agebatur de scriptoribus et redactoribus laicis ephemeridum, quae res sensationales et scandala quaerunt et creant, ut curiositatem

moveant. Sed in casu nostro scriptores et auctores sunt ecclesiastici, religiosi, doctores et professores, redactores celebrarum publicationum periodicarum catholicarum.

Inter plurima, liceat mihi unum dare exemplum. In « Les Etudes », quae est publicatio Patrum Societatis Iesu in Gallia, haec scribit (pag. 249, numeri maii 1963) Pater Robert Rouquette, S. I., sub titulo: « De Rome à la Chrétienté »: « Une autre mesure, beaucoup plus importante, semble, au contraire, renforcer la centralisation romaine. Il s'agit de l'institution d'une commission pour la réforme du droit canon (*O.R.* 30-3-1963). Cette commission aura la tâche de faire passer dans le droit de l'Eglise les principes qui seront posés par le Concile et approuvés par le Pape. Le Concile ne peut pas, normalement, descendre dans le détail des applications. C'est dire l'énorme puissance qu'aura la commission. En fait, elle pourrait freiner, neutraliser et même tourner les décisions conciliaires, si elle le voulait. De nombreux évêques sont conscients du péril que peuvent courir les décisions du Concile, si leur application est confiée aux seuls organismes de la Curie, dont de nombreux membres ne cachent pas leur hostilité au Concile. Or, il n'est pas douteux que la composition actuelle de la commission de réforme du Code se présente comme une victoire anticipée de la Curie sur le Concile. Il n'est que de citer les chiffres: sur 30 membres (président y compris), 17 italiens dont 14 de curie; 13 non-italiens dont 7 de curie; 21 Cardinaux de curie et seulement 9 Cardinaux évêques résidentiels dont 3 italiens (les cardinaux Liénart, Spellman, Ruffini, Quiroga, Léger, Montini, Urbani, Doepfner, Suenens) ».

Lector, qui vere conatur, in tota sua vita, « sentire cum Ecclesia », ut pacem animi habeat, sicuti commendat S. Ignatius, in libro « exercitiorum », nonne, post talem lectionem, profunde se vulneratum sentit in intimo animi sui catholici? Estne exaggeratum dicere quod reactio nonnullorum, post hanc lectionem, debuit esse: « Non ita novimus Societatem Iesu! »?

Confer etiam, inter multa alia:

Hans Kung, professeur de Théologie à l'université de Tubingen, expert au Concile: « Vatican II après la première session » (traduction de la Documentation Catholique (16 juin 1963), d'après le texte allemand publié dans « Civitas » (Mars-Avril 1963), revue mensuelle de la Société des étudiants suisses - Lucerne).

Yves M. J. Congar: « Bloc-notes du Père Congar (dans quelques numeros des « Informations Catholiques Internationales, depuis 1962 - Novembre - Paris).

S. E. Mgr. Elias Zoghby: Vicaire Patriarcal Grec-Catholique pour la RAU et le Soudan: « Uniatisme et Œcuménisme » (Edition du Lien - Le Caire, Avril 1963).

Robert Rouquette: « Bilan du Concile » (« Etudes » Janvier 1963, page 105).

Utinam hortatio, quae invenitur in pag. 10, lin. 25 huius schematis extenderetur non solum erga fratres separatos, sed etiam erga catholicos, et praesertim erga illos quibus regimen Ecclesiae concreditum est a Romano Pontifice et sub auctoritate eiusdem Vicarii Christi.

IV. *De oratione unanimi.* Post tot laudes de bonis et divitiis ecclesiarum separatarum, et postquam dixerat schema: « non est praetereundum quaecumque a Spiritu Sancto in cordibus fratrum separatorum efficiuntur, eadem ad nostram quoque aedificationem conferre posse (pag. 10, lin. 3), quando debuit addere: « remota quavis communicatione in cultu officiali (pag. 16, lin. 26), « Eucharistiae sacra mysteria in unum semel celebrare non licet » (pag. 16, lin. 33), rationem huius exceptionis volens indicare, scribit: « quia vincula quibus catholici cum fratribus

separatis adhuc coniunguntur (lin. 29)... solummodo ex parte et imperfecte vigent » (lin. 33).

Porro quaeri potest: cur non indicatur ratio huius exceptionis? Nec dicitur in quo consistit illa imperfectio vinculorum? Estne perfectio quae optatur de essentia Ecclesiae Christi, an non? Estne vinculorum illa perfectio unitas magisterii et regiminis? Si haec est veritas, cur non declaratur palam, nec proponitur clare et distincte in sua totalitate, cum agatur de colloquio in quo debemus fratribus dissidentibus doctrinam catholicam notam facere?

Hac ratione agendi, periculo et quidem magno exponitur vir catholicus, etiam doctus, se in sinum tam laudatarum ecclesiarum iniiciendi, praesertim quando agitur de ecclesia propriae nationis.

Non deest quoque periculum saltem hanc persuasionem creandi, in mente fidelium catholicorum et fratrum separatorum, quod omnes ecclesiae fere aeque verae et bonae sunt; quod differentia inter eas parva re est; quod agitur de diverso modo loquendi de veritate; quod differentia inter nostram et eorum ecclesiam est similis differentiae quae adest inter tot et tot opiniones theologorum.

Timendum est ne indifferentismus in materia fidei firmior evadat in animis christifidelium, et ne facile perveniatur ad talem indifferentismum, post ea quae dicuntur in toto capite III huius schematis.

Conclusio. Ex dictis et propositis in hoc schemate videtur sequi quod non debeamus amplius curare conversionem individuorum, sed adlaborare pro unione totius ecclesiae, et quidem mediis quae non semper conformia sunt principiis theologiae catholicae traditionalis.

Quapropter hoc schema debet quem meretur locum dare: *a*) apostolatui conversionis individuorum; *b*) respectui principiorum theologiae catholicae traditionalis.

8

Exc.mus P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifacii

In genere:

1. *Maxime placet.* Fere omnia quae quis invenire cupiat, ibi inveniuntur, idque animo congruo et stylo simplici ut decet. Attamen mihi, quaeso, concedatur ut aliquas modificationes generales, aut particulares suggeram quae, meo sensu, completiorem reddant hanc admirabilem beneficentissimamque expositionem.

2. *Fratres separati.* Existimo haec duo verba saepius quam par est adhiberi, nec optima esse, etiamsi agnosco difficillime esse meliora reperire. Quocirca, valde gauderem si passim his duobus verbis, contextu sinente, substituantur « alii christiani », v. g. pag. 9, n. 3, linn. 39-40.

3. *Ecclesiae - Communitates.* Hic sententiam potius Patris Congar sequor qui rogat ut vocabulum « Ecclesiae » reservetur communitatibus christianis separatis orientalibus, et ut vocabulum « Communio » adhibeatur ad communitates christianas ex Ecclesia egressas a saeculo XVI designandas.

4. *Romanus Pontifex.* Existimo multo melius esse non uti verbis « Romanus Pontifex » aut « Sedes romana » sed e contra uti potius verbis « Summus Pontifex » aut « Sedes Apostolica ». Ad hoc multae sunt rationes optimae ex veritate historica necnon et ex animo oecumenico rectius intellecto.

5. *De Baptismate.* Quater schema recte indicat Baptisma ut fundamentum affinitatis spiritualis vigentis inter catholicos et ceteros christianos (pag. 9, linn. 17-20; pag. 23, lin. 21; pag. 24, linn. 16-27; pag. 24-25, linn. 33-6). Bis implicite confirmat veritatem huius affinitatis oriri ex « collatione (baptismatis) rite facta », semel specifice asserens: « iuxta Domini institutionem » (pag. 8, lin. 18; pag. 24, lin. 17). Urget omnino, meo sensu, ut Concilium aperte expliciteque promulget significationem definitam horum verborum, relate praesertim ad circumstantias hodie vigentes. Ex una parte, adest scandalum baptismatis neo-catholicorum indiscriminatim reiterati (etsi sub conditione) ad tutiorem partem sequendam eo praetextu quod semper dubium potest adesse circa fidem aut intentionem ministri, circa materiam proximam adaequatam, circa formam sacramenti. Ex altera parte, vere exstat apud varias Communiones separatas magnus latusque fasciculus actuum quorum alii vel alii sive a traditione christiana sive a praxi communiori discrepant ita ut dubia enascantur vera aut saltem provocantur, circa fidelitatem Domini institutioni. Schema igitur, ut humiliter opinor, tractare oporteret de substantia Baptismatis, de ipsa ablutione quattuorque modis ablutionis passim in usu, scil.: immersionis, infusionis, aspersionis et madefactionis.

6. *Unicum schema de Oecumenismo.* Valde optandum est ut Concilium unicum schema elaboret unicumque decretum edicat de Oecumenismo. Consequenter, pars II schematis *de Ecclesiis orientalibus* cui titulus est « De unione christianorum orientalium » iungatur et integretur cum schemate decreti *de Oecumenismo.* Ad hoc obtinendum, sufficeret ut primum decretum committatur secretariatui de unitate christianorum. Quod si hoc non videatur admittendum a Commissione de ecclesiis orientalibus, nova commissio mixta efformetur, ad rem componendam, composita aequalibus partibus ex membris tum huius commissionis tum huius secretariatus.

In specie:

Cap. I - *De Oecumenismi catholici principiis.*

Pag. 8, n. 1, lin. 2. Substituendum est verbum « celebrationem » verbo « administrationem ».

Pag. 9, n. 3, lin. 24. Post « utuntur » inserenda videntur verba « Nec Verbi Dei praedicatio, nec sacramentorum celebrationes semper adaequate perficiuntur ». *Ratio*: Non tantum usus fervore evacuatus potest obscurare splendorem vultus Ecclesiae, sed id evenire etiam ex aliis causis, v. g. ex omni praedicatione Verbi Dei non aptata, ex omni Sacramentorum collatione cuius significatio restricta vel vix intelligibilis est.

Pag. 10, n. 3, lin. 10. Substituere decet verba magis biblice sonantia « Regni Dei » verbis « Regni divini ».

Cap. II - *De Oecumenismi exercitio.*

Hoc caput tractat modo vere mirabili de renovatione interna Ecclesiae speciatim in n. 4. Nonne tamen conveniret, similiter statuere, etsi breviter in paragrapho particulari, de necessitate reiuvenentiae (« aggiornamento ») externae Ecclesiae, praecipue quoad disciplinam et liturgiam quae sunt et manent media magni momenti ad effectionem progressus interioris animarum. Quae reiuvenentia externa, inspirationem ducens ex ipso Evangelio et ratione habita apertissimarum aspirationum catholicorum et ceterorum christianorum, licet non sit tanti momenti quanti est renovatio ipsa animarum interna neque tantae urgentiae, tamen de medio tol-

leret obices multos in via ad unitatem christianorum. Ad hunc finem, perutile esset uti textibus plurimis Ioannis XXIII de duplici hac renovatione Ecclesiae cum respectu ad finem proprie oecumenicum.

Cap. III - *De christianis ab Ecclesia catholica seiunctis.*

Pag. 21, n. 14, linn. 7-8. Post « ad instaurationem », emendare oportet textum sic: « plenae communionis spiritualis et canonicae inter Ecclesias orientales *seiunctas* et Ecclesiam catholicam ». *Ratio*: Textus non debet praebere sensum secundum quem communio primum in unione canonica consistit neque videri se referre ad orientales catholicos.

Pag. 21, n. 15, lin. 21 s. Loquendo de cultu liturgico communi cum Orthodoxis, textus tantum de cultu mariali mentionem conspicuam facit omittendo cultum maxime fundamentalem Eucharistiae. Valde opportuna esset hic insertio aliquot sententiarum, quibus aperte confirmaretur praesertim Eucharistiam esse culmen cultus ecclesialis perque Eucharistiam Ecclesiam ipsam aedificari prout fert antiquissima traditio; unde clare apparet hoc Sacramentum unitatis esse signum communionis perfectae et recte adhiberi ut criterium ad iudicandum de vera insertione in Ecclesia (cf. aliquot textus optime congruentes in schemate *de Ecclesia,* Pars I, pag. 43, nota 57).

Pag. 23, n. 19, lin. 17. Substituendum verbo « negationem » aliud minus vehemens sicut « imminutionem » aut « infirmationem ».

Pag. 23, n. 19, linn. 22-23. Emendare oportet textum ut sequitur: « Illi namque vere fratres nostri spiritum adoptionis filiorum acceperunt (cf. *Rom.* 8, 15), templum Dei sunt (cf. *1 Cor.* 3, 16), et valent quae sursum sunt ubi Christus est sapere (cf. *Col.* 3, 2) et cum caritate Christi vivere ». *Ratio*: Locutio magis biblica hic proponitur quae locum tenere potest verborum abstrusiorum « supernaturalibus donis », haud facilium intellectu, praesertim si quis acatholicos alloquitur.

9

Exc.mus P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

A - *In genere*:

1. Titulus generalis schematis deberet esse « De Oecumenismo *catholico* », ut bene habetur in titulo cap. I. Etenim oecumenismus noster non est, neque esse potest, idem ac oecumenismus acatholicorum. Ceterum ea omnia quae in schemate continentur ad solos catholicos dicuntur.

2. Mihi videtur opportunum, ne dicam necessarium, conficere prooemium quoddam in quo:

a) status actualis divisionis inter christianos indicetur, eiusque lugenda consectaria relate ad christianos ipsos, ad paganos, ad missiones, ad mundum hodiernum, in lucem ponantur;

b) fortiter ac suaviter manifestetur materna caritas Ecclesiae erga filios separatos, eiusque declaretur vehemens et sincerum desiderium componendi unionem omnium christianorum, quae priscis temporibus vigebat; necnon eius bona voluntas capessendi omnia media ad unionem, iis exceptis quae essent contra ius divinum;

c) clara et completa detur notio « oecumenismi », prout illum intelligit et actuare intendit Ecclesia catholica; bene definiendo conceptus, hodie saepe confusos, « unitatis » et « unionis » et « unicitatis ».

In hoc prooemium, meo quidem iudicio, transferenda essent plura quae nunc habentur in n. 3. Ceterum, nonne illogicum videtur in fine cap. I quod inscribitur « De oecumenismi catholici principiis », dicere quid tandem sit iste oecumenismus?

3. Habentur in schemate repetitiones inutiles eorumdem conceptuum, v. g. in cap. II et in parte II cap. III.

Desideratur etiam concinnitas et styli latini accuratior usus.

B - *In specie*:

Ad cap. I. Inter principia oecumenismi catholici haec quae sequuntur mihi videntur explicite statuenda:

1. Vera Christi Ecclesia non potest esse nisi *unica,* eademque potest, criteriis obiectivis et validis, distingui a ceteris ecclesiis quae christianas se dictitant. In concreto: vera Ecclesia Christi est sola catholica apostolica *Romana,* aut (si auribus modernis displicet haec vox « romana » — aliquis cardinalis publice dixit se prius esse catholicum quam romanum, dum e contra est omnino eadem res! — de qua cf. DB 423 et 469) *fundata super Petrum eiusque successores in episcopatu Romano.*

Ex hoc primo principio statim sequitur non posse esse *veras* Christi Ecclesias illas quae non praetendunt se esse *unicam* (v. g. innumerae sectae protestanticae), immo legitimam autumant pluralitatem ecclesiarum. Sequitur etiam veram Ecclesiam Christi aut esse catholicam romanam, aut iam amplius non exsistere quod esset contra promissum Christi apud *Mt.* 16, 18.

Ergo principium de unicitate Ecclesiae est omnino praeliminare et fundamentale, saltem relate v. g. ad valdenses et protestantes.

2. Voluntas Christi est ut omnes omnino homines hanc unicam suam Ecclesiam ingrediantur, quia ei soli plenitudinem revelationis commisit, in eaque sola homines possunt invenire plenitudinem gratiae et veritatis. Sequitur proinde veram fidem debere esse « *integram et inviolatam* » (cf. *Quicumque*), secus non esset vera.

3. Est de necessitate salutis (exinde exstat pro omnibus gravis obligatio conscientiae) ingredi unicam illam Ecclesiam Christi simulatque quis illam uti talem agnoverit.

Hic locus aptus declarandi verus sensus illius axiomatis « extra Ecclesiam nulla salus ».

Pariter est gravis obligatio conscientiae *deponendi dubium* vertens circa legitimitatem ecclesiae seu communitatis in qua quis vivit; agitur enim de re tanti momenti, in qua tutior pars sequenda est.

4. Ecclesia catholica nihil umquam potest renuntiare aut mutare, quoad substantiam, circa eas veritates de fide et moribus quas ipsa profitetur, sive per ordinarium sive per extraordinarium magisterium, tamquam divinitus revelatas. Quoad vero « formulationem extrinsecam » illarum veritatum potest quidem admitti clarificatio et complementum, salva semper substantia veritatis iam definitae.

5. Christiani separati, cum caritate quidem at sine timore, exhortandi sunt ut velint sincero animo attendere ad Ecclesiam catholicam, quippe quae *unica* semper sese professa sit tamquam vera et exclusiva Ecclesia Christi, « in qua una

Christus integra perfectaque fide creditur » (Pius XI, *A.A.S.*, 1931 p. 510); velint oculis delinitis studere historiae et doctrinae Ecclesiae catholicae eique non tribuere defectus personarum; velint denique attendere ad fructus sanctitatis et ad charismata miraculorum quae etiam nunc, solummodo in ea, inveniuntur quaeque proinde constituunt validum motivum credibilitatis (cf. *DB* 1794).

Nisi haec principia, cum caritate quidem at cum firmitate, in memoriam revocentur, oecumenismus posset periculis scatere, esse via ad relativismum quemdam religiosum, ad indifferentismum aut interconfessionalismum. Quid insuper fieret de sano et prudenti proselytismo, ad quem catholici ipso iure vocantur et cui renuntiare non possunt? In oecumenismo agendo non debet dissimulari aliam viam non dari ad optatissimam omnium christianorum unionem nisi « conversionem » eorum ad fidem integram catholicam; quae media autem ad id obtinendum sint *in concreto* magis idonea, iuxta loca et tempora considerandum est. Concilii proinde non est indicare nisi summa lineamenta.

Cavendum est ne fratres separati illudantur, obdormiscant in sua « *sufficientia* » mediorum spiritualium, licet catholici dicant apud se inveniri « *plenitudinem* ». Oecumenismus deberet in fratribus separatis suscitare sanctam inquietudinem circa cognitionem verae Ecclesiae Christi.

N. 1, lin. 1. Titulus inter uncos deberet esse « De Ecclesiae *unicitate* » aut saltem de Ecclesiae *unicitate et unitate*, cum Leone XIII aiente in *Satis cognitum*: « At vero qui *unicam* condidit, is idem condidit *unam* ».

Lin. 9. Loco « mirabile unitatis sacramentum instituit », clarius dicatur: « mirabile unitatis sacramentum, *Eucharistiam scil.*, instituit ».

Lin. 11. Loco « ... in cruce ac glorificatus », clarius dicatur: « Exaltatus autem in cruce ac *per resurrectionem et ad Patrem ascensionem* glorificatus ».

Linn. 16-19. Videntur auferenda, quia non apparet quid conferat ad subiectam materiam citatio *Rom.* 6, 4, multoque minus apparet nexus (« Etenim ») cum praecedentibus.

Lin. 19. Auferatur illud « praeterea », quasi agatur de re accidentali aut superaddita.

Lin. 20. Loco « ministeriis » dicerem potius « *charismatibus* ». Charismata enim sunt dona quae specialem aptitudinem conferunt ad rite adimplenda « ministeria » seu officia.

Linn. 22-30. Minime placent, prout iacent. Tria hic affirmantur: 1. Ecclesia est fundata super fundamentum Apostolorum, qui uti collegium sumi videntur; 2. in mandato docendi et regendi solummodo Collegium Duodecim nominatur; 3. affirmatur Petrus electus fuisse ut... etc., post *maioris* dilectionis professionem.

Circa haec tria dicendum habeo: 1. Indubitatum est Christum *explicite* aedificasse Ecclesiam suam supra Petrum singulariter sumptum (*Mt.* 16, 18), quod in schemate mire tacetur! E contra non eadem certitudine constat eum aedificasse super fundamentum apostolorum et prophetarum. Textus enim citatus *Eph.* 2, 20 non est clarae et pacificae exegeseos. In mente Pauli quinam sunt hi apostoli? quinam hi prophetae? Suntne Duodecim collegialiter sumpti? an tantum Petrus, cum illud plurale intelligi possit tamquam plurale « genericum »? (cf. *1 Cor.* 12, 28). Estne hic sermo de fundatione primordiali, seu constitutionali Ecclesiae universae, an tantum de origine apostolica, seu de fundatione ecclesiae particularis (cf. *Rom.* 15, 20 et *1 Cor.* 3, 10)?

In *Eph.* 2, 20 sermo esse videtur de *fidelibus* qui superaedificantur et cre-

scunt, non autem de *Ecclesia,* uti tali, considerata in momento *historico* suae fundationis a Christo.

Etiamsi, in extrema hypothesi, illi *apostoli* essent revera collegium Duodecim, sequeretur illud collegium esse fundamentum *fidelium,* non autem *Ecclesiae.*

Extranea intentioni Pauli videtur quaestio « constitutionalis » Ecclesiae, saltem hoc in loco. Alibi (*Gal.* 2, 9) apostoli pro Paulo sunt potius « columnae » Ecclesiae quam fundamentum.

Neque quidquam certi erui posse videtur ex *Apoc.* 21, 14, quia ibi sermo est — et quidem per genus litterarium apocalypticum — de caelesti Ierusalem, non de Ecclesia in phasi terrestri.

Ad 2. Utique mandatum docendi, regendi etc. datum est collegio Duodecim (in nota 4 melius diceretur: cf. *Mt.* 28, 18-20 collato cum *Mt.* 18, 18 et *Io.* 20, 23); sed prius datum est singulariter Petro (cf. *Mt.* 16, 19): quod mire in schemate tacetur!

Ad 3. Utique Christus interrogavit Petrum: « amas ne *plus his* »; sed in professione sui amoris Petrus non respondit « *plus his* ». Ergo auferatur vox « maioris » in lin. 26.

His praedictis formulam novam proponere audeo: « Hanc sanctam suam Ecclesiam, seipso semper summo angulari lapide manente, Christus Iesus super B. Petrum apostolum aedificavit, cui etiam, post eius fidei confessionem et dilectionis professionem, officium commisit ut fratrum suorum collegio praeesset, singulos etiam in fide confirmando, et universum gregem in perfecta unitate pascendo; atque sive Petro separatim (cf. *Mt.* 16, 19) sive collegio simul Duodecim apostolorum universale mandatum docendi, regendi et sanctificandi concredidit ».

Pag. 8, lin. 1. Loco « ... per eorum eorumque... » dicatur clarius « per *apostolorum* eorumque... ».

Pag. 8, lin. 4. Loco « et manifestavit » clarius dicatur « *et visibilem effecit* ».

Pag. 8, lin. 5. Loco « participatione celebrationeque » dicatur: « *celebratione et participatione* ». Prior videtur esse celebratio quam participatio.

Pag. 8, lin. 6. Quid significat « in regiminis fraterna concordia »?

N. 2, lin. 15. Loco « seiunctae », melius diceretur « *se seiunxerunt* ». Historice enim illa seiunctio fuit voluntaria.

Linn. 17-20. Propono novam formulam: « Fratres autem *seiuncti* qui in Christum quidem credunt et baptismum rite receperunt, *licet* perfecta Ecclesiae *catholicae* communione non fruantur, *quibusdam* tamen *communibus vinculis* nobiscum coniuncti sunt. Baptizati... ».

Lin. 23. Loco « ipsa Ecclesia » dicerem: « ipsa *unica Christi* Ecclesia ».

Lin. 23. Post verbum « vivificatur » adderem: « *ex miserentis Dei providentia qui neminem vult, sine culpa personali, perire* ».

Lin. 26. Verba « quibus quoque Ecclesiae unitas manifestatur » indigent, meo quidem iudicio, aliqua clarificatione.

Lin. 29. Post verba « vel communitatis », adderem: « *positis tamen semper conditionibus debitis sive ex parte ipsarum actionum sive ex parte subiecti,* procul dubio vitam etc. ».

Lin. 33. Quid significant verba « nequaquam in mysterio salutis significatione et pondere exutae sunt »?

Linn. 34-36. Meo quidem iudicio Spiritus Sanctus non utitur ecclesiis aut

communitatibus separatis, *ut talibus* (esset enim quasi recognoscere earum legitimitatem!), sed utitur mediis validis quae in illis, ex misericordia Dei, inveniuntur quaeque sunt veluti spolia et reliquiae pristinae communis Matris Ecclesiae!

Propono igitur novam formulam: « *Spiritus enim Christi uti non renuit salutis mediis quae in illis, tamquam divina unicae Sponsae dos, adhuc inveniuntur,* quorum virtus derivatur etc. ».

N. 3, lin. 4. Titulus inter uncos sit « De *catholicorum* oecumenismo », quia sermo est tantummodo de iis quae catholici facere debent.

Lin. 14. Post verbum « agnoscentes » addatur « *ad hos conatus fovendos* », ita ut melius clarescat nexus inter meliorem vitam catholicorum et oecumenismum.

Lin. 16. Loco « uberius participent » dicatur « uberius *ipsi* participent ».

Lin. 21. Loco « reddant » dicatur « redd*at* », claritatis gratia.

Linn. 23-25. Nimis generaliter asseritur, nimisque offensivum est pro catholicis, quasi ipsi omnes ipsique soli suam fidem digne non vivant. Propono igitur novam formulam: « ... tamen *non omnia eius membra* illo quo par est fervore *iisdem* utuntur, ita ut *genuinus* vultus Ecclesiae etc. ».

Pag. 10, lin. 7. Auferendum censeo illud « semper » quia superfluum.

Pag. 10, lin. 13. Loco « sibi quidem » dicerem « *Ecclesiae* quidem », ad vitandam aequivocationem.

Legitime quaeri potest: estne verum acatholicos per baptismum « apponi » Ecclesiae, eo sensu quem habet citatus locus *Act.* 2, 41? Ibi enim « appositae sunt », scil. sese adiunxerunt numero credentium, non solum per baptismum, sed prius per professionem eiusdem fidei (« receperunt sermonem eius, scil. Petri »).

Ergo clarius dicerem, lin. 13: « ... qui *christianorum* quidem *numero* per baptismum appositi, sed ab ecclesiastica etc. ». Insuper notula 28 ponenda mihi videtur non post verbum « appositi » sed post verbum « seiuncti sunt ».

Linn. 29-31. Quae hic dicuntur non possunt profecto *omnibus* catholicis commendari, etiam illis qui ad id muneris parati non sunt, quique proinde sese exponerent periculo amittendi fidem, et catholicam doctrinam irrisioni acatholicorum exponerent.

Dicerem proinde: « Deinde, *iuxta prudentes normas ab Ecclesia statutas,* una cum illis efficaciter... ».

Caput II. Titulus sit: « De Oecumenismi *catholici* exercitio ».

Lin. 1. Post verbum « pertinet » adderem: « *iuxta suam cuiusque conditionem* ». Nam non omnes eodem modo hoc officio adstringuntur.

Lin. 3. Loco « ... existentem... conducit », clarius dicerem: « *iam quodammodo existentem* manifestet... conduc*a*t ». Coniunctivus finalis.

N. 4. Titulus inter uncos non placet, quia mihi videtur aequivocus. Etenim illa renovatio « interior Ecclesiae » a fratribus separatis posset falso intellegi de mutatione *substantiali* Ecclesiae. Ceterum documenta allata in notula 1 loquuntur « de renovatione christiani populi morum », de « reformatione universalis Ecclesiae». Ergo in lin. 6 auferat bina vox « interior ».

Lin. 14. Loco « significationes » dicatur « formae ».

N. 5, lin. 21. Loco « A Spiritu divino » dicatur « A Spiritu Sancto ».

Linn. 23-27. Citatio litteralis *Eph.* 4, 1-3 debet fieri iuxta Vulgatam: ergo servanda eius interpunctio et graphia (e. g. « unitatem *s*piritus », non « unitatem Spiritus »).

Lin. 31. Citatio *Mt.* 20, 28, cum sit litteralis, debet fieri hoc modo: « ... qui inter nos " *non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis* " (*Mt.* 20, 28) ».

N. 6, lin. 12. Loco « ... cum contra... asseverant », cum pendeat a « Sciant insuper » lin. 10, sic dicatur: « ... decorantur; *e* contra eorum sanctitatem coram omnibus palam *testari* plenitudinem haereditatis qua in Ecclesia *catholici ipsi* fruuntur ».

N. 7, lin. 16. Non placet titulus precum « pro Ecclesiae unitate », quia aequivocus. Dicatur ergo « pro *christianorum* unitate ».

N. 9, lin. 10. Dicitur « quae melius veritati respondeat ». Cuinam veritati? dogmaticae? historicae? Auferenda est omnis aequivocatio.

Lin. 12. Post verbum « sacerdotes », adderem: « *praesertim qui inter fratres separatos versari debebunt* ».

Lin. 16. Dicitur « missionales *viri* ». Quare non etiam feminae? Dicatur ergo generaliter « missionales ».

Lin. 19. Loco « proficiscuntur » dicamus « *proficisci possunt* », ne videamur credere oecumenismum agere veluti ex opere operato!

N. 10, lin. 22. Loco « ab oecumenismo » dicatur: « ab oecumenismo *catholico* ».

Lin. 25. Post verba « explicanda est » adderem: « *quando cum eis agitur* ». Ratio est: quando non agitur cum fratribus separatis, non est necesse mutare nostram consuetam formam exponendi doctrinam nostram. Immo, etiam quando agitur cum fratribus separatis, nostra expositio debebit respondere necessitatibus huius vel illius sectae protestanticae: nam apud illos discordia maxima!

Lin. 33. Loco « qui ab omnibus possit vere comprehendi » dicerem melius: « qui *ab ipsis, quantum fieri potest, recte* comprehendatur ». Ratio est iam superius allata.

N. 11, pag. 18, lin. 10. Loco « bonorum non aequa distributio » dicerem: « bonorum *materialium* non aequa distributio ».

Pag. 18, lin. 13. Loco « ad unitatem christianam » dicerem « ad unitatem *christianorum* ».

Caput III. In genere id mihi videtur animadvertendum. Totum hoc caput est in describendis fuse et laudandis cum vero affectu iis quae fratres separati nobiscum communia habent. Optime! At nihil, aut fere nihil et nonnisi vago modo, dicitur de iis quae ipsis desunt!

Praesertim relate ad protestantes, clare dicendum est eos pluribus mediis carere divinitus institutis ad recipiendam, recuperandam et augendam vitam gratiae; eos carere magisterio authentico et infallibili; eos generatim carere sacerdotio sacramentali; eos carere regimine sacro.

Oecumenismus debet eos sincere iuvare ut clare percipiant et sentiant quanta eis desunt, quaeque ex voluntate Christi omnes fideles habere deberent.

Insuper in schemate numquam clare et explicite affirmatur fratres separatos posse quibusdam donis Dei frui solummodo *si et quatenus sint in bona fide.*

N. 12, lin. 4. Loco « opportunum » dicerem « necessarium ».

N. 13, linn. 18-19. Loco verborum « arbitra Sede... oreretur » dicerem: « *arbitro semper sedente,* iuxta communem *ac pacificum* consensum, *Pontifice Romano* si circa fidem vel disciplinam etc. ».

Linn. 23-26. Propono aliam formulam: « ... praevaluit atque praevalet *cura et studium* servandi, *inter particulares Ecclesias, amicales* illas in fidei caritatisque communione necessitudines, quae inter sorores vigere debent ».

Lin. 29. Loco « et in iuridico ordine » dicerem « *et in iuridicis institutis* ».

Pag. 21, lin. 2. Loco « definita sunt » legendum « definita *esse* ».

N. 14, lin. 7. Loco « ad instaurationem plenae canonicae et spiritualis communionis », dicerem: « ad instaurationem plenae *sive doctrinalis sive canonicae* et spiritualis communionis ». Non possumus enim ignorare fratres orthodoxos quasdam doctrinas non rectas habere.

N. 15, lin. 15 s. Sic amplificarem: « Omnibus quoque notum est *qua fide* christiani orientales *septem a Christo Domino instituta Sacramenta teneant iisque tamquam gratiae divinae instrumentis utantur,* quanto cum amore liturgica Sacra etc. ... ».

N. 16, lin. 9. Loco « nimis » ponendum videtur « satis ».

N. 17, lin. 15. Dicatur « de diversa *interdum* theologica etc ».

Lin. 18. Loco « protenduntur » dicerem « *legitime* sese *protendere possunt* ». Ratio: non videtur statuendum « factum » sed sola possibilitas facti.

Lin. 21. Loco « quam discrepare » dicerem: « quam *substantialiter* discrepare ».

Lin. 28. Loco « ad viam unitatis » dicerem « ad viam *unionis* ».

N. 19. Sub hoc titulo Valdenses et Hussitae non comprehenderentur.

Linn. 14-18. Hoc comma penitus auferendum censeo quia, cum ingrediatur in meritum quaestionis, saltem insufficiens dicendus est, et historiae non plene congruens. Non pertinet ad Concilium instituere processum historicum.

Lin. 23. Loco « et supernaturalibus donis elevari possunt » dicerem: « et supernaturalibus *quibusdam* donis *ditari* possunt ».

N. 20, lin. 34. Loco « vires sibi hauriunt » dicerem « vires sibi *haurire possunt* ». Statuatur possibilitas, non factum!

N. 21, lin. 5. Loco « sibi loquentem inveniunt » dicatur « sibi loquentem *invenire possunt* ». Eadem ratio ac supra.

N. 22, lin. 26. Loco « in Christo ulterius » dicerem « in Christo *per Ecclesiam* ulterius ».

Lin. 29. Post « illud voluit » addatur « , *Ecclesiam scil.* ».

10

Exc.mus P. D. VILLELMUS CONWAY

Episcopus tit. Nevensis, vic. cap. Armachanus

Cap. I: par. 2, pag. 8, lin. 19. Loco « quadam tamen communione nobiscum coniuncti sunt », forsitan melius esset dicere « quodam tamen modo nobiscum coniuncti sunt ».

Cap. II: pag. 15, lin. 1. Post verbum « pertinet » velim ut inserantur verba « sub ductu et auctoritate Pastorum in Ecclesia ».

Par. 7, pag. 16, lin. 22. Post verba « In quibusdam peculiaribus rerum adiunctis », velim ut inserantur verba « de quibus iudicare valet Ordinarius loci ».

11

EXC.MUS P. D. IOSEPH ANTONIUS DAMMERT BELLIDO
Episcopus Caiamarcensis

Cap. III, pars I: « De Ecclesiarum orientalium peculiari consideratione ». Considero que debe ser unido con la « Pars II, De unione christianorum orientalium » del esquema « De Ecclesiis orientalibus », porque tienen muchos puntos en común que se repiten. De la fusión de ambas partes resultará una mejor presentación.

El lugar definitivo de esta materia debe ser en este esquema *de Oecumenismo,* suprimiendo la « pars II » del esquema *de Ecclesiis orientalibus.*

12

EXC.MUS P. D. SALOMON FERRAZ
Episcopus tit. Eleuthernensis

In quaestione de protestantibus ad Ecclesiam Matrem revocandis, nihil dictum est de methodo seu de praxi tenenda; de qua re iudico opportunum ea quae sequuntur declarare, quae ex experientia mea deprompsi, cum et ego e Protestantismo ad Ecclesiam Romanam veni.

1. Necesse est in illis recognoscere *elementa positiva,* quae ex religione catholica traditionali retinent. Etenim, separationes ab Ecclesia Matre, praescindendo a causis ordinis temporalis, ex eo ortae sunt, quod aliquae veritates, vel neglectae tunc temporis, vel minus bene explicatae, a dissidentibus nimis exclusive elaboratae sunt. Aliarum vero veritatum, tantum quosdam adspectus consideraverunt, aliis plene neglectis. At vero, nunc, ex contactu cum catholicis, in non paucis, quandam concordiam obtinuerunt, saltem in quibusdam doctrinis summi momenti uti sunt: iustificatio ex fide simul et operibus; notio peccati etiam originalis; conversio et sanctificatio, valor scripturarum, sacramentorum et Traditionis etc.

2. Protestantes *laudandi sunt* quoad eorum activitatem missionariam, per quam innumeros paganos ad familiam fidei christianae per Baptismum adduxerunt, et etiam quoad eorum zelum, in studiis biblicis et apud vulgus bibliarum et speciatim evangeliorum latam diffusionem.

3. *Anglicani* vero, in specie, considerandi sunt omnino benemerentes, ob novam positionem quam audacter, coram eorum natione et mundo universo, assumpserunt, in relatione cum S. Sede Romana et cum ipso Summo Pontifice. Sententia autem Leonis XIII circa ordines anglicanos, non videtur esse infallibilis, neque desunt theologi et canonistae catholici qui eos ut validos propugnant.

4. Tandem *methodus adhibenda* in unione cum Protestantibus procuranda, haec mihi videtur:

a) Tamquam *conditio praevia sine qua non* adhibenda est assidua oratio sive individualis sive collectiva.

b) Servandus omnino est ordo hierarchicus valorum christianorum fere hoc modo:

Primo loco procuranda est *unitas in fide Christi* Salvatoris Nostri Filii Dei Vivi, qui est Secunda Persona Sanctissimae Trinitatis, ex cuius pretiosissimo Sanguine, redempti, iustificati et salvati sumus.

Ex hoc dogmate fundamentali, faciliter, alia dogmata erui possunt, et sic acceptari a fratribus separatis, dummodo distinguamus simplicem quandam fidem vere sufficientem ab eiusdem fidei ampliori et intensiori comprehensione in posterum progressive adquirenda, ut etiam fit cum catholicis ipsis.

Secundo loco, procuranda est *unio sacramentalis,* agnoscens sacramenta, ubicumque illa vere existant, tamquam fontes gratiae Christi, per Ecclesiam hominibus communicatae.

Tertio loco, veniet *unitas iuridico-disciplinaris,* in ipso episcopatu hierarchico et magisterio ecclesiastico, sub unico capite visibili, *S. Petri successore,* et Communio cum eiusdem Apostolica Sede.

Quaevis inversio istius ordinis valorum difficultates maximas inveniet in revocandis fratribus in occidente separatis, quibuscum tractus noster debet esse ornatus tribus illis qualitatibus, quibus Summus Pontifex sanctae memoriae Ioannes XXIII, in hoc munere mihi designando, adhibendas hortatus est: scil. *comprehensione, respectu* et *amore.*

Sic praeter contactus illos a schemate praevisos, inter theologos utriusque partis, optimum omnino esset resumere Conferentias sic dictas Malines: denique universam legislationem canonicam has relationes nimis rigide statuentes, mox attenuare seu modificare.

13

Exc.mus P. D. ALBERTUS ALOISIUS FLETCHER
Episcopus Petriculanus

In schemate *de Oecumenismo* in finem post n. 11, ego infrascriptus Ordinarius episcopus emendationem sequentem propono:

Normae pro Oecumenismo a commissione pro unione christianorum edentur, quibus limites actionis a clericis necnon laicis observandi, in Oecumenismo fovendo, praescripti erunt. Apud omnem vero conferentiam nationalem episcoporum constitui debet commissio pro unione christianorum, cuius sub vigilantia, secundum normas a commissione Pontificia latas, conventus oecumenici cum fratribus separatis ordinari possunt et debent. Officium huius commissionis episcoporum erit Oecumenismi veri nominis promovendi et praecavendi ne per falsam speciem Oecumenismi periculum indifferentismi apud catholicos necnon apud fratres separatos orietur.

Ratio: Pericula indifferentismi in variis propositis aut etiam factis. Sequentia uti licita et opportuna a quibusdam proposita sunt:

1. Ministros fratrum separatorum, utique bene erga Ecclesiam dispositos, invitatu sacerdotum, *in sanctuariis ecclesiarum* nostrarum coram catholicis fidelibus theologiam sectae propriae illustrare.

2. Occasione exercitiorum spiritualium, pro catholicis simul ac acatholicis, apud aedificia autem catholica, ministros adesse ut in rebus spiritualibus suis fratribus separatis consulant.

3. Catholicum saepius frequentare (etsi modo passivo) ecclesiam acatholicam, tempore cultus officialis, cum consors huius fidelis acatholica sit.

4. Pueros catholicos frequentare scholas neutras, etsi sine difficultate scholam catholicam frequentare possint.

5. In matrimoniis « mixtis », filios educare in religione genitoris eiusdem sexus.

6. Ecclesiam agnoscere validitatem nuptiarum coram ministro civili vel ministro acatholico contractarum, etiamsi una saltem pars catholica sit.

7. Ecclesiam dispensare supra impedimento mixtae religionis, *cautionibus* praetermissis.

Ratio: Ulterius quaeritur:

1. Si sacerdotes per modum habitus in ecclesiis fratrum separatorum de vera fide loquentur, nonne desiderabunt ministri pro fratribus separatis item de eorum doctrina in ecclesiis nostris loqui? Nonne fratres offensam praestabimus si id non conceditur? Et si doctrinam eorum praedicabunt in nostris aedificiis, nonne periculum indifferentismi inveniatur?

2. Praebaturne ministris acatholicis locum in sanctuario nostro tempore ritus liturgici? An permittitur sacerdotibus locus in sanctuario aliove simili situ dum ritus acatholici in ecclesiis eorum peragantur?

3. Etiam in precibus in conventibus oecumenicis, nonne aptae cautelae adhiberi debent ne quidam « cultus officialis oecumenicus » tamquam « ritus indifferentismi » oriatur?

Schema tamen mihi permultum placet et em.mo card. Praesidi et rev.mis Patribus conciliaribus huius commissionis gratulor et me gratissimum profiteor.

Speramus fore ut haec et permulta similia pericula evitari possint per normas a S. Sede latas et per vigilantiam episcoporum.

14

Exc.mus P. D. DOMINICUS SENYEMON FUKAHORI
Episcopus Fukuokaensis

Hoc schema mihi videtur perfecte elaboratum, quapropter nihil est mutandum, addendum vel delendum. Mihi placet.

15

Exc.mus P. D. IOSEPH GAWLINA
Archiepiscopus tit. Madytensis

Cap. I: aequilibratum, elegans, optimum videtur.

Cap. II. A Spiritu divino inspirata videtur iam selectio verborum « gratia sincerae abnegationis, humilitatis et mansuetudinis in serviendo, fraternae in alios propensionis ». Acatholici enim maxime queruntur de sic dicto « imperialismo » romano, qui eos aliquo modo quasi « hamo capere » vellet. Caput istud talem suspicionem omnino removet.

Pag. 18, lin. 7 addatur: « *sive in defendenda Fide contra colligatos hodie Dei inimicos* » (uti scriptum est in laudata S. C. S. Officii Instr.: De motione oecumenica). *Ratio*: omissio huius argumenti coniectare sinit decretum rem maximi momenti tamquam incommodam silentio praetermittere voluisse; attamen fratres separati hoc adiumentum a nobis qua validissima parte christianitatis exspectant, licet illis saepe, praesertim ab atheis guberniis oppressis, non apte conveniat apertis verbis loqui.

Cap. III. Caput hoc, oculis acatholicis lectum, videtur esse adhortatio ad clerum latinum, eo quidem modo, ut acatholicis demonstretur: « quantum mutati simus ab illo », ideoque timendum est, ut a fratribus seiunctis uti vox plenae sinceritatis censeatur.

a) Pag. 20, linn. 8-9: « *haereditas ab apostolis accepta* » ambiguum esse videtur. Quis accepit? Apostoli aut eorum successores? Melior igitur videtur *suppressio* vocabulorum « *est, quique inde* », aut loco « accepta » dicendum forsan: « tradita, participata, acquisita ».

b) Pag. 20, lin. 18. Nomen « *arbitra* » Sede romana, quamvis verissimum, nimis arbitraliter sonat, quod in circumstantiis oecumenicis evitandum putatur. *Proponitur* sequens formula: « Sede romana dirimente ex communi consensu dissensiones et dissidia, si quae circa fidem vel disciplinam inter eas orirentur ».

c) Pag. 22, lin. 36: « nihil ultra imponere oneris quam necessaria » (*Act.* 15, 28) hic non convenienter posita videntur, cum Actus Apostolorum de re omnino differente loquuntur. Insuper ipsa mentio impositionis *oneris minus ad relationes oecumenicas* accommodata videtur.

d) Pag. 23, lin. 2: addatur in parenthesi: (S. Ignatii Antiocheni: ἡ προκαθημένη τῆς ἀγάπης). *Ratio*: a Patre graeco desumptum argumentum sensum nostrum iuvare potest.

e) Pag. 23, lin. 15: melior videtur transmutatio: « homo ex gratia Dei tantum » loco « homo tantum ex gratia Dei ».

f) Pag. 23, lin. 20 loco: « deviciantur » ponatur « devinciantur ».

16

EXC.MUS P. D. CAROLUS P. GRECO
Episcopus Alexandrinus

Placet.

17

EXC.MUS P. D. CAROLUS HERMAN HELMSING
Episcopus Kansanopolitanus - S. Ioseph

This Schema is to be commended most highly. It is especially gratifying to note the spirit of charity and respect displayed towards our separated brethern.

Directives and suggestions from the Secretariate for the Unity of Christians concerning the dialogue with non-Catholics and concerning prayer in common with our separated brethern would be very welcome.

There is still need, however, either in this Schema or in some other, for a conciliar statement regarding religious liberty.

Although this Schema *De Oecumenismo* is rightly concerned with Christians who are separated from the Catholic Church, it would, nonetheless, be desirable to have a conciliar statement concerning the Jews and our relationship with them.

Following the lead of the Encyclical « Pacem in Terris », in this or in some other Schema, a message of love and respect should be addressed to all men of good-will, even to non-believers, e. g. Moslems and even to pagans, e. g. Buddhists.

18

EXC.MUS P. D. ANDREAS R. JACQ
Episcopus tit. Cerasenus

Hoc schema mihi valde placet. Attamen, ad cap. I, n. 3, pag. 10, lin. 30 et ad cap. II, n. 10, pag. 17, lin. 20: Notio oecumenismi quam fratres separati fovent, intelligitur potius notio « indigentiae » in eo sensu: quaerunt veritatem « minimam » quae possit ab omnibus suis ecclesiis admitti, in qua fundatur « unitas » (cf. Congressum in New Delhi, dec. 1961).

Notio veri oecumenismi est in plenitudine revelationis ad quam assequendam omnes invitantur in unitate Christi.

Optandum est ut clarius appareat haec plenitudo quae omne syncretismum religiosum penitus reiicit.

19

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS JAEGER
Archiepiscopus Paderbornensis

Schema generaliter placet, quia exhibet solida fundamenta doctrinalia oecumenismi catholici et hisce in rebus validas normas fidei consentaneas activitati catholicorum praebet et etiam de acatholicorum christiani nominis haereditate eo modo tractat, ut unitati christianorum fovendae provideat.

Schemate mature deliberato propono sequentes emendationes:

Pag. 7, n. 1, lin. 10: post verba « in aeternum » addatur: et Ecclesiae est unitatis increatum principium. *Ratio*: Hoc additamentum ex Encyclica *Mystici Corporis* desumptum indicat internum Ecclesiae unitatis principium. Haec genuina catholica doctrina etiam sub aspectu oecumenico plurimum valet (cf. *Mystici Corporis,* ed. Herder, Friburgi Brisgoviae, pag. 58 et 64).

Pag. 8, n. 2, lin. 24: post verbum « saepta » addatur: quae Christus per Spiritum Sanctum operatur. *Ratio*: ut iterum Spiritus Sancti operatio vocetur, qui etiam extra Ecclesiae visibilia saepta gratiam operatur (cf. Decreta S. Off. de 7 dec. 1960, Denz. 1295, et Const. dogm. *Unigenitum* de 8 sept. 1713, Denz. 1379).

Pag. 9, n. 3, lin. 40: loco verbi « Vestigia » potius ponatur: Beneficia. *Ratio*: « Vestigia » Christi minus dicit. Terminologia « vestigia » in contextu ecclesiologico saec. XVI introducta est a Calvino, qui loquebatur de « vestigiis Ecclesiae » in Ecclesia catholica-romana.

Pag. 17, n. 11, lin. 34: haec paragraphus initium sumat hoc additamento apposito: In conspectu mundi omnes christiani nominis confessores fidem in Deum unum et trinum in Filium Dei incarnatum, Dominum et Redemptorem nostrum, profiteantur et communi conatu testimonium reddant spei nostrae, quae non confundit. *Ratio*: in n. 11 huius schematis solummodo de cooperatione in rebus socialibus agitur. Sed in conspectu mundi saecularizati et a materialismo infecti commune quoddam testimonium christianum exhiberi oportet, quod v. g. in quibusdam regionibus missionalibus coram guberniis civilibus saepius necessarium videtur.

Pag. 23, n. 19, linn. 14-18: loco huius textus potius dicatur: Exstant adhuc

rationes imprimis theologicae, quae diremptionis vel seiunctionis statum sustinent, quas Reformatores saec. XVI sic dictis « sola-formulis » exprimere intendebant et quae praesertim in ecclesiologia manifestatur. *Ratio*:

1. Formula in schemate adhibita quamvis unum aspectum controversiae recte indicat, tamen non est conveniens, nam *a*) adhibet terminologiam fratribus separatis difficilem intellectu, cum discernat mediationem *essentialem* ab alia quadam mediatione. *b*) Nec anglocatholici anglicani nec lutherani confessionales (confessionibus reformatoriis adhaerentes) simpliciter concederent, se omnem mediationem essentialem reiicere. E contra dicerent, verbum Dei praedicatum et sacramenta rite administrata media esse aliquo modo « essentialia ». *c*) Adest motio in communitatibus reformatoriis praesertim lutheranis et anglocatholicis, quae insistit in mediatione Ecclesiae et sacramentorum.

2. Formula nova proposita valde caute incedit: *a*) Non conatur omnes controversias reducere ad unum principium, qua in re nemo hucusque perfecto modo successit. *b*) Declarat Reformatores ipsos rationes separationis sic dictis « solaparticulis » exprimere voluisse, v. g. « sola scriptura », « sola fide », « sola gratia », « solus Christus », « solus Deus ». Attamen formula nostra non asserit, hisce formulis revera ultimum separationis principium declaratum esse. Hoc nec asseritur, nec negatur. *c*) Omnes tam catholici quam protestantes hodie concedunt, separationis causas aperte manifestari in ecclesiologia. Constat quaestionem de successione apostolica divino iure instituta maxime dividere christianos et hanc successionem in magisterio auctoritativo et infallibili viventem esse cardinem totius controversiae.

Pag. 24, n. 21, lin. 6: post verbum « factum » addatur: Evangelium « virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudaeo primum et Graeco » (*Rom.* 3, 16). *Ratio*: ut indicatur efficacia verbi Dei, quod bona fide errantes habitu fidei in baptismate accepto suscipiunt.

Pag. 24, n. 22, linn. 16-17: dicatur: Baptismi sacramenti, ubicumque iuxta Domini institutum rite confertur... *Ratio*: verbum « rite » ideo alio loco inseritur, ut etiam illud « debita animi dispositione » aliquomodo iungatur cum effato « iuxta Domini institutionem ».

Pag. 24, n. 23, lin. 32: post verbum « atque » addatur: ex auditu verbi Dei est... *Ratio*: ut dicatur, fidem in Christum ex auditu verbi Dei provenire (*Rom.* 10, 17).

Pag. 24, n. 23, lin. 33: loco verbi « autem » ponatur verbum: quidem. *Ratio*: autem indicare potest quoddam contrarium, quod hic non intenditur.

20

REV.MUS P. D. IOANNES B. JANSSENS
Praepositus generalis S. I.

Hoc schema bene placet. Bonum tamen erit ut totum, qua totum, revideatur, ut vitetur ne pluries eadem repetantur. Quale iacet, videtur ex variis partibus contextum quae non plene ad unitatem redactae sint. In specie paucissima noto:

N. 2, lin. 15: « ampliores natae sunt dissensiones »; dicatur simpliciter « graves quoque » vel « amplae quoque... ». Quaeret enim quis num dissensiones hodiernae ampliores sint quam v. g. Arianismus, immo nonnullae dissensiones an-

tiquiores, si eorum momentum relativum ponderes, spectata diffusione Ecclesiae illa aetate.

N. 7, linn. 26-27: difficultatem mihi facit illud « remota quavis communicatione in cultu officiali ». In regionibus mixtis, quales Proximus Oriens, praxes vigent quae Romae non tolerandae viderentur, et in quibus tamen omnes norunt nullam ne minimam quidem adesse agnitionem cultus dissidentis tamquam legitimi, nec ullus « indifferentismus ». Si v. g. ut contingit, Copti dissidentes atque Copti uniti simul partem divini officii cantant ad intentionem unionis; num offendunt contra aliquod principium dogmaticum? Ne plus imponamus quam quae necessaria sunt, ut recte alibi dicitur in eodem schemate. Multa eiusmodi exempla afferri possint. Caveamus ne conceptum quandoque nimis angustum theologorum occidentalium de « communicatione in sacris », urgeamus in Concilio.

21

EXC.MUS P. D. IOANNES IOSEPH KROL
Archiepiscopus Philadelphiensis Latinorum

In genere:

Schema brevissimum succinctissimumque est. Paucae tantum animadversiones fieri possunt.

In specie:

1. Oecumenismus secundum conceptum modernum clare definitur (pag. 10, lin. 32) et approbatur uti res summi momenti pro Ecclesia et omnibus fidelibus; Oecumenismus nam exstat in mundo « Spiritu Sancto afflante ». Finis et obstacula inaequivoce enuntiantur, sed aspectus diversi ad impletionem motus necessarii dantur nonnisi modo schematico et non in modo concreto. Exemplum praeclarum huiusmodi habetur, in discussione « De modo exprimendi et exponendi doctrinam fidei » (pag. 17, n. 10), ubi enuntiatio principii poterit efficere ut difficultates sentiantur et disputationes habeantur: « Simul autem fides nostra eo modo eaque ratione explicanda est, qua intelligi possit etiam a fratribus separatis, qui persaepe theologica institutione, cultura, historia et psychologia, a nostra admodum diversa, pollent ». Haec enuntiatio continet expressionem desiderii sat diffusi per mundum ut doctrinae fidei praesententur modo magis biblico et patristico, sed admittiturne possibilitas proclamandi veritates catholicas terminis sumptis e philosophia existentialistica et kantiana qui praedominant in scriptis theologicis Protestantium, et si talis est, quomodo et quousque traditionalis praesentatio theologiae catholicae thomisticae hoc principio afficietur?

2. Summum pondus huius schematis non dogmaticum est quia curat de mediis adimplendi orationem Domini Nostri pro unitate. Unum punctum dogmaticum, tamen, centrale est hac in discussione: quaenam est praecise relatio rite baptizati acatholici erga Ecclesiam? « ... quadam tamen communione nobiscum coniuncti sunt » (pag. 8, lin. 19). « ... qui sibi quidem baptismate appositi, sed ab ecclesiastica communione seiuncti sunt » (pag. 10, linn. 13-14). Quomodo haec dicta concilientur paragraphis pertinentibus Encyclicae *Mystici Corporis* de membris Corporis mystici? Notari liceat card. Bea dixisse, " All who have been baptized validly in Christ, even outside the Catholic Church, have been by the fact of their baptism organically bound to Christ and so to His Mystical Body "

(The Council and a Sense of Renewal, Duff, *Guide,* pag. 12). Explanatio sacramenti baptismatis data (pag. 24, lin. 23) scil., ut « dumtaxat initium et exordium » non videtur plene et complete resolvere quaestionem hanc delicatissimam.

3. Pag. 10, lin. 9: « ... divisionibus christianorum splendor vultus Christi in Ecclesia *aliquantum* obscuratur... ». Liceat notare verbum *aliquantum* non satis forte videri et non videri exprimere sensum impellentis necessitatis praesertim cum comparetur declarationi World Council of Churches datae Novi Delhi, anno 1961, in qua disunitas christianorum declaratur verum scandalum.

4. Pag. 9, lin. 39: « Vestigia enim Christi et dona Spiritus Sancti in vita aliorum agnoscere aequum et salutare est ». Vox *vestigia,* saltem secundum connotationem in multis linguis modernis habitam, significat parvum indicium vel signum (anglice trace) alicuius rei iam perditae. Itaque non videtur terminus consonans ad designandas illas res nunc ab acatholicis possessas et ad describenda elementa vitalia Protestantismi quae postea in schemate enumerantur (pag. 24), scil., fides in Christum, acceptatio atque veneratio Scripturarum, sacramentum baptismatis, oratio privata et publica, et cultus communitatis ad laudem Dei adunatae. Suggeritur itaque vocem « vestigia » fieri « bona ».

5. De Ecclesiis orientalibus schema pulcherrime ostendit nostram haereditatem communem et illud principium quod unitas in varietate etiam in Ecclesia Dei valet. Fortasse, tamen, maior emphasis, sine ulla haesitatione, dari posset veritati quod paries infiduciae et disaffectationis non habet locum inter illos qui credunt in Christum Dominum et itaque illa paries in spiritu amoris sacrificialis erui debet.

22

Exc.mus P. D. NICOLAUS MARGIOTTA
Archiepiscopus Brundusinus

Cap. II: (De oecumenismi exercitio). In relazione al n. 8, si ritiene opportuno che, pur rimanendo l'indice dei libri eterodossi (eliminare la parola « proibiti ») quale utile indicazione, sia tolta la scomunica per chi legga o detenga libri dei quali sia vietata la lettura. Se infatti si auspica che, « catholici acquirant oportet omnino meliorem fratrum separatorum doctrinae et historiae, vitae cultualis et asceticae cognitionem, psychologiae religiosae nec non culturae quae fratrum separatorum propria est etc. » è conveniente che in modo concreto si favorisca tale conoscenza, eliminando le remore. Si aggiunga che oggi l'efficacia della pena è irrilevante perchè moltissimi fedeli leggono ogni cosa di cui abbiano desiderio senza preoccuparsi del divieto. Una buona parte lo fa in buona fede, altri sono già fuori della Chiesa, altri infine sono dei buoni fedeli ai quali si potrebbe concedere fiducia.

23

Exc.mus P. D. IOANNES CAROLUS McQUAID
Archiepiscopus Dublinensis

Cap. II, par. 7. Constat apud simplices fideles qui, veteri catechesi instituti, ab infantia haeresim toto corde oderunt, perdifficile, sin impossibile, esse intellectu

quomodo hodie licita fit oratio cum haereticis communis, quin et licita matrimonii et funeris ritibus adsistentia.

Valde diuturna opus erit animarum praeparatione ne scandalum, immo et fidei detrimentum, sit oritura.

24

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Je ferai, à propos de chaque chapitre de ce Schéma, les remarques suivantes:

Cap. I: *De Oecumenismi catholici principiis.*

a) Ce chapitre présente l'Œcuménisme, avec raison, comme un *Mouvement.* Il s'agit donc d'actions, d'attitudes concrètes et d'intentions droites qui orientent ce Mouvement et l'amèneront petit a petit à son but.

L'on s'appuie ici sur ce que l'on a affirmé, dans le Schéma dogmatique « de Ecclesia »: unité de l'Eglise et les relations où se trouvent nos Frères non-catholiques par rapport à elle, comme étant la Catholica, la plénitude du Christ Seigneur.

b) On insiste, dans ce chapitre, sur le caractère dynamique du Mouvement œcuménique. C'est certainement une de ses caractéristiques, si on l'envisage à l'intérieur de la Catholica.

Mais cette caractéristique semble ici superflue, étant donné que *dynamique* est un autre nom de *catholique.*

A-t-on voulu signifier par dynamique le caractère de la Mission? Mais cela est aussi compris dans la dénomination de *catholique.*

c) Ne serait-il pas regrettable que ce chapitre ait l'air de canoniser les appellations « Eglises » et « Communautés », pour parler des dissidents Orientaux et des Protestants?

Pourquoi veut-on que « Eglises Orientales », comme est souvent noté dans les remarques des pages 12 et 13 ne désignent que les dissidents et que les Communautés unies à Rome soient privées de cette appellation?

Il semblerait, à lire les textes, que la dénomination « Eglises *Orientales* » désignerait les Communautés dissidentes orientales. Ne vaudrait-il pas mieux les appeler « Eglises *non-catholiques* »? Les Catholiques Orientaux unis à Rome mériteraient tout autant, je pense, que leurs Frères non-catholiques, la même dénomination d'Eglises *Orientales.*

Cela détruirait toute équivoque. Les Orientaux dissidents ne veulent pas considérer comme *Orientales* les Communautés unies à Rome. A leur avis ces dernières seraient à considérer comme occidentales, ayant déserté leurs Communautés proprement Orientales: et donc elles ne mériteraient pas la dénomination d'« Eglises *Orientales* ».

Cap. II: *De Oecumenismi exercitio.*

Nous avons ici un chapitre excellent. Les auteurs de ce texte insistent, avec raison, sur les moyens de développer ce Mouvement œcuménique. Ils donnent la primauté à la prière, à la vie intérieure, aux activités spirituelles.

Cap. III: *De christianis ab Ecclesia Catholica seiunctis.*

a) L'on est étonné de voir ce texte *uniformément* élogieux des Dissidents.

b) Certes, de temps à autre, le négatif est signalé, mais très discrètement. Il

faudrait, me semble-t-il, noter qu'à côté de la charité, qui doit être absolue, de part et d'autre, entre catholiques et non-catholiques, il y a nécessairement un point de vue doctrinal, qui ne se résoudra que dogmatiquement.

c) Par ailleurs, le chapitre parle du baptême des Protestants, comme s'il était toujours valide et authentique. Ne faudrait-il pas exprimer le désir qu'il le soit toujours, et dans toutes les Communautés protestantes?

Il y a bien, certes, une sourdine à l'optimisme du Schéma au par. 22 et à la fin du par. 23, mais très rapide, à mon gré.

d) N'aurait-on pas pu, dans ce chapitre, faire allusion délicate à tous les particularismes qui entretiennent les séparations à l'intérieur même des « Eglises non-catholiques »?

e) Malgré ces quelques remarques, il me semble toutefois que l'esprit de ce chapitre est en conformité avec la tendance générale aujourd'hui, de passer sous silence le négatif qui sépare, et d'insister sur le positif qui rapproche, sans aucune compromission d'ailleurs. On est attiré par les grands Mouvements, par les bonnes intentions qui ont été au point de départ de ces Mouvements. Dans ces intentions, il y a, certes, des valeurs positives. Et ces valeurs, l'Œcuménisme Catholique cherche à leur donner place dans notre dogmatique, suivant les paroles de S. Paul: « si quae vera, si quae iusta... etc. » surtout si ces valeurs font partie de la Tradition vraie et authentique que l'Eglise catholique reconnaît comme sienne, par delà certaines formes de pensée ou de vie qu'elle a adoptées au cours des siècles et qui l'ont un peu sclérosée.

Notre texte semble authentifier le Mouvement de prières qui, depuis des années, amène Catholiques et non-Catholiques, à désirer l'unité.

Ce texte dit du nouveau. Rendons grâce à Dieu. Et souhaitons que tous ceux qui s'honorent du nom de chrétien travaillent à une conversion de pensée et de cœur, fondement d'une véritable rencontre, dans l'Evangile et la Tradition, sous l'action du Saint Esprit, du Père et du Fils.

25

Exc.mus P. D. THOMAS ALBERTUS NEWMAN
Episcopus Promensis

Hoc schema *de Oecumenismo* tam pulchre et fortiter ea omnia enumerat quae tenentur in communi apud christianos, ut faciliter obliviscantur fundamentalia in quibus non convenimus. In eius amore haereticorum (materialium, si vultis), odium doctrinis haereticis debitum nimis minuitur. In hac re in quantum nec episcopi nec sacerdotes omnes sunt periti, nonne esset aliquid maximae utilitatis, immo et necessitatis Directorium publicare, ad eorum usum privatum, principia veri oecumenismi necnon viam rectam procedendi in unitate promovenda clare et aperte proponens?

26

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN-VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

a) In hoc schemate, demonstratur vera sollicitudo de positivo, comprehensivo ac fraterno sensu erga fratres separatos: « Quaecumque sancta... iusta... vera... ».

probe agnoscuntur. Insimul sincere cum caritate notatur apud eos haud pauca desiderari ad hoc, ut divina oeconomia apud eos plenos fructus obtineat.

b) Perplacet notatum esse prospectum de Ecclesia, toti schemati subiacentem, illum esse de Ecclesia « divina hominum in Christo familia », in qua, « fratres » inveniuntur dolenter « separati ». Immo Ecclesia diserte declaratur: « familia Christi » (cap. I, n. 1, pag. 8, lin. 3), « familia catholica » (pag. 9, lin. 19).

c) Stylus generatim clarus et facilis est. In n. 1 de Ecclesiae unitate et unicitate pag. 7, lin. 9, cum subiectum verbi « instituit » sit nimis distans, ad maiorem claritatem, ante verba « in Ecclesia sua » (lin. 8), addatur « *ipse* ».

d) In n. 2, pag. 8, lin. 19, addendum crederem verbum « vera », ante « quadam tamen ». Ratio est quia vox « quadam » seiunctim adhibita, aliquem sensum minimizantem facile ingerit; temperata a voce « vera », talem impressionem aufert et melius respondet expositioni et schematis intentioni.

e) N. 3, pag. 9, lin. 7, loco « ius et officium », melius diceretur: « officium et ius », quia officium fundat ius et non e converso.

27

EXC.MUS P. D. HENRICUS NICODEMO
Archiepiscopus Barensis

I. *Animadversio generalis.* Etsi schema perlaudabile videatur, aliquae tamen affirmationes fortasse temperandae vel minuendae sunt. Ratio non est quod affirmationes illae verae non sint. Verae utique obiective sunt, sed in aequivocationem inducere possunt. E. g. indico nn. 2 et 3 cap. I. Item determinandum est sub cuius moderamine incepta, de quibus agitur, implenda sunt. Insuper distinguendum est, meo iudicio, inter regiones catholicas et regiones mixtae religionis. Videtur quod in praxi diversimode pro diversis locis agendum sit ne oecumenismus in detrimentum religionis catholicae vertatur.

II. Cap. III, I, 12. Quod in fine huius numeri affirmatur, quod nempe quae de elementis etc. maxime ad orientales Ecclesias pertinent, et suo loco opportune dicendum venit.

28

EXC.MUS P. D. ALFREDUS OBVIAR Y ARANDA
Episcopus tit. Linoensis, adm. ap. Lucenensis

Cap. I, n. 3. Praeter orationes in lin. 22 dicatas ad unionem christianam obtinendam, optandum est etiam ut filii S. Matris Ecclesiae vitam moderatam et simplicem secundum Evangelium peragant.

29

EXC.MUS P. D. RENATUS PAILLOUX
Episcopus Arcis Rosebery

1. Ad n. 7, linn. 22-35. In hoc numero dicitur quod « licitum, immo opportunum est catholicos viros cum fratribus separatis in oratione consociari... remota quavis communicatione in cultu officiali ».

In hoc respectu, clarae regulationes desiderari videntur ut unusquisque certo sciat quid legitime fieri possint annon.

In particulari, accuratior definitio requiri videtur de iis quae « cultum officialem » constituunt. Censetur quod S. C. S. Officii Instructio de Motione oecumenica aliquo modo ad mentem numeri 7 huius schematis extendi indigeat, ita ut mixtae congregationes, quae occasione Octavae pro Unitate fiunt cum lectionibus et precibus a catholicorum et protestantium virorum commissione praeparatis — seclusis functionibus liturgicis proprie dictis — tuta conscientia haberi possint.

2. Ad n. 22: *De sacramento Baptismi.* Quod ad pastoralem praxim attinet, valde utile foret si Protestantes communiones, aliquo modo, forsitan mediante secretariatu pro unitate, adduci possent ad Baptismum conferendum in forma cum catholica praxi consentanea, ita ut dubia de validitate Baptismi in Protestantibus communionibus confecti ad minimum reducerentur.

Nobis videtur quod talis consensus, si forte obtineri posset, aliquod initium fraternae cooperationis institueret et mutuam aestimationem sacramenti Baptismi fovere posset.

30

Exc.mus P. D. THOMAS LEO PARKER
Episcopus Northantoniensis

Page 8, line 2. Suggest the word " schismata " be in inverted commas as the word is not being used in the present technical sense.

Page 16, line 25. Joint public prayers may have unhappy repercussions in England today, especially in regard to children attending State schools.

31

Exc.mus P. D. THOMAS BERNARDUS PEARSON
Episcopus tit. Sindensis

Dolendum videtur cum schema *de Ecclesia* tum schema *de Oecumenismo* varias locutiones usurpare quae implicant christianos dissidentes exclusos esse extra confines Ecclesiae Christi. Tridentina e contra Synodus, etiam cum novatorum haereses damnaret, noluit dicere haereticos extra ecclesiam esse, sed alio modo locuta est, dolens ecclesiam Dei haeresibus in *multas ac varias partes scindi* (Denz. 873). Recenter inter theologos Romano-catholicos controvertebatur utrum fratres dissidentes membra sint unius Ecclesiae Christi necne; quae controversia adhuc ab Apostolica Sede decisa esse non videtur, cum etiam litterae encyclicae *Mystici Corporis* non eodem modo ab omnibus peritis intelliguntur. Si nunc haec Synodus Vaticana II vult definire christianos non-catholicos non esse membra Ecclesiae, doctrinam tam magni momenti debet clare et sollemniter declarare potius quam insinuare per verba obiter in decreto posita.

Revera tamen multis non apparet quomodo doctrina in schemate insinuata componi possit cum fontibus revelationis, et definitio talis sententiae ad minimum esset valde inopportuna. Per Baptismum enim *membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae* (Denz. 696). Christi autem non-catholici omnes *regenerationis lavacrum receperunt,* et quatenus doctrinam Christi sequi desiderant, *ve-*

ram fidem saltem ex parte *profitentur* (Denz. 2286). Multi eorum theologicas virtutes possident et dono Spiritus Sancti ornantur. Connumerandi sunt igitur inter membra unius Ecclesiae Christi extra quam nulla est salus. Membra sunt quidem haeretica et schismatica; sed plurimi eorum peccatum haereseos vel schismatis non admiserunt, cum non ii sed avi eorum semetipsos a communione Summi Pontificis se separarunt.

Haec tandem schemata, quamvis ea mente composita sint ut fratres dissidentes ad unionem cum successore Petri allicient, verendum est ne plurimis eorum superbiae et arrogantiae speciem praeseferant. Melius videretur si schema *de Oecumenismo* in duas partes dividi possit, ita ut in prima parte nihil diceretur nisi ea quibus omnes christiani iam consentire possint, et in secunda parte ea quae de hac re Sedes Apostolica omnibus fidelibus credenda proposuit et proponit. In prima igitur parte possit Synodus enuntiare quod existit in mundo hodierno coetus baptizatorum qui omnes christianum nomen retinent et Christi voluntatem implere cupiunt; lamentari quod hic coetus ea unitate non gaudet quam Christus in ultima coena pro suis discipulis rogavit, sed fide et regimine misere in multas partes divisum esse; confiteri quod hoc lacrimabile schisma ortum habuit ex peccatis christianorum etiam Romano-catholicorum; et orare Deum et Dominum totius gregis ut eo modo et iis mediis quae sibi placent populum suum divisum in unitatem perfectam reducat.

Deinde in secunda parte possit Synodus declarare unitatem a Christo optatam nullo alio modo posse restaurari nisi omnes christiani successori Petri se uniant et omnes doctrinas a Sede Apostolica sollemniter definitas amplectentur; et Deum precari ut totus populus christianus, divisione reiecta, se vero pastori Ecclesiae in pace et communione apostolica adiungat.

32

Exc.mus P. D. PAULUS PHILIPPE
Archiepiscopus tit. Heracleopolitanus

Cap. I. 2. (De habitudine Fratrum separatorum ad Ecclesiam catholicam).

Animadversio. Pag. 8, linn. 32-33: « Item ipsae Ecclesiae et communitates separatae nequaquam in mysterio salutis significatione et pondere exutae sunt ». Haec propositio ambiguitatem quamdam continere videtur. Etenim potest significare communitates separatas providentialia quaedam organa esse in ipso mysterio salutis — quod quidem asseri nequit —, aut quod *de facto* media sunt, quibus post funesta dissidia, Dei misericordia utitur ad salvandas animas, prout illae communitates elementa et vestigia retinent christiani patrimonii, — quod utique verum est.[1]

---

[1] Cf. C. Journet, *L'Eglise du Verbe Incarné,* T. II, p. 723: « La forme d'une Eglise dissidente est habitée par le conflit de deux tendances, de deux logiques: la tendance et la logique du principe chrétien et la tendance et la logique d'un principe d'erreur. Tantôt c'est l'une qui avance et tantôt l'autre ... Il apparaît dès lors clairement que vouloir rapporter à l'Esprit Saint la forme d'une Eglise dissidente et le conflit intérieur qui la ronge, serait commettre un blasphème. *Ce qui revient à l'Esprit Saint, c'est, à l'intérieur de cette forme, le maintien de l'élément chrétien, les recrudescences*

Propositio. Quapropter, pag. 8, linn. 32-36, sequentia verba propono: « Item in ipsis ecclesiis et communitatibus separatis, vestigiis elementisque patrimonii christiani, quae conservant, Spiritus Sanctus virtutem confert salutiferam, quae a plenitudine gratiae et veritatis Ecclesiae concreditae derivatur et ad ipsam tendit ».

33

EXC.MUS P. D. IOANNES PRZYKLENK
Episcopus Ianuariensis

Cui christianorum unitas cordi est, is alacri et laetabundo animo schema legit.

Procul dubio verbum « Ecclesiae », quoties nostram designat Ecclesiam, initiali maiuscula scriptum est, praesertim pag. 8 seu in n. 2; e contra, consulto, puto, ceterae ecclesiae si quae sint (pag. 8, v. 32 cum nota 16), immo et communitates littera initiali minuscula scriptae inveniuntur (cf. pag. 8, v. 29; v. 32; v. 37-38).

Mirum est, quod hic modus scribendi in pag. 20 ss. non servatur. Quippe, res facilis exsecutu non est; eo vel magis cum in pag. 20 ss, partim de Ecclesia Orientali ante schisma, partim de eadem post schisma, fiat sermo. Haec quidem difficultas quoad communitates inde a saec. XVI ortas non apparet, nihilominus verbum communitatis in textu officiali pag. 23, n. 19 (abstractione facta a titulo qui e decreto definitivo disparebit) littera maiuscula incipit.

Maior hac in re unitas et constantia (praesertim cum idea theologica modum scribendi, ut cum agatur de verbo « Ecclesiae », determinet), etiam quoad alios terminos technicos, ut in aliis schematibus adnotavi, haud absque ratione desideranda est (v. g. cf. pag. 23, v. 21 *S*acramento *B*aptismatis; et pag. 24, v. 16; v. 20; v. 25; v. 27; pag. 25, v. 6 *b*aptismus; et pag. 24, v. 32-33 *s*acramento *b*aptismatis; item pag. 24, v. 4 *L*ibri *S*acri; v. 9 *S*acra *e*loquia; v. 15 *s*acrae *p*aginae; v. 32 *S*cripturae).

34

EXC.MUS P. D. INNOCENTIUS ALFREDUS RUSSO
Episcopus tit. Pegaeus

In questi tre capitoli, lo schema del Decreto sull'Ecumenismo, scrive, con la solenne autorità del Concilio, il documento che vorrebbe essere il fiore più esemplare della storica assise.

In queste pagine, c'è riassunta l'ansia secolare della Chiesa, come testimoniano i documenti che appoggiano il testo.

Lo zelo è guidato dalla considerazione degli elementi positivi che favoriscono il movimento di unità, e degli elementi negativi. Fra questi ultimi, è ricordata, da parte dei cattolici, di certi cattolici, l'assenza di pratica cristiana e di fervore: « *ita ut vultus Ecclesiae Fratribus separatis minus effulgeat* »; da parte di altri

de son dynamisme, le succès de ses avances... Il est clair aussi que les Eglises dissidentes ne sauraient être considérées comme les organes providentiels, les parties normales, intégrantes, les branches authentiques de l'Eglise une, universelle, œcuménique du Christ ».

responsabili, le divisioni del mondo cristiano, per la qual cosa, « *vultus Christi in Ecclesia aliquantum obscuratur et regni divini incrementum funeste retardatur* ».

Il cap. II, con le indicazioni dei mezzi, con i quali l'Ecumenismo può farsi: *De interiore Ecclesiae renovatione; De conversione cordis; De sanctitate vitae; De oratione unanimi; De Fratrum mutua cognitione; De oecumenica instructione; De modo exprimendi et exponendi doctrinam fidei; De cooperatione cum fratribus separatis* »; è davvero il codice efficace di questo particolare apostolato. Sagge, e tutte degne della Santa Chiesa, le materne riserve: sulla partecipazione alle preghiere comuni con i fratelli separati « *remota quavis communicatione in cultu officiali* »; e sul modo « *exprimendi et exponendi doctrinam fidei* », per evitare il *falso irenismo* « *quo puritas doctrinae catholicae detrimentum patitur vel eius sensus genuinus et certus obscuratur* ».

Nel cap. III è chiara, insistente la generosa carità della Chiesa, nel mettere in luce le benemerenze delle Chiese Orientali, verso le quali esprime (v. n. 14) sollecitudini pastorali, che commuovono!

Credo che non si possa dire di più e di meglio, a questo proposito, di quanto è aggiunto nel n. 16 (*De Orientalium propria disciplina*) e nel n. 17 (*De indole propria Orientalium in divinis tractandis*).

Ottimo il n. 18 (dello stesso cap. III) che tratta (*De necessariis condicionibus ad unionem feliciter restaurandam*). Qui si ricorda che bisogna di nuovo togliere il muro che, rimosso al Concilio di Firenze, « *denuo interponitur* »; e si stabilisce di dover tornare a quelle relazioni che, prima della separazione, vigevano « *ex quibus officium Romanae Sedis, cuius est praesidere in caritate, insigniter elucebat* ».

Nel cap. III, art. II, si parla *de Communitatibus inde a saeculo XVI exortis*. Senza tacere gli elementi che separano, si elencano e si dilucidano quelli che sono positivi: (*De Sacrorum librorum studio*); (*De Sacramento baptismi*); (*De vita cum Christo*), oltre il « *sensus iustitiae admodum vivus, et operosa caritas in proximos* »; e questa ultima va riconosciuta anche per coloro che non osservano il Battesimo, ma « *se Christo addictos profitentur etc.* ».

Ed ecco l'ardore dello zelo, regolato dalla prudenza. Si loda il dialogo tra i cristiani (n. 24) che poi ci sono tanto vicini, ma si mettono in guardia i fedeli « *ut a quovis levitate vel imprudenti zelo se abstineant* ».

35

Exc.mus P. D. ANTONIUS SANTIN
Episcopus Tergestinus et Iustinopolitanus

Ad n. 12, lin. 7. Verba « separationum ansam praebuerunt formae modique diversi quibus haereditas ab apostolis accepta est » haud sunt veritati conformia, dum multiformis est summa causarum, quae dolorosam separationem lente genuerunt.

36

EXC.MUS P. D. PAULUS LEO SEITZ
Episcopus Kontumensis

Le schéma est bon dans son ensemble, il constitue un apport neuf et positif. Mais, dans l'esprit du Concile, comme pour répondre aux vœux des pasteurs, des fidèles et du monde, on souhaite que ce chapitre de l'œcuménisme soit nettement rattaché au schéma de l'Eglise et bien articulé sur celui-ci (cf. de Ecclesiae relationibus).

P. 7, § 1: le paragraphe est bon, c'est à dire que, pour ce schéma sur l'œcuménisme, Orthodoxes et réformés pourraient y souscrire. Relevons cependant que, dans l'effort de chercher d'abord ce que nous avons en commun, il convient plutôt de citer l'Ecriture que d'interprêter — ainsi l. 27 sqq., « praeesset » demanderait à être nuancé, tandis que « confirmando » et « pascendo » (qui sont scripturaires) suffisent.

P. 8, l. 19: « quadam communione nobiscum coniuncti sunt »: c'est vrai, mais il serait plus adroit de présenter Romains et non-romains marchant ensemble vers l'unité qui se trouve en avant d'eux, plutôt que de situer les non-romains par rapport à l'état actuel des Romains (nous oublions si vite que nos torts sont réciproques). Ainsi on pourrait dire « quadam communione coniuncti sumus ».

L. 24, 25: semblent minimiser les liens visibles, les éléments visibles d'unité, au premier rang desquels est le baptême.

L. 27: « fratres separatos » — c'est vrai, ils sont séparés, mais, à leurs yeux, nous aussi sommes séparés; cette expression non seulement crée une difficulté psychologique, mais semble réfléter, de notre côté, un esprit d'exclusion à l'égard des non-romains comme situés en dehors.

L. 38: « unitate non fruuntur » — il ne faudrait pas que cette expression nous fasse oublier que, nous non plus, nous ne jouissons pas de l'unité voulue par le Christ; les divisions des chrétiens nous mutilent aussi.

P. 15, § 4: ce paragraphe est à mettre en valeur, notamment en soulignant l'importance de l'effort de chacun pour approfondir son dogme.

P. 16, l. 27 sqq.: « in cultu officiali » quant au culte liturgique proprement dit certes, mais on pourrait envisager sur un plan paraliturgique des rencontres qui ne seraient pas seulement intellectuelles, mais seraient revêtues d'un caractère sacré; et il conviendrait de plus, sur ce chapitre, de distinguer Orthodoxes et Réformés.

P. 17, § 11: la coopération entre tous ceux qui portent le nom de *chrétiens* est plus que souhaitable, elle est un devoir strict et réciproque, bien que dans l'immédiat la réalisation s'avère fort délicate surtout en pays « de mission »; il faudrait un conseil œcuménique par région et des directives bilatérales. Mais cette coopération ne peut se limiter — comme le schéma semble l'indiquer — à des réalisations sociales (ce genre de collaboration convient même avec ceux qui ne sont pas chrétiens); il faut aller plus loin sur le domaine qui nous est commun: v. g. publication d'une Bible unique, œuvres de diffusion de la Parole de Dieu, œuvres caritatives...

P. 20, l. 18: « arbitra » — en aimerait voir ce mot plus souvent employé, plutôt que « ductu », « auctoritate ».

P. 22: bon paragraphe 17.

P. 23, l. 2: « praesidere » — on préférerait: « arbitrare ».

Il ne faut pas cacher non plus ce qui nous divise; cela aussi est à approfondir, pour comprendre et *rectifier,* chacun de son côté. L'orient attend autre chose que des louanges — qui ne sont, au fond, que des rappels d'évidences. Les Orientaux nous ont reproché de ne leur donner, depuis des siècles, que des paroles; ils n'ont plus confiance si on n'entre pas dans le détail des réalisations, moyennant certaines rectifications dans l'Eglise romaine. Pour qu'ils aient cette confiance, les affirmations de ce schéma *de Oecumenismo* ne suffisent pas; il faut qu'on retrouve ce souci dans les schemata particuliers, notamment le *De Ecclesia* (préciser et nuancer le caractère de la primauté pontificale, problème de la décentralisation, caractère apostolique des patriarches, délatinisation de l'Eglise Romaine, égalité réelle des langues et rites...).

P. 23, l. 9: « in Occidente » l'opposition « orient-occident » n'a plus de sens aujourd'hui: la diaspora des orthodoxes a gagné l'occident, les Réformés se sont répandus en Orient. Le Concile est l'occasion providentielle de revenir sur de prétendues évidences et de rectifier un vocabulaire qui n'est plus à jour.

P. 24, 25: on s'étonne de ne pas trouver ici la moindre allusion au mouvement œcuménique intérieur aux églises réformées; on devrait pourtant s'en réjouir et le signaler, le suivre de près et y maintenir des observateurs.

Ce chapitre est un peut court. Ce n'est guère qu'une ligne d'intentions qui est dessinée; on attend des directives plus précises: v. g. corriger en nous ce qui choque le plus nos frères chrétiens, régler la question des mariages mixtes dans un sens plus large (qui est attendu des deux côtés), définir des positions missionnaires, envisager des congrès œcuméniques...

37

Exc.mus P. D. LAURENTIUS IOSEPH SHEHAN
Archiepiscopus Baltimorensis

Hoc schema mihi omnino placet. Nullas emendationes propono.

38

Beat.mus P. D. STEPHANUS I SIDAROUSS
Patriarcha Alexandrinus Coptorum

Page 9, ligne 1: « In sola enim catholica... omnis salutarium mediorum plenitudo attingi potest ». C'est vrai, mais peut-être le mot « sola » semblera difficile à admettre des non-catholiques.

Page 22, ligne 32 à page 23 ligne 7: La pensée est excellente, mais peut-être faudrait-il plus de compréhension et de charité dans les rapports entre les Eglises... Les Eglises orientales sont, en général, jalouses de leur patrimoine et parfois susceptibles.

39

EXC.MUS P. D. IOANNES SMIT
Episcopus tit. Paraliensis

Pag. 7, linn. 11-30 possunt omitti.
Pag. 8, lin. 1 legatur: Christus Iesus, per *apostolorum* eorumque.
Pag. 23, lin. 23: deleatur *possunt.*

40

EXC.MUS P. D. BERNARDUS STEWART
Episcopus Sandhurstensis

Quod ad par. 10, pag. 17, attinet: Quo melius servetur illa doctrinae puritas atque a falso irenismo magis declinetur, de quibus in textu, videtur peropportunum ut heic inseratur aliquod symbolum vel professio fidei quippe quae contineat illa capita Fidei omnibus proponenda atque tenenda qui veram unitatem in una Christi ecclesia cordate cupiunt.

Quae vero professio vel symbolum vocari potest Symbolum Vaticanum.

41

EXC.MUS P. D. DOMINICUS VALERII
Episcopus Marsorum

Salvo semper spiritu christianae caritatis, quod est solidum fundamentum Oecumenismi, maxima prudentia adhibenda est in huiusmodi argumento tractando, quia adest revera periculum ne inter nostros fideles, praesertim simpliciores et rudiores, nascatur opinio omnes Religiones tandem esse bonas

42

EXC.MUS P. D. IOANNES IULIANUS WEBER
Archiepiscopus-episcopus Argentoratensis

Hoc schema multum interest ad unionem christianorum fovendam. Paucas animadversiones afferam.

Cap. I: pag. 8, ad finem lin. 16 addatur: seiunctae, pro diversis causis et saepe cum reciprocis culpis, aut saltem ignorantiis et diffidentiis.

Pag. 10, ad finem lin. 31 forsan addatur: recognoscant etiam quas partes divini depositi forsan apud fratres separatos melius inveniantur, ita ut nos ipsi aliquid ab illis discere possimus, sicut ipsi a nobis.

Cap. II: pag. 16, adnoto ad linn. 25-34 sequentia: quamquam intercommunio absoluta in sacris catholicorum et aliorum christianorum qui successionem apostolicam, sacerdotium et sacrificium eucharisticum servaverunt, certe per se periculosa est, optandum est tamen ad unionem Ecclesiarum praeparandam, ut in aliquibus casibus bene determinatis, participatio in sacris admittatur. Secus numquam

adhaesio Ecclesiarum orientalium ad romanam Ecclesiam fiet. Quapropter dolendum est exceptiones, in primo schemate « de Ecclesia », pag. 84-85 admissas, in praesenti redactione servatas, immo extensas non esse. In praeteritis saeculis communio in sacris inter orientales catholicos et dissidentes, v. g. in Libano, stricte non vetabantur, et quidem sine periculo confusionis (cf. *Istina,* 1963, p. 13).

Cap. III: pag. 20, addatur forsan ad finem lin. 14: quamquam secundum diversas nationes ab invicem disiungantur.

Pag. 23, in lin. 21 legatur ad finem: baptismatis, in quantum valide confertur quoad intentionem ministri et ritum adhibitum.

43

REV.MUS P. D. ATHANASIUS G. WELYKYJ
Superior generalis Ord. Basil. S. Iosaphat

In genere:

1. Schema aptum videtur ut proponatur disceptationi PP. Concilii.

2. Omnino necessarium videtur ut schema suum characterem descriptivum et instrumentalem in omnibus partibus conservet: oecumenismus enim methodus est quaedam laboris ad unionem omnium christianorum procurandam; hoc modo cum aliis schematibus recte et clare componetur.

In particulari:

N. 2, pag. 8, lin. 14: loco dictionis « schismata », dicatur aptius « *dissensiones* ».

Ibid., lin. 15: loco « dissensiones » aptius dicerem hoc loco « scissiones ».

Ibid., lin. 23: forsan aptius dicerem: « ... Ecclesia *aedificatur* et vivificatur, quaedam *etiam* exstare possunt... ».

Ibid., linn. 33-36: in hac sententia aliquod elementum deficere videtur. Forsan res clara fiet si dicatur loco « tamquam »: « *quibusdam* »; item minus felix videtur dictio « Spiritus Christi »; de quonam Spiritu agitur? Estne Spiritus Sanctus?

N. 3, pag. 10, linn. 25-31: melius videtur ut hic textus ponatur in secundo capite, de oecumenismi exercitio; hoc loco haec exhortatio interrumpit textum.

N. 3: in genere: clarius enuntietur finis ultimus motus oecumenici, et quidem ob bonum catholicorum et fratrum separatorum; ut id clare sciant catholici, exigit ratio pastoralis; ut nullum de hoc fine habeatur dubium apud fratres separatos, exigit christiana et illa de qua in decreto agitur, oecumenica sinceritas; in colloquiis privatis de hoc tacere saepe iuvare potest, sed Concilium Oecumenicum, si de hac re sermonem facit, in aequivocis haerere non potest.

N. 7, pag. 16, linn. 18-21: distinctio hic introducta inter « oecumenismum spiritualem » et « motum oecumenicum » non satis clara videtur; est quaedam explicatio quae non explicat. Forsan dicatur simpliciter: « Omnes libenter ad eiusmodi publicas *supplicationes* accurrant, *quae* tamquam anima totius motus oecumenici revera existimand*ae sunt* ».

N. 9, pag. 17, lin. 15: iuxtapositio fidelium et religiosorum in oppositione ad sacerdotes, mihi videtur non clara vel saltem realitati hodiernae non respondens; sub nomine « religiosi » comprehenduntur omnes religiosi, etiam clerici, quibus hodie forsan potior pars in motu oecumenico debetur; momentum Ordi-

num religiosorum in motu oecumenico hodie est praeponderans et similis dictio veritati non responderet; dicerem propterea simpliciter: « ... formatio spiritualis fidelium a formatione sacerdotum et religiosorum quam maxime pendet... ». Sub hoc aspectu examinetur hic numerus.

N. 10, pag. 17, linn. 20-33: in hoc numero sine evidenti ratione stylus decreti mutatus fuit, introducta dictione personali: « nos, nostra, exponamus, loquamur », dum in aliis partibus locutio est impersonalis. Opportunius videtur et redeatur ad stylum suetum decreti, et proinde dicatur: lin. 21 « fides *catholica* »; lin. 25 « fides *catholica* »; linn. 27-28 omittantur verba: « *a nostra* »; lin. 29 « fidem *catholicam* »; linn. 30-31 dicatur « in id *intendatur* oportet » vel « in id intend*endum est* »; lin. 31 « fides *catholica* », « expona*tur* »; lin. 33 « loqua*tur* ».

Ad cap. III, in genere: servato charactere descriptivo et methodologico huius capitis, prout convenit ipsi naturae quaestionis, textus potest proponi disceptationi Patrum, ut completivum et non substitutivum secundae partis decreti « de Ecclesiis Orientalibus ».

Salvo meliori iudicio...

44

Exc.mus P. D. IOANNES F. WHEALON
Episcopus tit. Andrapensis, aux. Clevelandensis

Cap. III, n. 13, pag. 20, lin. 18: verba « arbitra Sede romana ex communi consensu » possunt male intelligi ad significandum dependentiam auctoritatis Sedis romanae de communi consensu. Melius exprimatur conceptus.

Cap. III, pag. 25, nota 4: hae notiones de primatu aetatis honorisque tanti momenti sunt ut locum in textu ipso habere possint.

45

Exc.mus P. D. PAULUS YOSHIGORO TAGUCHI
Episcopus Osakensis

1. In tribus capitibus agitur de oecumenismo, cuius principia theoretica primo exponuntur in capite dum principia practica, quae secundo in capite elaborantur in genere, tertio autem in capite explicantur in specie, i. e. ratione habita differentium Communitatum seiunctarum.

2. Schema plene consonare videtur et cum intentionibus Ioannis XXIII et cum votis illorum qui oecumenismo operam dant. Expositionis simplicitas et perspicuitas multum laudandae sunt.

Adnotationes diversae.

3. Ad pag. 9, lin. 20, feliciter schema non agit directe de difficillima quaestione num schismatici et haeretici ad Ecclesiam pertineant ut membra mystici Corporis. Pius XII, in Enc. *Mystici Corporis* (*A.A.S.*, 35, 1943, p. 202 ss., Denz. 2287), affirmat: « In Ecclesiae autem membris reapse illi soli..., neque a Corporis compage semetipsos misere separarunt ». Una cum Pio XII schema affirmat illos « perfecte Ecclesiae communione non frui » (cf. pag. 8, lin. 18). Alibi perperam illi dicuntur « mediationem essentialem Ecclesiae » atque « integram et completam in communionem eucharisticam insertionem » negare (pag. 24, lin. 29). Attamen

schema censet obliviscendum non esse eos qui baptizati sunt in Christo Iesu ab Ecclesia « ut filios » agnosci (pag. 8, lin. 20). Quod pulchre intelligitur in textu Ioannis XXIII, quod citatur in pag. 11, ad notam 14^{am}.

4. Ad pag. 17, lin. 12, loco verborum « non mere polemica » melius resonant verba « non vero polemica » vel « non mere apologetica »: « polemica » enim est verbum moleste resonans temporibus nostris.

5. Ad pag. 23, lin. 26 dicitur: « ... E sacerdotio valido promanantibus ». Si recte intelligo, hic agitur de Anglicanis et de eorum ordinationis validitate. Totus clerus anglicanus, nonnullis exceptis qui nostris tantum temporibus sacerdotium receperunt a quodam orthodoxo episcopo secundum traditionem apostolicam, originem trahit a quodam Parker qui episcopus factus est anno 1559 (XV kal. ian.) secundum ritum praescriptum in eo qui anglice dicitur " Book of Common Prayer ". Eiusmodi ritus « ob defectum intentionis et insufficientiam verborum quae haeretici anglicani pronuntiant legitimus esse non potest », ex responso quod Curia Romana reddidit episcopo anglicano Ioanni Clementi Gordon anno 1704. Leo XIII in bulla « Apostolicae Curae » (*A.S.S.,* 29, 1896-97, p. 198 ss., Denz. 1963) certe affirmat anno 1896 (XVI kal. oct.): « motu proprio pronuntiamus et declaramus ordinationes ritu anglicano actas irritas prorsus fuisse et esse omnino nullas ».

Fortasse schema directe non agit de ordinationum validitate, sed de quadam speciali continuitate, quae solet in sacerdotio Ecclesiae anglicanae vigere. Ad vitandam tamen erroneam interpretationem nonne oportet textum Leonis XIII in notam afferri cum recta explicatione?

46

Exc.mus P. D. RADULFUS ZAMBRANO CAMADER
Episcopus Facatativensis

Me parece más conveniente suprimir el parágrafo de las línn. 32, 33, 34, fol. 16 en el esquema *De Oecumenismo*; y explicar o hacer más claro en el fol. 23 el parágrapho de las línn. 14, 15, 16, 17, que es demasiado obscuro.

Además, dada la importancia de las sedes apostólicas que ostentan el título patriarcal, y lo que significa para los orientales el patriarca, cuyos derechos ha reconocido la Iglesia, y el Concilio de nuevo confirma, juzgo que a los patriarcas de esas sedes se ha de dar, ratione muneris, un rango honorífico igual o superior al de los cardenales. Siendo así que el colegio cardenalicio tuvo su origen como un consejo del Romano Pontífice, no se vé porqué hayan de ocupar los em.mos cardenales una posición más destacada y honorífica. En cambio, los orientales recibirían con satisfacción que se exaltara a sus patriarcas.

47

Exc.mus P. D. PETRUS ZUCCARINO
Episcopus Bobiensis

Laudemus Spiritum Sanctum qui verba Domini Nostri Iesu Christi « ut omnes unum sint » in rerum novarum discrimine mutet ne quis ab ecclesiastica communione seiunctus sit.

48

EXC.MI PP. DD. QUIDAM AFRICAE CENTRO-ORIENTALIS

I. *Notae generales.* Schema magnopere commendatur propter moderatam et apertam et positivam expositionem huius perdifficilis problematis: Hoc documento certo nova panditur via ad unitatem christianorum promovendam.

II. *Notae speciales.* 1. Pag. 7-8, n. 1. Cum hoc incisum — forma abbreviata — nil aliud contineat nisi quae iam in schemate *de Ecclesia,* Parte I-II, dicta sunt, forte breviore modo proponi potest, revocando schema *de Ecclesia.*

2. Pag. 8, n. 2, linn. 22-36. Cum mysterium Ecclesiae secundum schema *de Ecclesia* (n. 3) in mundo existat tamquam signum visibile seu sacramentum universale salutis, ad describenda elementa inter catholicos et acatholicos christianos communia aptius procederetur ab elementis his externis, nempe professione fidei, baptismate cum aliis sacramentis, regimine unius Pastoris, in quantum revera communia sunt. Secundo loco tunc sermo sit de bonis internis supernaturalibus communibus.

Incisum ergo illud hoc fere modo concipi posset: « *Etenim cum Ecclesia ut signum tripliciter componatur, scil. professione fidei, sacramentis et uno regimine, quaedam ex eius elementis visibilibus etiam disiuncto modo verificari possunt, e. g. vel professio fidei plus minusve integrae, vel sive singula sive omnia sacramenta; quae elementa visibilia, sincero corde et cum voto verae Ecclesiae agnita et suscepta, vitam gratiae aliaque interiora Spiritus dona, imprimis caritatem, conferunt et internae unionis pignus constituunt. Ita* ipsae ecclesiae et communitates separatae nequaquam in mysterio salutis significatione externa *eiusque fructu interno* exutae sunt. Iis enim Spiritus Christi uti non renuit tamquam salutis mediis, quorum virtus derivatur ab ipso *signo pleno gratiae et veritatis* a Christo instituto, scil. ab una Ecclesia catholica ».

Incisum pag. 8, lin. 37 usque ad pag. 9, lin. 3 omitti potest.

3. Pag. 21, n. 15, lin. 38. Error typographicus; loco « maximae »: « *maxime* ».

4. Pagg. 20-23, nn. 12-18. Suggeritur in notis ad schema *de Ecclesiis orientalibus* datis partem secundam schematis *de Ecclesiis orientalibus* transferendam esse ad praesens schema *de Oecumenismo.*

[*Subscripserunt*] Adam Kozlowiecki, arch. de Lusaka; Francis Mazzieri, ep. de Ndola; Marcel Daubechies, ep. de Kasama; F. Courtemanche, ep. de Fort Jameson; C. Chitsulo, ep. de Dedza; Ad. Fürstenberg, ep. de Abercorn; R. Pailloux, ep. de Fort Rosebery; J. L. Jobedin, ep. de Mzuzu; James Corboy, ep. de Monze; N. Agnozzi, ep. tit. Adramittio; Rupert Hillerich, praef. ap. de Solwezi.

49

CONFERENTIA EPISCOPORUM AFRICAE MERIDIONALIS

In genere. Schema, utpote eximia positiva rei praesentatio, Conferentiae valde placet.

In particulari. 1. In n. 2, lin. 30, quaedam confusio praevidetur oritura ex usu termini « generare », qui sensum quadamtenus ambiguum habere potest.

2. In pag. 10, linn. 25 s., haec sectio videtur modo nimis negativo elaborata.

Primo loco melius poneretur secunda periodi pars, quippe quae de iis tractat quae positive agenda sunt; deinde, hoc facto, veniret admonitio de abstinendo « a verbis, iudiciis et operibus quae fratrum separatorum condicioni secundum aequitatem et veritatem non respondent ».

50

CONFERENTIA EPISCOPORUM ARGENTINAE

El presente tema « Ecumenismo », entre los diversos esquemas del Concilio no deja de ser quizás, para Obispos argentinos el tema con el cual se está posiblemente menos connaturalizado, a pesar de contar, la consideración del mismo con una prolongada existencia que se remonta originariamente al siglo XVI, y más formalmente fines del siglo pasado.

« A decir verdad, dice M. Villain en su libro « Introducción al Ecumenismo », sería preciso remontarnos al siglo XVI para descubrir los orígenes del movimiento ecuménico. Por muy extraño que pudiera esto parecer a una mentalidad católica, desde la época de las grandes escisiones del Occidente cristiano, fuerzas diferentes consagráronse a erigir diques de contención que impidieran la fragmentación de las confesiones cristianas, que de día en día se iban acentuando. Los historiadores no se apercibieron del hecho hasta fecha reciente ».

Y hay en la actualidad una frondosa bibliografía al respecto, y que sigue creciendo, en particular con motivo de este Concilio Vaticano II.

Aqui en la Argentina debido a que la casi totalidad de los habitantes son de nuestra religión católica, y a que en estos últimos tiempos el protestantismo ha intensificado su proselitismo con un estilo no favorecedor, ni concorde con la búsqueda de la unidad, no se ha creado en la práctica un movimiento general de tipo ecumenista, sino que más bien, al contrario, en no pocos lugares, se ha ido formando una atmósfera real de mutuo recelo, de desagrado y, no pocas veces, de franca lucha, que en casos particulares ha adquirido formas hasta reñidas con las normas de convivencia.

En la Argentina se aplican las palabras del Padre Artola Antonio Mari que de España dice: « Al no darse en España la convivencia masiva de las diversas confesiones cristianas, al estilo de Alemania, Suiza, Francia, etc. nuestro catolicismo carece de este sentido trágico de la unidad cristiana desgarrada. Al menos no presenta la viveza y la angustia con que la siente el catolicismo de esas naciones ».

Ahora, felizmente, gracias a los esfuerzos de los Sumos Pontífices de los últimos tiempos y en especial de S. S. Juan XXIII, de santa memoria, se está generalizando la preocupación ecumenista y avanzando hasta tal grado que desde este Concilio Vaticano II en adelante será una norma impuesta por la Santa Iglesia utilizar en todo el orbe los medios naturales y sobrenaturales posibles para poder, como indica el n. 3 de Esquema: « ... incepta iniri ut obstacula unitatem christianorum impedientia, et ut mutua aestimatio et comprehensio magis magisque foveatur ».

Gracias a Dios esta etapa general ya se ha iniciado y vivido en la primera parte del Concilio Vaticano II.

No sin razón el antiguo Presidente del Consejo Mundial de las Iglesias (Pastor Boehgner) se ha expresado de la siguiente manera: « Tengo el sentimiento

profundo de que esta primera etapa del Concilio ha marcado, por su desarrollo y por el estilo generale de los debates, un cambio de clima y una apertura de panoramas admirables gracias a la preocupación ecuménica que ha aparecido más y más viva en el corazón de los Padre Conciliares ».

Sin embargo, son no pocos los pasos que hay que dar al respecto.

El tema es de una frondosidad tal que es inabarcable en una exposición como la presente, pero sintéticamente diremos que la base de la marcha del movimiento ecumenista es la necesidad de una serena ubicación mental y afectiva personal y colectiva, de carácter evangélico, dentro del ambiente de este movimiento, por parte de la Iglesia Católica y en especial de su Jerarquía eclesiástica. « Oecumenismus veri nominis absque interiore conversione non datur » dice este esquema del Concilio.

A causa de la formación teológica polemista que se imparta al Clero Católico, y a la que se hace referencia en el n. 9 del esquema, el diálogo con los hermanos separados fácilmente produce tensión e incomprensión; y, como dice el P. Villain: « Lo que falta a este diálogo es primero y antes que nada la angustia profunda y verdaderamente cristiana engendrada por el ansia de una solución; es la expresión descarnada de la postura espantosa en que los cristianos separados se han situado por falta de amor. Pero, competente o no, este género de diálogo es claro exponente de una concepción equivocada: se lo sitúa a nivel de un *problema,* mientras que debería elevarse a la altura de un *misterio* ».

Y más adelante añade: « Este misterio es Cristo. Más precisamente, la voluntad de Cristo en la historia de la salvación que se realiza a través del tiempo de la Iglesia. La voluntad de Cristo es la *unidad* de todos los cristianos, aquélla unidad por la qual rogó —y sigue rogando— y por la que murió. Es la unidad que ha de rehacerse, quebrada como se halla al presente en el *momento y de la manera* que El querrá ».

« Para el católico, la Unidad está ya lograda en la Iglesia Romana, cuya arquitectura es con vistas a una reintegración de los hermanos separados, a quienes, por lo demás, se les reserva su lugar vacante; y es por eso que los documentos romanos hablan de un « retorno ». Pero, atención: La postura de la ortodoxia es exactamente la misma respecto a su Iglesia y no hace falta proclamarlo. En la conferencia de Lunde (1952) el metropolitano Atenágoras, uno de los Presidentes del Consejo Ecuménico, declaró que la Unidad no podría realizarse sino en la Santa Iglesia Orthodoxa irreformada e irreformable. En la Asamblea de Evanston (1954) el Arzobispo Michael, su sucesor, articuló reivendicaciones de fe a las que el Papa hubiera plenamente suscrito, con la diferencia de que se proclamaban en beneficio de la Iglesia Orthodoxa. La visión de Unidad del Anglicano, a nuestro entender, pudiera describirse así: En un concepto, las Iglesias romanas, orthodoxa y anglicana, las tres de tipo católico, pueden incluirse a la recíproca y sus influencias no rasgan la unidad fundamental que garantizada por sus confesiones de fe y por la sucesión apostólica. Sería cuestión, pues, de promover un acuerdo sobre este punto capital y de obtener que accedieran a juntarse en este mismo nivel de Freechurches (Iglesias libres) así como la Iglesia Presbiteriana. En fin, a los ojos de los protestantes, la Iglesia Universal está todavía por llegar: Ella será, con el divino beneplácito, la emergencia de la *una, santa* invisible, que incluye todas las denominaciones perteneciendo al Consejo Ecuménico el preparar su aparición ».

No es el caso de « relativizarse » cuando se establece el diálogo entre quienes participan de un movimiento ecuménico, sino al contrario, la consigna debe ser la fidelidad a Cristo y al Evangelio, conforme a su propia confesión de cada uno. Se trata ahi de una fidelidad abierta, no cerrada, una fidelidad fraternal y no de oposición.

Expuestas sintéticamente estas consideraciones en orden a un enfoque del Ecumenismo, pareciera conveniente ahora mencionar ciertos pasos a dar en la realización de este movimiento. Hay primero uno muy importante, a la vez que posiblemente muy lento, en orden a facilitar la unión. Este paso sería lo que se llama la elaboración de la « teología ecuménica ».

Esta terminología se usa desde hace unos veinte años, y según el Canónigo G. Thils « la teología ecuménica designa la ciencia teológica elaborada y presentada con arreglo a los fines e intenciones del movimiento ecuménico » y enraizada plenamente en la Sagrada Escritura.

Es de advertir que esta Teología no es sólo para uso de los no romanos. De esta manera sólo se confeccionará una exposición catedrática para la exportación y no se llegaría a entablar el diálogo. Y ésta es la causa por la que han fracasado en este intento muchos ecumenistas.

El Padre Congar dice al respecto: « Se trata de la Teología toda entera, de la Teología de siempre; pero elaborada en forma que se impone un doble esfuerzo de pureza y plenitud; son éstos efectivamente los dos ejes de la labor unionista ». Esta Teología Ecumenista no significa retirar u oscurecer verdades fundamentales en un plan minimista, como tampoco hacer uso de un falso irenismo. Acerca de esto, el n. 10 del Esquema dice: « Nihil ab oecumenismo tam alienum est quam ille falsus irenismus, quo puritas doctrinae catholicae detrimentum patitur vel eius sensus genuinus et certus obscuratur ».

En esta elaboración habría que tener en cuenta algunos objetivos básicos; a saber:

A) *Salvar cuanto hay de valor en la posición de los Reformadores.* Nuestra enseñanza teológica católica actual se estructura con los anatemas del Concilio de Trento, sin tener en cuenta las condiciones históricas y psicológicas de aquel momento, como así mismo prescindió el Concilio de Trento.

La mala reputación intelectual y motal que recayó sobre los Reformadores fue gravemente injusta, sin tener para nada en cuenta « los verdaderos valores cristianos en que los Reformadores y sus discípulos han fundado sus vidas », y que ahora el Concilio Vaticano II reconoce cuando habla de « habitudine fratrum separatorum ad Ecclesiam catholicam ». Tampoco se atendieron las circunstancias de entonces, que en síntesis fueron las siguientes: 1) el rostro desfigurado de la Iglesia Católica a comienzos del siglo XVI; 2) el hecho de que los Reformadores, según declararon, no tenían la intención de hacer cisma. Y de facto la separación no se hizo evidente sino después de la sesión respectiva del Concilio de Trento. 3) El juicio del Papa Adriano VI en 1522 de que la Iglesia Romana necesitaba un castigo principalmente por el mal comportamiento del Clero.

B) *Otro objetivo sería elaborar una teología constructiva y no de oposición.* Los manuales de teología responden a los anatemas del Concilio de Trento, y especialmente algunos de los tratados van dirigidos contra el eje Lutero-Calvino-Zwinglio. Pero como en su mayoría los anatemas no son de puntos centrales, sino periféricos, se ha elaborado una teología frondosa en lo periférico. Y por ello

algo descentrada. Y los hermanos separados al leerlos adquieren la impresión de que constituyen una trampa. En lugar de acercarlos se los aleja.

C) *Otro objetivo: elaborar un trabajo de síntesis.* Consiste esto en que tanto los separados como los romanos hagan un trabajo teológico bíblico simétrico de « purificaciones » y de « complementaciones » destacando cada uno de los valores cristianos, sin renegar de los propios, dentro de un trabajo *en común* « a base de la oración en común y en el Cristo orante ». Al respecto el esquema de estudio dice: « Sacra eloquia etenim, quae universi christiani in communi habent, veluti medium pretiosissimum inserviunt ad dialogum instaurandum, immo eadem instrumenta prostant in potenti manu Dei ad illam unitatem adipiscendam quam Salvator omnibus hominibus offert ».

El trabajo de católicos y separados, basado en el Verbum Dei con gran espíritu de caridad, podrá luego, por ósmosis teológica, llegar a acortar distancias y a provocar una final deseada unión.

Como se ha dicho, no es una cuestión más, « es la cuestión que desde hace cuatro siglos bloquea todas las avenidas del encuentro e impide el avance ». Su consideración puede ubicarnos en un punto que no cierre el encuentro con los separados.

Nuestra base es la declaración del Concilio Tridentino que dice: « ... Puritas evangelii... tamquam fontem omnis et salutaris veritatis... contineri in *Libris et sine scripto traditionibus* » (Conc. Trident. ses. IV. Abril 8/1546; Denz. 783).

La dificultad está en la traducción y explicación de este texto. Significa acaso ésto que la Revelación está « partim in Scriptura, partim in traditione » o que la Iglesia es Maestra de la Escritura y le añade lo que le falta? Este es el nudo gordiano de la cuestión.

Se han hecho trabajos de estudio muy serios al respecto, y tres teólogos, ilustrando el texto con el pensamiento de los Santos Padres a partir de San Ireneo, con la teología postridentina y el detalle de los debates ecuménicos, llegan a la siguiente idéntica conclusión, a saber: « La Escritura y la Tradición no son dos fuentes cada una objetivamente incompleta de la Revelación, sino dos modos complementarios al servicio de la pura e integral trasmisión del mensaje divino ». Ambas se incluyen mutuamente, y tienen necesidad la una de la otra.

Los protestantes, en cambio, hablan de « Scriptura sola ». Aunque ya no todos. El Pastor P. Fagel, de la Iglesia Reformadora Holandesa, de origen calvinista, acaba de declarar, en un encuentro entre protestantes y católicos, en Bruselas, que: « Podemos observar el hecho notable que, mientras la teología romana quiere volver a la Escritura, la teología reformada toma conocimiento de la importancia de la Iglesia en cuanto « expositora » de la Escritura. Vemos mejor que en el siglo XIX la importancia de la Iglesia y de su dogma ».

Según Villain, la posición « partim-partim » fue ciertamente abandonada por los Padres del Concilio Tridentino en la redacción del texto definitivo. La Escritura contiene todas las verdades necesarias a la salvación. (Tal el pensamiento de la Iglesia a partir de San Ireneo hasta el Concilio de Trento).

Ninguna verdad nos ha llegado por tradición oral separada. La tradición trasmite el mismo depósito de la Escritura, pero de otra manera, explicativa y complementaria; y se puede decir con Moehler: « Totum in Scriptura, et iterum totum in viva traditione ».

De esta manera, sin el « partim-partim » se hace posible el diálogo con los separados, teniendo los católicos la mayor luz que ellos en el dogma. El asunto es no dejar de sacar la luz de la Biblia; y usar de ésta, ambas partes, romanos y separados, no puede significar aceptar el principio de la sola Biblia.

Dialogo. Con estas premisas se llega el diálogo que debería tener algunas condiciones para que sea facilitado y que en síntesis serían las siguientes:

1. Es conveniente, antes que nada, no dejar de considerar previamente lo que se ha llamado por los protestantes « forgotten factors », —factores olvidados—, que no son teológicos y que han causado o perpetuado las divisiones.

Estos son: *a*) Factores causantes. *b*) Factores que perpetúan las divisiones.

a) *Factores causantes de las divisiones.* I) El desarrollo de las iglesias aisladas; II) la presión o persecución por parte de la Iglesia del Estado (falta de libertad); III) la discriminación —ciertos grupos en el interior de una Iglesia son mirados como inferiores o excluidos por razones sociales, económicas, políticas, raciales—; IV) la sección o expulsión de « reformadores » o « revitalistas »; V) las relaciones suscitadas por los proyectos de reunión; VI) los antagonismos nacionales, las guerras...; VII) los antagonismos y rivalidades de las personas.

b) *Factores que perpetúan las divisiones.* I) La existencia en la actualidad de los factores enumerados en la letra a); II) el recuerdo de estos factores, que permanecen como autojustificación de las divisiones existentes; III) la tendencia psicológica a aceptar el statu quo en vez de someterlo a estudio; IV) las descripciones inexactas de otras iglesias por la prensa, la radio, etc.; V) la enseñanza de la historia en la escuela; VI) nuevos factores en el seno de las iglesias, v. g. importancia simbólica del *nombre* confesional y cuanto a él va asociado; peso ...; VII) ciertos aspectos de la organización confesional internacional, v. g. las jóvenes iglesias extrañas al occidentalismo ecuménico.

2. Examinar el contenido de la fe, y sin negar a la misma, evitar en ese contenido todo lo que pueda parecer valoración excesiva. No presentando como verdades de fe las conclusiones de razón que no son materia directa de fe divina por la Revelación.

3. Utilizar al maximum el principio de las equivalencias en la terminología nuestra y la de los hermanos separados, en la explicación de un mismo credo, sin favorecer por ello el relativismo dogmático.

4. El paso de la exégesis a la teología no es parejo en romanos y protestantes. Es más complejo entre nosotros y a ellos los desorienta. Llegan a pensar que se hace teología de la razón, y con poca Biblia.

La fe del separado no es una serie de enunciaciones; sino más bien, una mayor adhesión a la persona de Cristo; y esto es valioso y bueno reconocerlo.

5. Luego vendrían consideraciones particulares para el diálogo con cada confesión: luteranos, anglicanos, ortodoxos, etc. Pero esto es de una variación inmensa; imposible de expresar ni siquiera en un volumen. Lo que quiere decir que si se abre un camino, éste, de no ser por un milagro, sería de un recorrido bastante largo.

El Concilio Vaticano II en este esquema precisamente abre el horizonte hacia una ambientación para el movimiento ecumenista, dando en el cap. I principios teóricos de ecumenismo; en el Cap. II, normas prácticas para crear y acrecentar dentro del seno de la Iglesia una mentalidad y ambiente ecumenista y en el

Cap. II, a fin de facilitar el diálogo con los separados, con auténtico amor evangélico, destaca los valores contenidos en las diversas confesiones.

Entre este esquema y el presentado y estudiado en la primera etapa del Concilio, llamado Ecclesiae Unitate, según mi modesta opinión y salvo mejor parecer, hay una notable diferencia y un avance considerable en el terreno ecumenista.

En este último esquema, la Iglesia Católica, abarcando más materia en menos espacio y en estilo más sintético, se refiere no sólo a los orientales separados, como en el primero, sino a todos los hermanos disidentes. Y destaca positivamente los diversos valores cristianos que esas confesiones tienen. Y su presentación ante las demás confesiones no se hace con un carácter tan ex cathedra, dando la impresión de « irreformada e irreformable » convocando al necesario « retorno » como en el anterior esquema; sino buscando más bien los puntos de posible acuerdo con las demás confesiones y pidiendo una expresión doctrinaria católica que, « de ninguna manera sea abstáculo al diálogo con los hermanos ».

Considerando el texto concreto, además de las sugerencias que presenten los demás señores Obispos, yo presentaría la siguiente:

1. En la pág. 8, renglón 2, después de las palabras: « per evangelii praedicationem et sacramentorum administrationem », yo añadiría « et temperantiam disciplinae », para que este triple poder de enseñar, santificar y gobernar, insinuado en esas tres frases, se adecúe su resultado que es la triple unidad de la Iglesia y que, a manera de resultado está manifestado luego en el cuarto renglón donde dice: « ... unitatem perfecit et manifestavit (1) in confessione unius fidei (2) in divini cultus participatione celebrationeque (3) necnon in regiminis fraterna concordia ».

2. En la pág. 16, renglón 26, se dice: « Communes precationes in eiusmodi adiunctis, remota quavis communicatione in cultu officiali... etc. ».

Dado que en la pág. 8, renglón 27, se dice: « Nonnullae etiam christianae religionis actiones sacrae apud fratres separatos peraguntur, quae, variis modis secundum diversam conditionem uniuscuiusque Ecclesiae vel communitatis, procul dubio dictam gratias reapse generare possunt atque aptae dicendae sunt ut ingressum in salutis communionem pandat ».

Y dado que también en la pág. 21, renglón 38, dice: « Maxime interest eximium hoc patrimonium spirituale et liturgicum cognoscere, venerari, conservare, fovere »; pareciera que ya no se puede mantener en su tradicional rigor el « remota *quavis* communicatione in cultu officiali » y deben darse en el Can. 1258 del C.I.C. nuevas normas adecuadas al espíritu ecumenista. Por ello propongo que la frase: « remota quavis communicatione etc. » sea quitada del esquema, y que en la reforma del Código se den nuevas normas al respecto.

3. En la pág. 17, número 11, propongo que se inserte el texto del esquema anterior que decía: « Ipsi sacri locorum Praesules et Antistites quibus portio gregis Christi commissa est colloquia et conversationes cum fratribus dissidentis opportune foveant et promoveant », a lo que propongo añadir además: « per commissiones dioecesanas et nationales ad haec studia communiter in caritate facienda et tractanda. Quae Commissiones sint connexae et coordinatae inter se et cum Pontificia Commissione « pro unitate christianorum », a fin de que todo este movimiento ecumenista tenga un desarrollo encauzado y proporcionado en toda la Iglesia Católica.

En la pág. 17, renglón 12, donde dice: « Non *mere* polemica », que se quite el adverbio « mere » para que no se entienda que *también* entre otros, hay que

cultivar el espíritu polemista, y que en su lugar se diga: « stylo non polemico sed expositivo ». Porque en este sentido debe cambiarse fundamentalmente la enseñanza de la teología en los Seminarios.

51

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI PROVINCIARUM AQUENSIS ET AVENIONENSIS ET DIOECESIUM MASSILIENSIS ET MONOECENSIS

I. *Animadversiones generales*:

1. In suo generali complexu, hoc schema placet. Cap. I et II praecipua aestimatione digna habentur.

2. Optamus ut in discussione schematis *de Ecclesia,* consideratio teneatur mentis praesentis schematis.

3. Licet partes episcoporum relate ad oecumenismum asserantur quidem et definiantur pag. 10, linn. 36-39. Optabile tamen nobis videtur ut magis explicite (quam in sola pag. 17, lin. 5) asseratur, episcopos scil. primos esse, a quibus ratio oecumenismi iure repeti possit. Opportunum etiam putamus, propter periculum confusionismi apud catholicos rudes et ignaros, et possibilis cuiusdam « debilium scandali », ut a coetibus episcopalibus unum vel plura directoria circa pastoralem curam de Oecumenismo.

II. *Animadversiones quoad particularia*:

Cap. I, pag. 8, lin. 16 et passim. Loco *Ecclesia catholica,* nobis magis placeret, si diceretur simpliciter *Ecclesia.*

Pag. 8, lin. 19. Loco *nobiscum,* melius nobis videtur dici *cum Ecclesia.*

Pag. 8, lin. 37 ad pag. 9, lin. 3. Phrasis ista non videtur nobis satis lucida. Disseritur siquidem primo de ipsa plenitudine et postea de mediis qui normaliter ad hanc ducunt plenitudinem.

Pag. 9, lin. 1. *Veneranda Ecclesiae traditio*: magis nobis placeret: *Ecclesiae venerandae traditiones.*

Pag. 9, lin. 23. Loco *possideat,* melius dicendum nobis videtur *acceperit.*

Pag. 9, linn. 31-35. Pluralismus theologicus de quo sermo est n. 17 (pag. 22) cum non sit eiusdem ordinis cum pluralismo disciplinario vel liturgico, phrasis haec consequenter esset mutanda, ut quae cuique pertinent, distinguantur.

Pag. 9, lin. 36. Loco *catholicitatem... possidebunt et manifestabunt,* melius forte dici posset: *catholicitatem in dies plenius manifestabunt.*

Pag. 10, lin. 14. Loco *ab ecclesiastica communione* nobis magis arrideret *ab ecclesiastica communione visibili.* Vita siquidem theologalis causa iam est veri nominis communionis.

Pag. 10, lin. 17. *Scandalum* melius nobis sonaret quam *admiratio.* Forsan etiam explicite esset dicendum causam divisionis quaerendam esse in peccato, quin tamen requiratur, quibus istae divisiones sint imputandae.

Pag. 10, lin. 34-35. Verbo *postulavit,* adiungatur *et obtinuit* vel alius modus loquendi adhibeatur, quo firmissime asseratur unitatem Ecclesiae esse prae primis donum Dei, quod, prout a Christo Capite in suum Corpus mysticum manat, iam est datum.

Cap. II, pag. 15, lin. 1. Loco phraseos *Ad omnium christifidelium munus officiumque pertinet,* melius nobis placeret: *Ad omnes christifideles pertinet.* Munus enim ad episcopos specialiter pertinet.

Pag. 16, lin. 16. Loco *pro Ecclesiae unitate,* melius nobis dici videtur *pro christianorum unitate.*

Pag. 16, lin. 34. Quaeritur an sub eodem vocabulo *non licet* quaecumque comprehendatur eucharisticorum mysteriorum celebratio, non excluso in certis casibus cultu orthodoxo.

Pag. 18, lin. 2. *Christianismi notam.* Nonne melius diceretur *Patrimonii christiani notam?*

Cap. III, pag. 20-23. Vocabulum vel appellatio *Ecclesiae orientales* ad significandas ecclesias separatas, non concordat cum modo loquendi decreti *de Ecclesiis orientalibus.* Par. 12-18 non inopportune coniungerentur cum parte secunda *de Ecclesiis orientalibus* quae res magis concinniter tractat. Quidquid demum de hoc sit, memoriae hic esset revocandum hoc schema, praecipue vero memorandus par. 51, pag. 18.

Pag. 23-25. Paginae istae maxime positivae (de quo et ipsi gaudemus) causae tamen esse possunt confusionis et ambiguitatis. Optamus ut de novo redigantur et modo quidem breviore. Sufficeret:

a) ut omnes catholici invitarentur ad renuntiandum suis ideis nimis saepe compendiosis de fratribus nostris separatis, et ad agnoscendum quidquid positivi valoris in eis habetur;

b) ut in memoriam revocarentur et dolor e divisionibus proveniens et principia pag. 9-10;

c) ut evocarentur partes episcoporum, fidei doctorum, et a quibus ratio huius rei iure repeti potest.

52

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI REGIONIS APOSTOLICAE BURDIGALENSIS

Remarques générales.

La Réunion des Evêques se félicite de ce que ce schéma témoigne d'une large ouverture et d'une grande délicatesse dans l'expression, sans que soit attirée la doctrine sûrement établie.

Cependant, le synchronisme de ce schéma avec celui du « De Ecclesia » ne parait pas absolument parfait. A première lecture le « De Ecclesia » apparait légèrement en deçà.

Il faut en tout cas signaler comme qualités maîtresses de ce document, *sa conception remarquablement positive de l'Œcuménisme* dans l'Eglise Catholique, et de l'appréciation *des valeurs dont les autres Confessions* sont porteuses.

Remarques particulières.

Chapitre I, p. 7, n. 1. Nous souhaitons que le texte de St Paul dans l'Epitre aux Ephésiens (3, 5) soit placé au début de ce paragraphe pour introduire ce chapitre par l'évocation du « mystère caché en Dieu », et lui donner d'autant plus de vigueur.

P. 8, n. 2. Nous désirons que soit signalé à cet endroit la cause profonde des séparations: *le péché des chrétiens.* Il y aurait là l'occasion d'une confession

(d'ordre général) des péchés historiques auxquels chacun reconnaîtrait avoir part, qui donnerait à ce paragraphe un accent d'humilité fort opportun: affaiblissement de la vie chrétienne, incompréhension, manque de charité. D'où, des séparations trop nombreuses devant lesquelles l'Eglise d'aujourd'hui exprimerait sa douleur.

Mais aussitôt après, elle se réjouirait que, même après ces séparations, des éléments positifs soient demeurés dans les communautés détachés (bon inventaire de ces éléments en page 8).

P. 8, n. 2, l. 30. L'expression « ... actiones sacrae... quae... vitam gratiae reapse generare possunt. » est *impropre*. Dieu seul engendre à la vie de la grâce. Nous proposons qu'on insère v. g. « divina quidem operante virtute ».

P. 9, n. 3. Il nous semblerait opportun de signaler ici à l'usage des chrétiens le rôle de l'humilité et de la prière.

P. 9, n. 3, ll. 35-36. « ...possidebunt » paraît impropre, puisqu'il s'applique à des personnes et non à l'ensemble de l'Eglise. Le mieux semble de le supprimer.

P. 10, l. 17. Le mot « admiratis » paraît insuffisant et impropre; « scandalum » conviendrait mieux, car il y a réellement entraînement au mal du fait de la division.

Chapitre II, p. 16, n. 7. L'expression « cultu officiali » ne nous semble pas du tout bonne. Des réunions organisées par l'évêque ne sont-elles pas officielles? On a voulu éviter la « communicatio in sacris », qui est trop vague et compréhensible aux seuls théologiens. Il faudrait trouver une autre expression, qui ne soit pas liée à des circonstances historiques dépassées, mais corresponde au temps de l'œcuménisme positif et des relations davantage remplies de civilité.

Il semble — et l'exemple des difficultés théoriques et pratiques des Confessions Protestantes serait là pour le confirmer — que toute la question tourne autour de la Communion Eucharistique.

P. 17, n. 10. La première phrase mérite plus de développement. Il faudrait souligner l'importance d'un exposé complet et authentique du mystère chrétien, qui ne laisse de côté aucun des dogmes définis, de façon que l'essentiel ne soit pas obscurci par ce qui n'est que second. On pourrait signaler que l'étude de la doctrine des frères séparés peut être bénéfique pour mieux découvrir et approfondir des richesses que nous possédons nous-mêmes.

P. 18, l. 6. « in doctrina sociali Ecclesiae promovenda », il nous semble qu'il vaudrait mieux, par courtoisie à l'égard des Frères séparés, mettre: « in doctrina sociali promovenda ».

P. 20, l. 18. « ex communi consensu », formule qui nous paraît ambigue. Faut-il entendre que le Pape n'intervenait pas de plein droit, mais seulement comme arbitre appelé par libre consentement des parties? Ce serait contraire à l'histoire et à la bonne doctrine. Il suffirait d'y ajouter l'expression « acceptata » ce qui donnerait « ex communi sensu acceptata ».

53

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI APOSTOLICAE REGIONIS GALLIAE OCCIDENTALIS

Pag. 8, lin. 32 et pag. 23, lin. 11, 14, 19, 24. Ad denominandum christianas confessiones a Reformatione saec. XVI ortas, loco « *communitates* » (locutio nimis

generalis et non specifice christiana), scribatur: « *communiones* » (locutio a catholica Ecclesia recepta). Cf. Y. Congar, *Note sur les mots « Confession », « Eglise », « Communion »*, in *Irenikon*, 23 (1950), p. 3-36.

54

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI INDONESIAE

Magnam nobis videtur hoc schema laudem mereri, quod doctrinam rei difficilis ac novae modo praeciso et intelligibili exponit, praecipuas vias practicas oecumenismi exercendi brevibus verbis indicat, verbis utitur qui a fratribus seiunctis intelligi valent et benevolenti animo audiri nata sunt.

Unum tamen esse videtur, quo decretum substantialiter meliorari posset. Dum enim Ecclesia recte omnino statuit, se esse veram Ecclesiam Christi, se integra Christi veritate ac pleno sacramentali ordine frui, iuvaret simul addere hoc esse mysterium gratiae, ita ut plena et incorrupta haec ordinis christiani in Ecclesia conservatio non debeatur meritis nostris, sed Christi salvatoris amori, et ut nobis ipsis catholicis sit veritas credenda, non per evidentiam humanam nota. Correctio haec fieri posset, vel addita sententia ad n. 1, vel forte commodius eo quod data occasione verbulum quoddam addatur. Videantur e. g. observationes infra factas ad pag. 9, lin. 23.

In sequentibus quaedam observamus, quae vel ad rem aliquantulum perficiendam, vel ad sententias nonnullas clariores reddendas conferre posse videntur.

N. 1, pag. 7, lin. 8. « In Ecclesia sua mirabile unitatis sacramentum instituit ». Sententia aliquantulum aequivoca, cum possit significare aut quod Ecclesia ipsa est sacramentum unitatis, secundum rectissime dictum in schemate *de Ecclesia* n. 1, pag. 7, lin. 6; aut quod in Ecclesia instituit sacramentum Eucharistiae. Scribatur potius: « Ecclesiam mirabile unitatis sacramentum instituit ».

N. 2, pag. 8, lin. 17 ss. Doctrina hic expressa placet. Attamen modus dicendi perfici potest. Habetur enim in hac sententia quadruplex oppositio latens (autem - quidem - sed - tamen), et lector potest opinari quod consulto distinguitur *Ecclesiae communio* a *communione nobiscum*. Quare optamus ut sententia corrigatur hoc fere modo: « Fratres seiuncti qui in Christum credunt et baptismum rite receperunt, etsi perfecta Ecclesiae communione non fruantur, quadam tamen cum ea communione coniuncti sunt ».

N. 2, pag. 8, lin. 26. « quibus quoque Ecclesiae unitas manifestatur ». Videtur clarius scribendum: « quibus Ecclesiae quoque unitas manifestatur ».

Pag. 8, lin. 27. Potius quam « etiam » videtur scribendum « etenim ». Sacramenta enim sunt inter praecipua visibilia Ecclesiae elementa.

Pag. 8, lin. 32: Potius quam « item » scribatur: « deinde » vel « quapropter » aliudve.

N. 3, pag. 9, lin. 9. « plenitudo... qua Ecclesia gaudet ». Dicatur potius: « Plenitudo qua Ecclesia per gratiam Dei gaudet *vel* gaudere se credit ». Ratio supra indicata est, ne scilicet Ecclesia videatur humano iure seipsam extollere.

N. 3, pag. 9, lin. 23. « omnem veritatem et omnia instrumenta gratiae possideat ». Loco verbi « possideat » scribatur « ditata sit », vel « donata sit » aliudve. Ratio est eadem, et hic magis urget, cum vox possidere apud alienos opinionem foveat, quasi Ecclesia de his gratiae bonis domini modo disponere praetendat.

N. 3, pag. 10, lin. 14. « ab ecclesiastica communione seiuncti ». Dicatur potius: « a perfecta communione ecclesiastica seiuncti ». Ut scilicet adhibeatur eadem terminologia ac in n. 2, pag. 8, lin. 18.

N. 4, pag. 15, lin. 11. « conditio in qua communio nostra de facto versatur ». Formula videtur ambigua, cum possit significare aut communionem catholicorum inter se, aut communio catholicorum cum fratribus separatis.

N. 4, pag. 14, lin. 14. « significationes ». Haec vox non est intelligibilis. In priori textu huius schematis dicebatur: sectiones; quae vox clara est, sed non latina. Dicatur « campos » vel aliud simile.

N. 7, pag. 16, lin. 27. « in cultu officiali ». Vox officialis minus placet. Nam etsi satis clarum sit, quid intendatur, haec vox non habet sensum bene determinatum in vocabulo iuridico cultuali.

N. 9, pag. 17, linn. 16-19. Oecumenismus in missionibus hic modo simplistico tangitur, cum oecumenismus non solum utilitates afferat, sed oecumenismus incipiens praesertim in missionibus graves difficultates etiam causare possit. Quare hic breviter tantum indicetur momentum oecumenismi in missionibus, et remittatur ad Decretum de Missionibus, ubi res est latius tractanda. Hic ergo scribi posset: « Sed etiam missionales viri instructi esse debent de momento quod oecumenismus in apostolatu eorum habet, sicut in decreto *de Missionibus* exponitur ».

55

CONFERENTIA EPISCOPALIS PAEDEMONTANA

Explicite exponatur punctum quod in tota quaestione oecumenica videtur magni momenti, seu « *Ecclesiae suntne Ecclesia?* ». Nam:

1. *Ecclesiae sunt Ecclesia.* Documenta ecclesiastica saepe et constanter huiusmodi nomen communitatibus orientalibus separatis tribuerunt (cf. pag. 12-13 nota 16).

2. *Ecclesiae non sunt vero Ecclesia.* Non sunt Ecclesia uti institutio a Christo condita cum veritatis integritate omnibusque mediis gratiae et salutis quibus simul sumpta ipsa Ecclesia constituitur et vivificatur (cf. pag. 8, linn. 22-23).

3. *Ecclesiae sunt Ecclesia.* Sunt enim vocatae ad Ecclesiam catholicam romanam, quae complete et obiective complet quod divinus Fundator Ecclesiae instituit ac voluit et in qua datur possibilitas ac realitas inveniendi illarum integrationem et perfectionem (cf. pag. 20, lin. 12 « elementa communionis ecclesiasticae »).

4. *Ultima ratio* huiusmodi propositionis haec est, seu, baptismus, qui rite et valide collatus realiter in unica vera Ecclesia Christi persona inserit, quamvis haec insertio sit solummodo initium et exordium integrae et completae incorporationis.

Notandum insuper est quod non pauci inter separatos ab Ecclesia res quae nos uniunt volenti animo iam considerant. Nonne utilitate quadam oecumenica gauderet propositum praesentandi ex parte Concilii quaedam quae verisimiliter tantum nos dividunt, quatenus sunt motiva historica et non doctrinalia?

Tandem necessarium non videtur nec utile cap. tertium: « de christianis ab Ecclesia catholica seiunctis ». Utiliter omitti potest.

Quaedam animadversiones.

Pag. 8, linn. 32-33: « nequaquam... exutae sunt ». Melius dicatur, positive: ornatae sunt.

Pag. 8, lin. 34: « Spiritus Christi uti non renuit ». Melius dicatur, positive: « utitur ».

Pag. 24, lin. 18: cur non clare dicatur Baptismum quoque esse medium incorporationis Ecclesiae? Adhibetur enim (linn. 23-24) locutio quae veritate theologica gaudet (Baptismus igitur vinculum sacramentale constituit vigens inter omnes qui hoc regenerationis sacramentum acceperunt) sed non est explicita.

Tandem aliquando laudentur orationis coetus inter laicos diversarum communitatum praesertim cum lecturis biblicis.

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio Generalis LXV

Congregatio Generalis LXVI

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD CAP. II SCHEMATIS
DE EPISCOPIS AC DE DIOECESIUM REGIMINE

Congregatio Generalis LXVII

Congregatio Generalis LXVIII

Animadversiones scripto exhibitae quoad capp. III-IV schematis de episcopis ac de dioecesium regimine

I - Quoad cap. III

Congregatio Generalis LXIX

Congregatio Generalis LXX

Congregatio Generalis LXXI

Congregatio Generalis LXXII

Congregatio Generalis LXXIII

Animadversiones scripto exhibitae circa schema de Oecumenismo in genere

Appendix